3




VERSANTUR HIS TRIBUS


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

THEATRVM CHEMICVM, PRÆCIPVOS SELECTORVM AVCTORVM TRACTATVS DE CHEMIÆ ET LAPIDIS PHILOSOPHICI ANTIQVITATE, veritate, iure, præstantia & operationibus, continens:

IN GRATIAM VERAE CHEMIAE, ET MEDICINÆ Chemicæ studiosorum (vt qui vberrimam inde optimorum remediorum messem facere poterunt) congestum, & in tres partes seu volumina digestum;

SINGVLIS VOLVMINIBVS, SVO AVCTORVM ET LIBRORVM CATALOGO primis pagellis: rerum vero & verborum Indice postremis annexo.

VOLVMEN TERTIVM.



VRSELLIS
Ex Officina Cornelij Sutorij, sumtibus Lazari Zetzneri Bibliop. Argent.

M. DC II.



ELENCHVS AVCTORVM ET TRACTATVVM
tertiæ partis.

Incerti auctoris, De magni lapidis compositione & operatione. attributa Joãni de Mehun, intitulata siue
Aristotelis, De perfecto magisterio. magisterium artis generalis.
Arnoldi de Villa noua, Lumen luminum, seu flos florum.
Eiusdem, Practica.
Efferarij Monachi, De lapide Philosophorum secundum verum modum efformando.
Thesaurus Philosophiæ.
Raymundi Lullij, Praxis vniuersalis magni operis.
M. Odomari, Practica.
De Argento in aurum verso.
De Marcasita,
De Arsenico.
De sale alcali.
An lapis philosophorum valeat contra pestem.
Vetus epistola de metallorum materia & artis imitatione.
Io. de Rupescissa, Liber de confectione veri lapidis philosophorum.
Io. Aur. Aug. Chrysopœia carmine conscripta.
Thomæ Aquinatis, Secreta Alchemiæ Magnalia, De corporibus supercælestibus, & quod in rebus inferioribus inueniantur, quoq; modo extrahantur:
De Lapide minerali, animali & plantali.
Eiusdem, Thesaurus Alchemiæ secretissimus ad fratrem Reinaldum.
Io. de Rupescissa, Liber Lucis.

Raymundi Lullij, Clauicula, & Apertorium: in quo omnia, quæ in opere Alchemiæ requiruntur, venuste declarantur, & sine quo, vt ipse testatur Lullius, alij sui libri intelligi nequeunt.

M. Io. Isaaci Hollandi, Opera Mineralia, siue de Lapide Philosophico omnia.

Evvaldi Vogelij Belgæ, Liber de Lapidis Physici conditionibus: quo abditissimorum Auctorum Gebri & Raymundi Lullij methodica continetur explicatio.

Et Chemistarum omnium opera tanquam ad normam examinantur, vtrum in perfectionis via consistant, necne.

Iusti à Balbian Flandri, Tractatus septem de Lapide Philosophico.

Iodoci Greueri Secretum.

Alani Philosophi Dicta de Lapide Philosophico.

Nicolai Barnaudi Commentariolum in quoddam Epitaphium Bononiæ studiorum, ante multa secula marmoreo lapidi insculptum.

Processus chemici aliquot.

Triga Chemica: de lapide Philosophico tractatus tres.

Quadriga Aurifera.

Theosophiæ Palmarium, siue Auriga Chemicus.

Epistola de occulta Philosophia.

Dicta sapientum.

LIBER

LIBER DE MAGNI LAPIDIS COMPOSITIONE ET OPERATIONE, AVCTORE *adhuc incerto, ſed tamen doctiſſimo.*

CAPVT I.

NATVRALIS Philoſophiæ partem ſecretam, ſcientiam videlicet famoſam, inclytam & glorioſam, inſipientibus occultam, ſed piis ac prudentibus manifeſtam ſcribimus, qua pauperibus & inopibus ſubueniri poſſit: Hoc autem ſuccincti ſermonis eloquio non penitus occulto, nec penitus manifeſto, nō tamen ſub ænigmate, vel figura, ſed potius ſub plana ſermonum ſerie: tali tamen, quod hoc prudentes non lateat, mediocribus autem profundiſſimum ſit, fatuos vero miſerabiliter excludat: ne improbus æque ac probus tam excelſam ſcientiam vſurpet indigne. Artificem vero huius ſcientiæ oportet eſſe ſubtiliſſimi ingenii, & naturas metallorum eorumque generationes, infirmitates, & imperfectiones in ſuis mineris ſcire & cognoſcere, antequam perueniat ad hanc artem, ſi in tribus ordinibus medicinarum, vel lapidum voluerit eſſe perfectus. Sed quia priorum duorum ordinum medicinæ ſunt ſophiſticæ, & non tollunt de commiſto, relinquitur vnica ſola, quæ eſt de tertio ordine: & dicitur vnica & vera omnino, & certa: quia ſola tollit de commiſto, & lapis magnus & precioſus philoſophicus, ſeu medicina ſumma & precioſa, à Philoſophis appellatur: de qua ſola Philoſophi ſcripſerunt in ſuis libris, & loquuti ſunt, aliis medicinis & lapidibus prætermiſſis: ideo nos, ipſos imitantes, tantum intendimus de hoc lapide magno, vel medicina ſumma loqui in hoc libro, omnibus aliis prætermiſſis.

Non accedat autem ad ipſam indagandam artifex groſſo ingenio, & duro repletus, nec auarus, neç ſumptibus parcens, vel expenſis, nec vir duplex, omnino variabilis a propoſito,

nec nimis festinus, nec infirmus, aut impotens manibus vel oculis, aut nimis antiquus, nec ita pauper, vt habere non possit vnde hanc sumptuosam scientiam indagare possit: sed potius sit doctrinæ filius, vir subtilissimo ingenio decoratus, sufficienter locuples, largus, sanus, firmus in proposito, patiens & mitis, temperatus, & sufficienter suis membris & organis bene dispositus &ordinatus. Nec tędeat artificem huic libro sæpius studere, & ex eo verum intellectum extrahere, & extractum in corde suo secrete gerere, perpetuæque memoriæ commendare, postea operari.

Non enim solum per libros ipsam conuenit indagare, quia qui per libros ipsam solum sequitur, tardissime eam inueniet, eo quod libri istius scientiæ non sunt scripti ad doctrinam ipsius, sicut libri aliarum scientiarum, sed sunt tantum quantum figuræ ipsius scientiæ, quia scripti sunt suboccul te, & diuersis ænigmatibus, metaphorice & figurate. Et hoc totum ne per ipsos vere sciatur, cognoscatur & tradatur, quod hæc scientia est vera & omnino certa: vnde nullus Philosophorum vnquam hanc scientiam scripsit, vt est, sed tantum alliciunt artifices ad ipsam indagandam & inquirēdam: quidam autem ipsorum minus clare, quidam magis occulte, nunquam autem magis manifeste.

Et ideo non trademus ipsam scientiam, nisi nobis solum: sed tamen per hæc quæ dicemus, alliciemus te, fili doctrinæ, ad ipsam indagandam, & veraciter inueniendam: non tamen propter hoc desperet doctrinæ filius, quia si ipsam quęrat per ea quæ in libro sunt scripta, proculdubio ipsam inueniet, non autem per viam doctrinæ, sed proprio motu indagationis naturæ, cum magnorum sumptuum interpositione, & cum magna instantia laborum, & meditatione continua, atque pœna. Sunt enim multa obstacula ipsius tam famosæ scientiæ, quæ impediunt artifices ipsam indagantes, omnino, præcauenda in hac vera indagatione; &maxime cum in desperationem lapsus artifex, inclinat se ad opus sophisticum faciendum, à quo omnino est præcauendum, & in hac vera indagatione penitus intendendum. Qui autem ipsam consequi meruit, merito philosophus in hac arte philosophiæ nuncupatur, & ea semel facta, nullatenus ipsam reiterare à prudenti opifice contingit. Pro solis enim pauperibus à Deo hæc nobilis scientia est tributa: & si reges & principes

eam

eam ſcirent, nullus philoſophorum de cætero attingere poſſet. Poſt ſtudium vero huius libri continuum, & ipſo intellecto, opus incipere oportet artificem ſtudioſum, & per opus hanc ſcientiam præcelſam ſubtili ingenio indagare, & ea inuenta omnino certa & vera, non ſophiſtica, ipſam ſecretiſſime celare & custodire, & caute & prudenter loco & tempore in ſuis neceſſitatibus ea vti: quia qui theſaurum publice portat & vtitur, cupit deprædari.

CAP. II.

CVm enim vniuſcuiusq; rei principium & medium debitum ſumpſerit effectum, finis inde laudabilis comprobatur. Et philoſophus dicit, quod ignoratis principiis, cætera etiam ſubſequentia ignorantur: ergo a contrario cognitis, cognoſcuntur. Et in primo Ethicorum dicitur, Quod qui ſcit principium alicuius rei, ſcit fere vſque ad fines eius. A principiis ergo & mediis tam præcelſæ ſcientiæ eſt ordiendum, vt ea effectu debito terminetur, vt inde finis ſuccedat conſummatio glorioſa. Sunt autem principia iſtius famoſæ ſcientiæ eadem quæ naturalia in metallis: Metallorum autem principia ſunt iſta, ſub quæ fundatur ars in ſuis actionibus in ipſis formandis. Materia vero principalis omnium metallorum in ſuis mineris, de qua ipſa generantur & cauſantur, eſt aqua ſicca, quam aquam viuam, vel argentum viuum aliter nominamus, & ſpiritus fœtens, quem aliter ſulphur appellamus: non tamen in natura ſua, prout ſunt in ſuis mineris creata, quia in locis ſuis vbi generantur, nullum metallum inuenitur, ſed potius iſta materia eſt quædam ſubſtantia naturaliter à natura creata, habens in ſe naturam & ſubſtantiam iſtorum duorum: & ex iſta tali materia vel ſubſtantia duorum prædictorum procreata, generatur & creatur quædam ſubſtantia ſubtilis, fumoſa in viſceribus terræ & venis mineralibus, vbi congregantur & detinentur. Et deinde adueniens virtus mineralis ſuper ipſam fumoſam materiam, eam congelat & vnit ſe cum ea vnione inſeparabili & firma per decoctionem naturalem, & mineræ temperatam, non ſolum cum plurimo vtriusque, ſed in plurimo vtriusque: ita quod nec humidum prædictum, ſcilicet argentum viuum à ſicco, ſcilicet à prædicta ſubſtantia ſulphuris, nec ſiccitas ab humido poſſunt de cætero ſeparari. Ex his patet, quod in metallis ſunt

quatuor elemẽta naturaliter, & quod sunt homogenea: quia nihil aliud sunt quam fumi subtilissimi per decoctionem naturalem in suis mineris cõgelati & fixi, & in metalli naturam alterati, conuersi & mutati. Item patet quod humidum radicale metallorum in eorum calcinatione propter homogeneitatem & fortem vnionem elementorum ad inuicem in ipsis non consumitur, nec separatur, sicut consumitur & separatur humidum lapidis, quia non est vnitum in eis cum sicco in plurimo vtriusque. Et sic patet quod humidum lapidum est volatile & fugitiuum ab igne, humidum vero metallorum est fixum & permanens in igne. Item in generatione metallorum substantia sulphuris prædicta se habet per modum agentis, substantia vero argenti viui se habet per modum patientis. Et sic patet quod sulphur est pater mineralium, argentum autem viuum mater.

CAP. III.

Ex prædictis omnibus à prudenti artifice subtiliter intuente colligitur, quod natura in metallis creandis & formandis habet quandam substantiam vel materiam, videlicet argentum viuum, & sulphur, vt est dictum: ex qua materia facit naturaliter exire in mineris illam fumosam substantiam, seu materiam subtilem, quæ postea artificio ipsius naturę, vt est dictum, conuertitur in metallum. Illa vero prima materia à qua fumosa prædicta materia generatur & exit, est quoddã corp⁹: & illa fumosa ab ea generata est quidã spiritus: & sic natura facit de corpore spiritũ, & sic facit ascendere a terra in cœlum, id est rem corporalẽ facit spiritualem. Et quia postea hanc materiam spiritualẽ natura conuertit in metallum, vt est dictum, tunc facit de spiritu corpus: & sic facit descendere de cœlo in terram, id est rem spiritualem facit corporalem in suis operationibus & actionibus. In omnibus autem istis operationibus vere non possumus & proprie ipsam naturam sequi, sed per quandam similitudinem ipsam sequi tenemur in operationibus istius scientiæ, quod magis proprie, prout expedit arti nostrę, hoc est attentius faciendũ.

Item patet quod omnia metalla quantum ad radicem naturæ sunt eiusdem substantiæ vel materiæ, & tamen non sunt eiusdem formæ: & hoc est propter infirmitatem & sanitatem, mundiciem & immundiciem, paucitatem & quantitatem

tem

tem ipsius substantiæ argenti viui & sulphuris in vnione & commistione naturali, & propter naturam minerarum diuersarum, ac lõgam vel breuem ipsius naturæ decoctionem. Et hæc in vniuersali de generatione naturali metallorum diximus. Si autem hæc in particulari quis scire voluerit, videat Philosophum 4. Meteor. cum suis commentatoribus, & Albertum de mineralibus, & summam Geberi philosophi, quæ est de perfectione magisterii huius artis.

CAP. IV.

HVIVS vero famosæ scientiæ radicalia principia, super quæ fundatur, sunt ista videlicet, Quædam materia vel substantia propria argenti viui & sulphurum fumosa & subtilissima, ex natura prædictorum duorum per nostrum artificium generata, limpidissima, clara tanquam lacryma, in qua latet & habitat spiritus quintæ essentiæ, vt inferius dicemus. Non tamen est ista substantia ipsum sulphur, nec ipsum argentum viuum, prout sunt in natura sua in mineris suis, sed est quædam pars ipsorum duorum, quæ non est argentum viuum, vel sulphur. Quæ substantia prædicta fumosa & volatilis in propriam substantiam aliam argenti viui & sulphuris fixam & firmam, quæ est patiens ignem, nec eum fugiens, sed in eo perseuerans, figitur & massatur: quæ postea per decoctionem temperatam & continuam, & per magisterium huius scientiæ cum aliis ad hoc conuenientibus congelatur in lapidem fundentem, fluentem, tingentem, & in igne perseuerantem. Quidam Philosophi dicunt, quod ex solo argento viuo sine admistione sulphurum, hæc materia fumosa generatur, sed hoc est idem, quia argentum viuum habet in se naturaliter sulphur rubeum mistum: & hoc sulphur rubeum ab albedine ipsius propria manu separauimus, tetigimus & vidimus. Attamen Philosophus, qui dicit, quod ex sola substantia Mercurij sine additamento substantiæ sulphurum lapis elicitur, vel generatur, nõ intelligit de substantia fumosa prædicta, in qua latet spiritus quintæ essentię quem quærimus, quo tingamus: sed de substantia fixa & firma lapidis, quæ est in terra ipsius, in qua figitur idem spiritus: qua terra ipse lapis spiritualis imprægnatur in ventre venti per magisterium huius artis, vt inferius ostendetur. Nullo modo substantia fumosa prædicta potest naturaliter elici, nisi ex substantiis prædictorum duorum argenti viui &

ſulphurum inſimul admiſtis. Item aqua & ignis in hac ſcientia ſunt agentia, vnde oportet ſcire aquam & ignem coadiuuari ſimul: terra & aer ſunt patientia: aqua & ignis ſunt agentia: aqua eſt maſculus, & terra eſt femina: Sol eſt pater ipſius, & Luna mater. In hac operatione huius ſcientiæ pluribus rebus indigemus, quibus non indiget natura, & ſic in omnibus ſequi naturam non valemus. Ex his patet, quod in illis quibus indigemus, ſunt quatuor elementa, vnde oportet ſcire elementa conuertere vnum in aliud, alterare, vel mutare, videlicet facere de humido ſiccum, & de ſicco humidum: de frigido calidum, & de calido frigidum: aliter opus huius ſcientiæ non poſſet aliqualiter vel aliter conſummari. Item nota, quod faciendo generari prædictam fumoſam materiam à ſubſtantiis prædictorum duorum, ſcilicet Mercurii & ſulphuris, & ſuorum adiunctorum, quod dicta ſubſtantia ſimul vnita eſt quodammodo corpus, à quo exit iſta fumoſa ſubſtantia: nam fecit artifex aſcendere à terra in cœlum quandam materiam vel ſubſtantiam corporalem in materiam vel ſubſtantiam ſpiritualem: & quum poſtea ipſa materia, vel ſubſtantia ſpiritualis facta congelatur, & fixatur, & in lapidem conuertitur, tunc facit deſcendere de cœlo in terram, & materiam vel ſubſtantiam ſpiritualem iterato facit corporalem. Et ſic patet, quod ſicut natura facit de corpore ſpiritum, & de ſpiritu corpus in generatione mineralium metallorum: ita & nos in generatione artificiali lapidis mineralis per artificium noſtrum mirabile, facimus corpora ſpiritus, & ſpiritus corpora. Et hoc eſt quod dicit Aros: Facite corpora ſpiritus, & inuenietis quod quæritis. Ex his clare liquet, quod principia & operationes iſtius ſcientiæ ſimilia ſunt principiis & operationibus naturæ, tamen indigemus pluribus aliis quam natura.

CAP. V.

DAtis ergo principiis de generatione metallorum, ac materia operationum in eis, atque iſtius inclytæ & famoſæ ſcientiæ in vniuerſali: nunc de operatione iſtius artis & magiſterii in particulari videamus. Totum opus magiſterii magni lapidis philoſophici, & occulti duas habet partes operationis. Prima eſt de operationibus elixir, & dicitur primum opus. Secunda pars eſt de operatione lapidis

pidis

pidis, & dicitur secundum opus, quod aliter & in alio vase fit: & terminata prima operatione elixir, incipit istud aliud, quod est secundum, de operatione lapidis. Quidam philosophi in libris suis primo tradiderunt secundum opus, scilicet operationem lapidis, postea primum opus, quod est de elixir. Et quidam modo loquuntur de vno opere, modo de reliquo, scienter intricando se, & suam intentionem obscure persequentes, & obscurius exponentes, vt inquisitores fatuos & duro ingenio vel grosso existentes deciperent, hancque & merito famosam scientiam penitus occultarent, & prudentes ad eam allicerent, & eis manifestarent. Nos autem retentum ordinem in hac operatione lapidis, prout propriis digitis probauimus, & tetigimus, & oculis vidimus, tenebimus in hoc libro. Prius enim necessarium quod res elixentur: hoc est, in elixir conuertantur, antequam in operationē lapidis intendatur, aliter ad inuentionem & operationem magni & veri lapidis nullatenus quis attinget. Vocauerunt autem quandoque Philosophi in libris suis Elixir lapidem, & lapidem elixir, non facientes differentiam nominum inter vtrumque, vt fatuos excæcarent, & tamen dixerunt veritatem. Quare vere elixir est primum & principale fundamentum, & radicale lapidis preciosi, quod postea per operationem secundam conuertitur in ipsum lapidem preciosum, vel medicinam summam, quæ sola de commisto & infirmo, & imperfecto metallorum tollit, & ea reducit ad sanitatem & perfectionem summam, super quæ proiecta fuerit, & realiter conuertit & transmutat in lunificum vel solificum verum secundum colorem ipsius lapidis. Philosophi autem diuidunt elixir, vel lapidem: & dicunt, quod habet corpus, animam & spiritum: & sunt hæc vnita in ea vnitione naturæ, cui per artificium ministramus, quod sic agat, vnde nos non facimus elixir, nec lapidem, sed natura, cui ministramus materiam de qua agit. Corpus vocant terram debitam lapidis, quod dicitur secretum lapidis, vel elixiris, quod alias fermentum vel nutricem ipsius appellamus. Ex his colligitur, quod ex substantia argenti viui & sulphuris subtilissima & purissima, & ex terra nostra Elixir componitur, & lapis consistit.

CAP.

CAP. VI.

Elixir autem in hac ſcientia dupliciter conſideratur. Eſt enim elixir ad album & elixir ad rubeum. De elixiri ad album prius eſt videndum, & primo de eius ſpeciebus, ex quibus componitur. De ſpeciebus vero elixiris albi, Philoſophi varie tradiderunt, & diuerſis nominibus ipſas ſpecies nominauerunt. Quandoque enim pro ſpeciebus nomina colorum ipſarum ſpecierum ipſas ſpecies nominauerũt. ita quod multum ampliauerunt nomina iſtarum ſpecierum & in tantum, quod ob earum nomina multiplicata & dicta ab earum coloribus, vel naturis, plures & diuerſæ ſpecies cõuenire videantur, quanquam non oporteat: ſed ſemper aliquid addentes vel ſubtrahentes, vt fatuos deciperent inquiſitores. Quidam autem poſuerunt & quæſierunt hanc præcelſam ſcientiam in vegetalibus & materialibus: ſed quamuis iſtud ſit poſſibile per naturam, non tamen eis poſſibile eſt: quia potius eos in laborando vita deficeret, quam quod laboratum ad finem deducere poſſent. Quidam autem quæſierunt ipſam in lapidibus, gemmis, vitris, ſalibus, baurachiis, & ſimilibus: quod impoſſibile eſt, & contra naturæ principia hoc in talibus reperire: quamuis quandoque alteratio in prædictis reperiatur, poſt tamen longum laborem. Quidam aliquando in ſpiritibus tantum, videlicet in Mercurio & ſulphure, cum ſuo compari arſenico & ſale armoniaco ipſum quæſierunt. Et quidam alii in omnibus corporibus metallorum. Et quamuis iſti duo vltimi in parte bene quærant, & non in toto, & alii duo in toto male quærant: ideo omnium iſtorum ſecta rationibus eſt vacua. Nos autem prætermiſſis omnibus prædictis certum numerum ſpecierum, quæ conueniunt ad hoc Elixir, in hoc libro nominabimus.

CAP. VII.

Quatuor autem ſpecies ſunt, & non plus nec minus, quę ad hunc elixir conueniunt componendum, videlicet argentum viuum, ſulphur citrinum fugiens, ſulphur viride fixum habens ventrem nigrum intellectu, quamuis clarum in viſu videatur, & ſulphur album fixum: & hæc tria ſulphura ſunt fundentia & fluentia ſicut cera. Iſtarum autem ſpecierum optimæ vel meliores ſunt nouæ quam antiquæ. Bonum ſulphur viride eſt, quod in groſſis fruſtis reperitur, & cum frangitur habet fractionem claram, viridem, & eſt lucidum

dum ad modum vitri. Et propter hoc à Morieno Philoſopho almagra, hoc eſt, vitrum appellatur ratione colorum ſui, cũ tamen non ſit vitrum in rei veritate, ſed ſimile ei in fractione eſt: ſulphur album fixum melius eſt, cum fuerit bene album, fracturam habens albam, lucentem & claram, & eſt per grana oblonga non multum, ſed parum groſſa. In groſſioribus granis melius eſt ſulphur citrinum fugiens: & ſulphur viuum melius eſt quod fuerit in groſſis fruſtis clarum & non petroſum. Mercurius autem venalis habebatur apud Pariſios, quãdo incepi artem iſtam, valens ſing. lib. ſolidos duos Pariſienſes. Vna autem lib. ſulph. viui ſexdecim denarios: libra vero aliorum duorum ſimul miſtorum vel compoſitorũ quatuor ſolidos: libra denique ſulphuris viridis duos denarios: libra ſulphuris albi quatuor ſolidos. Et iſta patent, quod iſtæ ſpecies non ſunt magni precii. Omne enim quod magno precio emitur, in hac ſcientia non oportet quærere, vt dicit Morienus Philoſophus. Nomina iſtarum trium vel quatuor ſpecierum, & earum compoſitio nulli fatuo, vel inſipienti reuelantur: dimittendi enim ſunt in ſuis erroribus: quia qui per alias ſpecies quærunt hanc præcelſam ſcientiam, ipſam non inuenient, nec ad ipſam attingent, donec ſol & luna in vno corpore redigantur, quod ſine præcepto diuino impoſſibile eſt euenire.

CAP. VIII.

Componitur autem argentum viuum cum ſulphure viuo citrino, ita quod in ſimul alterantur quodammodo à ſua natura prima, & veniunt vnum & idem in vna maſſa rubea, quam tunc vocamus terram rubeam ponderoſam, & ex hinc amplius non ſunt, nec conueniunt niſi tres ſpecies in hac arte. De hac autem diſpoſitione ſeu compoſitione primę alterationis harum duarum ſpecierum loquitur Morienus in libro ſuo ad Regem Hali, & dicit, Fac vt fumus albus, id eſt Mercurius, fumum rubeum, id eſt, ſulphuris capiat, & ſimul ambo effunde & coniunge, ita quod par pondus apponatur, &c. Sed quia hæc compoſitio, ſiue diſpoſitio, videlicet iſta terra rubea, lucida, ponderoſa, tota compoſita venalis inuenitur: ideo non curamus laborare circa ipſius compoſitionem, ſed ipſa prætermiſſa, ad alias veniamus. Aliæ duæ ſpecies non componuntur, donec in opere huius artis ponantur. Quamlibet autem iſtarum ſpecierum vocaue-

runt

runt Philoſophi Lapides in ſuis libris, & hoc propter ſimilitudinem quam habent ad ipſos, non quod ſint lapides in natura.

CAP. IX.

EMptis autem à te & habitis, fili doctrinæ, his tribus ſpeciebus, accipe lib. vnam duodecim vnciarum de ſulphure viridi fixo, & tere ſuper marmor, vel alibi, vbi melius poteris, & reduc ad puluerē minutum in quantum poteris, & natura eius exigit, quo contrito ſerua & pone ad partē. Secūdo accipe tres vncias, id eſt quartam partē vnius libræ duodecim vnciarum de ſulphure albo fixo, & eodem loco tere per minuta, ſicut de alio feciſti, & ſerua ad partem. Tertio accipe tres vncias de terra rubea, lucida, ponderoſa, quæ eſt compoſita ex ſulphure & Mercurio, vt dictum eſt, & in eodem loco piſta & tere eam: donec in ea nihil lucidum appareat, & fiat puluis minutus, rubicūdiſſimus, ponderoſus, & ſerua ad partem per ſe, ſicut de aliis feciſti. Hoc autem opus contritionis vocatur à philoſophis hyems, nam hyems omni fructu & virtute naturali agente deſtituitur, & ita iſtud opus contritionū deſtitutū eſt omni operatione agente elixir, quia adhuc nihil eſt commiſtum de prædictis. Et ita patet, quod hyeme ſemper incipitur elixir, & omni tempore eſt hyems, & elixir poteſt incipi & operari.

CAP. X.

OPeratione hyemis completa, vt dictum eſt, & terminata tunc ſtatim ſine interuallo incipit opus de cōpoſitione & admiſtione iſtarum ſpecierū per manus hominis artificis, & ſic fit. Omnes iſtos pulueres iſtarum ſpecierū ſimul iunge, & miſce per minima ſuper marmor: non enim credimus alibi hoc bene, prout decet, poſſe fieri, ita quod tota materia videatur eſſe rubea, & quaſi vna eademq; ſubſtantia. Et poſtea iſtam totam materiam rubeam diuide in duas partes æquales, & ita quælibet pars continebit nouem vncias, id eſt, dimidiam libram duodecim vnciarum cum tribus vnciis id eſt, cum quarta parte ipſius libræ. Singularum autem pars huiuſmodi præparationis & compoſitionis ponatur in v. ſe ſuo proprio ad hoc deſtinato, & eſt iſtud vas vrinale duplex, quod venale inuenitur. In tali enim vaſe ſemper ſic facimus opus iſtud, ſcilicet ꝙ vas alembicus vitreus ſituetur, ita quod os vrinalis nō ſubintret os alembici, ſicut fit in omnibus deſtilla-

ſtillationibus,ſed potius os alembici ſubintret os vrinalis, & ab eo circumdetur: & ibi deinde lutetur & iungatur alembicus cum luto philoſophico, deinde dimittatur lutũ deſiccari & indurari,vel ad ignem caute deſiccetur,& induretur,ita ꝙ alembicus non poſſit ab eo ſeparari: relutetur iterum ſuper illud lutũ ſiccatum,& deſiccetur vt prius,ita vt ſpiritus nullo modo per iuncturas exire nec fugere poſſit.Et de hoc nullum vidimus ſecurum in iſta iunctura niſi noſtrum per cautelam noſtrã,quæ talis eſt. Poſt omnes enim deſiccationes luti, accipe ceram communem,& de ea circunda deſuper totum lutum deſiccatum,& deinde cum ferro calido funde cerã ſuper lutum ſapienter & caute, prout hoc exigit, & de cætero non timebis ne de ſpiritu per lutum aliquid amittas:ſic autem fecimus multis modis in hoc opere. Vocatur autem præſens opus iſtud à Philoſophis opus Veris,quod ſicut res in vere vniuerſaliter & naturaliter ſimul vniuntur ad fructificandum vnaquæque ſecundum ſuam naturam,ita & hic res, ex quib. elixir componitur,in hoc opere vniuntur ad fructificandum vel generandum lapidem philoſophicum. Et ſic patet, quod opus veris in elixir,finita hyeme ſtatim incipit,& omni tempore poſt illud,poteſt & debet ſtatim incipi.

CAP. XI.

HÆc autem compoſitio manualis artificis prędictarum trium ſpecierum facta,vt eſt dictum,caret proprio nomine:vnde ſi proprium nomen haberet,Philoſophi eã proprio nomine nuncuparent: ſed quia non habet,ideo nominauerunt ipſam Lapidem benedictum(qui tamen non eſt lapis,nec habet naturam lapidis) ex eo quod res, ex quibus componitur,habent ſimilitudinem ad lapides, & ex eis creatur lapis benedictus. Quidam nominauerunt ipſam, Lapidem mineralem,vegetabilem,animalem: Mineralem, quia res,ex quibus componitur,ſunt materia mineralia in ſua natura: Vegetabilem,ex eo quod corpus habet,animam & ſpiritum, vt animalia. Quidam dixerunt ipſam eſſe nigrum & fœtens, eo quod habet ventrem nigrum, & ex ſpiritu fœtenti componitur. Quidam alii dixerunt, ipſam eſſe Chaos, & voraginem mundi, vel maſſam confuſam, eo quod ſicut totus mundus creatus fuit in vna maſſa quatuor elementorum confuſa, quæ poſtea per ſeparationem ipſorum facta ex creatione apparuit mundus diſtinctus, prout eſt: ita

& in

& in hac compositione confusa siue massa, sunt quatuor elementa confusa & simul mista, quibus ab ea per artificium separatis, incipit apparere distincte Elixir, quod tot & pluribus aliis diuersis nominibus, ipsorum philosophorum diuersitas nominauit, nos autem eam Terram rubeam appellamus.

CAP. XII.

Ad residuum operationis huius Elixir veniendum est, & dicitur æstas, eo quod sicut res naturæ in æstate per calorem ipsius, & caliditatem exeunt à terra, & ascendunt in aerem, vt veniant ad Autumnum, id est ad maturitatem & perfectionem, ita & in hoc opere res Elixir per calorem, vel per caliditatem ignis de hac terra exeunt, & ascendunt in aerem, vt postea perueniant ad Autumnum, & ibi perficiantur. De hac enim operatione dicit Philosophus, Accipe lapidem, qui non est lapis, nec habet naturam lapidis, & separa elementa. Et Aristoteles ad Alexandrum Regem dicit in libro de secretis secretorum capitulo penultimo, O Alexander, accipe lapidem mineralem, vegetabilem, & animalem, & separa elementa.

Ergo à separatione elementorum incipiendum est, & faciendum est hoc opus. Ab ista ergo terra rubea, separanda sunt elementa, videlicet, purum ab impuro, diaphanum ab opaco, clarum à turbido: Et hoc fit isto modo, videlicet, Hæc terra posita in duobus vrinalibus cum suis alembicis lutatis, vt dictum est, tunc singulare vas ita præparatum pone in aludello super cineres cribellatos: ita quod spissitudo cinerum, spissitudinem parui digiti auricularis sub fundum vasis non excedat. Sit autem aludel siccum & bene sigillatum cum luto, super furnum ad hoc bene dispositum & firmum, vt dicemus. Quodlibet autem vas suum proprium habeat aludellum atque furnum. Et in furnis compone ignem recte sub medio culorum aludellorum. Sit autem ignis iste ita temperatus, quod tenere possis manum tuam ad culum aludelli intus furnum super ignem sine combustione & periculo manus, & sit continuus: quia si tu dares in principio talem ignẽ turbatiuum: quod materia in vase funderetur antequam spiritus eius humidus ab ea euolaret, & antequam materia in fundo vasis desiccaretur, frangeretur vas, & sine dubio spirit⁹ exiret, & totum amitteretur. Et ideo multum est cauendum, & cum maxima diligentia & cautela iste ignis exponendus & continuandus est.

CAP.

CAP. XIII.

VAsibus autem prædictis sic cum igne in suis furnis dispositis, vt dictum est, tunc vapor istius materiæ ascendet in alembico sursum in fumum subtilissimum, & fumus ibidem conuertetur in aquam limpidam, serenam & claram, tanquã lacrymam, habentẽ in se vim omnium prædictarum rerum vel specierum, a quibus regeneratur: quę cum generata & causata fuerit in alembico, descendet per cornu cerui, id est, per nasum ipsius alembici, qui factus sit largus atque grossus circa alembicum, & acutus, gracilis, & recuruus circa finem ad modum & similitudinẽ vnius cornu cerui. Primæ guttæ istius aquæ descendentes vsque ad sexdecim, vel plus, nullius sunt valoris, & ideo non recipiuntur, sed cadere dimittuntur. Et si volueris scire certum tempus recipiendi ipsam aquam, post sexdecim guttas ipsius, vel circa dimissas cadere, accipe laminam cultelli modicum calefactam, id est, tepidam, & pone ad nasum alembici, & tene ibi, & expecta donec vna gutta super laminam cultelli cadat: quæ si bulliat & nigrescat super laminam, tunc est tempus recipiendi, si non, non: adhuc enim in ipsa aqua, antequam recipiatur, est multum de phlegmate, à quo oportet quod purgetur aqua ista, nec purgatur vere, donec habeat signum istud prædictum: signo vero inuento in ea, tunc ad recipiendum ipsam debes habere duo vasa de vitro præparata, habentia fundum rotundum, restrictum, & collum longum ad mensuram dimidii pedis, vel circa, & ita largum, quod pollicem vel digitum possis intra figere. Sint autem ista duo vasa formata ad modum vnius phialæ, & sint spissa & fortia: aliter enim aquam retinere non possent, quoniam prę nimia virtute & fortitudine ipsius frangerentur: & hęc vasa pone sub vasis alembicorum, & fac intrare ipsos, & iunge in collis vasorũ quantum poteris, & vt melius tibi videbitur, & obtura cum panno lineo sicco, & nõ cum luto: nec sint nimis stricti, quia possent frangi virtute aquæ, & recipe aquam.

CAP. XIV.

COntinuandus est autem ignis ille debilis per vnum diẽ & noctem in hac debilitate vel circa. Postea, non subito, sed paulatim infortiandus est vsque in duplum, vel plus si necesse fuerit, & in hac augmentatione continuandus est & tenendus, donec rubescat alembicus: & cum apparuerit

rit rubeus, tenendus est in illa rubedine, & ignis in illo statu continuandus, donec tota aqua exeat vel fere: & tunc infortiandus est ignis tertio, & faciendus cum flamma, vt partes aquæ grossiores & fortiores exeant: & talis ignis flammeus & fortis continuandus est per sex horas vel circa, donec tota aqua fortis & spissa exierit, & terra sicca sine humore apparebit, & remanebit: & sic erit aqua, & plene facta.

CAP. XV.

Nominatur aqua ista sic facta nomine matris suæ, videlicet Lapis: sed hic purus, ille autem impurus. Item vocatur aqua Mercurii, & aqua sulphuris, ex eo quod ex ipsis generatur. Item vocatur fumus, ventus, oleum, aqua, aer, ignis, vita, anima, & spiritus, & Mercurius noster, quem quærimus, qui est ignis comburens: soluit omnia corpora vno regimine, id est vno opere, videlicet opere Autumni subsequente: & pluribus aliis nominibus philosophi ipsam nominauerunt ex causis legitimis & rationibus, quæ relinquimus tuæ industriæ causa breuitatis. Iste vocatur à philosophis Lapis benedictus, qui non est lapis, nec habet naturam lapidis: & hæc ideo vocatur lapis, quia philosophi vocant lapidem omne illud, à quo per artificium possunt elementa separari: quia separatione facta ex ipsis, per eorum coniunctionem in hoc magisterio alchemico, scilicet in opere Autumnali sequenti, suscitatur quædam substantia ad modum lapidum, qui per admistionem humidi cum sicco generantur, vt patet in hoc opere sequenti. Item dicitur Benedictus, quia ex elementis separatis & postea coniunctis, vt postea dicemus, superest quædam essentia quinta, quæ spiritus lapidis appellatur. Et quia spiritus non apparet nec tangitur, nisi assumpto corpore in aliquo elemento, ideo iste spiritus propter nobilitatem naturæ suæ accipit corpus in nobiliori & superiori sphæra elementorum, scilicet in sphæra ignea, vel ignis, remanente ipso tamen in natura sua spirituali, & ideo nō est ignis, nec habet naturam igneam quantum de se, est tamen in igne habitans. Et iterum quia istud corpus sphæricum igneum propter sui subtilitatem & puritatem adhuc à nobis non potest videri, ideo instrumentis idoneis mediante operationis industria, eius subtilem substantiam conuertendo, componendo, & condensando, & de-

siccan-

ficcando ab ipsa substantia, videlicet à materia prædicta sublimando, & destillando, vt est dictum, in aquæ speciem conuertitur, & emanat: & emanando à superfluitate sui phlegmatis separatur, & mundatur, vt superius est ostensum. In hac enim aqua adhuc non sunt quatuor elementa, sed tria tantum, videlicet aqua, ignis, & aer, & insimul hæc tria vno regimine coniunctim ab immunditia sua & superfluitate separantur, videlicet à terræ suæ fœtulentia purgantur & separantur: in hac enim separatione aquæ, elementum aqueum vocamus, ipsius aquæ humiditaté. Aerem appellamus aqueæ naturæ, quæ facit omne corpus ad modum gummi fluere, & ideo oleum nominatur. Ignem in ea dicimus esse illam virtutem, qua comburit, calcinat, & soluit corpora, in quo igne habitat & iacet spiritus lapidum prædictus. Separatis ergo istis elementis à sua terra, & factis spiritualibus cum spiritu quintæ essentiæ, & in aquam conuersis, vt dictum est, coniungenda sunt in terram, prout in sequenti melius declarabitur, vt similiter ipsa terra efficiatur spiritualis cum spiritu prædicto, sicut alia tria elementa.

CAP. XVI.

AD compositionem istorum trium elementorum cum quarto, id est cum terra nostra veniendum est: & hæc est compositio, quam occultauerunt omnes philosophi, & vocatur matrimonium corporum & spiritus, eo quod in hac operatione coniungitur spiritus quintæ essentiæ latens in tribus elementis prædictis, vt est dictum, cum corpore, id est cum terra nostra: ita quod coniunctio ipsius corporis, id est terræ nostræ fit spiritualis, id est de natura spiritus & subtilis: & spiritus de natura terræ, & tunc perficitur, id est incipit perfici virtus & natura spiritus quem quærimus, qui dicitur quintum ex quatuor generatum, secundum quod dicit Philosophus, Vis eius integra est, si versa fuerit in terrã, ergo, &c. Fit autem compositio seu matrimonium non manibus hominum, sed per opus naturæ: cui naturæ per artificium & magisterium istud mirabile, talem materiam, vt hoc operetur, & faciat, ministramus.

Debet autem fieri ista compositio statim, postquam aqua est facta, nec expectari debet ad hoc compositum faciendum vltra duas horas, quia cito euanescit virtus spiritus istius, nisi per compositionem ipsius cum corpore retineretur. Et ideo

oportet quod cito fiat. Item vocatur hoc opus Autumni, eo quod ſicut in Autumno fructus naturæ ad perfectionem naturæ perueniunt, ita & hæc aqua ad perfectionem deducitur in hoc opere compoſitionis & matrimonii. Item appellatur imprægnatio lapidis, quia cum fit hoc matrimonium, vel compoſitio, ſeu coniunctio iſtius ſpiritus cum corpore, imprægnatur lapis, id eſt, corpus vel terra noſtra, de iſto ſpiritu quintæ eſſentiæ in ventre venti, id eſt in ventre aquæ prædictæ, quæ dicitur ventus, anima, oleum, & aer, &c. in qua ipſe ſpiritus habitat, vt eſt dictum, vel è contrario iſte ſpiritus habitans in aqua prædicta imprægnatur iſto corpore, id eſt, terra noſtra: in ventre venti, id eſt ventre aquæ prædictæ, quæ dicitur ventus: cum ipſa terra vel corpus efficitur per ſolutionem ipſius in ipſa aqua de natura ipſius aquæ. Et hoc eſt quod dicit Philoſophus, Portauit illud, id eſt ſpiritum quintæ eſſentiæ, vel terram noſtram, ventus id eſt aqua prædicta, quæ deſtillando prius fuit fumus, & ventus: in ventre ſuo, id eſt, intra ſe: & ſic patet, quod alibi dicit Philoſophus, quod iſtud quod eſt inferius, eſt ſicut quod eſt ſuperius, ad præparanda miracula rei vnius, ſcilicet lapidis.

CAP. XVII.

SIc autem fit, & eſt corpus iſtud: Primo tenendum eſt firmiſſime, quod terra illa vel fæces, à quibus exiuit hæc aqua trium elementorum, non aſſumitur, ſed proiicitur, cum nullius ſit valoris, vt dicit Alphidius, Fæcem proiice, in alia enim hæc aqua plantatur, & radicatur. Et ſic patet quod dicit Aros, quod opus iſtud in vno incipit, & alio terminatur. Accipiatur autem terra noſtra, & primo ab ea tollantur omnes eius humiditates ſuperfluæ, & ab ea ſeparentur, & euolent, donec fiat alba, lucida, & in omni parte munda & affinata. De hac tali terra ſic purificata, ſume duas vncias in laminas tenuiſſimas, vel in puluerem, vel in limaturam reductas, prout natura ipſius exigit: & vnam ex iſtis vnciis proiice in vno iſtorum vaſorum ſuper aqua, & aliam vnciam in alio, ipſis vaſis deobturatis, & ſuper cineribus tepidis ſituatis in aludellis ſuper furnos, ab ipſis prius remoto alembico. Et ſtatim cum hoc corpus intus proiectum fuerit, obturentur vaſa ſatis ſtricte cum panno ſicco lineo: & incontinenti quod iſta terra in aquam iſtam cadet, incipit aqua iſta bullire, ſi bona fuerit, & ſine errore facta, ſi vero non bul-

bullierit, error fuit in eius operatione, nec aliquid valet, quia corpus non soluit, nisi bulliat, & ideo oportet reiterare, & aliam facere. Tenenda sunt vasa continue super cineres calidos, donec ipsa aqua à bullitione cesset, & cum cessauerit, erit clara, limpida, & viridis. Et corpus, id est terra nostra, in ea erit liquefactum, id est solutum & coniunctum per minima cum spiritu: & si aliquid remanserit de corpore, quod non fuerit solutum, vel liquefactum, non est vis. Sed alia vasa accipe similia illis, & pone in illis aquam illam ita sapienter & caute, quod illud quod remansit in fundo ad dissoluendum, non transeat cum aqua clara: & sic in illis vasis bene & fortiter obturatis cum panno lineo serua aquam benedictam vsque in horam necessitatis: & iterum debes aliam facere, & totiens reiterare, donec de ista aqua bonam habueris quantitatem, & eam serua in suis vasibus singularibus, vel in vno pro omnibus, quod sit vitreum fortissimum & spissum, & obturatum, vt est dictum. Sic enim aqua impregnatur, & efficitur Elixir ad album: Sed adhuc non est eius perfecta impraegnatio lapidis, nec perfectum elixir, nec perfectum matrimonium vel compositum corporis & spiritus, vt quidam dicere voluerunt: sed tantum est verum principium & medium perfectionis praedictorum: perfectio vero inferius consequetur. Item dicitur hoc corpus in hac aqua solutum, temperantia sapientum, & aqua vitae: & corpus quod soluitur, vocatur gumma philosophorum, de quibus dicit Aros, Vide vbi miserunt aquam, ibi miserunt gummam, vel è contrario. Et tamen quamuis sic nominetur, & verum sit, non tamen est gumma perfecta, nec aqua. Et quamuis sit aliquod imperfectum habito respectu ad perfectionem lapidis benedicti, id est elixiris: est tamen medietas elixir perfecta ad album, ad aliam medietatem veniendum.

CAP. XVIII.

Notandum est, quod prima pars Elixiris est alba, quae fit de terra alba: & secunda pars Elixiris est rubea, quod de terra rubea fit, vt dicemus: Et ideo prima pars Elixiris dicitur ad album, secunda pars Elixiris dicitur ad rubeum: & sic videntur esse duo Elixiria in hac arte, cum ita tamen non sit, quia in rei veritate hae duae partes non faciunt nisi vnum Elixir, quod est ad vtrunque, videlicet primo ad album, & postea idem & nō aliud in eodem vase dicitur ad rubeum.

Diximus autem de parte alba componenda: nunc dicendum est de parte rubea facienda. De hoc autem Elixiri, vel lapide rubeo, id est parte rubea Elixiris ad vtrumque, scribitur in libro aureo, & sic dicitur. Lapis vero rubeus, id est pars Elixiris rubea ad vtrumque, vt inquit Hermes, Aristoteles, & Archelaus, descendit non ab aqua vini vel vitis, imo ab aqua vitæ: & aqua vitæ descendit ab eo, videlicet lapide rubeo, vel Elixiri, id est à parte rubea Elixiris ad vtrumque.

CAP. XIX.

Quoniam, vt ait Philosophus, in arte ista eædem sunt res quæ dealbant & quæ rubificant, ideo in hac operatione elixiris rubei, id est partis rubei elixiris ad vtrũq; eædem res, id est species, quæ vt superius diximus, conueniunt ad rubeum, id est ad rubeam partem Elixiris. ergo tres species prædictæ in hac de rubeo elixiri sunt assumendæ, sicut prius ad partem albam, sed cum aliis ponderibus, videlicet: Accipies de sulphure viridi vnam libram duodecim vnciarum, & in hoc concordant pondera: item sulphuris albi sex vncias, id est mediam partem vnius libræ duodecim vnciarum; item terræ rubeæ ponderosæ sex vncias: & in his duobus discrepant pondera ista à ponderibus aquæ albæ, & ita sunt in summa totali viginti quatuor vnciæ, id est, libræ duæ duodecim vnciarum.

CAP. XX.

Ex istis speciebus facies omnia opera supradicta, videlicet opus hyemis, veris, æstatis, & autumni simili separatione, contritione, simili decoctione ignea, similibus vasis, similibus aludellis, similibus furnis, similibus iuncturis, & lutis, simili separatione phlegmatis ab aqua, simili receptione ipsius, simili proiectione, vel coniunctione, seu matrimonio terræ rubeæ cum spiritu lapidis in aqua prædicta: Sed ipsa terra rubea aliter debet purgari à suis fœtulentiis & superfluitatibus, quam terra alba: & ideo antequam in ipsa aqua ponatur purganda est per modum suum: qua purificata & mundata, & in laminas tenues coaptata, vel in puluerem, id est limaturam redacta, tunc ponenda est in aquam factam, vt dictum est: sed cum posita fuerit in ipsa aqua, non soluetur in ea, quia tantæ virtutis non est aqua, sed tantum calcinabitur in puluerem, & quodammodo sine tactu reducetur. Hoc sic facto, moue aquam caute, & pone in alio

vase,eidem in quo est,simili; ita quod remaneat puluis calcinationis terræ rubeæ sine aqua in suo vase, & in illa aqua remota pone aliquod corpus, quod sit tibi proficuum, sicut esset terra alba,& soluetur in illa aqua,& tibi proficiet. Item terram calcinatam, quæ remansit, desicca secundum suum modum,& serua munde, ita quod puluis alius super eam nō cadat nec attingat,donec aliam aquam feceris, in qua possit dissolui. Aqua autem facta per huiusce pondera supradicta, fortior est quam prima prædicta,quia prima non potest soluere Mercurium in aquam, ista autem secunda soluit ipsum sine dubio:& tamen ista est de colore aquæ alterius quātum ad visum,sed differunt quoad tinctionem,quia ista est aurea, id est tingit ad citrinum colorem, vel ialucum: & prima tingit in nigrum,vt est dictum:Hæc etiam soluit omnia corpora, & etiam terram nostram albam præter Solem, vt est dictum,videlicet præter terram nostram rubeam,sed ipsam tamen calcinat,vt est dictum. Et sicut prima aqua vocatur nomine omnium albedinum, viriditatum, foliorum, & arborum, &c. ita ista secunda vocatur nomine omnium ialucitatum,citrinitatum,rubedinum,nigredinum,& sulphurerum, &c. Et hoc est,cū est perfecte soluens terram nostrā rubeam: & semper dicitur imperfecta donec hoc faciat. Non autē fecimus in hoc nostro libro mentionem multum specialem de purificatione,mūdatione,seu affinatione terrę nostræ rubeę vel albæ, eo quod satis purificatæ & mundatæ & affinatæ venales inueniuntur:& ideo hoc sub breuitatę transimus,&c.

CAP. XXI.

ARenarum arcanorum huius tam inclytæ scientiæ, tibi fili, factum tradere non intendimus, vt est dictum, sed tantum ad ipsum indagandum,& inueniendum allicere te cupimus per ea quæ sequuntur. Aquam aliam facias dę prædictis speciebus,sed cum istis ponderibus:Accipe sulphuris viridis libram vnam duodecim vnciarum, & terræ rubeæ ponderosæ nouem vncias, & sulphuris albi similiter nouem vncias: & sic erunt in totali summa triginta vnciæ,id est duæ librę duodecim vnciarū cum dimidia: Et operare per omnia opera & per omnes modos,vt prius,excepto hoc, quod in separatione phlegmatis ab ea,plus separabis in duplo, vel plus de phlegmate ipsius,quam de aliis separationibus non fecisti aliarum aquarum: postea recipies ipsam,vt dictū est de aliis.

Et ipsa aqua facta pone puluerem prædictæ terræ rubeæ calcinatæ super eam, & si liquefiet, id est, si soluetur, & fiat aqua rubea vel ialuea, facta est aqua, & vere bona: quod si adhuc non soluetur, iterum remoue ab ea aquam, sicut alias fecisti superius, fac de ea similiter: & iterum terram rubeam desicca vt prius, & serua: & sic reiteranda est hæc aqua augmentando pondus de tribus vnciis semper in sulphure albo, & in terra rubea tantum, & non in sulphure viridi, cuius pondus semper est æquale in aquis istis, & plus separando de phlegmate in duplo in ista, quam in alia prædicta, donec inueniatur aqua quæ soluat terram nostram rubeam in aquam limpidissimam rubeam. Quidam autem totum remouent de aqua ista, vel de aquis istis prædictis rubeis, quod exit & destillat, vsque ad illam aquam quæ exit, cum incipit alembicus rubificari: tunc demum in alio vase recipiunt illam aquam ad partem, & dicunt quod illa quæ exit ante rubificationem alembici, soluit terram nostram albam, & ista quæ exit post rubificationem alembici, soluit terram nostram rubeam: à quorum proposito & intentione, si ita sit, non deuiamus, sed potius consentimus.

CAP. XXII.

Hac aqua perfecte & vere indagata & inuenta, & in ea nostra terra rubea soluta, debes seruare ipsam ad partem in vase obturato, sicut superius fecisti de aqua alba, & iterum simili modo reiterare eam cum solutione terræ rubeæ in ea, donec de ipsa aqua rubea bonam habeas quantitatem. In singulari vero aqua de corpore rubeo præparato, id est de terra nostra rubea præparata in laminas tenues coaptata, vel in puluerem limaturæ redacta, ponas duas drachmas, id est quartam partem vnius vnciæ: & si plus soluere poterit, plus apponas, veruntamen non excedas vnam vnciam ad plus, & hoc intellige de terra rubea tam de calcinata, quam de non calcinata: & si aliquid remanserit ad dissoluendum de istis drachmis in aqua prædicta, illud non proiice, sed remoto quod solutum fuerit de illis seruetur ad partem, & in alia solutione alterius aquæ soluatur cum alia terra: & tunc duæ drachmæ non ponuntur in illa aqua, sed minus, quantum scilicet pondus istius terræ non solutæ, quæ ponitur cum illa, ponderat: quod verum est, nisi plus posset soluere, vt est dictum. Et sicut prima aqua alba prædicta, secun-

ſecundum intellectum Alphidii philoſophi in hac arte, appellatur & nominatur virgo vel puella habens vnum vber: Et ſecundum Ortolanum dicitur ſperma femineum album & frigidum: ita & iſta aqua prædicta rubea ſecundum Alphidium nuncupatur, & dicitur iuuenis pulcer & homo nigri capitis & barbæ, habens pulcrum veſtimentum, quia aureum eſt: & ſecundum Ortulanum, ſperma maſculinum rubeum & calidum. Item prima aqua alba antequam corpus album ſoluatur in ea, nominatur vrina puellarum, & iſta rubea, vrina virorum iuuenum: vtraque autem vrina infantium, & infinitis aliis nominibus hæ duę aquæ à philoſophis diuerſimode nominantur.

CAP. XXIII.

DE ſingulari autem iſtarum duarum aquarum dicendo & ſcribendo intelligit Ortulanus in libro ſuo per ſimilitudinem hoc quod dicit ibi proprie de aqua vini, vt nos per quatuor annos & per plus, & multi alii nobiſcum crediderunt, & adhuc credimus, & vere, & bene. Et idem eſt hic, quod iſtæ duæ aquæ fuerunt iunctæ inſimul & commiſtæ, quia tunc non ſunt niſi vna aqua. Hæc ſunt verba Ortulani de aqua vna ex duabus aquis prædictis compoſita, vel ex ſingulari ipſarum. Hæc aqua fixat omnes ſpiritus & facit ingredi: quod intelligendum eſt de ſpiritu lapidum, qui eſt quintum quid ex quatuor generatum, & non de illis ſpiritibus fatuorum, videlicet Mercurio venali, ſulphure, & arſenico. Itē hæc aqua retinet vim ſuā & ſuperiore & ſpiritualem, id eſt nō fixam: Et hoc eſt quod dicit Philoſophus, Quod eſt inferius, eſt ſicut quod ſuperius, & è contrario, ad præparanda miracula rei vnius: id eſt, oportet quod prædicta quinta eſſentia, videlicet ſpiritus quintæ eſſentiæ de quatuor generatus, vt eſt dictum, retineat ſemper vim ſuam, ſcilicet ſpiritualem: & habeat omnem vim quatuor elementorum, id eſt vim ſuam corporalem, ſi miracula inde debeant perpetrari: Et hoc ſine dubio fit eo modo, quo ſuperius eſt oſtenſum. Item ſciendum eſt, quod indagando aquam rubeam, cum multiplicabis pondera ſpecierum vltra viginti quatuor vncias, etiam vaſa, in quibus materiam pones, debent eſſe fortiora, & ventres habere groſſiores, ſecundum quantitatem augmentationis ſpecierum. Et nota quod debent ventres ipſorum eſſe pleni materiæ Elixiris ad vtrumq;, quæ

rubea nuncupatur, quæ tamen adhuc est imperfecta, sicut & alia, ad cuius elixiris perfectionem de cætero veniendum est.

CAP. XXIV.

PErficitur autem Elixir ad vtrumque isto modo: De aqua alba accipe tantum quantum de ea fecisti in duobus vasibus vna vice, &scias quantum est pondus ipsius per subtilitatem tuam: non enim possumus tibi omnia scribere: Et tantum de aqua rubea, de qua similiter scias pondus, & habeas vnam cucurbitam de vitro factam, fortem & spissam, cuius os sit factum ad modum vrinalis: in hac cucurbita simul coniunge has duas aquas simul effundendo, & satis cito, eritque tota aqua ialuea vel citrina, & clara & limpida: & sic erit consummatum & perfectum verum Elixir ad vtrumq; verum matrimonium inter corpus & animam, vera & perfecta lapidis impraegnatio, & verus eius coitus, ex quo sequitur verus partus. Ista autem aqua ex duabus aquis facta vna, vt est dictum aurum nostrum, argentum nostrum: imo aqua cælestis & gloriosa. Similiter & æs nostrum, sericũ nostrum, magnesia nostra, in qua vt dicit Aros, Sunt quatuor elementa, seu quatuor corpora: quæ quatuor corpora sunt nubes, & niues extractæ, & oleum & butyrum, & lunæ spuma. Item dicitur fermentum lapidis ad vtrunq; & plumbũ nigrum, & tota operatio nostra, & ouũ philosophorũ & non gallinarum, & sapientia nostra, quam Deus, scilicet quibus voluit, reuelauit. Et de hac dicit Aros, Ipsum enim est totum in toto, & id totum quod quæritur, & quod cogitatur: in ipsa enim est fugiens & fixum, tingens & tinctum, album & rubeum, masculus & femina insimul composita compositione inseparabili. Et de hac compositione harum duarũ aquarum, vel spermatum, iterũ dicit Aros, Oportet ingredientẽ in hoc opere non quiescere, donec permisceantur res, & fiat tinctura à corporibus assumpta. Statim vero vt has duas aquas in vase effuderis vt est dictum, debes cooperire vas aliquo coopertorio, ne ab eo aliquid exeat, donec prędictæ aquę bene permistę fuerint & coniunctæ, & fiant res vna, videlicet aqua rubea, lim[illegible] & clara. Et intellige quod diximus, quod quantum de a[illegible]a posuisti, tantũ de rubea poni debet, id est par põdus vtriusq; apponatur: & si minus vel maius compositum facere volueris, similiter plus vel minus de singula aqua, æquali tamen pondere apponatur, &c.

CAP.

CAP. XXV.

SVnt autem necessaria hæc duo spermata in arte ista: & hoc ideo quia sicut videmus, quod naturaliter vnum generat sibi plura sibi similia, ita artificialiter Sol generat Solem, cum lapidis multiplicatione prædicti, id est, spiritus quintæ essentiæ. Et ideo dicit Philosophus, Pater eius est sol, id est, aurum. Sed quoniam in omni generatione naturali, oportet spermatis receptaculum idoneum esse, cum quadam consonantia similitudinis ad ipsum, ita & in hac generatione artificiali oportet quod Sol habeat sui spermatis & suæ tincturæ receptaculum idoneum, & sibi consonum, & illud est Luna, id est, argentum. Et ideo dicit Philosophus, Mater eius est Luna. Vnde notandum est diligentissime, quod istorum duorum corporum coniunctio est necessaria in hac arte, Ad vtrumque, videlicet ad album, & ad rubeum, quæ fit eodem modo quo supradictum est. Et hoc propter duas rationes: quarum ista est vna, quia aurum cum sit nobilius inter metalla, & magis perfectum & fixum, & compactum, tamen dissoluatur in aquam limpidissimam, vt est dictum, & partes eius minutissime separentur, erit spiritualis & euolans ab igne, tanquam Mercurius, quod est mirum. Et hoc est ratione suæ bonę alterationis, & tunc habet tincturam sine numero, & ista tinctura vocatur, Sperma masculinum rubeum & calidum: & cum sic est dissolutum & subtiliatum, & factum spirituale cum spiritu quintæ essentiæ, tunc dicitur spiritus tingens fortis, quem quærimus. Si vero argentum dissoluatur in aquam limpidam, nihilominus remanet fixum sicut prius, nullam vel paucam habens tincturam recipiendam & fixandam in temperamento calidi & frigidi: & vocatur Sperma femineum, album & frigidum: & hæc est aqua alba vel viridis prædicta: & sic conueniens est ipsorum duorum coniunctio facienda, vt dictum est. Item est & alia ratio, quia cum aurum per se, & argentum per se sint difficilis fusionis & liquefactionis, tamen si insimul coniunguntur, facile fluunt, liquefiunt. Hoc sciunt aurifabri facientes solidaturas ad aurum. Vnde si in lapide nostro esset tantum alterum ipsorum, nunquam aliquam tincturam daret: & si daret tincturam, non tingeret nisi in quantum ipsa esset, eo quod non esset receptaculum tincturæ. Et nostrum finale secretum est habere Medicinam, quæ fluat ante Mercurii viui

fugam.

ſugam. Ergo coniunctio iſtorum duorum eſt neceſſaria, & ideo coniungenda ſunt eo modo, quo ſuperius eſt dictum.

CAP. XXVI.

ET cum hæc duo ſe receperint per aggregationem prædictarum duarum, vt eſt dictum in coniunctione lapidis, id eſt, coniunctione ſpiritus quintæ eſſentiæ prædicti, vel quintæ eſſentiæ de terra noſtra alba & rubea, vel ipſa terra de dicto ſpiritu impraegnatur & efficitur, vt eſt a nobis ſuperius dictum: In ventre venti: hoc eſt in ventre aquæ prædictæ: vel aquarum prædictarum. Et hoc eſt quod dicit Philoſophus Hermes, Illud ventus in ventre ſuo, id eſt, aqua hæc portauit iſtum ſpiritũ cum terra prædicta in ventre ſuo, vel terra ipſa ipſum ſpiritum in ventre ſuo, id eſt, intra ſe in ventre aquæ, id eſt, intra aquam. Hæc verba quaſi ſimili, imo quaſi eadem expoſitione ſuperius expoſuimus. Planum eſt quod ventus eſt aer, & aer eſt vita, & vita eſt anima: & ego loquutus ſum de anima, quæ totum lapidem viuificat & reſuſcitat: & ſic oportet quod ventus portet eum, reportet, & pariat: magiſterium plane patebit quomodo hoc ſiet, & erit: & tunc ſequitur quod alimentum ſuſcipiat ex ventre ſuo, id eſt à terra, vt ibidem dicitur. Ideo dicit Philoſophus, Nutrix eius eſt terra, quia ſicut fœtus ſine alimento nutricis nunquam perueniet ad ætatem, ita lapis noſter ſine fermento ſuæ terræ nunquam perueniet ad effectum: quod quidem fermentum alimentum dicitur: ſic enim in operatione lapidis generãtur ex vno lapide cum matris coniunctione, id eſt cum alimento nutricis, res, id eſt filii, patris ſimiles, quas ſibi per longã decoctionem creauerunt, erunt noſtri ſimiles in colore, & patris pondera retinebunt. Hæc verba prædictorum duorũ capitulorum dicit Ortulanus in lib. ſuo de Expoſitione textus Hermetis, & ab eo ipſam extraximus, & hic poſuimus cum quodam modico additamento. Et eſt notandum, quod pater & mater lapidis, id eſt duo ſpermata ipſius in prima compoſitione Elixiris Sol & Luna vocantur, quæ poſtea in ſecunda operatione, id eſt in operatione lapidis, terra vel nutrix appellatur. Et ſic intellige, quod ex vno patre cum matris coniunctione in compoſitione elixir & alimẽto iunctis, id eſt terræ ex iſtis duobus generatæ, in operatione lapidis generãtur res, id eſt filii, videlicet lapis albus, qui per alimentum perficitur & dealbatur, vt inferius dicetur. Cuius põdus

patri

patri,hoc est Soli erit simile,& de colore matris,id est Lunæ. Et sic cessat obiectio,quæ posset fieri, quod secundum verba prædicta terra ista conuenit in compositione lapidis, cum spiritus lapidis sint Sol & Luna,& quædam alia terra quæ dicitur nutrix : quod non est ita, si sane intelligatur Philosophus, vt est dictum : quia tantum ista duo prædicta conueniunt cum spiritu quintæ essentiæ, sed in compositione Elixiris vocantur spermata:in operatione lapidis vocantur terra vel nutrix,&c.

CAP. XXVII.

EX his omnibus colligitur,quod totum opus Elixiris nihil aliud est in vniuersali, quam facere ascendere res à terra in cœlum, id est de natura corporali ad naturam spiritualem : & hoc tunc est perfectum Elixir. Item colligitur ex his, quod aqua quandoq; vocatur lapis spiritus quintę essentię,quandoque vocatur terra,quandoque lapis,& sic figuraliter pars pro toto nominatur : & hoc indifferenter dicitur propter eorum naturam consimilem,vel coniunctionem vniformem : quamuis in speciali proprietate diuisionis ipsius lapidis ipsa humiditas aquæ,siue aqua dicatur anima, ipsa virtus aquæ dicitur spiritus,& ipsa tinctura corporum in ea soluta,dicitur corpus, vt dictum est. Quam humiditatem limpidam,id est animam vocamus argentum viuum nostrū, & ipsam virtutem aquæ, id est spiritum quintæ essentiæ, vocamus sulphur nostrum. Ergo in Elixir & lapide benedicto, aqua est anima lapidis,virtus aquæ est spiritus lapidis, & terra nostra duplex,videlicet alba & rubea, duplex corpus lapidis benedicti. Et qui sic sentit vere de iis, de secreta natura numeratur, & de ea, & in ea merito computatur: & è conuerso sentiens,deleatur. Item in summa notandum est,quod cum artifex doctrinæ filius hāc compositionem prædictam, quam Elixir nominamus,necessariam peregit,vt est dictum, per coniunctionem & vnionem duorum spermatum prædictorum, vel aquarum, quod tenere & seruari debet ad partem residuum cuiuslibet spermatis prædicti,vel aquæ prædictæ, quodlibet in suo vase proprio bene obturato vsq; in horam necessitatis, vt dictum est. Vocantur autem ista duo spermata Cauda draconis,quæ postea in operatione lapidis, ab ipso dracone comeduntur, vt inferius ostendemus. Hæc autem compositio necessaria est, vt iam diximus, quia nullo

modo

modo vera tinctura fit nisi ex ipsa compositione, quæ dicitur æs nostrum, vt est dictum: de qua dicitur in libro qui Turba Philosophorum appellatur: Scitote omnes pertimescentes, quod nulla fit tinctura vera nisi ex ęre nostro. Quę vera sit, exponitur in libro, qui dicitur Lilium. Est autem intelligendum ex nostro ęre, id est, nostra confectione, seu compositione. Et est videndum, quod compositione iam perfecta, scilicet in elixir iam conuersa: & hoc est, & fit, vt superius est ostensum. Ex prædictis autem, si bene intelligis, apparet constare, fore compositum hoc elixir ex Sole in corpore magnesiæ occulto, à terrestreitate mundo, & de sulphure quod dicitur sulphur de sulphure, & de argento viuo, quod dicitur argentum viuum de argento viuo, his duobus vltimis fugitiuis in principio: non fugitiuis, vt est dictum, conuersis, compositis & coniunctis.

De operatione lapidis. CAP. XXVIII.

ALchemiæ ergo omnino certæ, veræ, famosæ, & inclytæ, ex nunc operam dantes, de operatione elixiris, quod est primum opus, prius dictum est: nunc vero de operatione lapidis benedicti videndum est. Et in hac operatione lapidis, quæ est secundum opus, quidam Philosophi incipiunt libros suos, & in primo opere ipsos finiunt, & consummant, vt est dictum. Vnde notandum, quod per huius compositum elixiris res fiunt vnum & idem, vt est dictum: ita quod sic de cætero huius compositum est, vnum quod solum quæritur, quamuis ex pluribus compositum, & in vnam naturam redactum. De quo composito dixerunt Philosophi, Vna res est: quod intelligendum est post compositionem elixiris, & non ante, vt est dictum. De qua sola re per compositum factum vna, & non de alia, vera & omnino certa nascitur alchemia. Vnde videndum est primo quid sit elixir, atq; vnde dicatur, quid alchemia, & quid lapis. Elixir autem est quoddam compositum habens in se virtutem mineralem, rubeum, aut citrinum, ex pluribus speciebus limpidissimis & claris (& si de specie aquæ coniunctis) factum compositum, habens in se virtutem mineralem inclusam, existens condimentum, antidotum, & medicina omnium corporum purgandorum & transformandorum in Solificum & Lunificum verum. Et dicitur Elixir ab Elicio, elicis, quasi vnum ex pluribus, in

quibus

quibus est, elicitum, & in aliis iam conuersum & ligatum. Alchemia autem sic diffinitur in libro qui Lilium appellatur. Alchemia est ars administrans & ostendens, essentiam septem metallorum continens, qualiter quæque formæ illorum imperfectæ ad naturale complementum deducatur. Vel aliter sic: Alchemia est opus celatum regimine quod fit manifestum luce filiorum genitorum, & id quod per filiorum generationem iuuenescit. Vel aliter sic: Alchemia est substãtia corporea ex vno scilicet argento viuo, & vno scilicet sulphure composita, quæ duobus tenuissimis & humidis siue limpidis constans est, scilicet anima & spiritu, & in luce filiorum dictorum à se manifestatur & iuuenescit: & quæ continens est essentiam septem metallorum, vt in ea substantia sit spiritus tingẽs fortis, quem quęrimus, quo tingamus in quolibet corpore, ac eorum qualibet parte, & eorum quodlibet à diminutione ad naturale complementum naturaliter deducamus. Dicitur autem Alchemia ab Alembico & Kymia, quæ sunt duo vasa, in quibus hæc ars in tribus generibus vel ordinibus medicinarum ad finale deducitur complemẽtum. Et patet, quod hoc totũ Alchemia componitur ex corrupto & integro. Non autem est Alchemia ante elixir, sed põst semper. Lapis autem philosophicus sic diffinitur: Lapis est quædam fortis virtus mineralis, ex pluribus rebus in vnum conuersis per nostrum artificium alchemicum congregata, habeas in se virtutem congelandi Mercurium in naturam metallicam veram, & formaliter conuertendi, ac omnia metalla infirma seu imperfecta ad veram sanitatem & perfectionẽ reducendi, vitrumq; malleabile faciendi, lapidemque preciosum fingendi: & finaliter est summa medicina omnium corporum humanorum, & conseruandi in eis humidũ radicale: quia ab isto lapide benedicto descendit aqua vitæ, vt iã superius tetigimus, & inferius plenius ostendemus.

CAP. XXIX.

QVidam vero Philosophi indifferenter, vt iam superius tetigimus, vnum elixir prædictum nominauerunt Alchemiam, Lapidem & Medicinam. Et Alchemiam vocauerunt Lapidem: Elixir & Medicinam: & lapidem nuncupauerunt Elixir Alchemiam & Medicinam: & Medicinam dixerunt Elixir, Alchemiam & lapidem. Sicque paucam vel nullam differentiam quantum nihil inter ista facientes, co

quod

quod omnium istorum est vna eademq; substantia, quamuis forma sit diuersa, & ad vnum finem tendũt. Et quamuis nullam differentiam faciat inter ipsa nominando, differunt tamen inter se isto modo: Elixir est primum opus, & præcedit omnia ista, & dicitur matrimonium verum inter corpus & spiritum, per compositionem duarum aquarum prædictarum, vt est dictum, & hoc est ita proprium elixir, quod non competit aliis proprie. Alchemia autem, post elixir sequitur semper, & non ante, & est proprie modus & opus ducendi elixir ad effectum, quod opus vel modus dicitur ab Aros Alchemia, seu Nigrum nostrum, & hoc est proprium alchemię, & non aliis. Lapis est proprie illud factum secundum prædictam operationem artis alchemiæ, & hoc est proprium sibi, & ad alia non pertinet. Medicina est quod sequitur & descendit à lapide prædicto perfecto, ad metalla imperfecta perficienda, & sananda, & ad vitam hominum tuendam & sanandam, & hoc est proprium sibi, & ad alia non proprie dicitur pertinere. Et sic patet quod ista inter se differunt specie, quamuis nomine generali non discrepent. Ex his omnibus concluditur aliud quod dicit Morienus de ista re, quæ vna ex pluribus composita, quam vocant Lapidem, & tamen adhuc est in elixir, quod ipsa res vna, quam dicit esse Lapidem, habet in se quatuor elementa perfecte, cuius tactus nullus est, quia est aqua, & in ipsa est maior mollicies, quam in suo corpore, quia durum est, eo quod metallicum est, & eius pondus graue: quia istud corpus ipsius omnium corporum est magis ponderosum & compactum, & eius odor odori sepulcrorum comparatur, eo quod fœtet propter odores specierum fœtentium, ex quibus componitur, vt est dictum: quæ fœtulentia ab ipso in hac operatione secunda penitus remouetur, antequam in veram medicinam conuertatur. De cætero accedendum est ad opus prædicti Lapidis.

CAP. XXX.

De operatione huius lapidis benedicti, vel elixiris, dicitur in lib. qui Lilium appellatur. Composito nostro vero facto, vel elixiri completo, vt est dictum, tunc ergo vt præmittitur, vna re, videlicet nostro lapide, vna via, scilicet Hermetis, qui fuit pater Alchemistarum: vna dispositione, scilicet denigrandi primo, secũdo dealbandi, tertio cine-

randi

randi,quarto &vltimo rubificandi:vno actu ſcilicet coquendi,totum magiſterium terminatur. Et Aros philoſophus de hoc dicit ſic: Et erit rubens,& fiet niger: & erit niger, & fiet rubens, & hoc in ſequentibus operibus declaratur. Et ſicut per primum opus prædictum omnes res aſcẽdunt in cælum, vt eſt dictum, ita per iſtud ſecundum omnes res deſcendunt in terram,& fixantur in vnitate quintæ eſſentiæ.

CAP. XXXI.

DIſpoſitio denigrandi ſic fit: Accipe elixir ſiue compoſitum prædictum,prout eſt in ſuo vaſe, in quo prius, ſcilicet in cucurbita poſuiſti, & pone ſuper illud alembicum vnum vitreum,& luta bene, & ſicca, & cera eo modo,vt in extractione aquarum in prima operatione feciſti: & hoc ſic diſpoſito, accipe illud vas, & ſepelias in fimo equino calido,& fac animam, id eſt, aquam ab eo quod eſt intus, in elixiri,euolare & exire:ipſamque aquam in vaſe vitreo forti repone, vt prius de aliis aquis in prima operatione feciſti recipiendo:phlegmate tamen ſuperfluo ab ea aqua ſeparato,donec ſuper laminam cultelli,vel ferri alterius calidam bulliat, vt eſt dictum.Et ſic continue faciendum eſt,donec tota aqua continue exierit, & materia in fundo vaſis clara, rubea, & ſine aqua apparuerit. Item continua & coque, donec nigra fuerit, & ſicca: & tunc quæ prius in prima vocabantur ſpermata, vel pater & mater, &c. hic in hac operatione vocantur terra vel nutrix. De hac autem diſpoſitione ſeparationis aquæ vel animæ à ſua terra vel corpore, dicit Philoſophus, Fili, à radio Solis extrahe vmbram ſuam. Vocatur autem iſta terra à Philoſophis vmbra Solis, corpus mortuum, corona vincens,nubes,cortices matris,magneſia nigra, & draco qui comedit caudam ſuam, & aliis infinitis nominibus nominatur. Aqua autem iſta, quæ ab ea exit, vocatur Cauda draconis, quæ à dracone prædicto comeditur, ſicut reſiduum duorum ſpermatum in prima operatione ſic nominatorum: & dicitur anima,ventus,aer,vita,domum illuminans,lux meridiana, argentum viuum noſtrum, lac virginis, & totũ ſecretum:quod intelligendum eſt,cum fuerit imprægnata aliquo noſtrorum corporum vel ſpirituum in ea ſolutorum: & ideo aqua iſta totaliter extracta,ſtatim debes ponere in ea de corpore noſtro albo ad diſſoluendum, vt in prima operatione feciſti, & ſeruare ad partem vſq; ad horam neceſſitatis. Item

vocatur sal armoniacus noster,& medium coniungendi tincturas:& vt ab omnibus aliis nominatur aqua nostra alba in prima operatione, hic similiter nominatur, nec est differentia inter eas. Quidam Philosophi videntur dicere, quod non debet impraegnari, sed ex ea sola, prout extracta fuit sine cõpositione debere operari. Tamen fili caue quid facias in hoc loco. Item terra dicitur à Morieno fæx, scilicet ventris, de qua dicit ad regem Hali, quod ipsa fæx erat minera istius rei vel terræ: propter quod dictum multi errauerunt, quærentes istam rem, vel terram, seu lapidem inter stercora & fimos humanos, affirmantes ipsum esse fimum humanum auctoritate Morieni, cum in rei veritate, ita non sit, sed pro tanto dicitur fęx ventris, non omnis proprie, sed similitudinarie, imo venti, qui ventre venti, id est aquę, peperit modo & operatione prædictis istam terram, sicut venter humanus post decoctionem emittit seu parit fimũ suum. Et in sterquilinio hæc terra reperitur, vt idem dicit, quod intelligitur de fimo equino prædicto, in quo ista terra fit, & inspissatur & siccatur, vt est dictum, & non in sterquiliniis communibus, sicut quidam fatui putauerunt, & ibidem fodierunt, existimantes ipsam ibidem inuenire: & pedibus hominum conculcatur, vt idem dicit. Et nota, hic pro tanto, quod cucurbita cum suo alembico ab Alchemistis vocatur homo altus, galeatus, cuius fundus est extremitas ipsius cucurbitæ, in hominis alti galeati: & secundum hoc similitudinarie potest dici fæx ventris humani, id est cucurbitæ ventris, quæ dicitur homo altus: quę extremitas cucurbitæ comparatur extremitatibus pedũ hominum, qui sunt extremitates hominis, super quibus totus homo defertur & sustinetur, sicut cucurbita supra suum fundum, à cuius fundo cucurbitę, & in quo, id est à cuius pedibus hominis alti galeati, & in quib. hæc terra conculcatur, id est massando coagulatur, subtile à spisso separando, vt est dictum. Itẽ dicitur, quod in viis proiicitur, hoc est dictũ, non in viis communibus, quibus homines gradiuntur, sed in viis philosophorum istius scientiæ, quia sunt plures tendentes ad vnum finem: vel vnam viam, scilicet Hermetis prædictam: in quib. viis videtur esse deducta, id est immortua, donec reuiuiscat. Item dicit idẽ, quod hæc res siue hæc terra est sæpius parua: tamen quamuis sit modica terra, vt dicit Ortulanus, sufficit tamen eius paucitas ad nutrimentum nostri lapidis

totius

totius:& de hac terra & paucitate ipsius scripsit Rosa.in 2.sua epist.ad Eutych.sic dicens:Et est Kimbor &Kambar quod rarissime inuenitur.Et nota quod cōpositio siue impręgnatio ipsius terræ,si debeat cōponi vel imprægnari,secūdum quosdam fit ex Mercurio mundato, prius clarificato à quadā terrestreitate,quā habet in se.Similiter omnis imprægnatio vel compositio fit ex corporib.crudis,&non calcinatis,vt quidā fatui putauerunt,& decepti fuerunt in multis.Nec est contra quod dictū est supra de terra rubea calcinata,quę postea soluitur : quia certissime, si vera fuerit aqua,in qua debet solui, sine calcinatione quacūq; soluetur.Caue tibi fili,quid facias in hoc passu imprægnandi,& de quo, vel non imprægnandi.

CAP. XXXIII.

HAc vero terra siccata , vt est dictum , extrahe eam à cucurbita per subtilitatem tuam caute & munde, & scias similiter pondus eius , & postea pone eam in alio vase forti &spisso,amplo &magno,secundū quantitatem lapidis vel medicinæ,quā facere volueris, & cōpetenti quātitate vel terræ prædictæ ponderi. Cuius vasis venter & fundus rotundus ad modū cælestis lunę,& collum longū ad mensuram vnius pedis,vel plus,&os taliter strictū,quod possis ibidem figere pollicē tuum secundū quod dicitur in Lilio,vas angusti oris.Et cumDraco prædictus,vel terra nostra prędicta,fuerit in prædicto vase positus,vel posita,ponendū est vas bene obturatum in aludello super cineres cribellatos,& postea ignis faciēdus est in furno super aludello ex tribus lignis siccis, vel fustibus,& cauendū est, ne flamma vas attingat, & sic continuandus est,donec terra soluatur in seipsa,& fiat aqua spissa, rubea.Sepelitur autē vas istud secundū alios,& meli⁹ in fimo equino calido donec soluatur terra prædicta. Soluitur autē isto modo infra 40.dies,vt dicit Hali in Secr.sec. Alii ponūt in aere,vase aperto,& non obturato,sed bene cauent ne puluis subintret,nec quidquā aliud:& sic dimittunt ipsam terrā solui in aquā spissam rubeā. De solutione istius terræ de seipso dicit Martyrizatus,Ars nō cōpletur nisi terra fuerit soluta.Vide ergo fili quid facias in hoc loco.Citius aūt perficitur hoc opus in humido,tardius vero in sicco. Et nota fili quod istius terrę duplex est solutio,vna per se,de qua dictū est,&alia per caudam suā,vel aquā imprægnatā,quæ ab ea exiuit,vt est dictū.Et in hoc multi errauerunt,nō æstimātes solutionē

ipsius possibilem nisi cum sua aqua, vel cũ vno duorum spermatum, à quo est creata. De solutione istius decoctionis vel terræ nunc prædictæ à cauda sua vel aqua ab ea extracta infra dicemus. Hanc autem solutionem nigri corporis & mortui solutionem nominamus, cum soluitur per se solam: cum vero soluitur per aquam, hanc solutionem, resurrectionem, vel resuscitationem, aut viuificationem animamque corporis mortui nuncupamus: & hanc inferius ostendemus, licet solutionis istius terræ per se diuersæ sint opiniones, vt dictum est. De hoc tenendum est, quod solutio illa quæ fit cum flamma ignis vel fimo equino, non sunt proprie solutiones, sed liquefactiones potius, vel fusiones ad modum ceræ vel metalli: & sic oportet fieri: per quod patet, quod fusio hic accipitur pro solutione, & econtrario solutio pro fusione. Et cum perfusa est, vt dictum est, tunc iterum soluitur proprie per se, & hoc in aere, vt est dictum. Ergo solutio duobus modis in hoc passu consideratur, & oportet, quod his duob. modis fiat, & hæc solutio est sicut solutio salis mineræ, & sic intellige, quod superius est dictum.

CAP. XXXIII.

TErra vero nostra primo per se soluta, id est fusa vel liquefacta, & secundo per se similiter soluta ad aerem, vt est dictum, in vase prædicto. Accipiatur illud vas cum ipsa terra soluta, & ponatur super cineres cribellatos in aludello super furnum, & in furno fiat ignis lentus, & sic continuando ibidem donec congeletur in vna massa nigra, dura, sicut massa salis, cuius massæ fractura est lucida sicut fractura vitri, si probaueris: qua congelata, id est massata, vt est dictum, iterum in loco vbi soluisti eam proprie secundo per se, vt dictum est, iterato: Secundo pone illud vas cum prædicta terra congelata, & secundo ipsam dissolue proprie per se, vt prius, postea super cineres, secundo, vt prius congela in prædicto vase suo. Alii vero postquam per se semel soluta & congelata fuerit, vt præmittitur, sciunt pondus eius, & postea ponunt super ipsam aliquod modicum, id est sextam partem ponderum ipsius de cauda sua, id est de aqua, quæ ab ea exiuit, & non de alia: quæ in hoc loco si sic fiat, debet esse simplex certissime sine quacumque imprægnatione corporis vel spiritus: & postea quidam ex ipsis, vt præmittitur, ponunt ipsam in aere ad dissoluendum, & quidam ex ipsis faciunt

ciunt dissolui in fimo equino, & postea omnes isti ipsam desiccant & assant, id est congelant super cineres lento igne, vt est dictum. Caue fili, quid facias in hoc passu, & quomodo dissoluas & congeles eam: Quater reitera istam solutionem & congelationem, quarta vice solutionum & congelationũ istius terræ nostræ prædictæ completa, vt dictum est, remanebit hæc terra fixa, lucida, nigra in fractura, & proiecta supra corpus alterat in suo colore. Et his omnibus sic completis, verum regimen terræ benedicti lapidis sufficienter peregisti. Et nota quod quantum pluries hæc terra soluta fuerit & congelata, vt est dictum, est subtilior & penetrabilior in natura: & nota quod quidam non fundunt nec liquefaciunt eam, vt est dictum in capitulo præcedenti, sed hanc fusionem dimittunt, & tantum per se soluunt proprie, vt est dictum, & congelant. Et si dimittatur prædicta fusio, quam solutionem nominamus superius, non est error. Et cum per decoctionem, vt est dictum, fuerit denigrata, nominatur cinis clauellatus, æs combustum, sal combustum, terra mortua, ouum Philosophorum hic proprie, sed cum adhuc est in Elixir, improprie: non tamen ouum gallinarum, sed similitudinarie dicitur Ouum, vt dicitur in Lilio: Quia sicut ex componentibus ouum, scilicet ex testa, albumine, & vitello, nascitur Alchemia. Item notandum est, quod hæc terra mortua, cum aqua remota fuerit ab ea & separata, antequam desiccetur & denigretur, vt est dictum, à philosophis vocatur Ignis, sal armoniacum, sal vitellorum ouorum, sal honoratum, Athincar nostrum, nubes coagulata, Sal armoniacus noster, lingua maris, arsenicus sublimatus, sulphur sublimatum, & omnibus nominibus omnium sublimatorum, stella Diana, ventus corporatus, aduena, secretum naturæ, & pluribus aliis nominibus nuncupatur.

CAP. XXXIV.

QVia formam vasis superius descripsimus, in quo hæc terra, cum fuerit denigrata, debeat poni ad soluendum & congelandum, vt est dictum. De hoc notandum est, quod nos non remouimus ipsam terram de sua cucurbita, sed de lutato alembico & remoto, desuper ipsam coopertorium spissum vitreum posuimus, lutauimus, & cerauimus ad cucurbitam, quod coopertorium vocamus vulgariter Athenatoriũ, quod habebat collum gracile & spissum,

 & pen-

& pendebat illud collum intra cucurbitam, & non extra; quod collum debet lutari & cerari, ne per ipſum flos exeat & fugiat. Et cum opus erat, nos remouebamus illud coopertorium, & ponebamus & lutabamus iterum alembicum: & è conuerſo cum opus erat nos remouebamus ipſum iterum alembicum, & ponebamus & lutabamus athenatorium: & iterando alternatim cum opus erat, & faciendo in vnico vaſe, donec totum opus impleretur. Vocatur autem illud vas olla vel cucurbita ſine ſectione, & multis aliis nominibus nominatur. Vide fili quid feceris de hoc vaſe: non enim concludimus te in forma vaſis, quia ſi ſubtilius & magis proficuũ ſcieris, hoc aſſumas. Multa enim de operatione huius artis & ſcientiæ in his ſcriptis non ponimus, quæ tamen neceſſaria ſunt ad ſciendum & faciendum, cum omnia ſingularia ſcribere non poſſimus, quaſi tuæ prudentiæ relinquentes: & ſic completa eſt diſpoſitio denigrandi. Nunc autem ad diſpoſitionem dealbandi veniamus. Sed antequam ad hoc veniamus, quæ ſequuntur decreuimus inſerenda, vt liber iſte ex vtraque parte videatur eſſe perfectus.

CAP. XXXV.

Item de vera compoſitione Elixiris, quod eſt primum opus, dicitur à philoſophis, quod illa res, quæ eſt vera, vbiq; reperitur, quia in quolibet homine eſt & apud quemlibet hominem reperitur; & Adam ſecum apportauit eam de Paradiſo, & cum mortuus fuit, ipſam ſecum reportauit, & cum ea ſepultus fuit: Et pro tanto dicit ſapientum Allegoria, quod iſta res eſt ſol ſubtiliatus, id eſt aurum ſubtiliatum, & conuerſum in virtute maxima minerali; vnde dicitur in libro de hoc auro, ex gumma noſtra, & pauco auro multa emimus. Sed ſecundum Albertum in libro de Mineralibus dicitur & probatur, quod aurum vbique eſt & reperitur, quia non eſt aliqua res ex quatuor elementis elementata, in qua non inueniatur aurum in vltima affinatione naturaliter. Et ideo dicit, quod vbicunque reperitur. Et quia idem Albertus dicit ibidem & probat, quod maxima virtus mineralis eſt in quolibet homine, & maxime in capite inter dentes, ita quod in ſepulcris antiquorum mortuorum inter dentes aurum in granis minutis & oblongis ſuperius inuentum eſt in ſuo tempore, vt ipſe dicit, quod eſſe non poſſet, niſi in homine eſſet iſta virtus mineralis, quæ virtus mineralis eſt in Elixiri

noſtro prædicto vel compoſito. Et pro tanto dicitur, quod hic lapis eſt in quolibet homine, & quod Adam, &c. His viſis & intellectis, ad propoſitum redeamus.

CAP. XXXVI.

Diſpoſitione nigredinis completa, & regimine terræ peracto, vt eſt dictum ad diſpoſitionem albedinis terræ lapidis benedicti veniamus. Eſt enim notandum, quod in hac nigredine terræ eſt albedo abſcondita: & ideo in viſu eſt nigra, in intellectu vero eſt alba. Et propter hoc virtus latens in ea, debet fieri exterius & apparere: & quod eſt exterius, fiat interius: ita quod nigredo huius terræ, quæ eſt exterior, fiat interior: & albedo quæ eſt interior, fiat exterior, & appareat manifeſte. Et ſic fit manifeſtum abſconditum; & abſconditum manifeſtum. Fit autem hæc diſpoſitio in eodem vaſe, & ſine remotione terræ prædictæ ab eo, tali modo: Scias pondus ipſius terræ, vt eſt dictum, & poſtea ſolue iſtam terram per ſe, ſicut in denigratione ſua feciſti. Qua ſoluta, accipe medium ſui ponderis de ſpiritu nõ fixo, id eſt de aqua quæ ab eo exiuit, quæ vrina canis balſam dicitur, quæ per dugile, id eſt per alembicum deſtillatur, vt eſt dictum, ſiue lac virginis, aut argentum viuum noſtrum, ſeu anima, aut ventus, aut cauda, &c. vt ſupra dictum eſt, appellatur: ſiue de ſpermate albo, quo ipſe draco fuit, & eſt in parte compoſitus, quod reſeruaſti ad partem, vt eſt dictum: quod idem eſt & eiſdem nominibus nominatur, & hoc pone ſuper ipſam terram ſolutam, vel draconem ſolutum per collum coopertorii cucurbitæ, ipſo coopertorio cũ cucurbita poſt lutato, vt eſt dictum: & obtura bene coopertorii collum, & luta bene ſecundum ſuum modum: & ſic, ſi fuerit aliud vas quam cucurbita ſiccata obtura cum panno lineo fortiter, & poſtea pone in fimo equino calido, id eſt, in humido, vel ſuper cineres, id eſt in ſicco, cum lento igne, vt eſt dictum. Et ſic continua donec terra & aqua vnum fiant, & fiat vna res nigra, claro & alterius coloris, tamen in modico ad hoc quod prius erat. Hoc facto & completo, hoc totum congelandum eſt, & inſpiſſandum, & in maſſam reducendum, in eodem loco & eodem igne, & eodem regimine continuo: & ſi neceſſe fuerit coop[illegible]torium vaſis, id eſt cucurbitæ, eſt remouendum, & alter [illegible] conſtituendus, vt eſt dictum, & lutandus, deſuper vt [illegible] cat aliquis humor, & res citius inſpiſſetur. Signum [illegible]

quod hæc res, id est gumma nostra est decocta, erit quod si dimittatur vas infrigidari, & iste draco fuerit durus ad modum picis duræ, vel frigidæ, satis est inspissatus & decoctus, & à suo phlegmate purgatus. Aqua quæ in hac decoctione ab huiusmodi gumma vel dracone exierit, potest recipi & impraegnari, & custodiri, & loco & tempore, si necesse fuerit, de ea sicut de cauda operari. Hoc dracone congelato, vel hac gumma nostra venerabili inspissata, vt est dictum, tunc ponatur in loco tali, vbi per se soluatur in aquam spissam de suo colore existentem: qua per se soluta, pone super cineres sicut in denigrando fecisti, & ibidem dimitte continue, donec congeletur, vt est dictum in denigratione: & completa est ista decoctio, & est vnum corpus adhuc opacum, & in fractura clarum, &c.

CAP. XXXVII.

Qvidam philosophi, sicut Geber, Hali, & Ortolanus, dicunt quod hæc decoctio fit sine pondere aquæ & spermatis: & dicunt, quod postquam terra lapidis benedicti est præparata, vt est dictum, tunc non soluitur per se, sed prout est congelata in suo vase post denigrationem, vt est dictum: tunc sine pondere & mensura ponunt super dictam terram de aqua sua, vel de spiritu non fixo, & ipsam de ea imbibunt quantum potest bibere, donec virtute ipsius aquę, aut spiritus non fixi, seu argenti viui, seu caudæ draconis, aut spermatis, &c. superueniente, hæc terra soluatur totaliter in aquam, & fiat volatilis & spiritualis alternate, id est, de natura aquæ, vel spiritus prædicti, ascendendo in cælum, id est in ipsam aquam, vel sublimando sicut ab initio fuit in prima operatione, vt est dictum: & post faciunt ipsum descendere in terram ipsam congelando, vt est dictum in hac operatione. Vide ergo fili quid feceris in hoc loco: Nam dicit Aros philosophus, quod præcauendum est ne Elixir submergatur. Submersio Elixiris, vt dicit Geber, est quando volatilis summa, superat summam fixi, & sic est perfecta decoctio ista.

CAP. XXXVIII.

Cvm vero completa fuerit ista decoctio, quæ dicitur, veniendum est ad alias: Scias pondus totius congelati sicut sciuisti primo per subtilitatem & discretionem tuam. Non enim possumus omnia tibi scribere, sed multa necessaria tibi & industriæ tuæ relinquimus, vt est dictum.

Et

Et postea pone quartam partem ipsius congelati super ipsam terram congelatam, vel ipsum congelatum de aqua prędicta vel spiritu non fixo, siue de cauda draconis, vel spermate albo (quæ omnia idem sunt) in eodem vase, & sine extractione draconis ab eodem vase, & decoque vt prius vase obturato, vt est dictum, donec congeletur & inspissetur, & fiat res dura sicut pix: postea per se soluatur totum hoc, & ipso soluto per se, statim super cineres lento igne congeletur, vt est dictum, & est vna massa alterius coloris quam prima, & magis clara aliquantulum. Et sic simili modo, simili regimine, simili pondere, videlicet pars totius congelati quarta, de argento viuo nostro, vel aqua alba prædicta, desuper ponatur totum congelatum simili coniunctione & congelatione, tam per caudam suam, quam per se solum iste draco soluatur & congeletur: continenter autem regatur & reiteretur hæc dispositio dealbationis per huius aquæ albæ vel caudæ pondera: & per hoc rigationes, adaquationes & imbibitiones, inspirationes, viuificationes, animationes, solutiones, congelationes, tam per aquam quã per se in eodem vase, & sine extractione draconis, donec iste draco vel tota ista massa mortua, quasi homo in suo tumulo paulatim, & paulatim suo spiritu, vel vita, aut anima, qua priuata fuit, denigrando, vt est dictum, inspissetur, animetur, viuificetur, resuscitetur & subtilietur magis quam prius. Et fiat lapis vnus crystallinus albus participans viriditate quadam, in igne perseuerans, fundens, fluens, tingens, & Mercurium congelans, & perfecte retinens & transmutans, etiam quodcunque corpus metallicum imperfectum in lunificum: & vere, si recte feceris, peruenies ad intentum.

CAP. XXXIX.

Dicunt Philosophi quidam, sicut Ortulanus, Geber & Hali, quod in singula decoctione istius draconis, iste draco extrahendus est à suo vase, & debet teri super marmore, & iterum poni in vase, & super istam tincturam ponitur aqua, & postea congelatur, & fit, vt dictum est. Sed hoc quod dicunt, non sic ad literam intelligitur: sed sic secundum quod dicit Aros, Hæc contritio non fiat super marmore, nec manibus hominum, sed est tantum aqua, quæ terit & penetrat corpus, & draconem nostrum de natura sua propria & virtute, & terra vel corpus, quod penetrando ab

aqua teritur, id eſt, naturaliter, mediante operatoris induſtria ſoluitur,& cum ea congelatur:& fundum vaſis, vbi hæc fuerit, in hoc loco marmor nuncupatur ſimilitudinarie: & ſic intellige & concorda philoſophos, & bene tibi erit. Cum ſecundum Iuriſtas promptum ſit iura iuribus concordare, ita in hac arte vel ſcientia,promptum eſt philoſophos philoſophis concordare. Item notandum eſt, quod plures colores & diuerſi apparebunt in iſto lapide, antequam fiat albus, quia cum primo fuerit niger, poſtea fit albus, qui ſunt duo colores contrarii. Sed ſecundum Philoſophos ex vno contrario transiri nõ poteſt ad aliud ſine medio, ideo oporet quod veniendo in iſto lapide de nigro ad album,plures colores intermedii veniant & appareant: & propter hoc dicitur in Lilio,quod pluries citrineſcit,& pluries nigreſcit, imo quot in mundo poſſunt eſſe colores, attamen non ſunt veri colores, ſed in fine expectanda eſt dealbatio, quæ eſt verus color. Cauſas vero & rationes iſtorum colorum debet conſiderare ſagax & ſubtilis opifex huius artis. Secundum autem variationes iſtorum colorum Philoſophi hunc lapidem diuerſis nominibus habuerunt nominare: Alii ferrum, alii plumbum,alii ſtannum,alii cuprum,alii æs,alii aurum,alii argentum, alii vice & nomine omnium ſpirituum, alii nomine omnium vegetabilium,alii nomine omnium animalium, alii nomine omnium colorum: & tamen proprie nullum prædictorum eſt in ſe. Nominatur autem à Philoſophis,cum eſt albus, calx cineris clauellati, & cinis albus, calx corticum ouorum,terra alba,terra Philoſophorum, terra benedicta, æs album,magneſia alba,puluis dealbatus,luna calcinata,& infinitis aliis nominibus nominatur, prout in libris Alchemiſtarum reperitur: quæ omnia quamuis in vocabulis differant, ad vnum tamen tendunt intentum: & habet hic lapis albus pondus patris,id eſt Solis, vt eſt dictum.

CAP. XL.

SVmma noſtra benedicta,vel lapis albus, qui ſecundum quoſdam dicitur aliter nix, & grando, precioſior eſt margaritis, cuius opus prædictum ab Alphidio in hac arte breuiter comprehenditur,& intelligitur in his verbis, in libro ſuo qui Clauis Philoſophorum nominatur in principio, vbi ſic loquitur,dicens: Et auctoritate ſummi Philoſophi conſtat, & eſt verum, quod quædam res eſt, qua vtuntur

quidam

quidam ingenioſi, cum volunt rem ſiccam coadunare, id eſt Mercurium, quod ſic fit: aqua enim fit terra cum vincunt qualitates terræ in ea, quæ componitur ex duabus aquis, id eſt ex ſpermatibus albo feminino, & rubeo maſculino, vt eſt dictum. Sunt autem ſicut ipſe poſtea dicit Alphidius, multa alia, quibus certiſſime & ſoluunt, & congelant, liquefaciunt, & componunt, & coagulant, & transmutant. Et intelligendum eſt de lapide, qui fit ex vegetabilibus, & in lapide, qui fit ex animalibus: de quibus lapidibus, quomodo, qualiter, & ex quibus rebus fiunt & componuntur, in ſequenti volumine plenius oſtendemus. Granum enim iſtius lapidis ſeu grandinis, ſeu gummæ albæ generat centum grana, vt dicit Morienus in eius multiplicatione, per imbibitionem ipſius gummæ à ſpiritu non fixo, vel aqua alba prædicta imprægnata, quod debet fieri eo modo & regimine in omnibus ſicut in dealbando feciſti prius. Et ſic non oportet, vt reincipiatur à principio, ſed tantum vt multiplicetur, vt eſt dictum: nec ita modicum de ea habebis, quin ſufficiat ad multiplicationem faciendam, & ipſam eſſe largam & amplam ſapientibus. Et ſcias quod quantumcunque plus ſoluitur cum ſua anima, vel ſpiritu non fixo, & congelatur, tanto magis multiplicatur non ſolum in quantitate, ſed etiam in virtute, tinctura, & ſubtilitate, & in proiectione maius pondus conſequenter transformabit: de cuius proiectione, modo ipſius, & furnorum forma & nominibus vaſorum inferius dicemus. Conſeruatur autem in loco ſicco ſicut ſal, vel Zucharum, & in vaſe forti vitreo, & non in humido loco, quia tunc per ſe ſolueretur. Et tamen ſi contingeret ipſam ſolui, non propter hoc peior eſſet, ſed iterum ſuper cineres calidos congelanda eſt per ſe, ſicut feciſti in dealbando. Item nota quod quamuis decoctiones noſtras prædictas fecerimus de aqua alba prædicta cum pondere quartæ partis totius congelati, vt dictum eſt: attamen ſi maius pondus de ipſa aqua poſueris ſuper ipſum corpus, quam quarta pars ipſius, dum tamen Elixir non ſubmergatur, melius erit, & citius lapis dealbabitur, & erit ſubtilior & penetrabilior, & cum maiori pondere alterabit & conuertet, vt dictum eſt. Et nota quod ſubtilior eſt lapis vel medicina, quæ Mercurium conuertit, quam ea quæ conuertit corpus, & non econtrario, niſi ſubtilius fuerit præparata.

CAP.

CAP. XLI.

NE mireris qualiter vnum infirmum metallum, quod non habet pondus perfecti metalli, quomodo per medicinam reducitur ad verum pondus, cum modicum quid ibidem ponitur de medicina. Et ita modicum, vt per pondus illius modici non possit suppleri defectus ponderis metalli habito respectu ad quantitatem medicinę proiectæ: & hoc ideo est, vt dicunt omnes philosophi, & fit per virtutem medicinæ, quæ ex natura sua cum dat tincturā dat pondus tincturæ siue in albo, siue in rubeo: quod non facit medicina sophistica, quę tantum dat tincturam, & non pondus. Quæreret aliquis, quid est quod dicit Hali philosoph⁹ in hac arte, & Rex Arabiæ in Secreto secretorum suorum, vbi dicit, Accipe tamen masculum Coracenum, & catulam Armeniæ, & iunge simul, & hi duo parient tibi canem coloris cæli, & iste filius seruabit te in domo tua ab inimico in hoc mundo & in alio? Respondeo, Canis iste masculus est sperma rubeū masculum, & Catula Armenię est sperma femininum album: Et coniunctio istorum duorum est compositum Elixir. Et partus canis coloris cæli ab istis duobus, est aqua quę ab istis duobus in denigrando extrahitur, & est, vt dictum fuit, quam caudam draconis appellamus, quæ seruat ab inimico, id est ab igne & combustione, & perficit totum lapidem in hoc mundo & in alio, hoc est in albo rubeo. Item posset quæri, quid est dicere, Opus nostrum nil aliud est quam opus mulierum, & ludus puerorum? Respondeo quod hoc pro tanto à philosophis dicitur, quia opus mulierum, vt in pluribus, modo bene, modo male se habet, & vix ad perfectum deducitur: & ludus puerorum est modo risus, modo fletus. Ita est opus nostrum: nam quidam artifex modo bene agit & sine errore, modo male agit & cum errore: modo reuocat errorem suum & corrigit errorem suum, & reducit mœrorem. Et sic modo gaudet, modo flet sicut mulier, & sicut puer, modo bene, modo male operatur: ita quod vix aliquis hoc opus excellentissimum ad finem optatum sine errore & impedimento deducit. Et nos vero per septennium vacauimus circa diuersas operationes istius artis & scientię cū erroribus multis, antequam possemus verum elixir comprehendere & facere, quod post in septem diebus fecimus & composuimus iam perfecte. Patet ergo quod oportet artificē cum erroribus multis

multis indagando ad perfectionem huius tam inclyti magisterii peruenire. Et hoc dicit Alphidius in Claui Philosophorum, Qui non errat, non peruenit ad sublimia: iuxta textum philosophicum, Per multas tribulationes oportet ad gloriā peruenire. Item notandum est, quod dealbare & rubificare idem est quod calcinare & soluere: & congelare idem est quod componere, & compositum facere, & aggregare, & congelare: & assare idem est quod rem desiccare, vel in tali statu ponere, quod possit in puluerem sibi competentem redigi, quod non potest, nisi in loco & super locis calidis & siccis: vel assare quandoque est idem quod congelare. Item destillare, sublimare & soluere, est idem quod facere descendere in terram de cælo, vt est dictum. Item soluere in aquam, idem est quod descendere, sublimare, & facere fixum volatile: & congelare idem est quod ascendere & facere volatile fixum. Et iterum soluere per se, est idem quod facere fixum solutum. Et congelare solutum, est idem quod calcinare solutum per se: & istud calcinare est idem quod dealbare & rubificare perfectum. Et sic intellige, fili doctrinæ, diuersa vocabula, dicta, & verba Philosophorum huius artis famosæ in vnam intentionem, opinionem & sententiam in operatione lapidis conuenire, in qua diuersitate vocabulorum & verborum multi errauerunt; & fuerunt decepti, & proh dolor, in fine miserabiliter proclamati. Et ideo sciendum, quod maior labor est in dealbatione, propter pondera & coniunctiones, quæ ignorantur antequam probentur, quam in rubificando: quia tunc per dealbationem cognoscuntur similiter: & est certior modus operandi. Vnde post dealbationem vsq; ad rubificationem non sequitur error, vt dicitur in Lilio. Item nota bene quod fusio lapidis, quam superius in dispositione denigrandi in cap. 33. Solutionem nominamus, nullo modo facienda est, nec facias, quia periculosa est & damnosa: & quando nos eam fecimus, magnum damnum incurrimus, eo quod terra illa nigra nimis est sicca: sed quando scripsimus illud capitulum, tunc non recolebamus de illa fusione, vel solutione damnum incurrisse. Et ideo omnino prætermittenda est, & facienda est alia solutio non violenta, vt ibi dictum est, & ostensum. Et sic est completa perfectæ dealbationis dispositio. Ad dispositionem igitur incinerationis veniendum est.

CAP.

CAP. XLII.

NVnc ad dispositionem cinerationis veniendum est, vt inde ad rubedinem veniamus. Fit enim tali modo: Accipe vnciam de lapide albo prædicto, & in eodem vase à quo eum extraxisti iterum pone, vel in simili, si illud fractum fuerit, vel immundum, & obtura vas eo modo, sicut prius in dealbando fecisti, & fac ibidem eum soluere per se, vt est dictum: qua vncia soluta per se, accipe de sulphure rubeo, id est, de argento viuo rubeo, vel spermate masculo, quod ad partem seruasti, vt est dictum, & sit eius quantitas aquæ rubeæ, quantum de ea duabus vicibus fecisti, & dimitte idem visibiliter misceri per minima, donec sint vnum & idem, & vna aqua clara, citrina, vel ialuea, tendens ad rubedinem, & claude vas cum alembico, sicut in denigrando fecisti: & hæc aqua dicitur fermentum Solis, & secundum compositum, sicut primum compositum dicitur fermentum Lunæ. Vnde sicut in primo composito nigro est albedo abscondita interior, & facienda est exterior, & nigrum interius: ita quando lapis est albus exterius, interius est rubeus: ideo oportet, quod illa albedo, quæ modo est exterior & manifesta, fiat interior & occulta. Et sic oportet, vt dictum est, in hac arte occultum facere manifestum, & manifestum occultum. Et sic adimplebitur ars ista: & hoc sic fit in rubeo, vt in sequenti sequitur capitulo.

CAP. XLIII.

ACcipe vas prædictum lutatum cum aqua prædicta, & pone in loco, vbi possit ab ea exire aqua paulatim & paulatim, sicut in denigrando fecisti, & extrahe ab ea superfluitatem phlegmatis, & eam recipe, sicut prius de ea faciendo: & conserua ad rubeum de spiritu vel corpore rubeo, sicut fecisti denigrando ad album de altera: & antequam penitus inspissetur, scias quod illud, quod apparebit in fundo vasis, est lucidum, clarum, rubeum, fusibile sicut cera: & à Philosophis tunc vocatur rubinus, aut hyacinthus, aut corallus, aut iaspis, &c. hos autem lapides sic nominatos propter eorum colorem. Hoc totum desicca, & assa quantum poteris, & natura eius exigit, donec fiat & vertatur, vt dicitur in Lilio, in similitudinem zafarani sicci, vel sanguinis combusti: Et hæc assatio, vel desiccatio dicitur cineratio. Et sic completa est dispositio cinerandi, quæ requiritur interuenire inter

ter album & rubeum, quæ fermentum Solis nominatur, vt est dictum. Notandum tamen, quod totus lapis albus, sine motione ipsius à suo vase, potest modo prædicto cinerari, & in fermentum Solis conuerti, sed magis oportet habere de sulphure rubeo, vel spermate masculo, & maius vas requiritur, & vix posset inueniri vas vitreum, quod posset sine fractione vsque ad perfectionem lapidem rubeum sustinere. Quidam autem hoc fermentum Solis in tantum decoquunt & assant, quod fit puluis & cinis sine tactu: sed quamuis istud opus cinerandi videtur esse simile operationi denigrandi, tamen differt, si bene intelligis. Similiter & alia multa opera huius lapidis videntur esse similia insipientibus, quæ tamen sapientibus sunt dissimilia. Et ideo fatui non intelligentes, nec scientes dissimilitudines operationum, intellexerunt philosophos loqui de nigredine, vel alia operatione, vbi loquebantur de cineratione, vel de alia operatione: & sic contingit ipsos ad effectum opus non ducere, sed in infinitum errare, affirmantes exinde hanc artem esse mendacem, & non esse: & Philosophos mentitos fuisse, & esse mendaces: cum in rei veritate verum dixerint Philosophi, & ars sit vera & omnino certa: sed talium fatuorum insipientiam & insufficientiam omittamus, quibus hæc scientia occultatur, sicut vnum bonum solum frumenti inter paleas in magno ipsorum aceruo à pluribus huiusce vilis habetur, vel propter talium sophisticas operationes in hac ipsa scientia, quandoque falsa inducantur, cum in hac vera indagatione ipsius omnis sophistica operatio condemnetur, sicut hic superius in Procemio recolimus tetigisse, & ideo ars ista cum sit vera, & omnino certa, patet quod non habet inimicos nisi ignorantes.

CAP. XLIV.

AD dispositionem rubificandi veniendum est, quod est vltimum opus lapidis. De hac dicit Philosophus, quod à dealbatione vsque ad rubificationem perfectam nullus sequitur error, quia eodem modo rubificandus est, quo & dealbandus, & in eodem loco, & in eodem vase vel simili, & eisdem ponderibus aquæ, & similibus imbibitionibus, siue adaquationibus, & eisdem coloribus, & eisdem aliis omnibus regiminibus, sed cum sulphure rubeo, vel cum aqua spirituali rubea, siue spermate rubeo, reseruato, &c.

quæ

quæ idem sunt, & toties reiterare sic decoquendo, soluendo, imbibendo & congelando, vt in dealbando fecisti, donec Rex aureo diademate coronetur: vel donec hoc totum compositum rubificetur, prout decet: & fiat vnus liquor rubeus, clarus, fluens, fundens, in igne perseuerans, tingens & transmutans, penetrans & conuertens Mercurium, & omne opus solidum in molle & solificum verum, purificansque omne corpus humanum ab omni infirmitate; & in sanitate conseruans. Lapides preciosos rubeos, sicut lapis albus margaritas fingit; & omnes alios lapides preciosos albos. Et hic est lapis rubeus benedictus, pater omnis thebesim, id est, totius secreti, vel thesauri totius mundi, quem cui Deus vult, subtrahit, & largitur: ad cuius inuentionis perfectionem plures sunt vocati; sed pauci ad eius effectum perfectionis inueniũtur electi. Et si qui pauci hanc inueniunt, cum ipsa ars nostra in Dei potentia reseruetur, hoc ex dono Dei & ex gratia est, post errores multos omnium, qui creauit eam ea; id est, eam rem ad album, & eam rem ad rubeum, ea videlicet re alba & rubea, quæ est vna per matrimonium & compositum, vt est dictum: & fuit per eandem hanc scientiam indagando, quasi diuinitus, cum esset in errore indagationis ipsius, per Dei gratiam reuelatum.

CAP. XLV.

Ex isto lapide adhuc restant plura alia cognoscenda, & sunt hæc: Sicut enim ex argento viuo & crudo & albo imprægnatur cauda draconis, vel aqua lapidis ad dealbandum lapidem magnum, vt est dictum, secundum opinionem quorundam, ita & quidam dicunt, quod ex argento viuo rubeo impręgnatur cauda draconis, vel aqua rubificandi lapidem album. Et hanc aquam vocamus sulphur rubeum, sicut prædictam aquam albam, album sulphur nominamus. Et de istis argenti viui fit imprægnatio, secundum opinionem quorundam. Sed dicitur in Lilio, quod melius est quod de metallis quidem fiat color. Vide fili, & caue quid facias in hoc passu. Tamen dicit Albertus in Miner. quod ipse fecit examinare aurum quorundam Alchemicorum; & post septimam examinationem non fuit inuentum nisi terra quædam, & fæx mortua: & ideo dicit ipse, quod falsi Alchemistæ sunt, qui per alba dealbant, & per citrina citrinant. Et melius est, & melius agunt, qui de sulphure & argento

viuo hoc agunt, vt dicit idem. Quod non intelligitur de argento viuo communi, & sulphure communi, sed de aqua nostra rubea, vt dicitur in Lilio: O natura illa cælestis, qualiter vertis corpora illa in spiritum. O quam admirabilis natura, qualiter omnibus eminet, & omnia superat: & est acetum acerrimum, quod facit aurum esse verum spiritum, sine quo aceto, nec albedo, nec nigredo, rubedo fieri potest. Et est sciendum de ea, quod cum corpori admiscetur, & fit vnum cum eo, vertit ipsum in spiritum: spirituali vero igne tingit ipsum tinctura inuariabili, quæ deseri non potest per hanc aquam acutam. Et vt inquit Alphidius, Hæc aqua lapis est Indorum, Babyloniorum, & Ægyptiorum, &c.

CAP. XLVI.

SCias, fili carissime, quod hoc opus tum confirmatum, est hoc, vt dicit Alphidius, vt sit iustum, integrum, in destillationibus suis mundum. Et sit in medio sui grauis, & directione ætatis suæ: bonitatis autem potestas eius in prædictis consistit: sin autem perit & euanescit, dominumq; suum vacuum ab opere exeuntem dimittit: & hoc cum immundum fuerit, siue mistum, siue turbatum, siue impetuosum, vel accipitur inferiori parte suæ generationis, vel accipitur senex, vel infans; vel operatur igne alieno. Hæc itaque sunt, quæ ipsum corrumpunt: & sunt hæc ea decem, quibus vnusquisque errauit, qui errauit. Cum enim dirigitur istud animal, vel iste lapis, & ei forma perficitur, tunc est aptum operationi, antequam melancholia super ipsum abundet, antequam aer in eo gignatur & senescat. Ergo res recentes assumi debent, & cito, vt est dictum: & facere compositum antequam euanescat. Si vero cognosceres naturas metallorum & causas mineralium scires, in momento errorem tuum corrigeres: & ideo vtile est hæc scire, vt superius est dictum.

CAP. XLVII.

NVnc autem bonum elixir tibi describam, antequam opereris, & postquam operatus fueris. Secundum dicta Alphidii oportet, quod sit humidus ante operationem, vt est dictum: & cum decoquitur, coaguletur & inspissetur, velut sal, & sicut nix & grando, & sit dulcis saporis, nigri ventris, albi coloris: & post operationem sit lucidissimæ fractionis, id est, fracturam habens lucidam, & serenam lucem, & ignis splendorem rubeum. Elixir cum prolongatur,

aſpectus in eo fiet ſicut carbo in tenebris: & cum ingreditur ignem, fit album ante perfectionem: & cum intenditur ignis fit rubeum, & ſicut carbo in tenebris poſt operationem, vt eſt dictum.

CAP. XLVIII.

Dicit Hortulanus in fine ſui libri, Sunt enim duo coadiutores, per quos operatio facilius adimpletur, vnusq; deſtructor, qui totam operationem inficit, niſi deleatur. Coadiutores ſunt ſulphur præparatum, & arſenicum ſublimatum, in ſpiritum olei redactum. Sulphuris proprietas eſt Mercurium congelare, & eum Mercurium perficere, teſte Gebero, dicente, Vis ſulphuris albi non vrentis, Mercurium congelat, & ſeipſum mortificat. Proprietas autem arſenici eſt totum lapidem inſpiſſare & viuificare, ſi debito modo præparetur. Nuncupatur enim ventus & aer, & oleum incombuſtibile: vnde qui negligit oleum à Mercurio ſeparare, loco eius accipiat arſenicum præparatum. Patet ergo omni ſubtiliter intuenti, quod quicquid ponitur in lapide ad ipſum perficiendum, ſiue ad album, ſiue ad rubeum, impręgnatur, ſiue ex ſpiritu, ſiue corpore, vt eſt dictum: & quod illud hanc aliam ſcientiam quam aqua, quæ poſſit ſubtiliando & augmentando ipſum lapidem dealbare: & hanc opinionem tenuimus ſuperius, vt eſt dictum. Deſtructor lapidis eſt ſal armoniacus, qui venalis inuenitur. Sed non loquitur Philoſophus de ſale armoniaco coniungente matrimonium inter corpus & ſpiritum, ſed loquitur de aere abſtracto à Mercurio, id eſt, de aqua noſtra, vel ſpiritu noſtro fixo, vel cauda draconis, vt eſt dictum.

CAP. XLIX.

Sunt etiam plura collateralia alia, quæ ſunt valde apta in abbreuiatione operis, vt ſunt ſales, & atramenta, & alumina, & quædam aquæ animalium vegetabilium: quia quædam aquæ fiunt ex iſtis, quæ incontinenti ſoluunt corpora, vt aurum & argentum: & tunc poteſt hæc aqua auri vel argenti commiſceri cum lapide bene prius purificato ab omni extranea re. Et tunc feſtinatur opus magis in vna die, quam alio modo fieret in tribus menſibus, & nos ſic fecimus & eſt, & fuit opus noſtrum, non autem de aliquo ſpiritu, indagatione noſta contenta in hoc libro, quamuis per quoſdam ſpiritus præparatos poſſit opus iuuari, & facilius adimpleri

pleri, vt eſt dictum. Et quando in indagatione noſtra ponebamus aliquem de ſpiritibus præparatum qualitercunque ſiue per ſublimationem, ſiue per ſolutionem aquæ fortis, vt, eſt dictum, tunc ſolum opus noſtrum inficiebatur in probatione, quia quædam pars ipſius Mercurii in terram quandam immundam vertebatur: & quando ex ſolis corporibus imprægnabamus, tunc ſigna noſtra erant, & apparebant pura & munda. Tamen dicere videtur Geber, & tenere, quod hæc ſubſtantia, quæ lapidem perficit, eſt pura ſubſtantia argenti viui, & eſt materia, quæ ex materia illius ſumpſit originem, & ex illa materia creata eſt. Non eſt autem illa materia argentum viuum in ſua natura, videlicet in tota ſua ſubſtantia, ſed fuit pars illius. Neque eſt tunc cum lapis noſter factus eſt pars eius: ipſa enim illuſtrat, & ab aduſtione conſeruat, quæ perfectionis ſignificatio eſt. Et hæc ſunt verba Geberi in Summa perfectionis magiſterii, ſub rubrica, Quæ ſit ſubſtantia, quæ perficit lapidem. Et propter hoc quidam fecerunt compoſitum ſuum ex tribus aquis, videlicet ex aqua Mercurii, id eſt, ex Mercurio in aqua ſoluto, & ex duobus ſpiritibus iam prædictis, vel ex vno ipſorum tantum, ſcilicet ex ſpermate albo, quantum ad album. Et ſic compoſitum ipſorum erat ex fixo, & non fixo: poſtea ex ipſo Mercurio non fixo præparato, ſiue per ſublimationem, ſiue per ſolutionem totum opus nitebantur perficere eo modo noſtro, vt eſt dictum. Sed nullum iſtorum vidimus ad intentum peruenire, ſed potius in deſperationem operis incidebant. Vnde fili, cum Geber profundiſſime mediocribus loquatur, & prudentibus manifeſte, fatuos autem miſerabiliter excludat ab intentione vera huius ſcientiæ, ideo ſi ipſum recte intelligis, hæc ſubſtantia eſt illa, de qua ſuperius diximus, & operati fuimus, vt eſt dictum, & per eandem vera ſunt prædicta, vt patet ſubtiliter intuenti: quæ ſubſtantia, vt ipſe dicit, elicitur ex corporibus, vel ex ipſo argento viuo, videlicet in metallico corpore conuerſo per naturam: quia argentum viuum tenet in ſe naturam ſulphuris: & ideo ipſe eſt materia omnium metallorum, quæ ex argento viuo & ſulphure fiunt, vt eſt dictum. Et ſuppoſito, quod ex argento viuo eliciatur iſta materia, ipſo in metallicum corpus non conuerſo, ſicut ex argento viuo communi, vt velle videtur ipſe Geber, qui dicit, & tenet, vt videtur, quod ex ipſo

ſolo poteſt fieri lapis: attamen ipſe dicit, quod fixetur prius, ita quod gaudeat in igne perſeuerans. Et tunc eſt idem, ac ſi eſſet naturaliter in metalli ſpeciem conuerſum, nec plus. Neque enim aliud ad hoc opus perficiendum requiritur, quam metallũ, vt inquit Geber, non tamen perfectius ab ipſo Mercurio fit lapis, nec ab eo plus perfecte elicitur iſta ſubſtantia, quam de corporibus. Ergo ex corporibus poteſt elici iſta materia ita perfecte ſicut a Mercurio etiam elicitur. Ideo ad ipſa corpora, ad iſtam ſubſtantiam eliciendam, dignum duximus recurrendum eſſe, dimiſſo Mercurio communi, prout eſt in natura ſua, propter longam & prolixam eius præparationem, & fixionem, circa quam laborauimus quandoque & plures alios vidimus laborare, & nihil finaliter inuenimus. Et ideo de ſublimatione iſtius Mercurii, & aliorum ſpirituũ præparatione, in hoc primo libro nihil curauimus, quia nihil valet ad operationem, vel perfectionem vnius ſolius precioſi lapidis, vnde nihil perficit, ſiue iuuat. Vnde ſecurius eſt ex ipſis corporibus hanc elicere ſubſtantiam, quæ perficit lapidem, quam de Mercurio & aliis ſpiritibus, & ipſa corpora operari, vt à nobis eſt expreſſum. Item dicit Hortulanus, quod ſit aqua ex vegetabilibus, quę incontinenti tollit combuſtibilitatem ſulphurum & aduſtionem, & remanebit album & incombuſtibile: & ſic à Deo creata ſunt mirabilia ad compoſitionem noſtri lapidis.

De proiectione. CAP. L.

FIt autem proiectio iſtius medicinæ ſuper corpora tali modo: Secundum enim quod ſubtilior eſt lapis, plus oportet de corpore in proiectione, & minus de medicina ponatur, quæ ſit ita ſubtilis, quod poſſit cadere ſuper pondera ſequentia, & ipſa conuertere: ita faciendum eſt, & hic modus tenendus eſt in omni proiectione tam ad album, quam ad rubeum, ſecundum maius & minus pondus ipſius medicinæ. Accipe vnam vnciam de medicina, & accipe 50. vncias de plumbo vel ſtanno, & funde ſuper ignem, & proiice iſtam vnciam medicinæ ſuper iſtud plumbum fuſum vel ſtannum, & totum conuertetur in medicinam: & ſi medicina non fuerit tantæ virtutis, quod tantum pondus poſſit conuertere in medicinam, vt eſt dictum, minus accipe de corpore, & plus de medicina: & ſi plus potuerit conuertere, plus accipe

cipe de corpore. De isto toto conuerso accipe vnciam vnam, & simili modo proiice super triginta vncias plumbi vel stanni fusi, adhoc totum istud conuertetur in medicinam, sed non ita fortem, sicut ea quam primo fecisti. Iterum accipe de isto vltimo conuerso vnam vnciam, & iterum tertio proiice super quinquaginta vncias, æris, & in lunificum vel solificum conuertetur, secundum colorem medicinæ. Qui Sol siue Luna per hanc medicinam generatus, vel generata, excedit omnem Solem & Lunam naturalem in omnibus proprietatibus, tam medicinalibus, quam aliis. Et eodem modo fit hæc proiectio super Mercurio. Ex isto patet, quod Mercurius noster vere est seipsum mortificans, seipsum generans & viuificans. Fit autem proiectio in crubiculo terreo, & ante fugam Mercurii. Debes autem probare & experiri, quando medicina fuerit, super quanta pondera cadere poterit per modum prædictum. Potes autem, si volueris, per solutionem & congelationem, vt est dictum, ipsam medicinam ita subtiliare, quod postea mille millium conuertat partes ipsas. Hanc autem certitudinem proiectionis & subtilitatis medicinæ relinquimus indagandam tuæ industriæ. Insuper etiam cum hoc poteris per ipsam facere vitrum malleabile, & fingere lapides preciosos: verumtamen per ea quæ diximus in hoc capitulo, non intendimus, fili, concludere in modo, & forma, & ponderibus proiectionis, quin aliter etiam posses ea facere per alia pondera, prout postulat virtus medicinæ & natura. Nunc autem qualiter medicina hæc ab humanis sumpta corporibus, ea in sanitate conseruet, & a languoribus acquisitis purget, siue fomentatione, siue nutritione, & superuenientibus defendat, videamus.

CAP. LI.

Dictum est superius qualiter per hanc medicinam infirma & imperfecta corpora metallica purgantur, & sanantur, & ad naturam perfectiorem perducantur. Nunc restat dicere qualiter per eam corpora humana infirma sint sananda, & in sanitate conseruanda, prout in Libro continetur. Sic enim scribit ad hoc ibidem. Cum enim homo dignissima sit creaturarum, cuius gratia & amore omnia sunt condita à Deo, eidemque subdita, & cuius corpus recipit excellẽtiam omnem quouis iure diuino & humano, merito ergo quod eũ in sanitate iuuentuteq; conseruat cunctos

 ab eo

ab eo repellendo languores,& à superfluitatibus auertendo, summa diligentia est perquirendum. Hoc enim operatur natura super omnem Galeni, Hippocratis, Auicennæ & aliorum philosophorum medicinam,vel potationem, confectionemue, vt etiam lepra ab eo repellatur. Est etiam ratio ad prædicta, quod cum dicamus etiam hunc esse spiritum, quem quærimus, quo tingamus in quolibet corpore, sicque fiat antidotum, & medicina omnium corporum curandorum & purgandorum: & hoc habet fieri igne naturali nutriente in metallorum infirmorum corporibus, multo fortius ab humanis corporibus assumpta, naturalem calorem & motum in se habentibus,erit promptum & deputatum ad expellenda quæcunque superflua, repelletque omnem languorem fomentatum & nutritum.

CAP. LII.

HÆc medicina in confectionibus posita protegit, ne quis eidem morbus adueniat in futurum. Magnates auro limato in confectione posito, quærunt sanitatem & iuuentutem reparare:quanto magis per aurum,quod est in corpore magnesiæ occultum, vt est dictum, nunc purgatum,& aereum & spirituale factum? quia quanto medicina est subtilior, tanto efficacior est, vt apud quoslibet medicos de facto est videre: quoniam omnes tendunt ad medicinarum suarum subtiliationem, & contritionem, seu pistationem, aut decoctionem. Alias indagationes huius medicinæ in particulari causa breuitatis relinquimus: industriæ tui magisterii.

CAP. LIII.

DEinde curandum non est de falsis Alchemistis, nec de eis credentibus: & præcauendum ab omnibus dispositionibus suis,sublimationibus, coniunctionibus, separationibus, congelationibus, & contritionibus, aliisque desistatur talibus sophisticationibus magnesiæ: aliud illorum sulphur à nostro, quod dicitur sulphur de sulphure: aliud argentum viuum a nostro, quod dicitur argentum viuum de argento viuo: alia aqua à nostra, quæ dicitur aqua permanens:aliud acetum a nostro,quod dicitur acerrimum: habent aliam ablutionem a nostra,quæ fit nigro & albo coloribus mediantibus: aliam solutionem vel congelationem à nostra, quæ fit igne leui; aliamque putrefactionem a nostra,

quæ

quæ fit per secundam aquæ partem, id est per caudam draconis, vel secundam partem spermatis ad partem reseruati, vt est dictum: aliud volatile: siue spiritum aquæ, alium a nostris prædictis, scilicet argento viuo & sulphure: vel aliud animal a nostro quod kenqual dicitur: vel aliud ouu a nostro quod similitudinarie dicitur: vel alium lapidem a nostro, qui acros dicitur: vel sanguinem humanum, vel gummam, vel aliquid ex re vegetabili, homine, vel bruto animali extractum, fore nostræ operationi opportunum, vel vtile putantes. In verum te erexi fili care, quoniam natura non emendatur nisi in sua natura, sicut tu non emendaris nisi in simili tuo, id est in homine. Caue ergo ne prætermittas ea quæ diximus, & venerabili vtaris natura: ex ea namque fit opus, & non ex alia. Coniunge ergo masculum, id est aurum serui rubei filium, id est sulphur finum; quia sulphur pater est mineralium omnium, vt est dictum. Ergo aurum cum sit minerale, sulphur est eius pater, suæ vxori odoriferæ, id est argento viuo copulatum, quo pacto communiter gignitur, vt est dictum. Quibus noli introducere alienum, nec vllam rem. O quam preciosissima est serui illius natura, sine quo regimine stare non potest: vnde nisi ipsum accipias & regas, nihil habebis. Hæc prædicta dicuntur in Lilio. Vnde scias fili, quod cum Geber incipit loqui in Summa de perfectione magisterii, in vltimo ordine medicinarum, de ista summa medicina, quæ est vnica sola, & dicitur sola, quia sola tollit de commisto metallorum, videlicet quid in eis est infirmum & imperfectum: & omnis alia medicina quantumcunque sit bona & fixa, non tollit de hoc imperfecto seu infirmo metallorum eis commisto, sed ipsum tantum tingit, & palliat perpetuo ipsum. Propter quod omnes istæ medicinæ dicuntur sophisticæ præter istam. Quia ipse dicit de ista Summa & vnica sola, quod nõ differt ab alia medicina, quã palliat, & tegit perpetuo, si non tollit imperfectum, siue infirmũ metallorum, nisi per subtilissimos præparationis gradus. Per quod patet, quod per subtilissimos præparationis gradus, oportet hãc medicinã summã præparare, quamcunq; aliam medicinã à Gebero in sua Summa dictam, Sed planũ est quod Geber in medicina ista, quæ non tollit de commisto, sed tantum ipsum perpetuo tegit, & in quacunq; alia alios præparationis gradus non ponit nec tradit, nisi sublimare, soluere, cõgelare, calcinare, &c prout in prædicta

ſua Summa ſcribitur: & tamen ipſe dicit, quod per ſublimationem, fixationem, calcinationem, ſolutionem, & congelationem, &c. medicina hæc vnica ſola & ſumma habet fieri; ſed tamen iſtæ præparationes debent eſſe ſubtiliores in hac medicina, quam in aliis prædictis, vt ipſe idem dicit. Neceſſarium eſt ergo cōcludere, quod Geber excludat omnes præparationis modos, quos ponit in ſua Summa de medicinis aliis faciendis, ab operatione iſtius ſummæ medicinæ. Et intelligit ipſam debere fieri per alias ſublimationes, ſolutiones, congelationes, calcinationes, &c. ſubtiliores & perfectiores quam aliæ, quas ponit in Summa ſua de aliis ſophiſticis medicinis. Sic ergo patet ſubtiliter intuenti manifeſte, quod Geber in ſua Summa graduum veritatis operationis magni lapidis, ſub magno aceruo palearum & operationum ſophiſticarum abſcondit, dicit, & intelligit: & prout abſcondit inſipientibus, ita aperit intelligentibus & prudentibus, & manifeſtat recte ipſum intelligentibus, vt patet per prædicta. Quia vero omnes medicinæ, quæ in Summa ſua continentur, ſophiſticæ ſunt, ideo ab eis ſilendum eſt, vt ſupra in eodē capite dictum eſt, nec de eis eſt curandum, ſicut Geber de eis non curauit in hac operatione ſummæ medicinæ, vt ſuperius eſt probatum. Sunt autem illæ ſubtiliores ſublimationes, ſolutiones, congelationes, calcinationes, &c. quæ à nobis ſuperius ſunt ſcriptæ, quibus tantum indigemus, & non aliis, ad huiuſmodi ſummam medicinam faciendam & complendam, omnibus aliis, tanquam falſis prætermiſſis.

CAP. LIV.

DE lapide iſto ante & poſt eius operationem loquitur Alphidius in Claui Philoſophorum, ſic dicens: Ratiocinare ergo fili, & attende, quod lapis iſte in viis proiectus eſt, & in nubibus exaltatur, & in aere habitat, & in flumine paſcitur, & in cacuminibus montium quieſcit: cuius mater virgo, & pater non concumbit: & qui dicitur albus, rubeus, omnibusque coloribus munitus, & in omnibus lapidibus ingreditur, omnibusque ſubſtantiis, omnibus corporibus, omnibusque ſpiritibus: in quem non ingreditur aliquid, nec dominatur ei, niſi ſulphura quæ vaſtant ipſum, & ingrediuntur: & cum ingreditur aquam, liqueſit: cum ponitur in igne, lux eius augetur: ſi vero in aere ponatur, aromata ſuperat apud illos, qui in opere eius tingunt. Eſt etiam

ceruus

ceruus humilis, & fit ex vno cornu cerui: fit quoque ex eo elixir, & etiam lapis, cui inest caro inaurata, & est Massadir, id est sal, & os fugit, & draco seipsum viuificans & mortificans, &c. in quo omnis similitudo, & descriptio inuenitur: in illo quoq; sunt mille genera animalium, & mille vegetabilium, omniaque genera lapidum, id est mineralium. Dico etiam, quod est similis omnibus odoribus, coloribus, omnibusque naturis, & operib. cui nihil est simile: nec ita describitur, nec transit, nec dominatur, nec ita est tenuis. Benedictus ergo est qui tendit ad hunc ceruum humilem: quoniam Adzrouch, id est argentum viuum nostrum, ipsum inspirat, vt Deo gratias agat, prout à nobis superi⁹ est expressum. Et sic allegoriauerunt Philosophi, & pluribus aliis modis metaphoricis, & ænigmatibus diuersis, & in figuris sapientes Philosophi ex ipso lapide benedicto, & de natura ipsius, modum quandoq; quodammodo extendendo, ipsum sic quid est, & cuius naturæ sit doctis & prudentibus manifestando, & indoctis & insipientibus occultando, sicut dicit Alphidius: Abscondimus hac rem ab conditione forti, vt apprehendi non valeat ab indoctis, quod nos, fili carissime, totum tibi superius plana sermonũ serie explanauimus, si recte intelligas dicta nostra: & nihil de hoc magisterio tibi abscondimus, vel cælauimus, excepto secreto artis, quod non licet reuelare, quia fieret maledictus in reuelatione secreti: tamen posuimus te in via indagationis ad secretum huiusmodi inueniendum. Vnde Deo gratias multiplices teneris reddere in æternum. Est autem istud secretũ artis, scire aquam illam cælestem, gloriosam, de qua superius locuti sumus, quæ corpus nostrum vertit in spiritum: de quo corpore dicit Geber, quod multi probauerunt ipsum esse fortissimæ compositionis, quam quodcunque aliud corpus, sed quantæ sit fortissimæ compositionis non probauerunt, quia ad illud per eorum insufficientiam pertingere non potuerũt. Et ideo reputauerunt hanc artem præcelsam esse impossibilem, vel non esse, sic ponentes insufficientiam eorũ & robur,

RECAPITVLATIO.

CAP. LV.

HIc recapitulat totum opus Alphidius breui sermone in libro, qui Clauis appellatur, & dicit sic: Accipe albedinem, & nigredinem dimitte, cum qua decoquitur,

 & ascen-

& ascendit in alembico, quod est coopertorium vasis, fæces proiice extrahendo aquam: aqua ablue terram, munda vas, firmiter claude, ventum & fumum vita, & in perseuerantia perseuera, suauiter & sapienter age, calorem & omne opus, quod est extra modum vita, noli festinare, esto patiens coquendo, putrefaciendo, moræ ne tędeat, non pigeat te quod agit prolixitas coquendi, putrefaciendi, & inspissandi, vas in stercore humido circunda: & post quosdam menses fac eos euolare, donec aqua rubescat & inspissetur, & fiat lapis rubeus. Ecce totum opus, quod breuiter recapitulat Alphidius, Et nos tibi illud superius explanauimus, si recte intelligis dicta nostra. Et nota fili quod operationes, quas tradimus in hoc libro de magni lapidis compositione, subtiliores sunt quam illæ, quas Geber tradidit in Summa sua: quia dicit: quod diuersa temporum spacia sublimatur primo, deinde fixatur, & postea calcinatur, deinde soluitur: & ita de aliis. In hoc autem libro nostro scias quod destillationem per alembicum vocamus sublimationem, & ita solutionem corporum similiter vocamus sublimationem: & tunc corpus terreum subleuetur in aerem, hoc est in cælum. Vnde scias, quod cum soluimus, insimul sine interuallo temporis vel spacio, sublimamus, calcinamus, mundamus, abluimus, coniungimus, vel componimus, & separamus. Vnde dicit Hali in Secreto secretorum, quod inter solutionem & compositionem, siue matrimonium ad coniunctionem corporum & spiritus, non interuenit aliquod temporis spacium: quia cum soluitur corpus, soluendo coniungitur cum spiritu: Et ideo dicit, quod solutio est vna coniunctio. Vnde iste est ordo operationis nostræ, quæ fit insimul vna hora: cum corpus nostrum ad dissoluendum in aqua ponitur, tunc statim denigratur, & statim per minuta separatur, & statim calcinatur, deinde statim soluitur & sublimatur, & soluendo & sublimando coniungitur corpus cum spiritu: & si fuerit aliquid extraneum cum corpore mistum, illud non soluitur, sed in fundo vasis remanebit ad dissoluendum: & sic mundatur ab extranea re ipsum corpus, si qua in ipso fuerit: verúmtamen quodammodo inficitur, nec ita clara habetur, vt decet. Vnde subtiliores sunt operationes nostræ in magni lapidis compositione, illis quæ in Summa Geberi continentur: quia quod dicunt fieri per diuersa temporum spacia & longa, hic

fit

sit vna, & de subtiliori re, & subtiliori modo. Et quando videbis opus nostrum,& ante non,tunc scies fili carissime, nos verum dixisse: & nisi bene & acutissime perspexeris, vix percipies ita esse,propter tam citam,& subtilem,& breuem operationem: veruntamen a spirando in hoc & in omnibus aliis modis operationis istius lapidis caue tibi, & a famositatibus rerum pro posse tuo: quæ si intrarent in te, periculum quidem esset siue in præsenti, siue in futuro, nisi per aliquas medicinas contra ipsas fumositates te iuuares, & sanares, quas debes habere tecum paratas semper,vt statim,quum tibi acciderit,possis tibi statim succurrere, & remedium apponere opportunum.

CAP. LVI.

EX iis omnibus à principio dictis huc vsque, colligitur à quolibet subtiliter intuente,quod corpora nostra in operibus nostris non resident in alembico sursum, sicut corpora fatuorum: de quibus dicit Aros, Corpora insipientium resident tantum alembico, hoc est in coopertorio, vel summitate vasis: & ideo nihil possunt facere,quod sit verum. Item colligitur, quod sulphura sulphuribus, corpora corporibus,spiritus a spiritibus retinentur. Et omne imperfectum perficitur: & ex vna re, videlicet ex Mercurio solo, id est ex substantia quadam, quæ est substantia per relatum magisterium nostrum prædictum,famosum,inclytum & gloriosum. Ergo vniuersali conclusione concludetur, quod lapis benedictus est vnus, medicina vna, cui nihil extraneum additur nec minuitur,nisi quod tantum ab eo superflua remouetur: Hoc intellige,vt dicit Hortulanus, quod illud non est extraneum,in quo debet conuerti,id est fixari,videlicet Sol & Luna. Ergo lapis iste est mineralis,quia ex mineralibus rebus originem ducit & procreatur. Verum quoniam ait Hortulanus, quod Hermes pater Alchemistarum habuit in se tres partes Philosophiæ totius mundi, quas ostendit in partem mineralem, vegetabilem, & animalem: de quibus ipse Hermes Philosophus habuit coniunctim vel diuisim scientiam veram in opere Solis. Quę partes cõtinentur in vnico lapide, scilicet in Mercurio,id est sub hoc nomine Mercurii. Quia omne de quo fit lapis siue minerale,vegetabile vel animale nomine Mercurii appellatur. Et nos ostẽdimus sup. qualiter cõpletur hęc Philosophia vel sciẽtia in opere solis per Mercurium

num-

mineralem. Ideo vt hæc ſcientia, ſiue excellentiſſima pars philoſophiæ in omni parte ſua videatur perfecta, de cætero videndum eſt qualiter lapis hic fit per Mercurium vegetabilem, id eſt per vegetabilia:per animalem, id eſt per Mercurium animalem. Et primo qualiter hic fit per Mercurium vegetabilem oſtendemus. Niſi autem per plura alia poſſit fieri lapis magnus,quam per ea quæ dicta ſunt ſuperius,iam non eſſet verum quod dicit Alphidius, quod plura alia ſunt quæ certiſſime & ſoluunt, & congelant. Et Ortulanus dicit, quod Philoſophi vocāt Lapidem omne illud, a quo quatuor elementa poſſunt ſeparari per artificium noſtrum Alchemicum. Sed à quocunque vegetabili & animali poſſunt per artificium noſtrum Alchemicum elementa ſeparari. Ergo à quocunque vegetabili vel animali poteſt fieri philoſophiæ magnus Lapis.

ARISTOTELES DE PERFECTO MAGISTERIO.

CVM ſolerti indagine vniuerſarum rerum artificia philoſophia comperierit ſedulitate, tum chariſſime fili, exquiſitionis ſagacia Alchemiæ artis magiſterium adinuenit: quod eatenus reliquarum rerum præpollet argumentis, quatenus ipſum de ſecretioribus naturæ abditis reperitur. Ratio enim ſufficit huius artis operandarum rerum apparentes & manifeſtas virtutes vel naturas tantum cognoſcere: Nihil enim in arte hac perficeret,niſi earundem interiores vel occultas naturas abſque errore quis cognoſceret. Ars enim hæc de Philoſophia eſt occulta, & eſt de illa parte Philoſophiæ, quæ Meteora nuncupatur. Loquitur enim ars hæc non ſolum de eleuatione & depreſſione elementorum, ſed etiam elementatorum. Scias hoc,quia magnum ſecretum eſt. Scias præterea hanc artem vocari inferiorem Aſtronomiam, & ſuperiori primæ eſt comparatiua. Loquitur enim ſuperior Aſtronomia de ſtellis fixis in firmamento igneo, & de ſeptem erraticis, quæ planetæ nuncupantur, quia motu contrario firmamenti feruntur: Hæc autem ars loquitur de lapidibus fixis in igne, & de his, quæ ab igne fugiunt: Lapides vero, quæ ſtellæ dicuntur, ſunt Sol, Luna, Mars, Saturnus, Iupiter, Venus,

nitrum

nitrum, calx, carbunculus, ſmaragdus, & reliqui lapides, qui ab igne non fugiunt. Lapides vero, qui planetæ vocantur, ſunt argenti viui, ſulphur, arſenicum, ſal armoniacum, tutia, magneſia, & marchaſita. Iſti enim ſuper ignem non perſeuerant, ſed ſeorſum & paulatim ab eo fugiunt & euolant, niſi ad ipſum ſuſtinendum quibuſdam inenodabilibus vinculis & artificioſis nexibus indiſſolubiliter conſtringantur: quę diutina conſtantia & ſubtili meditatione inſtantique ſimul operatione non feſtina, poſt multorum laborum fallacias & operationum diuerſa ſophiſmata philoſophia perfectiſſime eſt conſecuta, & eorum arcana ſuis reliquit filiis. Si enim alius, quam eius filius hoc attentare prǽſumpſerit, vt indignus penitus repulſam patietur: & ſe, opus, & expēſas amiſiſſe merito deplorabit: ſcias hoc, quia magnum ſecretum eſt. Vocantur autem prætacti lapides fuſi ſuper ignem corpora & animalia, & fugientes ab igne, ſpiritus. Sicut enim corpus ſine anima non viuit nec erigitur niſi prius ſpiritetur, ſic & prædicta corpora quaſi mortua iacent, niſi cum prædictis ſpiritibus viuificentur & erigantur, ſeu opere naturæ in mineris ſuis fiat in millibus annorum, ſeu opere philoſophiæ, cum ſint effoſſa de ſuis mineris, & hoc fit in die vna reſpectu operis naturæ: imo vt verius fatear in hora vna: fit tamen cum medicamine, cuius compoſitio multi temporis ſpacium anticipauit. Dicuntur etiam lapides fixi ſuper ignem ſubſtantiæ, & fugientes ab igne: quia ſicut ſubſtantiæ per ſe ſtant, nec alterius naturæ beneficio reguntur, ſic lapides fixi ſuper ignem ſua poteſtate perſeuerant: & ſicut accidentia non poſſunt ſuas qualitates oſtendere, niſi cum fuerint ſubſtantiis ſociata, ſic lapides fugientes ab igne non poſſunt ſuas demonſtrare virtutes, niſi cum fixis fuerint maritati: Scias hoc, quia magnum ſecretum eſt. Scias quoque, quod prædicta non bene ad inuicem ſe recipiunt, niſi prius fuerint vtraque munda: non enim recipit corpus ſpiritum, nec ſpiritus corpus, ita quod fiat ſpirituale corporeum, & corporeum ſpirituale, niſi ſint ab omni ſorde prius perfectiſſime defœdata vel defæcata: cum vero ſint ſic, complectuntur corpus & ſpiritum, & ſpiritus corpus, & prouenit ex eis operatio perfecta. Et eriguntur corpora in examinatione, & ſpiritus tenentur à corporibus ſuper ignem: Scias hoc, quia eſt magnũ ſecretum. Quicunq; igitur hoc ignorat ſecretum, ab o-

ab opere manum suspendat, donec ipsum sciat: Dum enim hoc ignorauerit, non gaudebit operis sui perfectione: & cum hoc sciuerit, gratulabitur sibi operationem ad vota compleri. Rogo itaque te fili, vt incessabili lectione philosophiæ libros scruteris, vt & eius filius & huius arcani magisterii habere sagaciam merearis. Qui enim in legendis libris deses extiterit, in præparandis rebus promptus esse non poterit: quia non potest de leui eius in Practica manus crescere, cuius in Theorica intellectus desudare renuerit. Ille namque ad operationem securius accedit, in cuius mentis ænigmate plures operationum imagines variæque resultant. Ne autem tu fili carissime omnia philosophiæ volumina ad inueniẽdum prælibata secreta quasi errabundus percurreres, hũc librum tuo conscripsi nomini: in quo omnia ea cum suis præparationibus per sermonem completum redegi, quæ in prænominatis nominibus propinquiora, faciliora & notiora reperi ad componendum album & rubeum Elixir, vt tibi ad operandum facilis esset aditus.

Est autem Elixir compositum ex speciebus limpidis, antidotum, medicina & purgamentum omnium corporum curandorum & purgandorum, & attorniandorum in Lunificum & Solificum verum. Caueas ergo ne ad condendum, vel componendum procedas, antequam inueneris componentium pondera completa. Quia secundum componentium ponderum perfectionem, erit compositionis operatio. Scias hoc, quia est magnum secretum. Scias etiam quod non poteris perfecte mundificare, nisi prius mundificandorum naturas omnes & ægritudines bene cognoueris. Sunt etiam in prælibatis corporibus quædam ægritudines, quas partim à mineris suis, & partim ab elementis suis contrahunt qualitatibus. Omnes etiam elemẽtata res quatuor in se retinet qualitates actiuas & passiuas, exterius siue interius, mollitiem siue duritiem, & horum medium. verbi gratia, Res si exterius est calida & humida, & mollis, interius est frigida & sicca & dura: quia omnis rei manifestum suo contrarium occulto: scias, quia est multum secretum. Vnde si perfecte cognoueris exteriorum rerum consistentias, & interiores de leui tu cognosceres, & econuerso. Et si occulta manifestare sciueris, scies & manifesta occultare. Sed in quibusdam reb. vt in plumbo, totũ manifestatum occultari, & totum occultũ manifestari.

Et

Et in quibusdam medium occultum manifestari tantum, vt in ære: & medium occultum manifestari, vt aurum, vt ad sanitatem perfectam perueniat, vel saltem ad neutralitatis officium perducantur. Scias hoc, quia est maximum secretum, Scias etiam quod rerum quædam sunt sanæ, quędam sunt ægræ: sanæ dicuntur, in quibus quatuor qualitates cum mollitie & duritie ita æqualiter existunt, quod nulla earum vincitur à sua contraria; sicut in auro perfecto: in ipso namque sunt ita æquatæ, quod neutra superfluit alteri: Ægræ dicuntur illæ, in quibus est huiusmodi contrarium. Neutræ vero dicuntur illæ, in quibus species æqua proportione terminatæ sunt, tamen vna parum vincit alteram, ita quod leui artificio & pauco medicamine sanantur, vt est aurum album, & argentum purum, in quibus sola tinctura fixa incolumitas restauratur. Scias hoc, quia, &c. Vt autem hoc facere scias, totis viribus enitaris, & tu labora vt intelligas quæ dicam, & Deus alleuiet te: Scias quoque quod res ita subtili artificio & mystica coniunctione ad inuicem sunt æqualiter commistæ, quod in qualibet re omnis res existit per potentiam, etiam si per visum in ipsa non comprehendatur, sed in rebus liquefactis clarius quam in aliqua re discernitur. Sunt enim auri interiora argentea, & argenti aurea, & econuerso. Et in ære sunt similiter aurum & argentum potentialiter, licet non visibiliter: & in eisdem sunt plumbum potentialiter & stannum: & in istis sunt econuerso aurum & argentum in potentia: quod totum tibi patebit cum eorum præparationem & substantiarum ipsorum transformationem, & ipsorum commutationem, secundum naturæ actionem scies. Scias etiam, quod non conuenit cum lapidibus non præparatis aliquid operari. Est enim operatio thesaurus rei & hospitium complementi. Si ergo completa & perfecta præcesserit operatio, perfectum & completum aderit complementum: & si diminuta, diminutum. Et quantum decrescit perfectionis in præparatione, tantum expectetur diminutionis in operis proiectione. Semper tamen oppositiones vis aliqua proculdubio præstolatur. Præcedit autem operationem perfectæ operationis quædam rerum purificatio, quæ à quibusdam mundificatio, & à quibusdam administratio, à quibusdam rectificatio, a quibusdam ablutio, & à quibusdam separatio nuncupatur. Ipsa enim

enim puriores rerum partes disgregat ab impuris, vt grauioribus abiectis partibus, cum leuioribus opus compleatur. Et hoc dedit Hermes intelligere in suo secreto, quod de hoc opere composuit: dixit, Separabis terram ab igne, & subtile à spisso. Scias hoc quia magnum, &c. Scias quoque, quod perfectæ præparationis negocium non solum contra superfluorum remotionem, verum etiam contra deficientium adiectionem versatur, secundum quod in quodam opere meo habetur, quod Lumen luminum inscribitur. In eo namque inter cætera, quæ de huius magisterii subtilitate reseruaui, dilucide dixi, Quod perfecte præparare, est superflua demere, & deficientia supplere: quia non possunt grauia nisi cum leuium superius, nec grauia nisi cum grauium inferius consortio detrudi: nec posset calidum nisi frigidi, nec frigidum nisi calidi: nec humidum, nisi sicci, nec siccum nisi humidi: nec durum, nisi mollis, nec molle nisi duri adiunctione aliquo modo temperari vel præparari. Cum vero alternatim congrue desponsantur, generatur ex eis substantia temperata, quam non potest ignis violentia superare, nec terræ fœtulentia vitiare, nec aquæ limositas condensare, nec contractus omnes obumbrare. Et Hermes huius doctrinæ princeps in fine sui prænominati secreti, volens quomodo, & ex quibus lapis, quem prædixerat omnem rem subtilem vincere, & omnem rem solidam penetrare, compositus esset, ostendere, hoc idem insinuat, cum dixit: Sicut hic mundus creatus est, ita lapis, quem dixi, est creatus, id est, factus: hoc est, sicut hic mundus sensilis ex grauibus & leuibus, mollibus & duris, calidis & frigidis, humidis & siccis inter se inuicem à natura concordiæ pace ligatis perpetuus est effectus, ita & lapis quem prædixi, omnem rem subtilem, & omnem rem solidam penetrare, ex eisdem in idipsum, per philosophiam vero ex amicabili fœderatis super ignem perpetuus est creatus. Scias hoc: Perfecta vero corporum & spirituum præparatio per superflui remotionem & absentis additionem, exercitio quatuor regiminum adimpletur. Primum eorum est ad naturam ignis reductio: secundum est in aqua resolutio: tertium est in aere leuigatio: quartum est ad terram compressio. Primum fit calcinando, secundum soluendo, tertium per alembicum destillando, quartum vero igne leui coagulando, vel congelando. Et hoc est eorum integra

tegra præparatio, & hoc innuit Hermes in suo secreto prænominato, cum dixit, Suauiter cum magno ingenio ascendit à terra in cælum, & iterum descendit in terram: per hæc enim dedit intelligere, corporum calcinationem, & spirituũ cum sublimatione fixionem: quia hoc est eorum calcinatio. Et solutionem ostendere volens, ait: Nutrix est eius terra, id est, inhumatio: nutrix eius & reuiuificatrix est: per ipsam enim res, quæ fuerant prius cũ calcinatione mortificatæ, nutriuntur & reuiuificantur, cum in liquorem in mundatione rediguntur. Item, vt ostenderet destillationem per alembicum, ait, Portauit illud ventus in ventre suo: cum enim aqua per alembicum destillatur, tunc prius per ventum, id est, fumum in aere leuigatur, & ab inferiori parte vasis ad alembici verticem deportatur, licet propter cõclusionem iterum in aquam reuertatur. Hanc autem destillationem quidam in rebus liquorosis loco sublimationis habuerunt, & ipsam sublimationem nomine vocauerunt. Item vt ostenderet coagulationem, in qua vis eius integra est, si versa fuerit in terram, id est ad fixionem, vt ostenderet generaliter quidquid per partes prius expresserat, dixit: Et recipiet vim superiorem & inferiorem, id est naturam superiorum & inferiorum elementorum: quia licet a leuioribus exordium sortiatur, debet tamen in grauia terminari, ad hoc vt super ignem perpetuam habeat perseuerantiam. Hic enim loquens de præparatione vnius illorum tantum, quæ ad componendum lapidem philosophicum requirit, exemplificando de vno, vt breuis fieret, in vnoquoque singulorum præparationem integram denotat, quia tunc est eorum peracta præparatio, cum versa sunt in terram, id est, ad fixionem super ignem, & fusionem faciunt sine fumigatione: & tunc vincent omnem rem subtilem, & omnem rem solidam penetrabunt. Scias hoc, &c. Scias præterea, quod propter difficultatem & longitudinem integræ præparationis quidam in agendo omittunt vnum quatuor prædictorum regiminum, quidam duo, quidam tria: & cum vno tantum procedunt ad componendum: quia quidam calcinant & soluunt & componunt, & ita de reliquis. Vnde scias, quod prædictorum multiplices manauerunt compositiones secundum varios diuersorumque Philosophorum processus, tum cum igne, tum cum solutione, tum cum vtroque.

Quidam enim dixerunt, quod prædictorum non poteſt fieri totalis & perfecta commiſtio, niſi cum igne. Et quidam, quod non niſi cum ſolutione: & quidam, quod non niſi cum vtroque. Illorum autem qui cum ſolo igne operabantur, duplex erat proceſſus. Quidam enim accipiebant prædicta tantum ſeparata, & conterebant in vnum fortiter, & ſublimabant ſubtile a ſpiſſo, ſemper reducendo id quod erat ſuperius ſuper id quod erat inferius, donec totum inferius remaneret, & in ſpiſſi naturam per ignis officium transmeabat. Et dicebant, quod hoc modo fiebat elixir firmum ſuper ignem apud Arabes. Quidam vero ſpiritus prælibatos cum ſublimatione figebant, & poſtea ſociabant eos corporibus calcinatis vel ablutis, & ex eis vnum corpus cum fuſione faciebant: & dicebant quod erat elixir firmum ſuper ignem: Et ſunt viæ illorum, qui cum ſolo igne operabantur. Illorum vero, qui cum ſolutione tantum operabantur, duplex erat via: Quidam enim vnumquodque prædictorum ſeparatorum per ſe ſoluebant, & eorum aquas ſecundum iuſta pondera permiſcebant, & congelabant in lapidem, & dicebant, quod hoc erat perfectum elixir. Alii vero huius ſectæ Philoſophi accipiebant prædicta abluta, & componebant omnia ſimul & ſoluebant inſimul, & poſtea coagulabant. Verumtamen quidam ſolutione facta, aquas ſolutorum deſtillabant per alembicum, dicentes, quod hoc erat complementum claritatis ipſorum & ſplendoris, & tincturæ ex aggregato proueniebant inde. Nam aqua clariſſima quam poſtea in aquam coagulabant, dicebant quod illud erat veriſſimum elixir. Illorum vero, qui cum vtroque procedebant ſextuplex erat ſemita: Quidam enim ſoluebant corpora calcinata, & inde imbibebant ſpiritus ſublimatos, & inde imbibebant corpora calcinata. Sed tamen hoc debilius eſt primo. Quidam autem cibabant argentum viuum cum corporibus, & ſoluebant, & ex huius aqua imbibebant ſulphur & arſenicum ſublimatum, & iterum ſoluebant totum hoc, & congelabant, & dicebant, quod hoc erat elixir perfectum. Quidam vero cum ſulphure & arſenico ſeparatis, cibabant corpora ſublimanda cum pondere ſui, & poſtea ſoluebant & potabant inde duplum argenti viui ſeparati, & iterum ſoluebant & coagulabant, & dicebant quod hoc erat elixir rectum & bonum. Quidam vero cum corporibus cibatis cum ſulphu-

sulphure & arsenico, vt dictum est, cibabant argentum viuum, & coagulabant, & dicebant, quod hoc erat rectum & bonum elixir. Quidam autem dicentes vere verissimum elixir ex quatuor rebus debere constare eiusdem generis, non diuersi, & non ex pluribus nec paucioribus, quia tunc corrumperetur corpus, componebant elixir ex quatuor spiritibus principalibus, scilicet argento viuo, sulphure, arsenico, & sale armoniaco: ita tamen quod argentum viuum prius sublimando figebant, & postea soluebant ipsum cum sale armoniaco præparato, dissoluto & destillato per alembicum: & tunc argentum viuum sic dissolutum destillabant per alembicum, & post ipsum coagulabant, & dicebant quod ipsum sic præparatum, est vera huius artis medicina, & lapis non lapis, & corpus spirituale, & spirituale corporeum, & id quod retinet omne volatile à fuga, & fermentum, & tinctura duorum elixirium, & argentum viuum accidentale, quod prætulit se auro, & vincit ipsum, & illud quoque occidit & viuere facit, & verum argentum viuum coagulatum, & pater omnium mirabilium huius magisterii. Postquam vero ipsum coagulauerant, vt dictum est, ipsum cum aqua salis armoniaci præparati & fixi, iterum soluebant, & inde imbibebant argentum viuum sublimatum, & sulphur & arsenicum præparata, & tunc soluebant omnia simul, & post destillabant, & coagulabant, & hæc coagulatione vltima cerabant, & dicebant, quod hoc erat vere verissimum elixir: ego autem noui verissime, quod quodlibet prædictorum corporum & spirituum, si perfecta præparatione fuerit præparatum, album & rubeum est elixir per se solum. Scias hoc, &c. Licet autem quam plures fuerint adhuc modi ex prædictis corporibus & spiritibus elixir componendi & obscurissimis verbis Hermetis à diuersis Philosophis enucleatis scripti, laudabiliores tamen & eos qui veraciores existunt, secundum huius rei proprium euentum semper cum Dei auxilio sum secutus. Itaque tu fili carissime operare secundum quem volueris prædictorum sex modorum, neque ad alios modos tua declinet intentio: quia si secundum ipsos fueris operatus, inceptum opus cum Dei auxilio fine concludes congruo, & exinde laboris mercedem recipies.

Secunda huius artis ratio.

OMnia quidem corpora, quæ à Lunari globo inferius à summo condita sunt opifice, quatuor participant elementis, & quatuor naturis, & quatuor naturarum complexionibus, & quatuor principalibus coloribus, & quatuor saporibus, & quatuor odoribus, & duobus sexubus. Elementa quatuor sunt, ignis, aer, aqua & terra: quatuor humores naturales sunt, sanguis, bilis flaua, phlegma, melancholia. Naturæ sunt quattuor, caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas. Quatuor naturarum complexiones sunt, caliditas & siccitas, caliditas & humiditas, frigiditas & siccitas, frigiditas & humiditas. Quatuor principales colores sunt,albus,niger,citrinus,rubeus. Quatuor sapores sunt,insipidum,acidum,dulce & amarum.Quatuor odores sunt,suauis,fœtidus,intensus,remissus, id est nõ multum acutus. Sexus duo suo sunt, masculus & femina. Altitudo corporis est eius manifestum. Profunditas corporis est eius occultum. Et latitudo est eius medium. Participant ergo omnia prædicta corpora secundum has tres dimensiones omnibus prædictis hoc modo: Corpus si in altitudine sua est terreum, in eadem est frigidum & siccum, melancholicum, nigrum, acidum, fœtidum, femineum, & idem in suo profundo est aereum, calidum & humidum, sanguineum, citrinum,dulce,odoriferum,masculinum:Idem in latitudine sua in vno latere est aqueum,frigidum, & humidum,phlegmaticum,album,insipidum, remissum, femineum. In alio latere est igneum, calidum & siccum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. Et hæc sunt ligamenta, quibus corpora omnia adinuicem colligantur, quod in corporibus congelatis clarissime deprehenditur.

De plumbo.

INcipiam igitur tibi id ostendere, vt perfectius meditari mẽte,& sermone apertius recitare potero, à plumbo sumpta origine, vt completis & diminutis congelatorum partibus cognitis,&etiam cognito,in qua eorum parte diminutiones sunt completæ, & in qua diminutæ, expedite & absq; confractionibus recte ad operãdum procedos. Voco autem hic completas,quas in præcedenti parte vocaui sanas, ægras & neutras. Sanitas enim perfecta res est:ægritudo & neutralitas diminuta. Perfectius ergo magisterium est, corpora ad sanita-

sanitatem, quam ad neutralitatem ducere, cũ scienti vtrunq; facile sit, & possibile. Quidam vero Sophistæ naturarum rerum inscii, & secretum Philosophiæ ignorantes, & regimentorum eius improuidi inuenientes scripturas eius de his rebus, easq; non intelligentes, cum post opus nihil in manibus suis inueniant, errorem imperitiæ suæ Philosophiæ adscribentes, hoc opus non solum difficile, verum etiam impossibile prædicant: de quibus Philosophia non curat: non enim omnes ad hoc epulum conuocat, sed illos tantum, qui huius mensæ accubitus digni, & istius miri refectione epuli sunt inuenti. Satage ergo fili, vt non sis Sophista, sed sis Philosophus: vt rerum virtutes nõ solum meditatione, verùm etiam medicatione & experientia congnoscas. Meditatio enim sine experientia nihil prodest: sed experientiā sine meditatiõne proficit. Vnde plus est experientia quam meditatio perquirenda. Quicunque igitur experientiam huius artis fuerit assecutus, erit in hac arte Philosophus, & inter mensæ prædictæ conuiuos merito numerandus, & ex ferculis quæ exuperant rei omnis mundanæ precium dulcedine & affectu perpetuo satiandus. Verum cum de huius rei experientia nemo possit prima fronte esse discretus, tibi suadendum prouidi vt operatione incepta non cesses, si prima vice non fueris operatus, sed bis vel ter, & etiam amplius, si necesse fuerit, reitera, quousque quod appetis perfectissime deprehendas: neque ab hac re labor inanis inanium rerum, nec expensæ rerum te amoueant: quia cum instantia vinces, & cum sapiẽtia superabis, & ad id, Deo duce deuenies, quod optasti: & de manuum labore mercedem & lucrum de rerum sumptibus rehabebis, neque indigebis huius operis reiteratione, ex quo semel ipsum perfecte peregeris. Quod si prima vel secunda vice labore fatigatus, vel expensis perterritus cessaueris, inde detrimentum & non augmentum te scias incursurum. Igitur antequam incipias delibera, nec incoes, nisi consummare disponas. Sed ne propter hoc nimia suspensione animum tuum arguam, quod tibi sum pollicitus, accipe.

De plumbo rursus.

PLumbum in sua altitudine frigidum & siccum est, argentum nigrum, molle in actu, & argentum in potentia, nigrum, terreum, melancholicum, acidum, fœtidum, femineum: in suo profundo est aurum calidum & humidum,

aereum, ſanguineum, citrinum, dulce, odoriferum, maſculinum. In vno latere eſt frigidum & humidum, ſtannum & argentum viuum aqueum, phlegmaticum, album, inſipidum, remiſſum, femineum. & in alio latere eſt calidum & ſiccum, id eſt ferrum, vel æs, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, maſculinum. Conuertitur igitur plumbum facilius in argentum quam in aliud corpus, quia facilius eſt altitudinem corporum detegere, quam latera eorum vel profunda: & ſimiliter leuius eſt manifeſtare latera eorum quam profunda.

De ſtanno.

STannum in altitudine ſua eſt frigidum & humidum, id eſt ſecundum ſtannum & argentum viuum aqueum, phlegmaticum, album, inſipidum, remiſſum, femineum. In ſuo profundo eſt calidum & ſiccum, id eſt ferrum, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, maſculinum. in vno latere eſt frigidum, & ſiccum, id eſt plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, acidum, fœtidum, femineum. In alio latere eſt calidum & humidum, id eſt aurum, aereum, ſanguineum, croceum, dulce, odoriferum, maſculinum. Conuertitur ergo facilius ſtannum in argentum vel aurum, quam in aliquod aliud corpus: quia facilius eſt ad latera corporum, quam ad ipſorum profunda peruenire.

De ferro.

FErrum in altitudine ſua eſt calidum & ſiccum, id eſt ferrum & æs, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, maſculinum. In ſuo profundo eſt frigidum & humidum, id eſt ſtannum & argentum viuum aqueum, phlegmaticum, album, inſipidum, remiſſum, femineum. In vno latere eſt calidum & humidum, id eſt aurum, aereum, ſanguineum, croceum, dulce, odoriferum, maſculinum. In alio latere eſt frigidum & ſiccum, id eſt plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, nigrum, acidum, fœtidum, femineum.

De ære.

ÆS in ſua altitudine eſt calidum & ſiccum, id eſt æs & ferrum, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, maſculinum. In ſuo profundo eſt frigidum & humidum, id eſt ſtannum, argentum viuum aqueum, phlegmaticum, album, inſipidum, remiſſum, femineum. In vno latere eſt calidum & humidum, id eſt aurum, aereum, ſanguineum, croceum, dulce, odoriferum, maſculinum. In alio latere

tere

tere est frigidum & siccum, id est plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, nigrum, acidum, fœtidum, femineum.

De argento viuo.

Argentum viuum in sua altitudine est frigidum & humidum, id est argentum viuum & stannum, aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, femineũ. In suo profundo est calidum & siccum, id est æs & ferrum, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. In vno latere est frigidum & siccum, id est plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, nigrum, acidum, fœtidum, femineum. In alio latere calidum & humidum, id est aurum aereum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum.

De argento.

Argentum in sua altitudine frigidum est & siccum, id est, argentum & plumbum, terreum, melancholicum, nigrum, acidum, fœtidum, femineum. In suo profundo est calidum & humidum, id est aurum aereum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum. In vno latere est frigidum & humidum, id est stannum & argentum viuum, aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, femineum: In alio latere est calidum & siccum, id est æs & ferrum, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutũ, masculinum.

De auro.

Aurum in sua altitudine est calidum & humidum, id est aurum aereum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum. In suo profundo frigidum & siccum, id est plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, acidum, fœtidum, femineum. In vno latere est frigidum & humidum, id est stannum & argentum viuum, aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, femineum: in alio latere est calidum & siccum, id est ferrum & æs, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. Hæc est enim omnium corporum ad inuicem conuenientia, quam videntes Philosophi æstimarunt vnum posse in aliud transformari, & eorum æstimationem confirmauit actus. Conuerterunt enim argentum in aurum, vel è conuerso, & sic de reliquis secundum generationem & corruptionem. Nolo autem vt mireris, si Sol in quacunque dimensione fuerit corporeum, & solus obtineat, ne cum eo aliquod alio-

aliorum corporum habeat societatem: hoc enim suæ naturæ temperantia, & suæ substantiæ puritas & nobilitas meruerunt: Et propter hoc etiam inter omnia corpora obtinet principatum. Nolo etiam vt mireris, si argentum viuum inter corpora nunc & inter spiritus in præcedentibus numeretur: suæ namque naturæ conuertibilitas exigit, vt nunc corporibus nunc spiritibus societur. Spiritibus enim sociatur rationabiliter propter fugacitatem ab igne, quam habet antequam corrigatur, & quia exaltat in examinatione corpora, cum est correctum. Corporibus quoque de iure sociatur, quod in ipsum omnia corpora verti possunt, & ipsum ab omnibus corporibus potest reduci, vel quia per admistionem sulphuris cum eo, ex ipso omnia corpora originem sortiuntur, quod patet in generatione omnium metallorum.

Auri generatio.

AVrum generatur ex argento viuo claro, misto cum sulphure rubeo claro, & in corde terræ longo tempore excoquitur calore modico. Et quia per longa tempora calore modico aurum decoctum est, & ipsius natura clara fuit, ideo cohæserunt partes suæ ad inuicem, quoad solidum, graueque fieret: ideo neque sub terra putrescit, nec ab igne facile comburitur.

Argenti generatio.

ARgentum generatur ex argento viuo claro, misto cum sulphure claro, albo, & aliquantulum rubeo: & quia parum rubei sulphuris affluit, ideo non admodum auri subrufum fuit.

Cupri generatio.

CVprum vel æs construitur ex argento viuo turbido & spisso, & sulphure turbido rubeo mistis ad inuicem, & diutius etiam quam aurum excoquitur calore maximo; & quia multum est in decoquendo combustum, ideo multum ruboris obtinet; laxi etiam est corporis propter eandem causam, quod perpenditur, quia vapor aceti subintrat corpus eius, & ipsum in colorem viridem dissoluit, qui flos æris nuncupatur.

Ferri generatio.

FErrum oritur ex argento viuo turbido misto cum sulphure citrino turbido, & cupro vel ære, diutius excoquitur calore modico, vnde solidius est ipso, & ad virtutem

igniş

ignis tardius ære fluit: quia calore modico longo tempore decoquitur, ideo constringunt se bene partes, nec est laxi corporis vt æs.

Stanni generatio.

STannum oritur ex argento viuo claro misto cum sulphure albo claro, sed tamen paruo tempore decoquitur calore modico: vnde si diu decoqueretur, in optimum argentum transiret.

Plumbi generatio.

PLumbum construitur ex argento viuo grosso misto cum sulphure albo grosso, & parumper rubeo: quod autem ex sulphure albo factum sit, percipitur, quia aceto adhibito dealbatur. Et quia parum sulphuris vis rubeo affuerit, declaratur in plumbo cum comburitur: tunc enim coloris rubei efficitur, quod à magistris Sericon appellatur.

Tertia pars huius artis.

COnsequētis sermonis eloquio, corporum mineralium hactenus explicitis infirmitatibus & complexionibus mineralibus, quoad subtilius excogitare potui: Deinceps ad eorum practicam perspicaciter intimādam cum Dei auxilio proficiscar. Cum igitur sales & alumina præparata & aquæ penetrantes & serenantes ex eis compositæ secundum huius artis complexionem vltima reperiantur, secundum tamen actionem eiusdem prima existunt, vtpote quia sunt radix & fundamentum omnium purgandorum, ideo ab eis tertiam, quā de huius artis practica instituam, exordior rationē.

Separatio salis communis & salis gemmei.

ACcipe de quocunque horum volueris partem vnam, & in quatuor partes aquæ pluuialis claræ ipsum dissolue, & destilla per filtrum, & decoque in vase vitreo cum igne leui donec aqua consumatur, & sal in fundo vasis coaguletur: hoc facto, desicca ipsum cum igne leui vel ad Solem, & tunc contere ipsum, & imple ollam vitream vel vitreatam, & claude os eius cum coopereulo lutato luto sapientiæ, ita vt nō respiret, & tunc mitte ipsum in furno panis calefacto per noctem, & in mane extrahe, & aperi ollam & salem, qui est in illa, dissolue iterum in quadruplo sui aquæ prædictæ, & destilla per filtrum, & congela vt dictum est: & hoc reitera donec strepitus vel crepitus sint sopiti, quod fit post tertiam reiterationem: & tunc erit optime separatum.

Additio: Salem sic separa ex alio libro: Funde in aqua calida, cola & congela.

Præparatio salis communis ex libro Emanuelis.

SAl commune album quantum vis frica inter manus cum aceto acerrimo facto de vuis acerrimis, & sicca ad Solem, hoc faciendo septem vicibus. Et quod erit clarum & limpidum inter duos linteolos pone, & caue à puluere vsque in finem huius regiminis: Deinde exsiccatum tere & cribra cum cribro. Accipe subtiliores illius partes, sicca in furno, vt melius soluantur, & solue in duplo sui de aqua dulci, scilicet aqua putei & tepida donec soluatur parum & parum in cacia ferrea, & coletur per duos sacculos lineos, & claude in cucurbita magna cæca, id est clausa: pone in fimo equino per septem dies: post septimum diem extrahe à fimo, cola per sacculos lineos in caldario optime stagnato habente decem foramina ampla ad modum trium digitorum in summitate cooperculi: deinde pone in loco congelationis decoquendo ipsum lento igne de lignis salicis per diem vnum donec congeletur & aqua euanescat: deinde accipe de duobus salibus, scilicet de albo & viridi, & tere separatim, & desicca in furno per vnum diem extracto pane, deinde solue in duplo sui de aqua dulci tepida, & cola in cucurbita, & dimitte per sex dies: post extrahe & cola in caldario coagulationis, donec aqua consumetur per foramina in fumum, & sal erit coagulatum. Tunc aperi ista duo caldaria, & in vnoquoque inuenies saporem sapientum albi coloris, & saporem viridem à viriditate æris. Tunc accipe separatim & desicca in furno, & separatim solue, & separatim in fimo pone, & separatim congela donec perueniant ad hunc ordinem in septem diebus: Et quando erit factum, probetur super carbones, vtrum fumet vel non, vel in lingua liquescat, vel in manu. Solutio eius est, vt ponas in viscere, id est ampulla de vitro albo, & suspende super fumum, qui exit de ventre equi, & per diem vnum soluetur & mutabitur in aquam crystallinam, deinde destilla per alembicum cum amplo foramine ad modum vnius digiti, & totum cum lento igne in balneo aquæ, quia in cinere sine humore congelaretur: deinde fundetur super carbones in crucibulo donec fundatur & vertatur in naturam corporis, deinde dimitte infrigidari: Et quando erit frigidum,

conuertetur in naturam ſalis, quem poſtea bene tere & ſolue in aqua.

Salis alkali ſeparatio.

ACcipe de alumine allofor, id eſt alkali bene trito partem vnam, & ſuper ipſam proiice aquæ pluuialis partes ſex, & dimitte eam incerari in ea aqua tribus diebus, & moue quotidie bis vel ter cum baculo, vt melius fiat diſſolutio: tunc deſtilla per filtrum, prius tamen bulliat in caldaria ſtagnata, donec ſexta pars aquæ conſumetur: tunc huiusmodi aquam congela, vt prædictum eſt. Deinceps fiat, vt dictum eſt in ſale communi: hoc eſt diſſolue ipſum in quadruplo ſui tantum de aqua pluuiali, & deſtilla per filtrum, & congela, & hoc reitera, donec inuenias ipſum ſuper ignem ſine ſtrepitu, & tunc erit optime ſeparatum.

Aluminis ſeparatio.

ACcipe de ipſo albo plumoſo partem vnam & diſſolue ipſum in quadruplo ſui vrinæ puerilis antiquatæ, & prius decoctæ ad tertiam ſui partem, & tunc deſtilla per filtrum, & mutetur de vaſe in vas, donec nihil fæcis inueniatur in fundo vaſis, vel deſtilla eam poſt ſui decoctionem per alembicum, quod melius eſt: facta diſſolutione deſtilla per filtrum, & tunc decoque cum igne leui vſque ad conſumptionem vrinæ, & erit optime ſeparatum.

Atramenti ſeparatio.

FAc per omnia de ipſo, vt feciſti de alumine iameni, & erit optime ſeparatum.

Nitri ſeparatio.

TEre ipſum fortiter cum aqua ſalis communis bis vel ter, & tunc ablue ipſum cum aqua dulci donec ſapor ſalis omnino recedat: poſtea funde ipſum, & erit optime ſeparatum.

Additiones. Regimen ſalis nitri; Accipe de eo, ablue in aceto acerrimo mali granati duabus vicibus, & ſicca ad ſolem: deinde ſolue in duplo ſui de aqua putei, & cola & dimitte in fimo per diem vnum ad magis ſubtiliandum, deinde cola & congela in cinere in cucurbita habente tria foramina ad modum vnius digiti, deinde ſolue ſub fimo in ampulla, poſtea deſtilla ſemel & reconde aquam perfectam.

Regi-

Regimen salis Attincar.

RE cipe salem armoniacum, salem nitri, hoc est alkali, salem communem ana de vno quoq; lib. semis, & de melle cocto & despumato vncias quinque, & de fero acetoso quinque vicibus destillato per pannum vncias decem, & de vrina puerorum duodecim annorum vncias quindecim, omnia misce simul, & solue & pone sub fimo duobus diebus, deinde congela in cinere per diem vnum apertis foraminibus cucurbitæ: postea solue in viscere (siue cucurbita) sub fimo, & reconde aquam perfectam. Ista est aqua, cum qua congelatur argentum viuum sine sublimatione & mortificatione; quoniam si posueris ipsum in crucibulo, & calefeceris parum, & proieceris desuper tres guttas de hac aqua, congelatur, & mutat æs in infinitum, & cum eo soluis omnia corpora & spiritus: & valet ad Solem & Lunam, secundum quod corpus fuerit præparatum ad alterutrum.

Regimen nitri Indici, tere & ablue cum aceto de vino rubeo & mali granati quinque vicibus, deinde funde & extingue ipsum in aqua salis communis & armoniaci de vnoquoque ana vncias duodecim. In his quinque vicibus erit calcinatum in subtilem puluerem, cui non est par ad Solem. Regimen nitri violacei, tere & ablue cum aceto sorbarum & mali granati septem vicibus, & sicca ad Solem vel in cinere, deinde funde in fortissimo crucibulo ferreo, & extingue in aqua salis communis & armoniaci. Regimen nitri rubei, tere & ablue in aceto mali syluestris & citoniorum, & in aceto prunellorum de spinis decem vicibus, deinde funde his decem vicibus, & extingue in aqua omnium salium, id est aqua atincar, & erit calcinatum in calcem Solis, quæ dicitur Calx Soldani Babylonis. Regimen nitri albi: tere nitrum, & ablue cum aceto acerrimo albo viginti vicibus vna die, & sicca ad Solem post ablutionem, deinde funde viginti vicibus in cacia ferrea, & viginti vicibus extingue in aqua salis communis & alkali: erit calcinatum in calcem Lunæ, cui non est par, videlicet ad Lunam.

Talci separatio.

ACcipe de eo quantum vis, & contere ipsum in pelle ouina vel vaccina, & lapillis crystallinis vel similibus siccatis: & tunc ignias ipsum in cacia ferrea septies, omni vice extinguendo ipsum in aqua salis armoniaci & alkali

& ni-

& nitri salium præparatorum ana commistis, & erit optime præparatum.

Plumborum duorum separatio.

FVnde de quocunque horum volueris quantum vis, & tunc ipsum colatum,&calidum extingue septies in aqua salis armoniaci,& erit optime separatum.

Ferri & æris separatio.

LAminas cuiuscunque horum volueris ignitas extingue in aqua hac. R.salis armoniaci,baurac,nitri,atramenti, aluminis iameni omnium vna vncias quatuor, salis communis, salis gemmæ ana vncias duas, & proiice super ipsa aceti vini albi lib. vnam & semis, pone ad Solem diebus septem, donec in ea dissoluantur,& quanto plus steterit,melius erit.

Argenti separatio,

ACcipe de eo quantum vis, & funde eum in cineritio examinationis cum plumbo, postea fac ex eo laminas ad grossitiem tui vnguis, & ceméta eas cum limatura chalybis pertenui,quæ prius aceto & sale fuerit fortiter incerata (sale & aqua prius abluta,& per noctem in duplo sui de aceto forti fuerit macerata) & fac eas morari in furno panis optime calefacto per noctem vnam,& in mane extrahe &dimitte infrigidari,& separa laminas a limatura,& funde eas: & erit argentum optime separatum.

Sulphuris solutio.

TEre ipsum super tabulam vitream donec sit vt medulla: cum quo teras quantum est ipsius quarta de sale armoniaco,deinde in aere desicca:postea imbibe ipsum ex aqua salis armoniaci sublimati, quæ sit tanta quantum est eius pondus aut parum plus: deinde pone ipsum in vas super quod sit aliud vas:Postea inhuma ipsum in fimo quatuordecim diebus, & muta fimum seu stercus singulis tribus diebus: Resudabit enim vel soluetur, si stercus fuerit calidum: & si non, tere ipsum bene cum aqua salis armoniaci, quamuis in eo remanserit aliquid ex ea ne cures inde, & inhuma ipsum donec soluatur. Quod si ante quatuordecim dies soluatur, non tamen extrahas donec dies compleantur: Stercus vero singulo triduo muta, & scias pondus sulphuris & aquæ, & cum soluetur, pondera ipsum. Quod si fuerit eius pondus, cuius erat prius, bene erit: si fuerit minus, tanto

tanto erit melius: Et si fuerit plus, scias quod augmentum salis armoniaci est in ipso: Quod extrahes aut calefaciendo ipsum in vase aliquo, aut sublimando, donec redeat ad pondus sulphuris: Deinde destilla ipsum: & qualis fuerit claritas, talis erit eius tinctura: si enim fuerit rubea, erit rubea: & si fuerit alba, erit alba. Congela cum ipso spiritum quemcunq; volueris, & fige cum ipso, & calcina cū ipso, & cera cum ipso.

Modus destillandi est, vt sumas sulphur solutum & salem armoniacum, & ponas in vna cucurbita, & destillabitur in primis aqua salis armoniaci: pondera ipsam donec egrediatur, quod sit parum maioris ponderis: Aqua enim salis armoniaci est subtilis, & aqua sulphuris est grossa sicut lac: Diuide & operare cum eo in eo quod volueris, quoniam bonum est. Est autem sulphur difficile ad soluendum, tamen sustine patienter. Eius altera solutio absque sale armoniaco est cum oleis: Aqua enim sulphuris est sicut oleum: acetum quoque soluit ipsum & cerat, & extrahit argentum eius viuum, & rectificat ipsum, & facit ipsum Elixir, & ipsum dissipat & rectificat. Habes in Alberto in additionibus in cap. solutionis spirituum, secundum Rasim in lib. de Lumine luminum, hoc expositum.

Sulphuris calcinatio.

SVlphur quantum vis tere & cribra, & imbibe cum aqua salis armoniaci, & aceto mali granati: Et si erit ad Lunam, cum aqua salis communis & aceto acerrimo de vino albo tantum, donec cum contritione & imbibitione communiter desiccetur in cinere decem vicibus in vno die: deinde pone in vase sublimatorio, & sublima sex vel nouem vicibus: quod est vltimum tam ad Solem, quam ad Lunam, ex libro Emanuel.

Sulphuris separatio.

ACcipe de eo bene trito quantum vis, & pone ipsum in sacculo lineo largo, & liga os sacculi, & pone in concha in qua fit lixiuium ad medietatem ponderis sulphuris de calce viua bene trita, & super calcem pone sacculum cum sulphure, & desuper sacculum pone de calce viua tantum, quantum est totum sulphur, & tunc pone concham super recipiens suum, & infunde desuper de optimo aceto (alibi dicitur fortissimo feruente) donec calx peroptime sit extincta: & hanc vaporationem reitera septies omni vice renouando

calcem

calcem viuam : & tunc extrahe sulphur de sacculo, & pone ipsum in vase vitreo, & decoque ipsum in capitello fortissimo, in quo solutum sit prius in quadruplo sui de sale alkali & aluminis iameni, nitri, salis armoniaci ana partem vnam, & decoque in igne leui cum suis vasis aqua & cinere mediante (alibi habetur in aceto vaporationis rerum suarum cum igne leui, donec totum consumatur, tunc desicca, &c.) per diem & noctem vnam, tunc collige ipsum vt scis, & sicca & pondera : si fuerit libra vna, adde ei limaturæ ferri subtilis vncias octo, & frica fortiter insimul cum fricatoria in paropside vitreata, & rora cum quatuor vel tribus ad minus vnciis aluminis iameni extincti & dissoluti in octo vnciis aceti destillati, & frica (vel tere) fortiter, & tunc addes vncias quatuor calcis viuæ, vncias sex spumæ maris, & iterum frica hæc omnia fortiter in paropside prædicta, & tunc desicca peroptime ad Solem vel ignem lentum, & tere peroptime & cribra per setaceum spissum, & tunc pone in aludel super stratum salis gemmæ, & sublima ipsum, vt dictum est de Mercurio, & reiterabis sublimationem & compositionem prædictam, & erit oleum optime separatum : Serua ergo ipsum ad horam necessitatis in vase vitreo.

Modus rubificandi ipsum

MOdus est vnus cum tincturis extractis de animalibus & arboribus vel lapidibus : Et alter est cum aquis rubificantibus, quæ sunt de speciebus limpidis : Et est magnum secretum cum funditur aliquis horum spirituum in operatione, tunc enim est Elixir magnum.

Auri separatio.

FAc de eo laminas ad modum tuæ vnguis, & eas cementa cum hoc puluere, Recipe salis communis separati partes duas, lateris antiqui in ripis fluuiorum, & in littore maris reperti, quod melius est, partem vnam, tere optime & cribretur per setaceum spissum : tunc laminas dictas sic cementatas fac morari in medio athanor super tripodem per diem & noctem vnam, & implendo athanor, id est furnellum carbonibus viuis, & quum minuuntur addendo semper de aliis, tunc igne remoto & infrigidato aperi crucibulum, & inuenies aurum optime separatum.

Argenti

Argenti viui separatio.

ACcipe de eo quantum vis & mortifica ipsum cum pondere sui atramenti separati, & cum tantundem salis communis separati rorando cum forti aceto & assando in furno panis calido per noctem toties donec sit optime mortificatum: & tunc tere ipsum optime, & mitte ipsum in aludel super stratum salis gemmæ, & accende leuem ignem donec humor cesset, & tunc vigora ignem paulatim donec totum argentum viuum ad vasis latera sublimetur, & hanc sublimationem reitera toties donec sit albissimum, semper renouando omni vice prædictam compositionem, & erit optime separatum.

Alia separatio Mercurii quæ in pluribus libris reperitur.

ACcipe lib. 1. ex eo & mortifica ipsum cum pondere sui atramenti separati, & salis communis separati vnc. 8. & aluminis iameni separati vnc. 4. & iterum soluti in fortissimo aceto in duplo sui rorando prædicta cum medietate huius aceti, in quo scilicet alumen iameni est dissolutum, & frica fortiter in paropside vitreata, vt videatur quasi terra torrida: postea assa in furno panis in vase concluso, ita quod non respiret aliquo modo per noctem vnam, & in mane extrahe, & pone in paropside & rora ipsum iterum, & frica cum medietate aceti quod reseruasti, & pone iterum in furno, vt prius, tunc tere ipsum fortiter, & cribra per cribrum spissum, & pone in aludel supra stratum salis gemmæ, & pone ipsum super athanor, & fac sub eo ignem cum tribus vel quatuor carbonibus, donec omnis humorositas cesset, & tunc vigora ignem paulatim, donec totum argentum viuum ad vasis latera sublimetur, & hoc reitera ter vel quater, donec simile niui sublimetur, omni vice renouando compositionem prædictam, & erit optime separatum.

Additiones. Alibi sublimatur sic: Recipe de eo lib. 1. atramenti citrini boni, lib. 1. salis communis albi combusti, lib. 1. aluminis de glacie lib. 1., tere omnia super porphidum, quousque Mercurius ibi mortificetur, ita quod nihil de eo viuum appareat, sed fiat totum nigrum vt lutum: postea pone in vase sublimationis, & sublima cum lento igne donec Mercurius sublimetur: reduc eum iterum ad fæces suas imbuendo cum pauco aceto, & iterum sublima vt prius: ita fiat ter aut plus, donec sit albissimus.

Alibi

Aliter ex libro Emanuel sic sublimatur.

Accipe de eo quantum vis, sicca & imbibe cũ reiteratione fortissima in Sole in diebus Canicularibus, donec erit massa dura, cum aqua salis communis & aceti, & aqua aluminis iameni si erit ad Lunam: si erit ad Solem; cũ aqua salis armoniaci & atramenti. Deinde tere & pone in vase sublimationis, & sublima ipsum septem vicibus (vel vndecim, quod est vltima) tribus horis cum igne debili; & quatuor cum igne forti: non est tale super terram.

Arsenici separatio.

VApora ipsum prius, vt docui te vaporare sulphur cũ calce & aceto: & si non vis ipsum vaporare, non est vis: tere ergo ipsum vaporatum vel non vaporatum, peroptime cribra, & adde vncias quatuor (vel octo) de calcute (id est vitriolo) & vncias quatuor cerussæ plumbi, & rora cum vncijs quatuor vel tribus ad minus aluminis iameni dissoluti in octo vncijs aceti destillati, vt fecisti in sulphure, & tunc pone ipsum in aludel, siue in vase sublimationis super stratum salis gemmę, & sublima vt scis: & itera hanc sublimationem, & erit optime separatum, semper renouando dictas fæces.

Arsenici calcinatio.

TEre, cribra, & imbibe cum aceto accerrimo, in quo solutę sint vnciæ decem de sale aliquantulum præparato, & si erit ad rubeum, cum aceto mali granati, in quo solutum sit sal armoniacum; quod melius augmentat tincturam rubeam: deinde postquam erit bene tritum cum imbibitione & desiccatione quatuor vicibus in cinere, pone in vase sublimationis, & sublima quinque vicibus vel septem, quod est vltimum super eandem fęcem: & valet tam ad Solem quam ad Lunam. ex Eman.

Salis armoniaci separatio.

ACcipe de eo trito lib. I. de spuma maris vncias 5. vel 6. & de sale gemma vncias 2. de sale communi & aluminis iameni ana vncias 2. contere hæc omnia simul fortiter, & cribra per setaceum spissum; & tunc mitte in aludel super stratum salis gemmæ; & sublima vt scis; & itera super ipsum semel compositionem & sublimationem, & erit optime præparatum. obserua bene.

Tutiæ ſeparatio.

ACcipe de ea quantum vis, & ignias eam in cacia ferrea ſepties, & omni vice extingue eam in aceto vini miræ fortitudinis, tunc redde ei acetum, in quo extincta eſt, terendo & imbibendo ſuper marmor, & ſiccando ad Solem, & tunc ſublima eam ſicut ſcis, & erit optime ſeparata.

Magneſiæ & Marchaſitæ ſeparatio.

ACcipe de quacunque harum volueris quantum vis, & ignias eam in cacia ferrea, ſepties omni vice extinguendo eam in aceto fortiſſimo ſicut dictum eſt de tutia, ſed tamen qualibet vice poſt extinctionem extrahatur ab aceto, & ponatur ſuper porphidum, vel porphyriten lapidem, & fricetur fortiter, & cũ aqua dulci abluatur. Hoc facto, igniatur ter, & omni vice extinguatur in aceto citrino, & erit optime ſeparata.

Præparationes ſalis communis, ſalis gemmei & alkali.

ACcipe de quocunque volueris ſeparato partem vnam, vrinæ puerilis antiquatæ & decoctæ ad tertiam ſui partem, & deſtillatæ per filtrum partes duas, & diſſolue ipſum in ea, & deſtilla per filtrum, & congela cum igne leui ſicut ſcis, & ſic itera ſex vicibus, ſed omni vice poſt coagulationem fac ipſum morari in vaſe concluſo in furno panis per noctem vnam: hoc facto decoque ipſum ter, omni vice in duplo ſui de aqua hac. Recipe ſeri lactis acetoſi caprini partes quatuor, olei communis abluti cũ aqua dulci, & per alẽbicum deſtillati, vel pinguedinis teſtudinis, quæ melior eſt, mellis albi deſpumati ana, & omni vice coagula & aſſa ipſum in furno panis qualibet vice ſicut prędictum eſt. Tunc ſolue ipſum per ſe in vaſe ſolutionis vt ſcis, vel in aqua animalis ſemel deſtillata, quod erit factũ die vna, & tũc deſtilla per alẽbicum, & adde ei ęquale pondus ſui de aqua aluminis (animalis) ſepties deſtillata per alembicum quatuor vicibus cum aqua vel cinere, & tribus cum cinere ſine aqua. & tunc coagula cum vaſe coagulationis cum igne leui, aqua & cinere mediante, ita quod tota aqua conſumatur vel coaguletur cũ eo: tunc reſolue ipſum ter, & omni vice deſtilla per alembicum & coa-

& coagula, & proba ipſum ſuper laminam ignitam, qui ſi fluxerit ad modum ceræ vel plumbi, factum eſt: ſi non, reitera ſuper ipſum vltimum opus donec ſic contingat, & tunc erit optime præparatum.

Aluminis iameni præparatio.

ACcipe de eo ſeparato partem vnam, & diſſolue, & in vaſe ſolutionis cum aqua animalis (ſeu vrina) ſemel deſtilla per alembicum & coagula: & tunc adde ei tantundem prædictæ aquæ animalis, & coagula inſimul, ſicut prædictum eſt in ſalibus: hoc eſt, vt totum coaguletur cum ea, & ſit prius ſepties deſtillata per alembicum quatuor vicibus cum aqua & cinere, & tribus cum cinere: tunc iterum diſſolue & deſtilla prædicto modo per alembicum, & coagula ſicut ſcis in vaſe coagulationis, & ita fac donec currat ſuper laminas: & erit optime præparatum.

Aliter: Pone alumen iameni in ollam vitreatam & argillatam, & pone in furno panis per diem vnam, deinde extrahe & tere, & imbibe cum aqua ſalis communis ſoluti in aceto de vino albo & vrina pueri duodecim annorum. Sed de ſale & aceto & vrinæ æqualia ſint pondera, diſtemperetur, & per pannum coletur, & de hac aqua imbibe cum trituratione & deſiccatione aluminis iameni quinque vicibus, & erit nimis album: deinde pone in viſcere (id eſt cucurbita vel potia) ſub fimo per diem vnum, & ſoluetur: deſtilla ſemel, deinde congela vt ſit niuei coloris: deinde reconde, quia omni die poteſt diſſolui citiſſime in aquam claram. Et eſt vnum de retinaculis, tamen habet poteſtatem ſoluendi. Et etiam eadem eſt præparatio aluminis zucharini. Ex lib. Emanuel.

Vitreoli præparatio.

ACcipe de eo quantum vis vt prius, & ignias, & extingue ſicut præcepi de tutia in aceto, poſtea ſolue ipſum in vaſe ſolutionis cum tantundem ſui aquę vitæ præparatæ: & cũ bene ſolutum fuerit deſtilla per alembicũ, donec tota aqua deſtilletur rubicũda & clara, & tunc eã coagula: & hoc opus itera ſuper ipſum, id eſt, ſolutionem & deſtillationem & coagulationẽ, donec ſuper laminã velociſſime fundatur, & tũc adde ei ęquale põdus ſui de oleo aluminis rectificato cũ ſuo

igne: tamen ſit oleum prius deſtillatum & rectificatum rubeum: tunc ambo, id eſt oleum dictum, & aqua ſalis vitreoli rubicunda, & ſal eius rubeum dictum iungantur inſimul, & rectificentur inſimul ſemel, & erit optime præparatum.

Nitri præparatio.

Accipe de eo præparato quantum vis, & funde ipſum, & extingue ſepties in aqua ſalis communis præparati, & tūc contere ipſum & ablue à ſale cum aqua dulci: poſtea ſicca ipſum & pondera & adiunge ei medietatem ſeu de plumbo præparato, & funde inſimul, & iterum tere: & tunc adde ei æqualiter pondus ſui de Mercurio optime ſeparato, & contere ſimul rotando cum aqua ſalis communis præparati, & aſſando in furno panis per noctem: & tunc ſublima fugitiuum ab eo toties donec totus in fundo vaſis cum eo remaneat: tunc ablue inde ſalem cum eo aceto deſtillato, quo facto ſicca totum illud peroptime, & cera cum aqua vitę, & ſolue in furno: & fac poſtmodum de eo per omnia vt dicam in præparatione auri, id eſt deſtilla per alembicum & congela, & cera cum oleo philoſophico, & erit optime præparatum.

Talci præparatio.

Accipe de eo ſeparato quantum vis, & pone iterum in ſacculo lineo ſpiſſo rotundo, & largo, & liga os eius, & ſuſpende ipſum ſuper vaporem huius aquæ: Recipe vrinæ ſublimatę partes duas, ſalis armoniaci partem vnā, & maneat ſaccul⁹ ſuper huiusmodi aquā tribus diebus, & totidē noctib⁹. Quarto die aperi ſacculū & intromitte de lapillis albis ad ſufficientiam, & tunc os ſacculi liga ſtricte, & pone ipſum in ſcutella vitreata, & proijce ſuper ipſum de aqua, cum qua fuerit vaporatū, & frica fortiter inter manus, donec tale per poros ſacculi exiens, in fundo ſcutellæ decidat: tunc dimitte ipſum reſidere, & effunde aquam ſubtiliter, & inuenies ipſum in fundo ſcutellę ſimilem argento viuo pręparato & ſoluto, & deſtillato per alembicum, tunc pone ipſum ad ſoluendum in ſolutione noſtra: & cum fuerit aqua clara, imbibe ex ea pondus ſui de arſenico adminiſtrato, & iterum mitte ad ſoluendum, & cum ſolutum fuerit, deſtilla per alembicum, ita vt nihil remaneat in fundo cucurbitæ, & fiet aqua valde peruia,

uia, & coagula eam, & cera in crucibulo tenui super ignem lentum cum oleo albo Philosophico, sicut scis, ita vt currat ad modum ceræ vel plumbi ad minus: & de hoc cerato proijce pondus vnum super centum cuiuscunque vis duorum plumborum separatorum, & fiet Luna melior ea, quæ est de mineris cum Dei auxilio, & eius virtute.

Auri præparatio: & hic est modus faciendi ex omni corpore lapidem seu Elixir quodlibet secundū suam speciem: vel composite, si mistionem intelligas: Ideo nota.

ACcipe de eo separato vel subtilissime limato quantum vis, & sublima ab eo æquale pondus sui de arsenico vel sulphure rubeo sublimato ad rubeum, & albo ad album, donec medietas eius cum eo in fundo vasis figatur. Et imbibe totum hoc de pondere sui aquæ salis communis separati & persoluti, & sicca & assa in furno calcinationis die & nocte vna, tunc ablue inde salem cum aqua dulci, & sicca iterum: & tunc cera ipsum cum sale armoniaco separato rubeo ad rubeum, & albo ad album, & tunc pone totum ad soluendū donec aqua clarissima fiat: Et tunc sublima huiusmodi aquā & destilla per alembicum, & coagula & cera in crucibulo super ignem cum oleo philosophico fixo rubeo ad rubeum, & albo ad album. Et tunc proiice de ipso si est ad rubeum super argentum & fiet aurum bonum: & si est ad album, super æs, & fiet argentum bonum.

Alia præparatio auri quæ alibi reperitur.

ACcipe de eo separato & subtilissime limato partem vnā, & equali pondus sui de arsenico sublimato rubeo, & frica insimul fortiter, & pone in aludel cum tantundem salis communis præparati rubei, & sublima arsenicum ab eo bis vel ter, & erit optime præparatum.

Additio. Accipe bonum aurum purum, & habeas coram te paropsidem cum aqua munda dulci, & habeas cotem asperam mundam, cuius vnum caput teneas in manu tua, & aliud stet in fundo paropsidis in aqua, & tunc frica aurum in cote sępe madefaciendo cotę cum aqua, quia limatura descēdet ad fundum vasis subtilis: fac ergo tamdiu quod limetur de auro quantum volueris: deinde permitte ita per horā,

& proijce aquam cum facilitate, & ablue ter & ſicca. Eodem modo facias de argento: ſunt qui limant cum lima ſubtili, & ita vtuntur. Ex lib. de Artibus Romanorum.

Argenti præparatio.

FAc de limatura argenti ſeparati per omnia vt de auro dixi: hoc eſt ſublima ab eo æquale pondus ſui de arſenico vel ſulphure ſublimato rubeo ad rubeum, & proijce ſimiliter ipſum ſuper arg. vel æs.

Alia præparatio argenti,

R. de limatura argenti ſeparati quantum vis, & fac de ea cum ſublimato arſenico albo per omnia, vt dictum eſt in auro.

Plumborum duorum præparatio.

REcipe de quocunque eorum volueris ſeparato partem vnam, & funde ipſum in cacia ferrea, & proijce ſuper ipſum pondus ſui de ſale communi ſeparato & pulverizato, & commoue fortiter cum inſtrumento ferreo donec totum plumbum in puluerem conuertatur, tunc ablue ab eo ſalem cum aqua dulci, & deſicca puluerem illum & pondera, & imbue ipſum cum tantundem ſui de aqua ſalis communis ſeparati, & per ſe ſoluti, & tunc pone in crucibulo bene concluſo ne reſpiret, & fac ipſum ſtare in furno calcinationis per tres dies & noctes: tunc eo infrigidato extrahe inde ſalem omnino cum aqua dulci, & tunc iterum ablue cum aqua dulci de paropſide in paropſidem ad modum ceruſſæ, ita vt fiat alba vt nix: tunc deſicca ipſam ad Solem, & poſtea fac de ipſo per omnia, vt prędixi de limatura argenti, & erit optime ſeparatum.

Ferri & æris præparatio.

ACcipe de quolibet horum volueris ſeparato & ſubtiliſſime limato partem vnam, & ablue ipſum ter omni vice cum medietate ſui de arſenico, cuius medietas ſit præparata ad comburendum corpora, & alia medietas ſeparata ſolum, & fac ipſum manere in athanor calcinationis per diē & noctem: & omni vice fac ipſum deſcendere cum oleo (tartari) & per botū barbatum donec album & clarum deſcendat, & tunc tere ipſum & lima ſubtiliter, & rora ipſum cū aceto fortiſſimo in Solę calido donec ipſum optime rubificatur; tunc

·pon-

pondera ipsum & adde ei tantundem arsenici rubei, & fac deinceps per omnia vt prædixi de auro.

Argenti viui præparatio.

ACcipe salis armoniaci, salis aluminis iameni, cuperosæ ana vncias tres, dissolue hæc in quatuor libris aceti destillati, & tunc mitte in ipso lib. vnam cerusiæ stanni, & fac ipsam manere intus per mensem vel amplius, quia quanto plus intus steterit tanto melius est, & moue ipsam quotidie bis vel ter, & cum operari volueris, dimitte quiescere, donec clarificetur: & extrahe inde aquam claram caute, & destilla ipsam per filtrum: tunc congela ipsam, & congelatam pondera, & ipsum imbibe cum tertia parte sui de aqua calcinata alba ad album, & rubea ad rubeum: & tunc assa in furno panis per noctem, & post dissolue per se sicut scis, & inde imbibe Mercurium separatum ad pódus eius paulatim super porfidum, & sicca bene, & sublima sine strato aliquo alembico superposito cum suo recipiente, & quod sublimatur reduc super fæces suas terendo super marmor, redde ei aquam quæ ab eo destillauit: & sic reitera toties, donec inde nihil sublimetur: Et tunc remoue sales abluendo cum aqua dulci, & tunc pone totum illud ad descendendum, & fac descendere in laminam, & cum descenderit fac sub eo ignem septem diebus secundum quod dicam inferius in operatione verissimi Elixir: tunc fac de eo vt fecisti de auro.

Alia præparatio Mercurij, & calcinatio eiusdem, quæ habetur alibi.

REcipe salis alkali, salis gemmæ, salis aluminis, salis armoniaci separatorum partem vnam, & solue hæc omnia in duplo eorum de aqua occulti lapidis albi sublimata ter sine inhumatione, & dimitte quiescere die & nocte vna, tunc destilla per alembicum, & coagula cum igne leui in vase coagulationis, tunc resolue ea prædicto modo ter, & destilla per alembicum & coagula, & proba super laminam ignitam; & si se resoluerit vt cera vel plumbum, factum est: sin autem, reitera super ipsum vltimũ opus donec sic cõtingat, & erit Atincar. accipe igitur Mercurij separati partem vnam, & de prædicto atincar per se soluto tantundem, & inde imbibe Mercurium paulatim super porfidũ, & cum totũ absorbuerit desicca ipsum leuiter, & pone in aludel sine strato ali-

quo: & alembico ſuperpoſito cum ſuo recipiente, & obturatis iuncturis cum luto magiſterij ſublima ipſum: & quod ſublimabitur reduc ſuper fæces terendo ſuper porfidum, & reddendo ei aquam, quæ ab eo deſtillauit, & ſic itera toties donec inde nihil ſublimetur: & erit Mercurius bene calcinatus & præparatus. Tunc accipe de aqua pluuiali deſtillata per alembicum & ſolue prædictam ſublimationem in quadruplo ſui huius Mercurij aqua, ita quod totum atincar diſſoluatur in ea, & Mercurius remaneat in fundo paropſidis calcinatus. Cola igitur inde aquam cum filtro, & ita fac donec omnis ſalſedo recedat: tunc deſicca ipſum & ſerua in vaſe vitreo ad horam neceſſitatis.

Calcinatio Mercurij. Accipe ſalis communis, ſalis gemmæ, & aluminis iameni ana quantum vis, & ſolue: de hac aqua imbibe ſuper marmor Mercurium ſublimatum terendo quouſque ſatis biberit. Poſtea pone in cucurbita cum alembico & deſicca: ſemper autem reddatur ei ſua aqua deſtillata ab eo donec totam biberit, nec aſcendat: poſtea diſſolue in aqua pluuiali, & inuenies in fundo Mercurium album.

Solutio ipſius.

Accipe ſalem armoniacum præparatum cum vrina præparata quouſque ſit lactea & diſſolue in fimo equino ſicut ſcis, & congela. Additio.

Auripigmenti ſublimatio.

Recipe auripigmẽti pręparati li. vnã & batturę cupri aut æris lib. i. ſalis gẽmæ aut ſalis cõmunis li. i. & hęc tria tere bene ſuper lapidem marmoreũ & miſce bene & tere minutę: deinde fac lectum vnum ſalis communis in ſublimatorio, & ſuper illud ſtratum pone auripigmentũ cum ſua medicina, & ſublima totum inſimul vt ſit in Mercurio: Sed in hoc non requiritur tantus ignis, quia ſulphur & auripigmentum cito comburuntur: & quãdo fuerit ſublimatũ, videas ſi quid mãſerit in fęcibus: ſi ſic, iterum ſublima fæces quouſque intus nihil remaneat, & pone cum illo ſublimato & ſublima ter, & ſerua munde.

Aliter ſic ſublimatur.

Recipe auripigmẽti pręparati li. i. ſalis cõmunis præparati lib. i. ſtanni calcinati aut plumbi lib. ſemis, cupri cõbuſti aut limaturæ cupri aut ferri lib. ſemis, tere res ipſas quam libet

bet per se, & postea misce simul, & tere minute, & pone ad sublimandum vt dictum est supra, & sublima ter & serua.

Descensio auripigmenti.

Recipe auripigmenti pręparati dimidiam lib. & lib. dimidiam tartari calcinati & tantum calcis viuę, & vnũ quarterũ salis communis præparati, & terę bene omnia insimul, & pone cum aqua albuminis ouorum rectificata, & pone cum pauco sanguinis porci seu pinguedinis, & fac pastam non nimis duram, sed medio modo: & pone in descensorio, & sint intus virgulę ferreæ, quæ teneant pastam in fundo ne cadat quãdo vas vertetur quod inferius est superius: & appone coopertorium & claude cũ argilla & fimo equino: Deinde fac fossam in terra, & verte vas quod superius inferius, & pone sic in fossa & appone terram circumquaque, & fac paruum ignem in principio: & deinde paululum augmentando, & hoc per dimidium diem, & in fine facias ignem fortẽ. Et nota, quod paruum foramen, quod est in parte inferiori vasis, semper debet esse apertum: & post sex horas dimitte ignem vt infrigidetur, & aperi vas, & reperies ad latera coopertorij auripigmentum quod descenderit album in similitudinem metalli albi fusi, vt argentum: illud collige & serua. Et si aliquid remanserit in fæcibus, iterum tere minute, & appone aquam albuminis ouorum: & sic fac pastam, & fac descendere vt prius, & pone omnia simul.

Sulphuris & arsenici præparatio.

Accipe de quocunque eorum volueris separato quantum vis, & decoque ipsum in pinguedine porcina vel arietina aut hircina in vase decoctionis, ita quod pinguedo semper superfit tribus digitis ad minus, & semper pinguedo quæ super eleuatur, remoueatur cum cochleari, donec ex ea nihil eleuetur: tunc remoue pinguedinem decoquendo in capitello facto ex cinere clauellato & calce viua & aceto destillato per alembicum: tunc calcina prædictum atincar prædicto modo vt fecisti Mercurium, & ablue cum aqua pluuiali destillata per alembicum, vt totum quod attingitur remoueatur, vt dictum est in Mercurio: Tunc accipe de quocunque eorum vis partem vnam, & pone in aludel cum duobus partibus aquæ occulti lapidis albi inhumati, destillati & rectificati septies alembico superposito cum suo recipiente, &

claude iuncturas cum luto Magisterij vt non respiret, & pone in aludel in vase fictili cinere trito (vel tamisato) pleno, & fac desubtus ignem lentum sex diebus. Et septimo die vigora ignem donec nihil destilletur, semper aquam quæ inde destillat reducendo super fæces, donec nihil possit destillari. Tunc igitur remoto igne per noctem & diem vnam, refrigerari permitte: in fundo vasis inuenies laminam crystallinam, quam serua in vase vitreo bene sigillato ad horam necessitatis.

Additiones. Alia præparatio sulphuris.

Tere sulphur viuum minute, & pone in sacco lineo, & liga large, & suspende in vno potto super ignem, & pone intus satis de lixiuio quod docebitur, & facias infra diu multum bullire: deinde remoue de sacco, & pone in patella terrea, & coque per dimidium diem in vrina separata: deinde cola vrinam, & iterum pone in sacco, & coque iterum per dimidium diem in lixiuio: postea extrahe & proijce supra de aqua calida ad salem remouendum: deinde exicca ad Solem, & erit bene præparatum.

Sulphuris sublimatio.

R. sulphuris præparati, limati ferri aut cupri ana lib .i. & libram salis communis præparati: tere bene hæc omnia & misce simul, & appone de aceto & fac pastam, & pone in sublimatorio, & luta circumquaque cum argilla, & pone per noctem in furno ad exiccandum: de mane extrahe & fac puluerem minutum: & postea sublima, & hoc ter, & serua. Lixiuium cum quo præparatur sulphur & auripigmentum. R. vrinę puerorum bene præparatæ, calcis viuæ & salis communis præparati & cineris fabarum aut sarmentorum vineæ, & fac inde lixiuium iterando colationem quater aut quinquies, & appone satis de sale communi, aut de sale alkali.

Arsenici præparatio.

R. auripigmentum quantum voles, coque in oleo lini aut amygdalarum amararum, aut in sumine porci super paruum ignem per dimidium diem: & sit tantum oleum aut pinguedo quod natet super auripigmentum ad spissitudinem digiti: & debet prius esse tritum in puluerem minutissi-

tiſſimum: deinde poſt decoctionem aufer ab igne, & dimitte reſidere per aliquod tempus, deinde cola pinguedinem extra, vt melius potes: Poſtea pone ſuper ignem, & appone ſatis de vrina, & fac bonum ignem, & moue ſæpe cum baculo, & fac bullire per duas horas, & deinde cola vrinam, & pone ſuper ignem, & pone deſuper acetum præparatum ad magnam quatitatem, & facias bonum ignem, & fac bullire per duas horas aut tres, & aufer ab igne, & extra cola acetum, & iterum coque in vrina præparata, & iterum in aceto ad melius extrahendum pinguedinem, & proijce ſuper aquá bullientem ſæpe. Deinde recipe & liga in ſacco lineo non nimis ſtricto, ſed largo, & cooperias in lixiuio ſupradicto, & fac intus bullire tuum auripigmentum ligatum in ſacco lineo, & ſemper aufer immunditias quæ ſepernatabunt quouſque plus non appareant. Poſtea extrahe & fac bullire in aqua ad extrahendum ſalem, & quando ſatis bullierit, aufer & proijce deſuper ſatis de aqua ad extrahendum pinguedinem & ſalem, & tunc erit bene præparatum ad ſublimandum & ad deſcendendum.

Salis armoniaci præparatio.

Accipe de eo ſeparato quantum vis, & ſolue ipſum ſicut ſcis in albuminibus ouorum elixatorum, vel in aqua trium generum ſalis deſtillata per alembicum aqua & cinere mediante, & aquam quæ inde deſtillabit, redde ei, & ſic fac donec nihil inde ſublimetur. Itera ergo ſolutionem dictam & deſtillationem & coagulationem ſex vicibus, & ſeptima vice ſolue ipſum in duplo ſui aquæ occulti lapidis albi inhumati, deſtillati & rectificati, & cum bene ſolutum fuerit, mitte in aludel prædicto modo ad deſtillandum & coagulandum. Ita vt tota aqua conſumatur, tunc proba eum ſuper laminam ignitam: quia ſi ſe reſoluerit vt cera, ſine alicuius fumi emiſſione, factum eſt: quod ſi non, fac donec illud contingat: & erit optime præparatum. Serua ergo bene ipſum in vitro bene concluſo.

Additio: Soluitur autem ſal armoniacus in albuminibus ſic in vna hora: Accipe ouum decoctum durum, & illud ſcinde per medium, & remoto vitello imple concauitatem eius prædicto ſale in puluerẽ redacto, & teneas inter manus bene clauſas, aut in cucurbita infra balneum, & per horá modi-

modicum comprimendo emanabit aqua, & hoc iuuat ad illud fixandum.

Alia præparatio eius quæ in pluribus libris inuenitur.

ACcipe de eo ſeparato quantum vis, & ſolue ipſum per ſe ſicut ſcis, & deſtilla per alembicum & pondera, & adde ei æquale pondus ſui de aqua aluminis iameni præparati ſi eſt ad album, vel vitrioli ſi eſt ad rubeum: & coagula ſimul hanc ſolutionem & deſtillationẽ, & coagulationem reitera ſuper ipſum ſepties, vel donec ſuper laminã velociſſime fundatur vt cera ſine alicuius fumi emiſſione.

Tutiæ præparatio.

ACcipe de ea ſeparata quantum vis, imbibe eam cum aceto fortiſſimo, in quo ſal commune ſit reſolutum, & ſicca & aſſa in furno calcinationis per diem & noctem vnã, tunc ablue eam cum aqua dulci & ſicca, & ſic reitera quinquies: tunc tere ipſam cum ſale armoniaco ſeparato rubeo (vel cũ aqua viridis æris, aut aqua auri reſoluti, & ſicca ad Solem, aut ſuper ignem ſi velis, ſepties aut octies, poſtea pone ad ſoluendum, deinde ad congelandum, & iterum ad ſoluendum, & poſtea ad congelandum: deinde tere & incera cum oleo rubeo Philoſophorum, aut alio oleo bene rectificato, & pone ad reſoluendum & congelandum bis, & proba ſuper laminam calidam ſi cito fundatur: ſi non, reitera terendo & ponendo in crucibulo ſuper ignem, & incorporando cum oleo guttatim, donec cito fundatur ſuper lamina, & proijciatur vnũ ſuper quinquaginta æris aut Lunæ, & ſolue & deſtilla per alembicu, & congela in lapidem, quem cera cum oleo philoſophico rubeo, & proijce ſuper æs purgatum, & fiet aurum bonum.

Magneſiæ & Marchaſitæ præparatio.

ACcipe de quacunque harum vis ſeparata partem vnam, & imbibe eam cum pondere ſui ſalis communis ſeparati & ſoluti, duplo ſui de aceto, & ſicca & pulueriza ſubtiliter, & pone in aludel, & fac ſubtus leuem ignem donec humiditas ceſſet, & poſtea fac ſub ea fortem ignem duobus diebus cum ſuis noctibus, tunc ablue ab ea ſalem cum aqua dulci, & ſicca & contere eam cum tantumdem ſui arſenici ſepatati

roran-

rorando cum qaarta parte sui de aqua salis communis separati, & sublima ipsum ab ea bis vel ter, semper reducendo sublimatum super fæces suas: deinde fac totum descendere per botum barbatum cum oleo & nitro toties donec descẽdat frustum album vt argentum,& solue & destilla per alembicum, & coagula,& hoc frustum cera cum aqua salis armoniaci præparati in lapidem crystallinum, quem cera cum oleo philosophico albo super ignem, & proijce desuper stannum, & fiet arg. bonum: & hoc arg. proijce super æs, & dealbabitur optime, & tunc iunge ipsum argento bono & fiet optimum.

Additio. Aliqui dicunt, quod nõ est necesse sublimare tutiam, magnesiam, nec marchasitam, dummodo tamen fuerint preparata. Magnesia vero & marchasita sic preparantur. Tere quousque fiat puluis minutus: deinde fac bullire in aceto & in aqua tartari per dimidium diem in quolibet: & postea in modico aceti: deinde cola acetũ & laua cum aqua communi & sicca puluerem & serua. Et si hoc modo præparentur, non est necesse sublimare. Tutiȩ vero quatuor sunt species, sed communiter vtuntur ea, quæ parum viridis est, & paratur sic: Tere minute, & pone in cochleari ferreo, & pone cochlear in igne quousq; tutia sit bene calefacta: deinde proijce in aceto, postea extrahe & pone in dicto cochleari & repone super ignẽ, & iterum calefac bene, & iterum proijce in aceto: & sic fac septies, & erit bene preperata. Sic preparatam potes sublimare. R. tutiam præparatam ad vnam lib. salis communis dimidiã lib. preparati, & dimidiam lib. batituræ. Hæc omnia simul tere minute, & pone in vase sublimatorio absque strato salis, & claude fortiter cum argilla, & fac primo per vnum diem, quousque humiditas exierit: deinde magnum ignem per vnum diem, postea depone & aperi sublimatorium & reperies tutiam super fæces: quia non fugit ignem tantum sicut alij spiritus, nec ascendit in coopertorium sublimatorij: sic sublima simul, & serua.

Præparatio Vrinæ. Ponitur in pluribus loco aceti.

COllige vrinam puerorum duodecim annorum in vase vitreato: & cum plenum fuerit, sine ipsam quiescere septẽ diebus, tunc euacua eam in alio vase caute, ita quod fæx quę est in fundo non commisceatur, & ita itera commutando de

septem

ſeptem in ſeptem diebus de vaſe in vas, donec nihil fæcis de ea reſideat: tunc coque ipſam vſq; ad tertiam ſui patrem & deſpuma & deſtilla per filtrum & alembicum quod melius erit, & ipſam in vaſe vitreo ad opus tuum ſerua.

Aquæ vitæ ſimplicis præparatio.

OCculti lapidis albi elixati quantum vis accipe, & contere fortiter donec fiat ſicut medulla, & fermentari per diem & noctem illam dimitti, & tunc pone in vaſe deſtillationis bene ſigillato, & deſtilla, aqua & cinere mediante, & aquam deſtillatam mitte ſuper fæces ſuas, & deſtilla iterum; & ſic fac ter: in pluribus libris non præcipitur vt ponatur ſuper fæces ſuas, ſed quod bis deſtilletur ſolum, & erit factum: & tunc deſtillabitur aqua alba vt lac, quam vſui reſerua.

Addtio. Lib. XII aquarum ex lib. Emanuel.

1. Accipe argentum viuum & mortifica ipſum cum rebus adurentibus, & peruijs, ſcilicet cum ſale communi, & aceto acerrimo, alumine iameni, & limatura ferri tribus aut quatuor diebus: deinde ſublima ſeptem vicibus ſuper eandem fęcem: Deinde ſolue cum alumine iameni ſoluto in ſale & aceto acerrimo ad libitum omnia: & pone argentum viuum ſic imbibitum ſub fimo per quatuor (alias octo) dies, & vertetur in aquam claram, poſtea deſtilla ſemel, & proijce fæcem nigram: quia per acuitatem ſalis aceti omnes partium ſuperfluitates depurantur: & reconde aquam vitæ, cum qua fermentatur Elixir album, ſoluendo & congelando.

Secunda aqua. Accipe calcē Solis quæ eſt fermentum Elixiris rubei, & ſolue cum atramento prius ſoluto in ſale armoniaco & aceto mali granati per dies quatuor, & quando eſt diſſolutum, deſtilla ſemel aquam claram, limpidam, rubeam & citrinam & odoriferam: Virtutem habet tingendi & etiam congelandi & ſoluendi beneficio ſalis: & hæc aqua eſt fermentum Elixiris rubei.

3. Accipe calcem argenti boni, & ſolue ipſam calcem cum alumine iameni ſoluto in ſale & aceto acerrimo: poſtquam ſolutum fuerit, deſtilla ipſam aquam ſemel: quia eſt fermentum Elixiris albi.

4. Stanni: Accipe calcem ſtanni, ſolue in alumine iameni, & aqua ſalis communis: omnia ſolue in aceto de vino albo per

per quinque dies ſub fimo. Deinde deſtilla ſemel aquam claram & albam, quæ habet virtutem ſoluendi & congelandi, & ponitur loco argenti in albo Elixir.

5. Saturni: Accipe calcem plumbi, ſolue cum atramento & ſale armoniaco in aceto mali granati & ſorbarum, quæ ſunt retinacula: & poſtquam erit ſolutum in tribus diebus ſub fimo, deſtilla ſemel: & ponitur loco auri in compoſitione Elixir: quia ibi ſunt multa tingentia in Solem.

6. De calce peregrinorum. Accipe calcem peregrinorum & ſolue cũ alumine iameni & zucharini ſolutis cum ſale cõmuni & aceto de vino albo per ſeptem dies: poſtquam erit ſolutum, deſtilla ſemel aquam claram, ſubtilem & odoriferam: habet virtutem ſoluendi & congelandi: eſt fermentum Elixir albi.

7. Aqua gambariua: R. calcem gambariuam & ſolue cũ atramento ſoluto cum ſale armoniaco in aceto mali ſylueſtris, & poſtquam per tres dies erit ſoluta, deſtilla ſemel: quia per acuitatem ſalis & aceti tingit, ſoluit & congelat.

8. Accipe calcem ouorum gallinæ & ſolue cum alumine iameni & zucharino & ſale communi: omnia ſolue in aceto acerrimo facto ex vuis acerrimis per 5. dies, poſtea deſtilla ſemel per alembicum, reconde aquam, quæ valet ad Lunã loco aquæ calcis argenti.

9. R. Lilij florem & piſta eum radice ipſius, & ſit ad libitum de vtroq;, & ſemper roretur cũ aceto de vino albo: quia melius & citius depurantur & ſubtiliantur per acuitatem aceti: cola & dimitte reſidere per tres dies, iterũ cola, & ita fac colando per pannũ, donec erit clarũ: deinde claude cum oleo abluto per quinq; dies, & deſtilla ſemel aquam claram, ſubtilem & odoriferam, quæ valet ad Lunam.

10. *Florum papaueris agreſtis rubei.* R. flores illos, & piſta cũ aceto mali granati, & ſorbarum ſemper rorando: quia citius inde clarificantur, poſtea cola per pannũ quinq; vicibus ſemper reſidendo: deinde poſtquã erit clara, claude cum oleo abluto per quinq; dies, & deſtilla per alembicum ſemel aquam claram, quæ valet ad Solem.

11. Squillæ: Accipe radicem ſquillæ & piſta ſemper rorãdo cum aceto, in quo ſolutæ ſint 6. vnciæ de ſale communi aliquantulum præparato: & cum bene fuerit piſtatum cola per pannnm 10. vicibus donec erit clara, poſtea claude cum

oleo

oleo abluto 6. diebus: deinde extrahe & destilla per alembicum tribus vicibus aquam claram, pulcram, odoriferam: & valet ad Lunam: habet virtutem soluendi & congelandi.

12 R. albumina ouorũ coctorum fortiter, tere in mortario cupreo, pone in phiala vitri, & deinde sic in fimo ad putrescendum quousque redacta sint in aquam: deinde extrahe & destilla per filtrum, postea per alembicum forte, duplex, iuncturis bene sigillatis, & non sit magnus ignis, sed omnia destilla per cineres calidos; & post destillationem iterum pone in fimo per quatuor dies; & destilla iterum ad lentum ignem & multos cineres: & sic fac ter aut quater vsquequo habeas signum perfectionis: hanc serua, quia est preciosa.

Olei vitellorum ouorum præparatio, quæ in pluribus reperitur libris.

ACcipe vitella quæ extraxisti à prædicto lapide occulto albo (parum supra in præparatione aquæ vitæ simplicis) & contere ea ad modum medullæ, & pone de ea lib. semis in aludel alembico superposito cum suo recipiente, & destillabitur aqua rubicunda, crocea & spissa, & abiectis fęcibus à vase inhuma eas per octo dies reddendo eis aquam, quæ ab eis destillauit, & iterum destilla per alembicum aqua & cinere mediante, & ita itera tribus vicib. Hoc facto destilla tribus vicibus cum cinere sine aqua, & tunc aspice si sit album, & proba ipsum cum ære ignito ad modum nummorum: quia si dealbauerit ipsum intus & extra bonum est: & si non, itera donec sic contingat, & semper super fæces suas fiat destillatio: Ignis vero qui remanebit in fundo vasis siccus & niger rectificetur: sic redde ei aquam albam, claram, quę ab eo destillata fuerit assando & imbibẽdo, & postmodum da ei bibere aquam primam donec rubicũdissimus fiat: Et tunc accipe de isto igne quantum vis, & solue ipsum in quadruplo sui de oleo suo rectificato, & destilla, donec rubicundissimus destilletur. Serua ergo ipsum in vase vitreo bene concluso.

Alia præparatio olei vitellorum.

Fac de vitellis prædictorum albuminum vt præcepi de aluminibus, & quod destillabit ab eis erit oleum vitellorum.

Capi-

Capitellum de calce viua & cinere clauellato.

Accipe calcis viuæ partem vnam; cineris clauellati partes duas, proijce super ipsa quadruplum sui de aceto forti calido, & itera supra compositionem; donec sustineat onus colando in concha lixiuij: Quidam cum calce & cineribus addunt aluminis iameni aliquantulum, & salis armoniaci medietatem pōderis aluminis iameni. Iuua etiam ad fixandum.

Aqua de lithargyrio.

Accipe frusti lithargyrij partem vnam, salis alkali, aluminis iameni separatorum ana quartam partem frusti prędicti, salis armoniaci medietatem eiusdem frusti dissolue alumen & salem alkali in duplo vel triplo sui de aceto prædicto modo & commoue omni die ter, donec totum in huiusmodi aceto dissolutum & clarum appareat; tunc destilla per filtrum, & ad opus tuum reserua.

Frustum de Lithargyrio.

Accipe de lithargyrio quantum vis, & tere fortiter, & ablue ipsum cum aqua de paropside in paropsidem, donec grossiores partes diuisæ sint à subtilioribus; quibus siccatis adiunge sibi pondus sui de arsenico semel sublimato, & sublima ipsum ab eis bis: postea fac totum descendere per botum barbatum cum oleo intro, donec frustum album descendat, & erit factum.

Additio. Dealbatio lithargyrij. Accipe libram lithargyrij & mole bene, postea accipe 5. lib. de sale, & mole bene cum lithargyrio; & pone in aqua per 9. dies, miscendo bis quotidie: post laua bene à sale & sicca: & habebis lithargyrium dealbatum, si sit verum.

Aqua rubea Auicennæ ad tingendum 4. spiritus sublimatos albos.

CAP. I.

Accipe atramenti Ægyptiaci, limaturæ faulec ana vnciam vnam, floris æris tertiam partem vnius vnciæ, aluminis albi candidantis pannos (rochæ puto vel fęcis vini vstæ) quartam vnciæ vnius: sulphuris, arsenici citrini & rubei, lapidis armeni & lazuli ana vnciam semis, mellis albi despumati, quartam librę vnius, salis armoniaci, salis gem-

mę ana vncias 3. & ſemis: ponantur hæc omnia in 5. libris aceti, & dimittatur ad Solem per menſem vnum: vel ſi non, fac ipſum bullire, donec conſumetur eius humiditas: prędicta tamen ſint optime trita & calcinata, tunc deſtilla acetnm a fęcibus, quæ in ipſo ſunt ſepties, & inde imbibe quicquid vis rubificare.

CAP. II.

ACcipe limaturæ faulec lib.2. & infunde eas in 10. libris aceti per 10. dies, tunc cola huius acetum, & pone in ipſo arſenici (ſiue auripigmēti rubei) ſublimati & puluerizati lib. 1. ſalis armoniaci ſublimati ter & pulucrizati quartam librę vnius, tunc pone ad Solem, & augmentabitur ſibi rubedo: tunc deſtilla ipſum per alembicum, & deſtillabitur album attinens citrinitati: deinde reduc ipſum ad limaturam aliam recentem, quam in ipſo infunde, & deſtilla ipſum per alembicū vt prius: Et ſic ſemper renoua limaturā donec deſtilletur rubeum vt ſanguis, nam hæc rubedo nunquam remouetur. Quum autem præparaueris atramentum cum aceto, & remoueris illud, ſemper egredietur bene rubeum, & erit color fixus. Scias autem quod nulla res rubea colorem retinet niſi illum, qui imitatur eius naturam.

CAP. III.

ET melius eſt vt deſtilles acetum à ferro donec deſtilletur rubicundum & acetum ſimiliter ab atramento: & tunc iungas ambo inſimul, & colores cum eis quicquid vis.

CAP. IV.

AQuæ quæ faciunt rubeum ſine iteratione deſtillationis ſunt aqua Tutiæ ſublimatæ, & aqua ſedine lapidis ſiue hæmatitis, in quibus ponatur acetum, & deſtilletur ſemel, quia ſufficit: Aqua vero æris ſola eſt melior iſtis: & fortior eſt aqua ferri cum ſublimatur & rubificatur: & ſi poſueris ipſum in aceto fiet aqua rubea ſicut ſanguis, & eſt color fixus: Hæ duæ aquæ licet ſint prolixæ, propinquiores tamen ſunt breuioribus.

CAP. V.

ACcipe de limatura faulec partem vnam, & tere ipſam, cum quarta parte ſui de atramento, & ſuper eam proiice quadruplum ſui de aceto forti, & deſtilla ipſum per alembicum

bicum ab ea, & ita fac decies renouando qualibet vice atramentum, & decima vice destillabitur aqua rubicundissima sicut sanguis, quę tingit omnia super quæ cadit: & nunquam color eius remouetur ab eis.

CAP. VI.

Accipe calcis viuæ partes quatuor, sulphuris viui partes tres, & proijce super ipsa aceti rubificati cum limatura cupri partes decem (alibi quatuor) & dimitte sic stare per 10. (alias 4.) dies, & tunc decoque donec acetum fiat sicut sanguis, deinde cola ipsum & destilla: hoc facto, R. chalcanthi viridis, arsenici sublimati rubei ana vnciam vnam, aceti lib. vnam, atramenti rubei vnciam semis, si ipsum inueneris, sin autem, sublima viridem vel citrinum cum aqua pura: aqua enim destillata remanebit atramentũ rubeum in fundo cucurbitę, quod pone in omnibus operib⁹ tuis: tere ergo prædicta tria cum aceto prædicto, & inhuma per septem dies, & si solutum fuerit, destilla ipsum: sin autem, reinhuma donec soluatur, & tunc destilla ipsum, & destillabitur vt hyacinthus: colora ergo cum eo quicquid vis colorare colore bono & firmo.

CAP. VII.

Accipe de limatura faulec partem vnam & proijce super ipsam duplum sui de aceto forti, & sine intus stare, donec optime rubificetur: tunc destilla per alembicum donec acetum destilletur rubeum, & tunc colora cum eo quicquid vis, & similiter fac de limatura æris donec acetum optime sit viride: imbibe ergo quod volueris & assa & rubificabitur optime rubificatione firma.

Additio. Cum limatura faulec (puto ferri) appone vitriolum rubificatum, & destillabis oleum fixum, rubeum, philosophicum.

CAP. VIII.

Accipe duenec, salis armoniaci pręparati ana quantum vis, & tere ipsa cum oleo de vitellis ouorum, fiat sicut medulla, & tunc assa hæc assatione leui & repone, & colora cum eo quidquid vis coloratione firma.

CAPVT IX.

ACcipe limaturæ ferri faulec partes decem, atramenti Ægyptiaci quantum est quarta pars limaturæ, terantur & proijciantur in aceto vini albi destillato, & illud acetum ponatur ad Solem septem diebus, & tūc cola ipsum, & in eo pone calcanthi viridis vel colcotar rubei adusti, si inueneris, sin autem, atramenti Ægyptiaci ana ad vnam lib. aceti dicti, vnciam vnam duenec, id est, vitriolum, alacar vel alabric, id est sulphur ana vnc. semis (alias vnc. tres) tere hæc quatuor, & proijce in dicto aceto, & pone ipsum ad Solem septem diebus, & tunc cola ipsum, & accipe de lapide lazuli in quo sunt venæ aureæ quantum volueris, & proijce ipsum tritum in dicto aceto, & decoque vel frange eum intus per diem, & tunc in dicto aceto pone tantū salis armoniaci crystallini quantum ipsum est, & misce bene totum teredo fortiter insimul: hoc facto, inhuma totum donec soluatur: & cū totum factum fuerit aqua clara rubea, rubifica cum ea quidquid volueris colore firmo.

CAP. X.

ACcipe de atramento Cyprino assato partem vnam, & tere ipsum cum quadruplo sui aceti fortis, & destilla ipsum ab eo, & ita fac decies renouādo qualibet vice atramentum, & destillabitur rubeum sicut sanguis: quod si sic non fuerit decima vice, reitera hoc toties donec id cōtingat: & inde rubifica quidquid vis colore firmo.

Modus rubificandi rem aliquam ex dictis aquis.

ACcipe rē quam rubificare volueris, & imbibe eā ex quacunq; volueris prædictarum decem aquarum, & tunc assa eam, & impressionem faciet aliquam in prima vice: deinde itera hoc opus donec fiat rubea vt hiacynthus. Nota denique quod spiritus rubificandi hoc modo debent prius esse sublimati albi, & corpora similiter debent esse calcinata alba, & tunc tinctura inseparabiliter in eis figetur.

Aqua rubea, à qua quatuor spiritus sublimati albi, rubei sublimantur.

ACcipe salis communis, salis gemmæ, salis armoniaci, aluminis iameni separatorum ana lib. I. alkali quantum de omnibus, vitrioli citrini separati lib. 5. ferri & æris quæ cum

cum arsenico descenderunt, albæ limaturæ ana lib. vnam, & vncias duas aceti vini albi lib. 4. cum isto igitur aceto & calce viua vapora prius sulphuris viui lib. quinque, & postea dissolue in dicto aceto omnia prædicta, excepto ferro, ære, vitriolo: & tunc destilla huiusmodi acetum per filtrum, deinde ignito limaturas dictas in cacia ferrea & extingue in dicto aceto multoties, & omni vice post extinctionem tere huiusmodi limaturas optime in mortario zebaico, id est ferreo cum pistillo ferreo, & post contritionem ablue eas in dicto aceto: Et sic itera ignitionem, extinctionem, contritionem, & ablutionem, donec omnino huiusmodi limaturæ sint in dicto aceto dissolutæ: Hoc facto, igni vitriolum prædictū extinguendo in dicto aceto septies omni vice in mortario prædicto fortiter conterendo: tunc inhuma in sterquilinio septem diebus, vel donec aqua clarissima & rubicūdissima videatur: Et tunc destilla totum per alembicum aqua & cinere mediante toties donec rubicundissima destilletur, semper super fæces suas reducendo: & tunc serua eam ad opus tuum.

Præparatio Mercurij, arsenici, sulphuris ad rubeum.

Accipe de quocunque horum volueris separato semel partem vnam, & ipsum imbibe cum pondere sui de aqua rubea prædicta scilicet, qua spiritus sublimati albi, rubei sublimantur: & tunc sublima ipsum eo toties donec ipsum rubeum sublimetur: Et accipe huius sublimati rubei partem vnam, & imbibe ipsum cum quarta parte sui atramenti præparati, soluti & destillati rubei, & sublimetur ab eo toties, donec in fundo vasis figatur: hoc facto compleatur cum oleo philosophico rubeo secundum ordinem supradictum: Et hoc est complementum Mercurij, arsenici & sulphuris ad rubeum.

Alia præparatio horum trium ad rubeum. ex aliis libris.

Accipe de quocunque horum volueris separato partem vnam, & imbibe ipsum cum pōdere sui de aqua rubea, a qua quatuor spiritus sublimati albi, rubei sublimantur: Et tunc sublima ipsum ab ea toties donec rubeum sublimetur & in fundo vasis figatur. Tunc ablue inde salem cum aqua dulci & sicca, & tunc cera ipsum cum sale armoniaco præ-

parato rubeo & ſolue & deſtilla & coagula. Et tunc hoc coagulatum cera cum oleo philoſophico rubeo, & proijce de eo deſuper argentum ſeparatum, & fiet aurum optimum. Hoc eſt complementum præparationis Mercurij, arſenici & ſulphuris ad rubeum.

Præparatio ſalis armoniaci ad rubeum.

Accipe de ipſo ſublimato quantum vis & ſolue ipſum, deſtilla per alembicum, & tunc adiunge ei medietatem pōderis ſui de vitriolo præparato, & ſoluantur inſimul & deſtillentur inſimul per alembicum, & tunc coagula inſimul: Hoc facto reitera ſuper ipſum ſolutionem & deſtillationem & coagulationem ſepties, vel donec ſuper laminā fundatur vt cera, & non fumiget.

Alia præparatio eius ad rubeum.

Accipe de eo ſublimato quantum vis & ſolue ipſum & deſtilla per alembicum, & tunc adiunge ei æquale pōdus ſui de trium generum ſeparato ab occulto lapide, & atramentum præparatum, inhumato & deſtillato, & rubificato rubeo, & hæc duo coagula inſimul. Hoc facto reitera ſuper ipſum ſolutionem & deſtillationem & coagulationem toties donec ſuper laminam fundatur vt cera, & non fumiget: & erit conſilium noſtrum completum.

Additiones. Omne ſal ſic poteſt rubificari.

Tere ſal, & appone aliquam aquarum rubearum & tere bene & ſicca ad Solem, deinde tere & appone de aqua illa rubea, & ita fac ſepties aut octies, & pone ad diſſoluendum, & cum diſſolutum fuerit, deſtilla per filtrum, poſtea congela, & iterum diſſolue, deinde congela bis aut ter: deinde tere & appone modicum de oleo rubeo Philoſophorū, & erit rectificatum: & inde poteris facere aquam ſi voles, & poſtea ſerua.

Hoc etiam modo poteris rubificare quatuor ſpiritus, ipſos ſublimando bis aut ter, & miſcēdo ſemper id quod ſublimatum eſt cum eo quod erit in fundo vaſis: Et ita in qualibet ſublimatione imbibere debes de aqua illa rubea, vnde prius eos imbibiſti: & cum tibi ſuffecerit pone ſublimatum cum eo quod manſit in fundo vaſis in vno crucibulo, & appone de oleo rubeo Philoſophorū tres aut quatuor guttas,

& po-



& postea serua. Et si citius vis rubificare tuos spiritus, & tuũ sal, tere & appone de aqua rubea, & sicca ad Solem, & ita fac septies aut octies: deinde sicca & serua, & quando fuerit exiccatum sexies aut septies tere bene & appone de aqua rubea, & postea dissolue, deinde congela, & melius erit: Et tuc rubificabis calces metallorum. Sed oportet quod semper imbibas cum oleo Philosophorum super ignem in crucibulo: quia aliter dictæ calces non possent leuiter fundi, nec reduci ad naturam metalli, nisi cum humiditate alligante & penetrante suas partes siccas & combustas: quod fit apponendo satis de oleo rubeo guttatim super ignem in crucibulo, donec fundatur vt cera: Hactenus additio.

Oleum album fixum philosophicum.

ACcipe frustum lithargyrij albi, stanni extracti cum arsenico lib I. & lima hoc subtiliter, & adde ei sulphuris, arsenici, separatorum alborum ana vncias duas, Mercurij separati albi vncias quatuor & contere hæc omnia fortiter insimul cum octo vncijs aquæ salis armoniaci præparati albi, & tunc sicca & assa leui assatione, & pulueriza fortiter, & pone in vase sublimationis, & sublima toties donec nihil de eis ascendat: tunc iterum cera totum hoc, quod erit in fundo sublimatiorij cum pondere sui aquæ prædictæ: & tunc totum proijce in duplo sui aceti ter destillati in 2 lib. aluminis iameni candidi & bene plumosi, & omni die mouebis vel ter fortiter, donec omnia in dicto aceto soluantur: vel pone acetum illud cum prædictis in loco solutionis, quod melius est. Illis solutis, destilla per alembicum septies super fæces suas, & egredietur vel destillabitur aqua alba clarissima, qua vtere circa vltimam cerationem corporum & spirituum calcinatorum ad album; & cerabuntur cum ea velocissime cum Dei adiutorio eiusque virtute. Hæc enim est aqua alba permanens, aqua candida, & lac virginis, & acetum Philosophorum, & aqua serenans & penetrans, & aqua separans & coniungens, occulta ergo ipsam, & operare cum ea: Et extingue in ipso laminas æris separati, & fiet argentum melius, quam illud quod de mineris extrahitur.

Alio modo oleum album fixum philosophicum.

ACcipe cerussæ de frustro lithargyrij albissimi factæ, & cerussæ Iouis extracti cum arsenico ana lib. vnam, & cera eas & solue in duplo sui aquæ salis armoniaci præparati, & tunc destilla per alembicum, & imbibe inde lib. 1. vel lib. 2. argenti viui sublimati & calcinati albi: & iterum solue & destilla per alembicum toties donec aqua alba destilletur clarissima: Et tunc vtere ipsa circa vltimam cerationem rerũ ad album.

In pluribus libris inuenitur finis huius olei albi fixi sic: Quod postquam destillata est aqua alba clarissima, quod ipsa coaguletur coagulatione bona, & coagulabitur in laminam albissimam, quam cera ceratione bona & vltima cũ sale armoniaco & oleo animalis (seu vitellorum ouorum) prius rectificato albo, & proijce super æs separatum, & fiet argentum melius eo quod est de mineris. Et si laminam æris separati in aqua prædicta ante coagulationem extinxeris, fiet argentum optimum. Hoc autem oleum album fixum philosophicum, est oleum animale album fixum philosophicum, & oleum serenans & penetrans, & germinans & separans & coniungens; & cum hoc oleo retinetur omne volatile à fuga.

Oleum rubicundum fixum philosophicum.

ACcipe de sulphure citrino lib. 1. & vapora ipsum cum lib. 1. calcis viuæ, & libris quatuor aceti fortissimi albi: tunc renoua calcem super hoc sulphur ter, & postmodum renoua sulphur & calcem & sicca donec ipsum acetum optime rubificetur, tunc hoc acetum diuide per medium, & in vna medietate dissolue quartam partem, mitte limaturam ferri & æris quæ cum arsenico descenderunt, & dimitte totum stare in eo septem diebus: & omni die bis vel ter commoue: octaua die separa acetum à limatura: & limaturam ignias in cacia ferrea, & extingue in eodem aceto ter, & omni vice contere eam fortiter in mortario ferreo cum pistillo ferreo, & ablue in prædicto aceto antequam remittas ad igniendũ, & ita postmodũ reitera toties donec tota limatura in dicto aceto dissoluatur, & acetum illud sanguis rubicundus videatur: Et tunc destilla huiusmodi acetũ super fæces illas per alem

lembicū toties, donec ab eis rubicundissima destilletur semper super fæces suas reducendo, tunc hoc acetum serua ad partem: Deinde accipe aliam medietatem aceti quam superius reseruasti, & adiunge ei salis armoniaci, vitrioli Cyprini assati, de quolibet ana quartam partem sui, & contere fortiter, & fac ipsam morari in eo tribus dieb. sed omni die contere vitriolum fortiter bis vel ter in mortario ferreo, vt bene dissoluatur in dicto aceto: hoc facto destilla ab eis acetum cum alembico, tunc proijce fæces, & renoua huic aceto destillato atramentū vel vitriolum decies semper ad quartam partem aceti, & decima vice destillabitur rubeum vt sanguis, & inficiet omne quodcunq; tāget colore rubeo: Accipe igitur de duobus acetis iam rubificatis ana & iunge eis tantundem salis armoniaci præparati rubei (alibi tantundē aquæ animalis inhumatæ destillatæ & rectificatæ ter & præparatæ cum pondere sui arsenici) & ad lib. I. huius aceti infunde in eo vncias duas Mercurij sublimati rubei (& calcinati) & dimitte ipsum resolui in eum, & tunc pone totum in destillatorio & destilla insimul ter, semper super fæces suas. Reserua igitur hanc aquam, & colora cum ea quicquid vis: & lauda Deum qui eam tibi dedit: quia ipsa est preciosior omni precio: Quoniā si Lunam vel aliquod corpus dealbatum in ipsam extinxeris, efficietur Sol melior eo qui est de mineris.

Oleum rubicundum fixum philosophicum.

ACcipe croci Arabici calcinati, vitrioli Arabici viridis, frusti lithargyrij (alibi dicitur aurei) & stāni calcinati rubificati ana vncias 3. sulphuris vini, arsenici citrini sublimati rubei calcinati ana vnc. 6. Mercurij sublimati & calcinati rubei, salis armoniaci præparati, soluti, destillati, & rectificati cum oleo animalis destillato & inhumato & rectificato rubeo ana lib. I. conficiantur autem sic: In cera crocum Arabicum & chalcanthum viride, & frustum lithargyrij stanni cū sale armoniaco & oleo animalis prædicti, & quum bene rorata fuerint mitte ad soluendum donec soluantur in aquam peruiam & rubeam: Et tunc destilla per alembicum, & inde cera & imbibe sulphur & arsenicum prædicta, & tunc iterum mitte ad dissoluendum; & cum solutum fuerit destilla per alembicum toties donec clarissimum & rubicundissimū

deſtilletur, & tunc coagula illud in vaſe coagulationis, & cũ coagulatum fuerit, tunc cera ipſum vltima ceratione ſuper ignem leuem cum oleo animalis (ſcilicet vitellorum) ingrediente donec fundatur vt cera, tunc refrigera ipſum & proijce de ipſo pondus vnum ſuper centum pondera Lunæ, aut Iouis, aut Saturni ſeparatorum, & erit Sol optimus. Hoc autem oleum, eſt oleum philoſophicum, quod non accenditur, & oleum quod ardet in perpetuum, & oleum permanens, & oleum animalis rubeũ: Occulta ergo ipſum, precioſius eſt enim omni precio, quoniam ſi Lunam aut aliud corpus dealbatum in ipſo ter ante coagulationem extinxeris efficietur optimus Sol. (Nota ex hoc oleo dupliciter poſſe operari, ſcilicet ante congelationem in ipſo extinctionem faciendo: & poſt congelationem de illo puluere ſuper corpora fuſa proijciendo.) Cum hoc etiam oleo ante ſuam coagulationem coagulatur argentũ viuum cum quo erigũtur corpora, & cum ipſo retinetur omne volatile a fuga: Et hoc oleum occultauerunt Philoſophi, & cum eo fecerunt ex cryſtallo fuſo carbunculum, quia eſt oleum penetrans & colorans, & cum ipſo cerantur corpora & ſpiritus calcinati ceratione vltima ad rubeũ: operare itaque cum eo, & lauda Deum, qui ipſum dedit. Additiones.

Oleum benedictum ſic facias: Accipe lateres rubeos quos nunquam tetigit aqua, & accende in igne, donec igniti appareant, poſtea extingue eos in oleo oliuarum, tere ad modum ſimilæ, & imple ex eis ventres deſtillationis vitreatos, deinde prępara ſuper ventres capita eorum, & luta iuncturas luto ſapientię ita vt non reſpirent, poſtea mitte ſuper furnum deſtillationis, & non ſit velamen inter ventres & ignẽ, & intromitte ignem facilem ſub ventribus, donec deſtilletur rubeum vehementis rubedinis: cuſtodiatur ignis ne accendatur cum oleo, & non poſſit extingui, &c.

Alio modo.

Accipe tegulas nouas & ignias eas fruſtatim, & pone in vaſe plumbato ſtrictum os habente, & tunc pone intus oleum petroleon ſicut inuenitur venale, & bene cooperi ne inflammetur, & cum frigidũ fuerit, pura & accipe tegulas prędictas extinctas, & iterum ignias bene, & pone vt prius in oleum prædictum, & etiam de nouo ſi non ſufficiat illud ad cooperiendum tegulas, vt ſuperabundet ad denſitatem duorum

rum digitorum: Tunc iterum depura oleum & tegulas bene tere & pone in destillatorio fortissimo vitreo, & cum prędicto oleo cooperi & destilla lento igne primo, postea fortissimo quantum habere poteris, tunc facias ipsum oleum sic destillatum incombustibile sic: Accipe tegularum saracenicarum minutissime contritarum partes duas, calcis viuæ bene tritæ, & cribratæ partem vnam, salis armoniaci bene triti partem dimidiam, tosti salis partem dimidiam: sales bene misce, tunc incorpora cum isto puluere prædictum oleum ita quod non supernatet, sed sit parum madidum, ita quod pulueres dominentur, & quod oleum non dominetur pulueribus, & pone in vase vitreo & destilla primo lento igne, postea fortiori quo poteris: Et iterum in nouis pulueribus destilla vt dictum est, & sic fac toties donec sit incombustibile, quod probabis ad cādelam cum bombyce inuncto isto oleo, quod extinguet candelam. Parua quantitas istius olei præparati valet ad multam congelationem Mercurij, & subitam introductionem omnium spirituum fixatorum.

Oleum album philosophicum: Recipe partem vnam calcis corticum ouorum, & pone cum sex partib. albuminis ouorum: misce omnia simul, & pone ad dissoluendum per septem dies aut plus: postea destilla in cineribus ad lentū ignē, quousque tota aqua sit destillata, deinde reitera illā destillationem super suas fæces bene miscendo & destillando vt prius: Postea recipe quod in fundo destillatorij remanserit, & tere & imbibe cum aqua ex hoc destillata: & iterum destilla tot vicibus reponēdo super suas fæces quod nihil amplius destillet: sic reperies in fundo vasis lapidem qui erit albus vt crystallus, quem serua: Deinde recipe vnc. sex salis armoniaci, & vnc. sex olei ouorum septies destillati aut bene purgati, & vnc. sex lapidis albi supradicti: hæc omnia misce insimul & tere super marmor, & imbibe & sicca quousque biberit totam aquam & oleum: Et postquam totū fuerit sic bene immassatū, pone & dimitte in vase vitreo per spaciū quatuor dierū: Deinde proijce totum in vna libra aquæ albuminum ouorū & claude vas, in fimo & pone ad soluēdum per quindecim dies, & soluetur in aquam claram & albam vt lac: Et hoc est oleum completum album Philosophorum.

Fit etiam aqua seu oleum ex sanguine, ouis & capillis, & alijs, quæ dicitur etiam Philosophorum.

Ole-

Oleum rubicundum fixatiuum. Recipe vitrioli Romani lib.i. & semis, salis armoniaci, salis nitri, cinabrij boni & rubei ana lib.i. & fiat aqua fortis: Sed proijce lasciuam, id est, phlegma. In qua aqua forti extinguantur frusta laterum antiquorum candentia, siue laterum recentium nunquam tactorum ab aqua, & claudatur vas vsquequo materia fuerit infrigidata: postmodum frusta laterum extrahantur & puluerizentur, & in cucurbita alembico superposito ponantur, & destillentur aqua vel oleum vsquequo fæces siccissimæ remaneant: in quo liquore dissolue Mercurium bene mundificatum super lentum ignem & fixabitur, & rubificabitur, & erit materia liquida sicut theriaca vel butyrum: de qua fac proiectionem vnam super decem Lunę puræ, & conuertetur in colorem Solis fixum ad omne iudicium & examẽ, sed deficit in pondere nisi Luna primo fixetur.

Aqua seu oleum rubeum: R. atramenti & vitrioli rubificati, & parum salis armoniaci, & tantum limaturæ ferri, & pone insimul, & proijce acetum supra: & dimitte per 15. dies, & destilla decies aut pluries, quousque acetum destilletur rubeum vt sanguis, & qualibet vice renoua atramentum. Hactenus additio.

Crocum Arabicum, & Vitriolum Arabicum viride.

ACcipe limaturæ endanici (vel acerij siue azarij) partem vnam, & assa ipsam cum medietate sui arsenici citrini, cuius medietas sit separata solum, & alia medietas præparata ad comburendum corpora: Et fac ipsum descendere per botum barbatum donec albissimum & serenissimum descendat: Et renoua ei ter arsenicum supradictum: tunc frustum quod descendit lima subtiliter, & fac morari hanc limaturam in duplo sui de aceto vini albi fortissimi per septem dies, in quo prius sit soluta decima pars sui de sale armoniaco separato, & omni die commoue bis vel ter fortiter, & stet illud acetum ad Solem & in loco calido: septimo die extrahe limaturam ab aceto, & ignias eam in cacia ferrea ter, & omni vice cõtere eam ter fortiter in mortario ferreo, & ablue eam bene in dicto aceto, antequam ad igniendum reponas: & ita fac de septimo in septimum diem, donec limatura fere dissoluta sit in dicto aceto, & ipsum acetum sit rubicundissimum quasi sanguis: tunc destilla huiusmodi acetum

acetum per filtrum, & post destilla ipsum per alembicum, & id quod in fundo cucurbitæ resedit accipe: quia illud est oleum Arabicum. Et si vis facere vitriolum Arabicum viride, fac per omnia de limatura æris separati, vt fecisti de limatura endanici, & quod in fundo cucurbitæ resederit, illud est vitriolum Arabicum viride.

Ratio componendorum Elixirium ex prædictis speciebus præparatis.

Accipe limaturæ Lunæ separatæ lib. ß. sulphuris & arsenici separatorum, & calcinatorum alborum ana vnc. tres, Mercurij separati albi lib. i. tere hæc omnia insimul super porfidum, & imbibe cum aqua salis armoniaci præparati albi lib. ß. & tunc assa leui assatione: deinde tere & pone totū in aludel alembico superposito cum suo recipiente bene concluso, & pone super athanor sublimationis, & fac desubtus ignem leuem; donec tota humiditas per alembicum in recipientem ceciderit, & tunc vigora ignem paulatim per per duos dies & duas noctes, donec vna pars medicinæ ad latera vasis ascendat, & alia in fundo eius figatur: & tunc dimitte infrigidari, & fracto vase, id quod ascenderit superius, tere fortiter, & misce fortiter cum eo quod remansit inferius, & redde ei aquam suam, quæ ab eo destillauit, & assa totum igne mediocriter fortiori, scil. quā prius aliquantulum, & tunc iterum tere, & ad sublimādum vt prius remitte: & sic reitera sublimationem, contritionem & assationem paulatim vigorando qualibet vice assationem, donec nihil penitus sublimetur, sed totum in fundo vasis remaneat. Hoc facto, tere totum illud quod in fundo erit, & imbibe imbibitione rorida cum ℥.i. aquę prædictæ, alias cum ℥.i. olei philosophici albi: & tunc pone totum ad descendendum in imbercatum (puto vas vel alembicum) & fac sub eo ignem fortem per diem vnum, & fortiorem per alium, & tertio die fortissimum per tres dies & noctes, sicut est ignis fundendi: tunc frange imbercatum, & laminam vel frustum quod in eo inueneris, cera vltima ceratione in crucibulo tenui super ignem cum oleo albo philosophico guttatim proijciendo de ipso, donec fundatur velocisß. vt cera, & tunc extrahe crucibulum ab igne, & cum infrigidatum fuerit, ex hac medicina pondus vnum super

50. æris

50. æris ſeparati pone, & fiet arg. bonum cum Dei auxilio & eius virtute. Si autem medicinam prædictã cum fixa eſt in fundo aludel, vel poſt deſcenſionem ad ſoluendum poſueris, fiet aqua clara, & tunc ipſam coagulaueris in lapidem, & hunc lapidem ceraueris cum oleo dicto in crucibulo ſuper ignem, ſcias quod labor tuus multiplicabitur. Et ſi poſtquam ſoluta fuerit, ipſam ſemel ad minus per alembicum deſtillaueris, antequam coagules ipſam in lapidem, augmentabitur adhuc eius bonitas & fructus laboris tui. Item ſi acceperis limaturæ Lunæ lib. 1. ſulphuris & arſenici ana ℥. 3. Mercurij lib. ß & proceſſeris, vt ſupra dictum eſt, ſcias quod operatio non tantum valebit vt prius, & adhuc minus valeret, ſi minus de ſpiritibus apponeres.

Si autem hunc proceſſum vis ordinare ad rubeum, tunc accipe ſpiritus ſublimatos & calcinatos rubeos, & aquam ſalis præparati rubei, & oleum rubeum, & tunc procede per omnia, vt dictum eſt: Et medicinam proijce ſuper argentum ſeparatum, & fiet aurum bonum: Et ſi loco limaturæ Lunæ, limaturam Solis poſueris, adhuc operatio erit melior.

Compoſitio veriſſimi Elixiris ad album.

Accipe argenti viui præparati albi lib. ſemis, & ſolue ipſum in duplo ſui aquæ ſalis armoniaci præparati albi & ſoluti, & deſtilla per alembicum, & inde imbibe lib. 1. argenti viui ſoluti, calcinati, albi: & illam ſolue & deſtilla per alẽbicum, & inde imbibe ſulphuris & arſenici ſublimatorum, & calcinatorum alborum vna vnc. 3. & iterum ſolue & deſtilla ſepties, quod eſt vltimum. Tunc coagula illud deſtillatum, & tunc tere hunc lapidem, & rorando imbibe ipſum ex vncijs tribus olei prædicti philoſophici (alias ex vncijs tribus aquæ prædictæ) & tunc fac ipſum deſcendere in kimiam, & cum deſcenderit, fac ſub eo ignem leuem duobus diebus cum ſuis noctibus, & poſt mediocrem duobus alijs diebus cum ſuis noctibus, & fortiſſimum, die vna cum ſua nocte, & tunc infrigidari permitte, & frange Kimiam (eſt vas) & laminam cryſtallinam quam in fundo eius inueniens, accipe, & tere ex ea vnc. 1. quam cera ſuper ignem leuem in crucibulo tenui cum oleo philoſo-

phi-

phico albo, proijciendo guttatim desuper, donec fundatur vt cera: dimitte ergo eam infrigidari, & tunc proba eam super laminam ignitam: quia si se resoluerit velocissime vt cera sine fumo, cerata est: sin autem, reduc ipsam ad crucibulum super carbones guttãdo desuper oleum prædictum guttatim donec sic contingat: Et tunc proijce ex ea pondus vnum super quinquaginta æris separati, & fiet argentum optimum.

Si autem hunc processum vis ordinare ad rubeum, accipe prædictos spiritus præparatos ad rubeum, & oleum rubeum similiter, & tunc procede per omnia, vt dictum est, & proijce medicinam super arg. separatum, vnciam scilicet vnã super quinquaginta, & fiet Sol optimus.

Modus componendorum Elixirium cibando.

Accipe de limatura argenti separati lib. semis. arg. viu. semel sublimati & reuiuificati sublimando cum calce viua libram I. ciba itaque ipsum cum prædicta limatura, & tere fortiter insimul in mortario lapideo, donec argent. viu. limaturam biberit, & fiat quasi butyrum: ita quod limatura non sentiatur, & terendo ablue fortiter cum aceto, & sale communi separato, donec acetum exeat inde clarum: tunc ablue inde salem cum aqua dulci, & permitte siccari, & cum siccatum fuerit, addes ei sulphuris & arsenici sublimatorum calcinatorum alborum ana vnc. 3. & contere insimul fortiter, donec fiat quasi vnum corpus, & illud corpus imbibe & incera cũ vnc. 6. aquæ salis armoniaci sublimati, soluti & rectificati, & tunc pone totum in aludel cum suo recipiente bene concluso & lutato luto sapientiæ: & pone ipsum super athanor, & fac sub eo ignem leuem donec humiditas per alembicum in recipientem ceciderit: & tunc vigora ignem donec totum sublimetur quod ascendere voluerit: Tunc sine vas infrigidari. Et ipso discooperto id quod eleuatum est superius reduc super fæces suas terendo & reddendo sibi aquam, quæ ab eo destillata est: Tunc repone in aludel prædicto ad sublimandum & ita fac, donec inde nihil possit sublimari, semper reddendo ei aquam suam. Tunc pone totum ad descendendum cum Kimia (seu vase apto) vt prædictum est supra, & frustum vel laminam quam in fundo vasis inuenies cera vltima creatione in crucibulo

super

super ignem cum oleo ingrediente: & tunc ex hac medicinâ proijce pondus 1. super 50. æris separati & fiet Luna bona. Et si medicinam cum descẽderit & fixa fuerit per decoctionem solueris in aquam peruiam, & eam congelaueris, & congelatam ceraueris vltima creatione, vt dictum est; tunc duplicabitur in proiectione.

In quibusdam libris inuenitur finis huius operationis aliter sic, vt inueni ita scriptum cap. vltimum ex lib. Secretorũ ad faciendum Elixir album & rubeum perfectiss. nec est opus alio, quando perfeceris istud: Quod cũ ex limatura argenti lib. ß. & lib. 1. Mercurij, vt supra sublimati, & sulphuris calcinati albi, & (vt puto) arsenici ana ℥.3. factum est quasi vnum corpus, tũc illud corpus ponatur in crucibulo bene lutato, & crucibulũ ponatur in cinere calido tota nocte in latere dextro, alia nocte in latere sinistro, & in mane extrahatur, & fracto crucibulo ponderetur quod est in ipso: & si est tantum quantum erat quando positum fuerit intus ad assandum, bene est: sin autẽ, cõpleatur ei pondus suum de solo Mercurio viuo prædicto, & iterum mitte ad assandum prædicto modo: & sic ita fac, donec habeas pondus primum. Hoc facto, cera totum illud cum aqua salis armoniaci præparati albi, & tunc pone in Kimia ad descendendũ, & post fac subter ignem per diem integram, vel vt prædictum est supra. Et tunc cera huiusmodi medicinam cum oleo dicto: & tunc proijce ex ea pondus 1. supra viginti æris separati, & fiet optima Luna. Et si post descensionem solueris & congelaueris, & post ceraueris, plus valet.

Et si hunc processum vis ordinare ad rubeum, tunc loco limaturæ argenti ponatur limatura auri; & aliæ species rubificatæ, & procedatur nec plus nec minus, vt prædictum est, & tantum argenti separati conuertet in aurum optimũ; quantum & prædicta medicina conuertit æris in argentum. Item si postquam medicina assata est secundum processum vltimum; & completum est pondus eius per assationem, si ipsa imbibatur cum aqua salis armoniaci separati albi; & sublimetur in aludel, donec de ipsa nihil ascendat; & post descendat & procedatur vlterius; vt dictum est; ipsa melior & fortior erit; siue medicina sit ad album; siue ad rubeum. Item si medicina post descensionem soluatur in aqua; & post destilletur per alembicum semel ad minus, & tunc cõgele-

geletur, & congelatum ceretur cum oleo dicto, adhuc erit melior & fortior: fac ergo sicut volueris, quia vltra Dei auxilium non posset aliud.

Rectificatio occulti lapidis.

Occultus noster lapis benedictus de re animata est, sicut dixit Hermes: Verum sine mendacio, certum certissimum. Sublimabis subtile à spisso suauiter cum magno ingenio, & ascendat à terra in cœlum, iterumque descendat in terram vsque dum bene rectificatum fuerit. Additiones.

Compositio Elixiriorum: R. auripigmenti præparati, & ter sublimati, & tantundem Mercurij purgati & sublimati ter, & tantundem calcis Lunæ purgatæ, & tantundem salis armoniaci purgati & sublimati ter, & misce has res insimul super porfidum, & tere insimul & sicca ad Solem: deinde iterum tere & appone de aqua tartari, & tere bene, & sicca ad Solem: deinde iterum tere, & pone de aqua, & postea sicca, & ita fac decies aut duodecies, quousque facias quod sit vt vnguentum: & quod partes ad inuicem subtilientur terendo, imbibendo & exiccando: Et si velis loco aquæ tartari potes apponere aquam albuminis ouorum, aut aquam sanguinis rectificatam, aut aquam Lunæ aut stanni. Et postquam tu imbiberis & siccaueris tuam medicinam decies aut duodecies, vt dictum est, tere iterum, & appone de aqua cum qua prius imbibisti, quousque sit magis mollis quam pasta, & pone in phiala vitri in vno vase terreo quod vocatur Solutorium, & claude bene cum panno lineo, & terra aut pasta, & pone in fimo equino bene calido, & cooperi circumquaque, & dimitte tamdiu in fimo quousque totum dissoluatur in aquam & de septimo in septimum, aut octauum aut nonum renoua fimum calidiorem. Et si vis fimum tuum calefacere proijce desuper de aqua frigida & calefiet: Et ita fac de omnibus rebus quæ sunt fortes & duræ ad resoluendum & conuertendum in aquam, quando volueris eas resoluere. Et si accideret quod infra 4. dies aut plus non vellent resolui, pone super marmor, & tere iterum aquam desuper, & sicca bene, & pone iterum ad solem, tere & appone aquam & sicca, ita facias vt prius diximus: Deinde pone ad dissoluendum in fimo, vt diximus. Et si accideret quod tua medicina exiccaretur, extrahe & tere, & pone aquam, vt supra di-

ctum est, & sicca ad Solem, vt dictum est: & hoc sæpe quousque materia sit bene oleaginosa: deinde pone ad resoluendum, vt dictum est supra. Et quando fuerit dissoluta in aquam, pone phialam in vno destillatorio pleno cineribus vsque ad iuncturam cooperculi, & sit phiala discooperta, & claude destillatorium & luta iuncturam: postea fac subtus paruum ignem velut cum fit aqua rosacea: & quod destillabitur recipe & serua, & facies ignem per 24. horas aut plus, quousque medicina sit sicca, & quod non videas plus de fumo exire per canalem destillatorij: tunc depone ignem & dimitte infrigidari. Et est bonum quod phiala vbi est medicina, habeat largum os, vt fumus inde melius possit exire propter phialam quod non rumpatur. Deinde remoue medicinam de phiala, & tere super marmor, & appone desuper aquam quam tu inde destillasti, & tere bene & sicca ad Solem, vt prius, & pone ad resoluendum in fimo. Et si non fuerit satis de aqua ab ea destillata, appone de aqua, de qua prius imbibisti, quando primo posuisti ad dissoluendum: Et scias quod resoluetur in multo minori tempore quam prius fecerat. Et quando erit resoluta, pone in destillatorio, & congela & sicca sicut prius fecisti, & serua aquam quam inde destillabis: Deinde tere iterum, & pone aquam desuper & exicca, vt prius ad Solem, & pone ad resoluendum & postea ad congelandum: & ita facias quater aut quinquies aut sexies, quousque totum sit fixum, & expectans ignem: quia tantum poteris resoluere & congelare, quod nihil inde amplius destillabit, quando tu cōgelabis, & tūc dicitur esse fixum: Et iam scias, ꝙ quando tu resolueris tuā medicinam quater aut quinquies tu destillabis illam per filtrum & postea pone in phiala vitri, & phialam pone in vno potto pleno cineribus & sit phiala clausa leuiter cum panno lineo, ita quod fumus possit inde modicum exire, & fac desubtus lentum ignem sub potto per diem & noctem aut plus, quousque tua medicina sit in lapidem congelata album vt est crystallus, & serua: Sed nota quod modus congelandi in destillatorio est securior quam alter. Et quando tua medicina est congelata, tere eam, & pone desuper oleum sanguinis, aut ouorum rectificatum, aut de oleo communi destillato septies cum sale armoniaco & calce viua, aut de oleo trium specierum (seu spirituum) aut de oleo albo Philosophorum: & non apponas multum de illo: Et postea mitte si-

te simul de aqua cum qua imbibisti, quando posuisti ad soluendum. Postea tere insimul, & pone ad resoluendum vt prius, & postea congela. Et quando erit congelata, tere de ea modicum, & calefac laminam cupri & pone de hoc puluere supra: & si fundatur desuper & dealbet laminam, tuum Elixir est completum: & si hoc non faciat, tere iterum tuam medicinam, & pone in crucibulo super ignem, & appone desuper 5. aut 6. guttas alicuius oleorum ante dictorum, & toties facias quousque videris signum dictum, & ita serua. Et nota, quod si pluribus vicibus resolueris medicinam, etiam plus valebit plures partes tingendo. Et potest fieri istud Elixir absque calce argenti, sed non tantum valebit, sed citius fit, quia citius resoluitur sine illa calce: & illud proijcitur supra cuprum præparatum & conuertit in Lunam.

Alia compositio Elixirij. R. partem vnam auripigmenti præparati & sublimati ter, & tantum Mercurij, & tantum sulphuris præparati & sublimati ter, & tere bene, & pone desuper de aqua salis armoniaci præparati & sublimati ter, & imbibe & incera, & exicca ad Solem: & ita fac decies aut duodecies, aut plus, quousque bibant suum pondus de sale armoniaco quinquies aut sexies. Deinde pone ad dissoluendum vt diximus, & renoua fimum ad tres, quatuor aut quinque dies, aut in tribus septimanis: Et quando erunt resoluta, congela in destillatorio in cineribus, & postea imbibe cum aqua quæ inde exierit destillata, & cum aqua salis armoniaci vt prius, & tere bene, & incera & sicca ad solem pluries, & pone ad dissoluendum: deinde congela vt prius: Postea tere & pone aquam desuper, quę inde erit destillata, & de oleo trium specierum, aut de oleo albo Philosophorum & tere bene, & pone ad soluendum: deinde congela vt prius, & habebis in fundo vasis lapidem album: & appone desuper de oleo dicto septem aut octo guttas, & pone ad soluendum: deinde ad congelandum.

Alia compositio Elixiris, quæ dicitur melior.

R. lib. 1. calcis Lunæ præparatæ, & tres vnc. sulphuris præparati & sublimati ter, & tres vncias auripigmenti præparati & sublimati, & lib. vnam Mercurij præparati & sublimati, & tere bene omnia simul, & appone aquam salis armoniaci præparati & sublimati, & exicca super paruum ignem carbonum

& cinerum, & quando fecerint magnum fumum, remoue patellam ab igne, & pone longe ab igne: sed melius valeret siccatum ad Solem. Et quando erunt omnia sicca, tere & pone in destillatorio, & facias paruum ignem quousque tota humiditas sit inde destillata, quam serua. Postea fac fortem ignem quasi sublimationis, & facias ignem tribus diebus & tribus noctibus, & tunc sumblimabitur vna pars illius medicinæ, & alia remanebit in fundo: Dimitte omnia infrigidari, & tere omnia simul, scilicet quod sublimatum est, & quod remansit in fundo, & pone cum aqua, quæ exinde destillata est, & sicca modicum, & postea pone ad sublimandum vt prius, & toties sublimabis hoc modo, quod tota medicina remanebit in fundo & quod nihil amplius de ea sublimetur: Deinde tere & incera, pone desuper 1. vnc. aut 2. de oleo Philosophorum albo, & pone in descensorio, & fac descendere vt fecisti auripigmentum. Et facias primo die subtus paruum ignem, & secunda die fac fortiorem, & tertia die fac fortissimum, quasi esset ignis fusionis cupri. Et ita dimitte infrigidari, & reperies in coopertorio descensorij lapidem album, quem recipe & tere, & pone in crucibulo super ignem, & proijce desuper duas aut tres guttas olei albi Philosophorum quousque fundatur vt cera: Tunc depone crucibulum ab igne, & tuum elixir est perfectum: & de hoc proijce vnam partem super quindecim cupri præparati, & totum erit argentum. Et si vis ampliare virtutem tui Elixirij, tere iterum bene, & pone desuper de aqua salis armoniaci prædicti, & 2. aut 3. guttas olei albi Philosophorum, & pone ad dissoluendum: deinde congela, vt prædictum est, & serua: Et poteris proijcere super 80. aut 100. sed experiaris.

Alia compositio Elixirij. R. lib. 1. Mercurij sublimati & imbibe terendo cum aqua salis armoniaci & sicca: deinde tere & pone duplum sui ponderis de aqua salis armoniaci, & pone ad dissoluendum per 8. dies: deinde destilla per destillatorium, & pone in illa aqua 2. vnc. auripigmenti sublimati: deinde pone ad dissoluendum & congelandum septies aut plus, aut ter vel quater & vltimo congela in lapidem durum: deinde tere & pone desuper de oleo albo Philosophorum, & fac descendere in descensorio, & facias paruum ignem per 2. dies & 2. noctes, & vltima die ita forte sicut ad fundendum cuprũ: post-

postea dimitte infrigidari, & tu reperies in vase lapidem crystallinum: de quo accipe parum & tere, & pone in crucibulo super ignem, & proijce desuper 2. aut 3. guttas olei albi Philosophorum quousque fundatur vt cera, & dimitte infrigidari, & pone de illo modicum super laminam calidam ferri aut æris, & si fundatur absque fumo, bene est: si non, tere iterum, & pone in crucibulo, & proijce desuper de oleo dicto quousque signum iam dictum appareat: & proijce vnam partem super quinque cupri præparati, & efficietur Luna. Et si velis dissoluere aut destilare & congelare semel aut bis augmentabitur virtus elixirij.

Alia compositio Elixirii ℞ ℔.ß. calcis Lunæ præparatæ, & totidem Mercurij lauati non sublimati, & pone calcem super Mercurium, quousq; biberit totam calcem, & fiat sicut butyrum, & nihil sentias ad digitum, quin totum sit molle: deinde laua cum aceto & sale præparatis, quousque acetum exeat clarum: postea proijce desuper aquam calidam quousque extraxeris salem, & aqua exeat vel efficiatur dulcis: deinde dimitte siccari, & quando siccum fuerit, pone cum duabus vncijs auripigmenti bene sublimati, & tantundem sulphuris bene sublimati, & tere insimul quousque totum misceatur in vnum, & appone 7. aut 8. vncias aquæ salis armoniaci purgati & sublimati bene, & pone in destillatorio, & cooperculum desuper, & facias subtus paruum ignem quousque tota humiditas inde exierit, quam serua: Deinde fac fortem ignem quasi sublimationis, quousque totum sublimetur, & dimitte totum infrigidari & quod inuentum fuerit in coopertorio, tere cum eo, quod remansit in fundo vasis, & desuper pone aquam, quæ inde destillauit, & tere bene iterum, & pone adhuc in destillatorio, & inde destilla aquam ad lentum ignem, & fac post magnum ignem, qualis est sublimationis, & misce sublimatum cum fæcibus & imbibe cum aqua, & sublima vt prius, quousque nihil plus sublimetur. Deinde tere & appone de oleo albo Philosophorum in crucibulo super ignem, & proba super laminam ferri calidam aut cupri, quousque fundatur vt cera, & erit completum: vna pars super quindecim cupri, & per iteratam solutionem & congelationem augebitur virtus eius. Hactenus additio.

Compositio aquæ vitæ simplicis, & rectificatio eiusdem.

OCculti igitur lapidis albi recentis quantum vis assume,

me, quem subtiliter commisces in vitreata scutella & commollies sine omni re alia, ibique fermentari per diem & noctem dimitte: deinde in vase vitreo bene sigillato, vt non respiret ad humandum per 21. dies pones, ita quod singulis hebdomadis renouetur fimus. Completo itaque hoc numero, pone de lapide lib. semis in aludel vitreo, alembico superposito cum suo recipiente bene sigillato cum luto magisterij vt non respiret, & pone aludel super laterem (potius larem) præparatum cum suis vasis aqua & cinere mediante vt scis, & fac à principio ignem leuem per tres horas: Postea vigoretur ignis paulatim vsque dum tota aqua eius candida destilletur. Hanc autem aquam vocauerunt Philosophi Sal armoniacum, arg viuum, lac virginis, aquam vitæ, & aquam penetrantem & serenantem, ac domum illuminantem. Hęc enim aqua candelas accendit & omnes obscuritates fugat à domo in qua rectificata fuerit vsque in finem cum tota sua substantia, id est ipsamet & oleo eius, & igne & terra calcinata sicut scis. Destillata autem huius aqua prima vice, vt dictum est, inhuma iterum eam per vnam hebdomadam vt dictum est, tunc destilla iterum per alembicum vt prius, & sic itera tribus vicibus: Hoc facto destilletur iterum sine inhumatione tribus vicibus cum cinere sine aqua. Postquam autem huiusmodi aqua septies destillata fuerit, proba aliquantulum de ære ignito ad modum scilicet nummorum extinguendo tribus vicibus in ipsa, quia si dealbentur intus & extra, bene est: & si non, reduc eam ad primum opus, donec sic contingat: Et tunc serua eam in vase vitreo bene sigillato cum cera.

Olei rectificatio.

Simili modo oportet vt rectificetur eius oleū cum humatione & destillatione ita vt fiat album: cum probatione æris similiter, vt dealbetur in eo: & tunc serua ipsum ad partem in vase vitreo bene sigillato. Ignis vero remanebit in fundo vasis siccus & niger, quem seorsum repone in vase vitreo bene concluso.

Rectificatio terræ.

His peractis, exteriora lapidis à tela purgabis, & in vitreato vase bene cocto & nouo vndique argilla circumlutato diligenter cooperculo terreo cooperto, in quo scilicet cooperculo sunt tria foramina parua, repone: & in furno figuli octo

octo diebus dimitte, vt niuis candorem assumat. Huius calcis parti vni sex partibus aquæ prædictæ adiunctis vas vitreum vsque ad duas partes impleatur alembico superposito cum suo recipiente, & clausis iuncturis cum luto magisterij, ita vt non respiret, ipsumque in alio vase fictili ferreo, cribrato cinere pleno reconde: deinde in alio vase cum aqua ponatur, & subijce lentum ignem (nota hunc destillationis modum, quia singularis est & lentissimus) per totam hebdomadam, vel vsque dũ nihil aquæ vitæ destilletur: Postea die vna & nocte refrigerari dimitte, & inuenies in fundo vasis laminam crystallinam, cui redde ei aqua suam, quæ ab ipsa destillata est, vsque dum eam totam ebiberit: & tunc serua eam ad partem vsque dum dicam tibi. His peractis, accipe salem armoniacum sublimatum ter & solutum & destillatum per alembicum, & coagulatum, & iterum solutum & destillatum & coagulatum, & itera tertia vice: Et si solutum fuerit septies cum aqua vitæ, & destillatum & coagulatum qualibet vice, & in fine resolutum in aqua, soluit omnia corpora calcinata, limata, & etiam combusta: & spiritus omnes calcinatos & sublimatos solutione mirabili in crucibulo super ignem in vna hora cum Dei auxilio & eius virtute.

Compositio aquæ vitæ completæ & perfectæ.

COmponamus aquam nostram philosophicam cum Dei adiutorio, & eius virtute. R. de aqua salis armoniaci soluti & destillati ter ad minus vncias sex, olei prædicti rectificati vt dictum est vncias sex (vel septem) misce hæc duo, & inde imbue super porfidum vel super tabulam vitream vncias sex de prædicta lamina paulatim donec totum ebiberit: & cum totum absorbuerit, dimitte fermẽtari in simili vase vitreo tribus diebus: quarto autem die proijce hoc creatum in duabus libris aquæ vitæ prædictæ in solutorio positæ, & sigilla os bene ita vt non respiret: & inhuma per quindecim dies: & decimasexta die inuenies laminam solutam in aquam albam vt lac. Et hæc est aqua vitæ completa, & oleum Philosophorũ vel philosophicum, & aqua penetrans & serenans, candelas accendens, & domum illuminans, per quam omnes Philosophi sustentati sunt. Et cum hac aqua retinetur omne volatile à fuga, scilicet Mercurius, sulphur, arsenicum, & aquila: Mercurium dico sulphur & arsenicum sublimata & calcinata: quæ omnia quomodo fiant, dictum est superius.

Additiones.

Rectificatio olei communis ad cerationem spirituum & ingressum faciendum. Recipe olei communis quantum vis, & cum calce viua optimè confice vt sit vt farinatum: & quidam ponunt de sale communi & sale tartari, & ita per duos dies dimitte, postea per alembicum destilla, & renoua super ipsum destillatum calcem & destilla quater donec nõ comburatur.

Alij faciunt prius bullire oleum cum multa quantitate aquæ, & ita immunditia descendit ad fundum: deinde colant oleum quod natat superius, & ponunt cum calce viua in vase ad destillandum, & destillant semel, & seruant in vase clauso.

Oleum incombustibile ad incerandum Elixir ad album. Recipe Mercurij fixati per circulationẽ cum aqua lapidis occulti albi rectificati à calce corticũ, & pone in furno resolutorio cũ tertia parte aquæ Mercurij, & die quarta dissoluetur in oleum album fixum incombustibile, & non rectificatur alio modo, nisi quòd aqua separatur per destillationem, & oleum manet in fundo vasis, quod non potest destillari nisi cum maximo labore causa suæ fixationis, quia repugnat & perseuerat in & contra ignem: & cum hoc oleo potest fixari omnis Mercurius sublimatus, & dissoluit omnia corpora, quia est ex natura metallina: Et cum eo incerantur magna Elixiria: & bene seruetur in loco calido iuxta ignem, quia est naturæ calidæ: ergo si poneretur in loco frigido congelaretur in durum lapidem fusibilem similem marmori albo, qui postea non posset dissolui nec venire ad talem distemperantiam causa suæ infrigidationis.

Nota quòd fit quædam destillatio olei cum virgis paruis positis in fundo cucurbitæ, & attingunt summitatem, & ascendit oleum per virgas illas superius, aliter non ascenderet, & debent esse virgæ paruulæ & decorticatæ: & credo quòd de ista destillatione loquitur Arist. cùm dicit. Modo scias quòd olei destillatio fit secundum tres modos: & est in capite de L. maiori.

Sed scias quod Rasi certe loquitur de illa destillatione cum virgis myrti, in suis libris de 70. de 30. verbis: dicens libro de 70: Sic etiam oleum, dum aliena sequaris vestigia manabit.

Com-

Compositio Elixirij Benedicti.

COmponamus igitur Elixir nostrum benedictum cum Dei auxilio & eius virtute. R. Mercurij sublimati & calcinati lib. 2. sulph. & arsenici sublimatorum & calcinatorum ana lib. 1. & de aqua animalis philosophice composita, & rectificata iam dicta vnc. 13. & de huius aqua imbibe spiritus prædictos paulatim super porfidū, aut in parapside vitrea, q̄ melior est, cum pistello vitreo donec totum bibit: & cum hoc factum fuerit, pone totum illud in aludel ad sublimandum alembico superposito cum suo recipiente & bene sigillato cū luto magisterij, vt nullo modo respiret: & tunc pone aludel super athanor, & fac desubtus ignē leuem de carbonibus, donec tota humiditas in recipientem ceciderit, postea vigora ignem mediocrem quasi per sex horas, & tunc sine vas infrigidari, & cum infrigidatū fuerit, quod intus est extrahe & pone in paropside vitrea: & si aliquid de ipso supereleuatum fuerit, reduc super fæces suas cum pistillo vitreo suauiter, & reddendo sibi totam aquam, q̄ ab eo destillata est: Et postea da ei potandum alias 13. vnc. aquæ philosophicæ prædictæ, & cum totum biberit, remitte ad sublimandum vt prius: quod si pigritauerit ad sugendum vel bibendum, assa ipsum in aludel cum ampliori ore semper alēbico superposito cum suo recipiente & bene sigillato, quod non respiret, & hoc fac cū lento igne donec totum ebibat, & tunc sublima vt prius fecisti: tertia vice reduc super, si aliquid eleuatum fuerit, & da ei ad bibendum alias 13. vncias aquæ prædictæ, & redde ei aquā suam similiter vt prius suauiter terendo donec totum biberit, & tūc sublima vt prius. Quarta autem vice redde ei aquam suam tantum, & sublima vel destilla, & hoc ex tunc fac toties semper reddendo ei aquam suam, quæ ab eo destillat tantum, & reducēdo inferius quod superius eleuatur si aliquid fit, donec inde penitus nihil destilletur. Et cum ita factum fuerit, inuenies in fundo vasis laminam crystallinam stantem, penetrantem, profundantem, tingentem, & permanentem: cuius vna pars si super 50. partes Veneris proiecta fuerit, ipsam in verissimum argentum transmutabit. Hermes dixit in secreto suo vnum super mille. Rogo te per fœdus Domini ne hoc secretum alicui ostendas nisi filio nostro: Et quicunque de hoc arcano secreto dignus fuerit, noster erit filius: & Deus alleuiet super te. Tu autem cum exaltatus fueris super omnes

circulos mundi huius Lunaris, memento visitare & distribuere pauperibus & pupillis, viduis, & similibus, & eis succurrere in tribulatione eorum, vt valeas in die iudicij audire verbum Domini promissum, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: infirmus fui, nudus fui, sitiui, & omnia necessaria dedisti mihi cum visitasti pupillos & viduas, & his similes propter nomen meum: centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Amen.

Explicit liber perfectionis.

LIBER PERFECTI MAGISTERII, QVI LVMEN LVMINVM NVNCVPATVR ET VERE, QVIA IN EO DICTA OBSCVRA *Philosophorum in arte Alchemiæ optime deteguntur. Vocatur etiam Flos Florum Arnaldi de Villanoua, longe correctior & melior hactenus impressis.*

SCIAS, charissime, quod in omni re creata sub cælo, sunt quatuor elementa, non visu, sed virtute. Vnde nostri philosophi sub velamine scientiæ elementorum, istam scientiam tradiderunt: & operati sunt aliqui ad literam intelligentes, ex sanguine, capillis, ouis, vrina, & alijs, vt ex illis primo extraherent quatuor elementa, & cum eis opus perficerent, separando per destillationem à prædictis primo aquam claram, deinde oleum in superficie citrinum, quod dicitur continere ignem & aerem, & terra nigra in fundo remanet. Postmodum cum aqua terram abluunt, & dealbant imbibendo ipsam, & decoquendo, & destillando aquam illam toties, donec terra dealbetur: deinde reddunt ei oleum suum ad ignem præparatum, imbibendo, & destillando, quousque prædicta terra totum bibat, scilicet aquam, & oleum, & tincturam, donec compleatur eorum phanthasia: postea accipiunt istam terram siue lapidem & proijciunt super corpus fusum, videlicet super cuprum vel aliud

aliud, & breuiter nihil inueniunt, quia totum est phantasticum: & tamen faciunt secundum quod philosophi dicunt in suis libris quantum ad literam, & sic in errorem ceciderunt, non inuenientes introitum. Et causa errorum illorum est, quia in indebita materia operati sunt: quia certum est quod non generatur ex homine nisi homo, & ex equo nisi equus. Cum igitur ista materialia sint à natura metallorum penitus aliena, impossibile est ex eis fieri generationem in metallis: quia metalla non generantur nisi ex suis spermatibus proprijs: ideo perquirendum est quid sit sperma metallorum, & sic habebimus totum magisterium: quia non inuenitur in re, quod in ea non est: non sunt autem metalla in capillis, & huiusmodi. Dictum est autem sperma metallorũ Mercurius, & origo eorum, & hoc est certum: & ita omnes philosophi dixerunt: quod vsus & ratio docent esse verum, vt inferius declarabo. Prędicta autem, scilicet sanguis, capilli, & huiusmodi, non sunt Mercurius: ex eis igitur non possunt fieri metalla, seu eorum transmutatio. non sunt prędicta lapis noster, licet sunt scripta ad exemplum. Quidam alij accipiunt quatuor spiritus, quia ita nominantur ad literam, scilicet sulphur, arsenicum, sal armoniacum, & Mercurius: & dicuntur spiritus, quia ab igne fugiunt, & euolant in fumum; & ista accipiunt loco quatuor elementorum, videntes quod philosophi dicunt in libris suis, scientiam esse in spiritibus: & istos sublimant sublimatione vulgari, non philosophica, & faciunt ipsos ascendere, vt sint naturæ aereæ: & postmodum fixant decoquendo, & calcinando, vt sint naturæ terræ: postea soluunt, vt sint naturæ aquæ: postea destillant, vt sint naturæ ignis: & ista componunt iuxta libros ad literam, credentes habere scientiam elementorum. Et composita simul proijciunt supra corpus imperfectum, & inuenerunt nihil. Hęc causa eorum errorum est vna, quia ista non sunt sperma metallorum perfectorum, nec imperfectorum, excepto Mercurio & sulphure, quod est eius coagulum, sed ad istam coagulationem nos attingere non possumus: facit enim natura per suam virtutem, & per magnum spacium temporis, ad quod vita hominis durare non potest: ex eis igitur impossibile est, quod sit generatio metallorũ, seu transmutatio. Sunt alij, qui sulphure & arsenico, & similiter amborũ commistione laborẽ impendũt diuersis opeationibus; veni-

venientes autem ad proiectionem, viderunt eos aduri & euanescere, & nõ in corporibus longam moram trahere, sed corpora relinq ab eis magis immunda, quã prius fuerant: & causa est, quia sulphur & arsenicum in igne cito cõburuntur, & in carbonẽ reducuntur. vnde nec per se, nec iuncta corporibus, vt sanguini vrinæ, vel huiusmodi, sunt lapis noster, seu medicina. Qua igitur ad generationem hominis nõ fit alicuius rei permistio nisi spermatis, & sic de alijs generationibus naturalibus: sic magisterium nostrum commistione alicuius non egeret extranei. Quidam credunt in salibus & aluminibus scientiam inuenire, & eos soluunt, calcinant, & coagulant, & fundunt, & præparant: alij per se solum proijciunt super corpora imperfecta: alij commiscent spiritibus, aut corporibus præparatis, sed in proiectione nihil inueniunt: & causa est eadem cum præcedentibus. Quidam ex solis metallis credunt medicinam eligere, & pparant ea calcinando, soluendo congelando & pijciunt super corpus, & decepti sunt: quia error illorum est, quia sperma scilicet metallorum, ab initio non ceperunt, sed corpus, vt est in natura sua. Qui subtilius intuentes, considerauerunt Mercurium esse metallorum principium, & ipsorum originem calore sulphureo decoquente: & sublimarunt per se Mercurium: postea eum fixauerunt, soluerunt, & congelauerunt: venientes igitur ad proiectionem, nihil inuenerunt. Causa vero illorum errorum est, quia sicut sperma viri non affert fructum, nisi proijciatur in matricem mulieris: sic nec Mercurius, qui sperma est, non prodest, nisi poijciatur in matrice corporum, id est fixa calce, vt ipse ibi nutriatur. Quidam ipsum Mercurium cum corpore amalgamando miscuerunt, & lauerunt tamdiu cum aqua dulci, donec eis apparuit corpus mundum propter splendorem, & naturam Mercurij? & id coxerunt vsq; ad finem, ita quod factum fuit eis durum, credentes quod Mercurius cum tali corpore immisceretur, & nihil inuenerunt: imo corpus fuit immundius quã fuisset ante, & Mercurius euanuit. Et causa erroris eorum est, qa spiritus non iungitur corpori, nisi anima mediante: anima enim est medium inter corpus & spiritum, ipsa simul coniungens. Anima autem fermentum est: quia sicut anima corpus hominis viuificat: sic fermentum iam corpus mortuum, & à natura sua iã penitus alteratũ viuificat. Vnde anima obtinet principatum, exerens vires suas. Iccirco quid sit fermentum, infra

infra dicetur. Quidam miscuerunt corpora imperfecta cum corporibus perfectis, & posuerunt ad eo quēdam in igne lento vt melius inuicem vnirētur: postea fortificauerunt ignem paulatim, vt corpus non fixum figerent ei in adiutorio ignis, & sic tenendo in igne calcinauerunt, postea soluerunt, & congelauerunt, & reduxerunt: postea posuerūt in examinatione, & nihil inuenerunt nisi corpus purum, quod posuerunt. Causa autem eorum errorum, quia corrumpens & defectus corporum imperfectorum, scilicet terra sulphurea, adustiua, coniuncta est per minima cum corpore imperfecto, quia adhæsit ei à principio originis suæ, impeditq; ne perficiatur. Vnde oportet ad hoc, quod illud, quod est bonū in corpore imperfecto, vna cū corpore perfecto pficiatur, quod id quod hoc faceret, haberet duplicem virtutem, vnam qua separaret terram sulphuream comburentem à commisto: & aliam, quæ iam separatum, ad naturam suam cōuerteret. Hanc aūt virtutem corpus in sua crassitie habere non potest. Et multi tentauerunt, & tanquam de scientia desperati, intellectus debilitate magisterium reliquerunt. Nunc autem scire te volo, quod materia metallorum omnium, & eorum sperma est Mercurius decoctus, & inspissatus in ventre terræ, calore sulphureo decoquente: & secundum varietatem sulphuris, & ipsius multitudinem, in terra diuersa metalla generantur: semper tamen eorum materia est vna, & eadem essentialiter, solum differens accidente, scilicet ex decoctione maiori aut minori, adurente vel temperata, & in hoc omnes philosophi conueniunt. Certum est, quod omnis res est ex eo, & de eo, in quod resoluitur: sicut glacies, vel nix, quæ mediante calore resoluitur in aquam, quia ex aqua est: sed omnia metalla conuertuntur in Mercurium, vt infra te docebo: ea igitur fuerunt ex Mercurio. Et sic soluitur opinio illorum, qui dicunt, Species metallorum transmutari non possunt: & hoc verum est, vt ipsi asserunt, nisi ad primam materiam reducantur. Reductio autem illorum ad primam materiam est facilis, vt tibi inferius ostendam: ergo transmutatio facilis & possibilis est. Multiplicatio etiam in metallis est possibilis: nam omne crescens & nascens multiplicatur & crescit, vt patet in plantis & animalibus: nam ex vno grano fiunt mille. Metalla autem in terra nascūtur & crescunt, ergo possibilis est in eis augmētatio vsq; in infinitum, & sic patet theorica, sequitur vt dicamus de practica.

Si ad

SI ad perfectum magisterium peruenire volumus, oportet primo vt lapidem philosophorum purum & mundum habeamus, acceptum sicut est in sua minera nihil adiectum, vel diminutum: & sublimare ipsum, vt ex ipso trahamus id quod est purum & clarum: postea oportet nos ipsum facere descendere, postea destillare, quarto calcinare, quinto soluere, sexto congelare, septimo fixare, octauo incerare. Ecce tota practica, & reductio ad primam materiam: quia aliter non fieret generatio, seu multiplicatio. Animaduerte in eis, quæ tibi scribuntur.

Dico tibi, charissime, quod oportet corpora primo ad primam materiam reducere, ad hoc vt fiat generatio, seu multiplicatio in eisdem. Animaduerte ergo in his quæ tibi describuntur. Accipe cupri lib. 1. & fiat ex eo limatura munda, & misce cũ lib. 4. Mercurij terendo in mortario cũ sale modico & aceto quousq; simul amalgamentur. Cum aũt cuprum fuerit optime coniunctum, pone ipsum in bona quantitate aquæ vitæ, hoc est in 12. partibus sui de aqua vitæ, hoc est, quod si amalgama fuerit lib. 1 aquæ vitæ sit 12. & pone totum in vrinali super ignem debilis cineris inferius lentissime ad ignem per diem naturalem: tunc dimitte infrigidari, &c. Alibi sic. Accipe de lapide albo quantum vis, videlicet partem vnam, & de aqua sua, id est Mercurij, partes quatuor: & commisce simul bene incorporando, terendo, donec sit bene incorporatum: postea pone ipsum in vase vitreo, & intus pone de aqua vitæ partes decem: postea pone prædictum vas ad ignem cineribus mediantibus, & fac quod ignis sit lentus per diem & noctem: tunc dimitte infrigidari fornacem, & cum frigidatũ vas fuerit, cola aquam tuam cum omnibus, quæ in ea sunt per pannum lineum, donec transeat, & exeat per pannum de aqua, id quod de * lapide erit solutum: & si melius scries facere istam separationem, melius esset. Hoc autem quod erit solutum, pone in phiala vitri bene obturata cum cera, semper conseruando super suum calorem: postea accipe id, quod remansit in panno ad soluẽdum, & iterum cum noua aqua benedicta repone ad ignem, sicut prius in vase prædicto, per diẽ & noctem: postea dimitte infrigidari, & cola sicut prius, & quod erit solutum, vt prius fecisti, ad partem pone, vt supra: & sic totiens reitera, quousque totum opus in aquam conuertatur, id est, ad primam materiam, quæ est in humido, id est,

Mer-

Mercurius omnino. Quo facto, hoc totum accipe, & pone in vase vitri super ignem lentum decoquens: quousque videas in superficie nigredinem, quam remoue subtilius quam potes: & sic reitera coquendo, & nigredinem supereminentem tollendo, quousque nihil emittat nigredinis, & aqua remaneat clara. Nunc habes terram & aquam, scilicet duo principalia elementa: deinde accipe terram illam, & nigredinem quam collegisti, & pone in vase vitreo, & superfunde de aqua prædicta, quousque super eam natet, & coque leui, vel lento in igne per quatuor dies: tunc iterum aquam impone, & coque: & sic successive, quousque aqua fiat alba & lucida & clara. Et scias quod hoc est, quod philosophi dixerunt: Hæc terra cum aqua putrescit & mundificatur: quæ cum mundificata fuerit, totum magisterium dirigetur: qua mundificata, & dealbata, vt est dictum, aqua mediante, quæ cum dicta terra mediante calore coagulata est & inspissata, terram istam coagulatam cum aqua sua, siue spissatam sine alterius aqua. decoques forti igne in cucurbita vitrea, alembico vitreo superposito, vt quidquid ibi aquæ fuerit, ascendat in alembico, & terra remaneat calcinata: tunc accipe fermentum de quocunque volueris quartam sui partem, id est, si fuerit 1. lib. corporis: recipe vnc. ʒ fermenti. Fermentum vero auri aurum est, & fermentum argenti, argentum est: & istud fermentum etiam sit solutum, & vt terra factum, pro vt corpus imperfectum & eodem modo & ordine præparatũ simul coniunge & imbue cum aqua prædicta, & coque per dies 3. aut plures, & tunc iterum in aqua sua prædicta imbue, & coque vt prius: & hoc toties reitera, quoties hæc duo in vnum corpus reducantur: quod perpendes quando color nõ variabitur in eisdem. Tunc funde super eis aquam prædictã partẽ post partẽ, paulatim & paulatim, quousq; bibat de ipsa quantum bibere poterit, dando semp nouam aquã. Nam in ista cõiunctione corporum, spiritus cum eis miscentur, & vnum fiũt cum eis, & incorporantur, & coniunguntur in natura ipsorũ, & germen iungitur cum corporibus prædictis mundatis: quia ante non poterat propter eorum immunditiem & crassitiem: sed nunc eis coniungitur, & in eis crescit, & suum augmentat numerum, ac in eis multiplicatur multiplicatione infinita, secundum quod operatum fuerit per verum artificium. Nunc exponamus obscurissima philosophorũ verba.

Primum

Primum enim est corporis in Mercurium reductio: & sciás quod istud est, quod vocauerunt philosophi Solutionem, quæ artis est fundamentum & principium huius magisterij. Vnde Rosinus in lib. Turbę: Nisi corpora solueris nostra solutione, in vanum laboras. De qua solutione tractans Parmenides in eodem libro dicit: Quidam corporum solutionem audientes, putant aquam nubis esse: si autem legissent libros nostros, & intellexissent, scirent vtiq; aquam esse permanentem, quæ absq; suo corpore, cui coniuncta & facta vnum, permanens esse non potest. Non est enim philosophorum aqua nubis, sed ipsorum corporum cōuersio in aquam, ex qua primo fuerunt creata, scilicet Mercurio: prout gelu conuertitur in aquam limpidā, ex qua primo fuit. Ecce habes vnum elementum, quod est aqua, & ipsius in primā materiam reductio. Secundum verbum est quod fit terra: & hoc est quod philosophi dixerunt: quod de crassitie aquæ terra concreatur. Vel secundū alium intellectū, qui magis meo iudicio appropinquāt veritati, quod de crassitie aquæ terra generatur: quoniam fęces aquę, quæ remanent in fundo vasis, terram philosophi dixerunt: quæ conuertitur cum aqua, id est dealbatur per destillationem & inhumationem: & hæc est cribratio philosophorum, eorum contritio seu combustio. Sic ergo habes aliud elementū, quod est terra. Tertium verbum est terræ mundificatio, de qua mundificatione Morienus ait: Hæc terra cum aqua putrescit, & mundificatur: quæ cum mundificata fuerit, totum magisterium dirigetur: de quo dicit etiam Constans philosophus in libro Turbæ: Iunge siccum humido, scilic. terram & aquam: siccum enim est terra, humidum est aqua. Ecce quod habes aquam & terram per se & terram dealbatam cum aqua. Quartum verbum est aqua, quæ potest euaporare destillando seu sublimando: in qua sublimatione seu ascensione efficitur ipsa terra aerea, cū prius esset inspissata cum terra, & coagulata. Et sic habes aquam, terram, aerem: quod dicit Theophilus philosophus in libro Turbæ. Ipsum dealbate, siccum igne comburite, quousque ex eo exeat spiritus qui in eo inueniuntur, quæ dicitur auis, vel cinis Hermetis. Et ait Mireris philosophus: Et terra remanet calcinata in fundo vasis, quæ est naturæ igneæ: & sic habemus in prædictis præparationibus 4. elementa. Hæc igitur terra calcinata est puluis, de quo ait Mirer. philosoph. dicens:

dicens: Cinerem ne vilipendas, in inferiori loco testæ eximite: in eo est enim diadema cordis. Postmodum cum prædicta terra fermentum pone, quod Philosophi fermentum animam dicunt: & ideo sicut corpus humanum sine anima nihil valet, imo est sicut fæx, sic etiam in proposito: Nam fermentum est corpus præparatum, vt dictum est, & ad naturam suam alia conuertit. Et scias quod non est fermentum, nisi Sol & Luna. Ista enim corpora alijs dominantur, & ipsa ad suam naturam conuertunt: & ideo à Philosophis fermentum dicuntur. Oportet igitur fermentum in corpore introduci: quia est eius anima. Et hoc est quod dicit Morienus philosophus: Nisi corpus immundum mundaueris, & dealbatum reddideris, & animam in eo non miscueris, nihil huic magisterio direxisti: Igitur fit coniunctio fermenti cum corpore mundato: & tunc spiritus cum eis iungitur, & gaudet cum eis: quia mundata sunt à natura sua crassa, & subtilia facta sunt: Et hoc est quod dicit Archelaus philosophus in libro Turbæ: Spiritus non iungetur cum corporibus, donec à suis immundicijs perfecte fuerint corpora denudata, & in hora coniunctionis mirabilia apparebunt: nam omnes colores de mundo apparebunt in operando, quicunque possint cogitari: & corp⁹ imperfectũ colorat coloratione infirmũ mediante fermento, quod fermentum est anima: & spiritus mediante anima corpori coniungitur & ligatur, & cum eo simul in colore fermenti conuertitur, & fit vnum cum eis. Ex prædictis apparet subtiliter intuenti, philosophos in suis verbis obscurissimis vera dixisse: nam ipsi philosophi in suis libris dicunt, quod lapis noster est ex quatuor elementis: & ipsum elementis comparauerunt. Et ostensum est primo, qualiter hic sunt quatuor elementa. Dixerunt etiam, quod lapis noster componitur ex corpore & anima, ac spiritu, & verum dixerunt: nam corpus imperfectum corpori comparauerunt propter hoc, quia est infirmum. Aquam, spiritum dixerunt, & vere: quia spiritus est. Fermentum animam dixerunt: quia, sicut supra dictum est, corpori imperfecto vitam tribuit, quam prius non habebat, & meliorem formam producit. Dixerunt etiam quidam philosophi: Nisi corpora vertatis in incorporea, & non corpora in corpora, id est de corpore spiritum, & è contra, nondum operandi regulam inuenistis: & verũ dicunt. Nam primo corpus fit aqua, id est Philoso-

losophorum Mercurius,& sic fit incorporeum: deinde in cõuersione spiritus in aquam, fit corpus. Et ideo quidam dixerunt: Cõuerte naturas,& quod quæris, inuenies: hoc est verũ. Nam in nostro magisterio primo facimus de crasso gracile, & de corpore aquam: & postmodũ de humido siccũ, id est, de aqua terram id est siccum. Et sic naturam cõuertimus,& facimus de corporeo spirituale,& de spirituali corporale, vt dictũ est: & facimus id ꝙ est superius sicut illud quod est inferius,& quod est inferius, sicut illud quod est superius: scil. vertimus spiritum in corpus,& corpus in spiritum, vt patet in principio operationis: vt in solutione, quod est inferiꝰ est sicut quod est superius,& totũ vertitur in terrã Patet igitur ex dictis, quod in lapide nostro sunt quatuor elementa,& sunt anima & corpus & spiritus. Et lapis etiam noster, vt quidã philosophi dicunt, fit ex vna re,& cum vno. Et certe verum dicunt: nam totum magisterium nostrum fit cum aqua nostra,& ex ea,& per eã: nam ipsam aquam soluunt vt dictum est superius, non solutione, prout ignorantes credunt, quod conuertatur in aquã nubis, sed solutione vera philosophica, quę est, vt conuertatur in aquam primam, ex qua fuerit ab initio. ipsam eandem calcinant,& in terram reducunt: per ipsam eandem aquam corpora in cinerem transformant,& de ea cinerem dealbant, & mundificant, iuxta verbum Morieni dicentis, quod Azot & ignis, latonẽ abluunt atq; mundificant, & eius obscuritatem ab eo penitus eripiunt. Laton autem est corpus immundum, Azot autem est Mercurius & corpora diuersa coniungunt ꝑparata modo prædicto, coniunctione tali, quam non potest ignis potentia, nec alia tentatio seu probatio separare: & ab ignis combustione defenditur:& eorum vnũ in aliud mittit: & corpora sublimant non sublimatione vulgari, quam intelligunt phantastici, credentes quod sublimare sit superius ascendere vel eleuare per ignem: & ideo accipiunt corpora calcinata,& miscent cum spiritibus sublimatis vel eleuatis, scilicet Mercurio, sulphure, arsenico & sale armoniaco: & faciunt per ignem fortem,& subitaneum corpora cum spiritib. eleuare: quia pars non fixa, separat partem fixam, per multam quantitatem non fixæ partis,& ita eleuant corpora cum spiritibus: & dicunt, quod tunc sunt corpora sublimata: & hi tales falluntur,& delusi sunt: quia postmodum inueniunt ipsa magis immunda, quam prius fuerint. Vnde scias, quod non est

est nostrum sublimare, superius ascendere vel eleuare: sed sublimare philosophorum est, de re vili preciosam facere: & de re infima & commista, altam facere & magnã, & puram, vt cum dicimus: Iste homo sublimatus est, id est, in dignitate positus est: sic enim dicimus corpora sublimata, id est subtiliata, & in altam, puram, mundam, & nobilissimam naturam conuersa.

Vnde sublimare apud philosophos est subtiliare, mundare & defæcare, dealbare & rubrum facere: quod totum facit aqua nostra benedicta. Sic ergo intellige nostram sublimationem & descensionem, destillationem & calcinationem, solutionem, congelationem fixationem, incerationem, & hoc totum fit per beneficium aquæ benedictæ, & in hoc omnes sunt decepti. Aqua etiam nostra mortificat & viuificat, & apparere facit multos colores, primo nigrum in mortificatione corporis, dum in terram conuertitur: postmodum apparent multi colores: & varij ante dealbationem, quorum omnium finis est albedo: in coniunctione vero corporis præparati & fermentati, apparent tot colores, quot ab homine excogitari possunt: & apparet quod nostrum magisterium vnum est, & ex vno, et cum vno: fit ex quatuor, vt dictum est, & ex tribus, vt etiam supra dictum est. Vnde scias, carissime, quod philosophi nostri lapidis nomina multiplicauerunt, ad hoc, vt eum absconderent: & dixerunt, lapidem nostrum corporeum & spirituale esse: & in rei veritate non mentiti sunt, prout sapiẽtes intelligere possunt. Nam ibi est corpus, & spiritus: & corpus factum est spirituale in solutione, vt dictum est: & spiritus factus est corporalis in coniunctione ipsius cum corpore imperfecto & fermento. Quidam philosophi ipsum vocant æs. pro vt dixit Eximæus in lib. Turbæ: Scitote, inquit, omnes scientiam quærentes, quod nulla fit vera tinctura, nisi ex ære nostro: & infinita nomina ei imponunt, ne ab insipientibus perciperetur. Quocunque tamen nomine ipsum nominent: vnum, & idem opus apud omnes. Et dicit Morien. quod confectio nostri magisterij assimilatur in ordine creationi hominis: nam primo est coitus, postmodum conceptio, deinde impraegnatio, quarto ortus, quinto sequitur nutrimentum: quod sic intelligitur: primo sperma nostrum, id est Mercurius, cum terra coniungitur, id est, cum corpore imperfecto, q̃ terra mater dicitur: ideo, quia terra est mater omnium elementorum: tunc secundum Philosophos coitus

appellatur. Dum autẽ terra incipit aliquantulũ retinere Mercurium secum, tunc dicitur conceptio: & tunc agit masculus in feminam, id est Mercurius in terram. Et hoc est, quod dicunt Philosophi, quod nostrum magisterium non est aliud, nisi masculus & femina, & ipsorum coniunctio, dominante aqua, in Mercurio: & terra crescit & multiplicatur, & augmentatur, & eueniet, quando terra dealbatur: & tunc prægnatio nuncupatur: quando terra iam imprægnata est: deinde fermentum iungitur cum corpore imperfecto præparato vt dictum est, quousq; vnũ fiant colore & aspectu, & tunc dicitur ortus: tunc enim natus est lapis noster, qui natus, Rex à Philosophis nuncupatur: vnde dicit Philosophus in lib. Turbæ: Honorate Regem nostrum ab igne venientẽ, diademate coronatum, & ipsum alimentate, donec ad ætatem perfectam deueniat: cuius pater est Sol, mater vero Luna: Lunam autem accipe pro corpore imperfecto, Solem pro corpore perfecto. Vltimo autem sequitur nutrimentum, vsq; dum augmentetur augmẽtatione magna. Nutritur autẽ lacte suo, id est, spermate ex quo fuit ab initio sui: imbibitur autẽ Mercurius sæpe sæpius, quousq; bibat ex eo, ꝙ sufficiat, id est, vsq; ad pfectionẽ, quæ est finis totius operis nostri. Per ea igitur, quæ dicta sunt, facile possunt intelligi omnia dicta Philosophorũ obscura, & cognosces omnes in eodem conuenire. Et nihil aliud est nostrum magisterium, quam quod prædixi. Iam habes corporis solutionem & reductionem ipsius ad primã materiam sui: deinde ipsius in terram cõuersionem: & postea dealbationem, in aerem demigrationem: quia tunc destillando humiditatem, quæ in eo inuenitur, fit aereum quod ascendit, & terra remanet calcinata, & tunc est igneæ naturæ. Habes etiam coniunctionem istorum adinuicem, & habes commistionem animæ cum corpore, & etiam coniunctionem animæ & corporis, & spiritus simul: & conuersionem adinuicem: & habes augmentationem tantum huius Elixir, cuius vtilitas maior est, quam possit ratione percipi.

PRACTICA MAGISTRI ARNALDI DE Villanoua ad quendam Papam. ex libro dicto, Breuiarius librorum Alchemiæ.

SAnctiſſimo in Christo patri deuotiſſimo, poſt pedum oſcula beatorum, mutatio Dei excelſa, dico tibi pater alme, &c. Quod omniũ primo corpora in primam materiã reducere oportet. Prius te ſcire volo, q materia omnium metallorum, & eorum ſperma eſt fumus albus, decoctus, & inſpiſſatus in ventre terræ, calore ſulphureo decoquente: & ſecundum varietatem ſulphuris, & ipſius multitudinem in terra, diuerſa metalla procreantur: ſemper tamen ipſorum plurimum materia eſt vna, & eadem eſſentialiter, ſolo differens accidente, &c. Cum enim ſine ſale operator nihil agat, ſicut q cum arcu ſine chorda ſagittat, & hoc Morien. clarius dicit: Accipe phlegmaticum & cholericum, & tere ſanguineum cum eis, donec fiat cælum tingens pro debita, &c. in ſuo igne. Phlegmaticus eſt frigidus & humidus, vt Mercurius: cholericus vero eſt calidus & ſiccus, vt ſal armoniacum, ſanguineus eſt calidus & humidus, vt Sol, ſeu aurum. Nota ſal armoniacum non dat colorem, ſed dat introitum, præparat, & purgat: ingrediuntur tunc reliqui ſpiritus corporibus permiſtis, & coniungit, & recedit. Ipſum enim ſal eſt vnguentum ſiccitate ignis coagulatum, ex natura calida & ſicca, ſubtili, à parte in partem penetrans ſoluit corpora, & eſt copulator contradictoriorum, & omnium ſpirituum cum corporibus. Ipſum enim eſt ſpiritus volans, lapis generans, ad elixir coadiutor. Et niſi ipſum eſſet, non ſolueretur nec ingrederetur elixir, nec poneretur vnũ cum aliquo alio, nec intraret vnum in aliud: volans eſt, exiſtens vna cum corporibus corpus, & eſt in eo occultum & abſconditum: de quo dicit Auicen. in Maiori, Si poſueris eum loco ignis, aeris & ſulphuris, aut cuiuslibet, non errasti in opere: ad quamlibet enim ſe inclinat naturam: & Almizadir, id eſt ſal armoniacum tibi ſolum ſubſeruiat. In libro Aluminum & ſalium traditur: Quod ſi Deus non creaſſet eum, non perficeretur elixir, & vanum eſſet ſtudium Alchemicum. Qui ergo ſine ſale operatur, vel agit, vt ait Allegoria ſapiẽtum, corpora mortuorum in ſepulcris eorum non attenuat, propterea, &c.

DE DECOCTIONE LAPIDIS PHILOSOPHORUM, & de regimine ignis in diuersis gradibus decoctionum ad coagulationem lapidis.

Versus de Solutione.

Qui quærit in merdis secreta philosophorum,
Expensas perdit proprias, tempusq; laborum.
Est in Mercurio quicquid quærunt sapientes:
Corpus, abhinc anima, spiritus, tinctura trahuntur.
Nullus Mercurius sumatur, quam mineralis.

Ignis coagulationis gradus.

Primus formetur, ut sensus ei dominetur,
Sensibus æquato gaudet natura secundo.
Tertius excedit sed cum tolerantia lædit:
Destructor sensus, nescit procedere quartus.

Igitur ad practicam descendamus, clare & aperte, & intelligibiliter eam subijciamus. Nota ergo, quod in operatione nostra, quæ diuina est, potius quam humana, requiritur vna sola materia nec vlla alia: quia aqua nostra pura, & mineralis in nullo alio opere posita, nec etiam alicui corpori mista, quæ materia est substantia, & a qua diuersi colores effectusq; in regimine apparent. Et scias quod vna materia etiam requirit vnicum vas de vitro, quod dicitur vas Hermetis: & illud requirit vnum aliud vas terreum cum coopertorio suo similiter terreo. Et illud vnum vas de terra requirit vnicum furnum, videlicet furnum Hermetis, & coopertorium furni. Primo ergo describamus vas vitreum. Fiat ergo vas Hermetis de vitro, quod rotundum sit ad modum cælestis Lunæ mediæ, quod vas debet habere foramen Luna plena portabitur. Descriptio autem vasis Hermetis est aliquantulum oblongum ad modum oui, vel ad modum ampullæ.

Vas terreum modo describamus, in quo debet vas vitreum prædictum poni. Fiat ergo vas terreum, quod possit sustinere ignē fortem, & continuum etiā cum ignitione, sicut est terra, de qua fiunt crucibula ad fundēdum aurum: & fiat dictum vas tantæ capacitatis & magnitudinis, quod prædictum vas vitreum possit ibi bene recipi, ita quod sub vase vitreo, & supra vas & circa illud possint poni cineres cribellati ad spissitudinē duorum digitorum ad minus: fiat autē prædicto vasi coopertorium,

torium, quod ita coniungatur cum vase suo, quod flamma ignis non possit percutere vas vitreum intus positum. Habeat autem prædictum cooperculum vnam superius auriculam, vt possit deponi, & tractari, &c. Modo collocemus vas vitreum in illud vas terreum sic: Primo habeas de cineribus optime cribellatis in bona quantitate & pone de eis in vase terreo pdicto in spissitudine duorũ digitorum ad minus, fortiter cineres imprimendo: deinde pone ibi vas de vitro cum suo retentorio vel coopertorio: prius tamen optime claudatur orificiũ ipsius vitri, cum luto tibi noto (est autem lutum sapientiæ) deinde circumpone cineres reliquos circumquaque, & supra, &c. sicut scis.

Modo subiiciamus aliqua notabilia: Nota, quod in operatione nostra, & in quolibet opere Alchemico, siue agatur de sublimationibus, siue destillationibus, siue decoctionibus quibuscunq;, necessarium est duas partes vitri esse vacuas.

Item, quanto carbones sunt magis ponderosi, & magis cõpacti, seu densi, tanto sunt meliores ad opus nostrũ: quia ignis factus ex ipsis magis durat in sua qualitate, & ita carbones quercini & figiles sunt eligendi. Et nota, quod licet sint quatuor colores principales in opere apparẽtes, scilicet niger, albus, rubeus & citrinus, q sunt in diuersis gradib. taliter apparentes secundum suũ gradũ decoctionis. Cũ alio. n. igne facimus corp⁹ nigrũ, cũ alio album, & cum alio rubeũ, & alio citrinum. Sunt. n. 4. gradus ignis, qui in suprascriptis 4. versibus continentur. Et nota, quod Philosophi hanc scientiam ignis celauerũt, nec aliquis philosophus de dictis gradibus est clare locutus, sed obscure oẽs de hui igne tantũ faciunt mentionẽ. Primus igitur gradus continetur in primo versu, qui est,

Primus formetur, Vt sensus ei dominetur.

Et quomodo cognoscetur, quando est calor primi gradus? certe sic: quod si manus tangant cineres, seu cupellum, seu coopertorium furni possit ibi stare sine aliqua læsione. Et iste est primus gradus, quem Philosophi celauerunt: & cum illo solo igne, aut sibi simili, & cum nullo alio, putrefit materia nostra secundum aliquos philosophos in 40. diebus, quod ego non credo: secundum alios vero 50. quod etiam non credo: secundum alios in 70. quod etiam non credo. Qui vero pbauit, & expertus est, compleuit putrefactionem veram in 97. vel ad plus in centum diebus, & illud est verum. Et nota, quod

quod licet non appareat ad oculum in materia putrefacta nigredo, tamen curandum non est, quia pro certo secundum esse naturæ pellis, est super nigredinem:& ideo elementa iam iuncta sunt, siue vnita, & leui igne cocta locantur, & in alias vertuntur naturas. Et per secundum gradum decoctionis, illud quod est occultum, fiet manifestũ: & quod modo est manifestum, fiet occultum. Ignis quarti gradus nõ est carbonũ, sed est ignis flammæ, qui fiet in hunc modum: Habeas ligna de quercu, vel similia, & crassæ quantitatis, ita vt possis amplexari manu: tunc incide dicta ligna in frusta, ita quod longitudo lignorum non excedat latitudinem furni: Deinde facto igne prius carbonum in furnello, superpone ex dictis frustis lignorum, duos vel tres, vel quatuor, sicut expedire videris. Exposuimus igitur superius primum ignis gradum, qui notatur per hunc versum,

Primus formetur, vt, &c.

Per quem gradum ignis, & non per alium materia nostra necessario debet putrefieri, dissolui, mortificari, & denigrari. Restat nunc dicendum, per quem modum materia nostra putrefacta dealbetur: Igitur procedamus ad secundam partem operis, quæ est nostræ medicinæ dealbatio. Hic vero notandum, quod duplex album est: Est vnum album quod fit ad modum Iouis vel Saturni, & talis dealbatio fit post putrefactionem: vnde dicit Geber philosophus, Oportet Iouem & Saturnum indurare, & Martem, & Venerem rubificare. Ista autem dealbatio non est vera dealbatio, quia non est firma, nec fixa, & hic perficitur, & completur secundi gradus ignis in 100. diebus, qui hoc versiculo continetur:

Sensibus æquato gaudet natura secundo.

qui secundus gradus debet esse lenis, tamen aliquantulum fortior igne primi gradus: debet enim esse talis, quod per tactum furni manus respondeat igni, & ignis manui, hoc est, quod manus possit sustinere talem calorem, & non plus. Has igitur differentias poteris facere cum solario tenui perforato existente super carbones: in quo facias diuersa foramina, secundũ exigentiã graduum ad beneplacitum, vel aliter, &c. Finitis aũt centũ dieb. continua ignẽ pdictum secundi grad⁹, vt materia bullire incipiat, & fluere, siue fundi, & durabit bullitio ista 70. dieb.: & tunc materia incipit facere quosdã lapillos ad modũ, seu similitudinẽ Hyacinthorũ: cõtinua tñ ignẽ

ſecundi gradus, quouſq; dicti lapilli appareāt. Cū aūt videris prædictos lapillos apparere, tunc ignem carbonum fortifica, faciendo ignem tertij gradus, qui notatur per hunc verſum,

Tertius excedit, ſed cum tolerantia lædit.

Dictum autem ignem tertij gradus continuabis ad incinerandos lapillos per centum dies, quia infra dictum tempus centum dierum lapilli incinerabuntur, & figentur fixone vera & perfecta. Quod ſi infra dictum tempus materia noſtra non incineraretur: tunc eundem ignem tertij gradus continua, quouſqe materia noſtra ſit incinerata, & tunc materia noſtra dealbabitur. Et hoc album, dicitur album permanens, & anima: & de hoc albo dicit Morienus, Dealbate latonem, id eſt terram, & apponite liberos, ne corda veſtra rumpantur. Et Hermes, Ipſum dealbate, & ſuo igne ſublimate, quo vſque exierit ſpiritus, quem in eo inuenietis, qui dicitur auis Hermetis. Et iſta incineratio & dealbatio detegens, ſcilicet dubium terræ ſitientis, & aquam nubium. Et ſcias, quod infra dictos centum dies materia noſtra, ſeu cinis noſter debet fieri in colore magaritarum, ſeu marmoris coruſcantis. De prædicto albo dicit Algazel, Ipſum dealbatum cito igne ſublimate, &c. id eſt iterato ſoluite. Et ſcias, quod prædictum ignem tertij gradus continuare debes, quouſque ſecundum album appareat, & in colore prædicto. Modo ſequitur quarta pars operis, quæ dicitur lapidis noſtri rubificatio. Tunc totam animam in corpus conuertimus, cum materiam noſtram, quæ prius fuit alba, rubificamus. Dicta autem rubificatio debet neceſſario fieri per ignem quarti gradus, qui in verſiculo continetur,

Sic deſtructor ſenſus neſcit procedere quartus.

Dictus autem ignis quarti gradus, erit ignis flammæ, & lignorum, qui fit vt ſupra. Continua igitur ignem prædictum per 47. vel 50. dies: nam infra dictum tempus debet color tyrius apparere. Mercurius vero igne ſuo gubernetur, & coctus igne primi gradus, in 50. diebus in coruum verum conuertitur, deinde in 77. diebus vertitur in columbam: deinde columba in 47. diebus vel 70. vertitur in Alkaſel marinum, qui eſt color tyrius: Et in iſto colore ſpiritus & anima cum corpore vniuntur, & fiunt vnum: & corporeum factum eſt incorporeum, & factus eſt lapis benedictus. Et ſcias, quod per prædictum ignem flammæ, qui eſt ignis quarti gradus, albū noſtrū completum funditur, & per huiusmodi fuſio-

nem ſperma noſtrum in ſanguinem vertitur: & in illa hora ſpiritus & anima cum corpore ſubmerguntur. Et ſcias, quod fuſio in 47. vel 76. diebus ad longius perficitur, & complectur. Et nota, quod hæc fuſio vera, eſt ſolutio vera philoſophica, & gaudet ſtare ſuper ignem, ſicut puer ad vbera matris ſuæ: & verè tunc dicitur aqua permanens, & tunc factum eſt de corpore ſpiritus, & hoc eſt de volatili fixum. Et in tali fuſione coronatur Rex diademate rubeo: Illuminate ipſum vſque ad ætatem perfectam, cuius pater eſt Sol, & mater eſt Luna. Per Solem autem nihil aliud intelligitur, niſi vnctuoſitas ſulphuris exiſtens in Mercurio, quod ſulphur ſit anima lapidis. Vnde dicit Senior, Hoc ſulphur eſt quod corpus denigrat, & oſtium aperit: & quanto magis fuſus in igne fuerit, tanto magis eius rubedo conuertitur in colorem citrinum, & ex hoc meliorabitur, & eius color tyrius augmentabitur, quouſque perueniat ad finalem colorem lapidis noſtri, ſeu medicinæ noſtræ, qui eſt color citrinus, in colore papaueris ſylueſtris: & finaliter efficietur puluis impalpabilis, qui ad calorē ignis funditur ſicut cera fluens, & penetrans, & figens. Et nota, quod argent. viu. Mercurius, azot, Luna plena, lapis noſter, æs noſtrum, aqua noſtra. Mars, argentum, ſtannum, albedo, Iupiter, minium, albus, hypoſtaſis alba, album plumbum, vel rubeum, idem ſignificant ſecundum diuerſa tempora & gradus operationis. Et nota, quod Lauare philoſophorum, eſt totam animam in corpus reducere: vnde non intelligas eos loqui de alba lauatione vulgari, quæ conſueuit fieri cum aceto, & conſimilibus. Item nota, quod quando apparet nigredo, tunc dicitur deſponſatio mariti & feminæ, & eſſe matrimonium inter eos, & tunc acquiſiuit ſpiritum, qui eſt delator virtutum animæ per corpus, & corpus recepit actionem animæ & ſpiritus: & fit aquila, & medium naturarum. Et nota, quod terra alba, ſulphur album, fumus albus, auripigmentum, magneſia, & Echel, idem ſignificant. Item nota, quod lapis noſter quando eſt fixus, eſt ſicut cinis. Item nota, quod in putrefactione corporis, Mercurius ſtat ad medium inter ſpiritum & animam. Item nota, quod abarnaos, Elixir, lapis philoſophicus, & quinta eſſentia idem ſignificant: nam eſt vna res præter naturam elemētorum in ſuo eſſe. Ideo quatuor elementa per magiſterium ſe inuicem complectuntur; tunc ex eis reſultat, & reſurgit quædam res incorruptibilis,

quæ

quæ quinta essentia nuncupabatur. Item nota, quod fermentum Solis dicitur, spiritus, sulphur, aurum philosophorum, crocus Martis. Item nota, quod fermentum Lunæ vocatur anima, rosa alba, & aer existens in lapide. Item nota, quod spiritus est fermentum Solis, anima est fermentum Lunæ, corpus vero est terra stans, & hæc tria sunt in Mercurio. Item nota, quod corpus recipit tincturam à Mercurio, à spiritu & anima naturaliter secundum gradus suos: & in fine debent apparere quædam granula ad modum piperatæ: & tunc est ibi vnum magnum secretum, videlicet quod materia nostra est congelata cum sua propria humiditate. Item nota, quando lapilli ad modum Hyacinthorum conuertuntur in cinerem album, tunc est signum putrefactionis, & denigrationis perfectæ, & finitæ. Item nota, quod argentum viuum continet in se quatuor elementa, & sufficit sibi ipsi, nec indiget alicuius adminiculo, habet enim aqueã substantiam ab aqua, terream substantiam à terra, calidam & humidam substantiam ab aere, & vnctuosam cremabilitatẽ, seu igneam substantiam ab igne. Elementum aquæ currit, & fluit per corpus, & ipsum lauat. Elementum terræ stat, & est corpus Mercurij, seu eius crassities & spissitudo. Elementum aeris est illud calidum temperatum, & humidum, quod est in Mercurio: Et tale calidum temperatum, dicitur spiritus, & facit concordiam inter vnctuositatem cremabilem Mercurij, & eius lutulentiam, hoc est inter humidum vnctuosum & terreum, fœculentum. Elementum ignis est illa vnctuositas cremabilis, quæ est in Mercurio, vnde versus:

Terra stat, vnde lauat, pyr purgat, spiritus intrat.

Item Lucas inquit, ignis vester vsque ad albedinem debet esse lentus: post dealbationem autem & coagulationem debet ignis augeri.

Nunc igitur sub breuiloquio repetamus totius operis nostri intentionem. Primo enim lapis noster in operatione liquescit, secundo nigrescit, tertio citrinatur, quarto rubescit rubore non vero, nec multum durante, quinto dealbatur, sexto coagulatur. Et hæc omnia necesse est fieri cum igne lento, hoc est cum igne primi gradus, & secundi, qui ignis fit cum carbonibus, & sine flamma: septimo lapis noster incineratur cum igne tertij gradus, qui est ignis flammæ trium lignorum, vel quatuor: octauo lapis noster liquefit liquefactione

factione metallica & rubea, & hoc fit cum eodem igne terti gradus:vltimo augmentãdo ignem, & faciendo ignem quarti gradus. Et nota, quod poteſt fieri medicina ad rubeum primi gradus, & ſecundi & tertij, cum ſuis gradibus, & ſuis multiplicationibus, & cum ſuis proiectionibus. Item nota, quod ignis primi gradus, qui pertinet ſolum ad putrefactionem, ſolutionem, mortificationem corporis, dicitur per quandam ſimilitudinẽ balneũ, q̃a balneũ eſt res temperata, nõ intenſa in calore, nec etiã frigida, ſed in calore remiſſo: vnde videmus hominem per temperatum calorem putrefieri, & ſudare a ſua ſuperfluitate: ſed ſi calor eſſet intenſus, non ſudaret, ſed comburеretur: ſi vero balneum eſſet frigidum, tunc viſcoſitas, & vnctuoſitas exiſtens in homine, non exiret. Et ideo eſt nobis neceſſarium habere balneum, hoc eſt calorem temperatum, hoc eſt non excedentem, nec diminutum a ſuo gradu. Et hæc eſt pulchra ratio intelligenti.

DE LAPIDE PHILOSOPHORVM SECVNdum verum modum formando, Efferarius Monachus ad Apoſtolicum quendam ſcribit.

DVo ſunt principia huius artis. Eſt ergo primo ſciendum quod res, de qua omnes philoſophi antiqui tractauerunt, eſt argentum viuum ſapientum: quod alijs nominibus nuncupatur aurum, medicina, lapis philoſophorum, Elixir, & alijs infinitis nominibus, vt per ea quæ inferius dicentur perpendi manifeſte poterit. Vocatur autem aurum iſta medicina phyſica, quia vt dicit Geber: Qui metalla naturalia cõuertit & transformat in verum Solem, eſt Sol: ideo bene dicit: quod facit Solem, eſt Sol: ſed medicina philoſophica facit hoc, ergo, &c. Et ſciendum eſt, quod huius rei principia ſunt duo principaliter, videlicet materia & agens: Materia autem vt dicit quidam philoſophus, eſt argentum viuum & ſulphur ſeu arſenicum, quod idem eſt. Aduertatis tamen pater ſancte, quoniam, vt dicunt philoſophi, non eſt argentum viuum in ſua natura, neque in natura, ad quam reduxit illud minera ſua, huius rei principium, ſed ad quam perducit eorum artificium. Et ſimiliter de ſulphure, & cuius corpori eſt induce-

ducere. Et ratio qua moti sunt est, quia non inuenerunt in mineris argenteis & aliorum metallorum aliquid quod sit argentum viuum in natura sua, & aliquid quod sit sulpur simpliciter: minime per se vnum quodque illorum separatum & in propria sua minera & in sua natura istud inueniet. Istud autem argentum viuum & sulphur, quia vt dixi vobis & exposui, productum seu deductum ad aliquam naturam aqueam subtilissimam, clarissimam, albissimam & amœnissimam, quam philosophi vocant argentum viuum, & ad quandam terrenam naturam subtilissimam, quam vocant sulphur per artificium, quod philosophi mirabiliter occultauerunt, & discrete occultum esse voluerunt, nec in aliquo loco totum tradiderunt: sed per eorum libros sparsim & per partes diuiserunt. De quo artificio pater sancte nihil intendo pertractare, eo quod vobis impossibile esset experiri, nec esset expediens quod per aliquem experiri faceretis. Et esset etiam prolixum omnia quæ in dicto artificio sunt necessaria enarrare. Est autem præfatum artificium prolixum & sumptuosum & maxime laboriosum, & inexpertis valde periculosum.

Est autem notandum, quod Philosophi istud argentum viuum & istud sulphur vnam rem dixere: Et vere ita res est, quod vna res est & de re vna exiuit, sicut alias vobis exposui. Quod vna res sit, demonstratur: Quia aliquando nominant dictum argentum viuum sulphur, & sulphur vocant argentum viuum: & totum simul, argentum viuum & sulphur. Quod autem solum sit vna res, omnes philosophi in pluribus locis dicunt. Dicit enim Lucas, Pluribus rebus non indigemus nisi vna. Et Efric. dicit, Sciatis huius artis fundamentum, propter quod multi perierunt, vnum quid esse. Et Diomedes ait, Venerabili vtimur natura, quoniam natura non emendatur nisi in sua natura: quibus noli alienum quid introducere. Et Bocosen ait, Cauete ne alienum quid introducatur: Est enim, vt superius dixit Geber, in pluralitate rerum ars nostra superflua. Et Astanus ait, Natura est vna tantum, quæ omnia superat. Item Pythagoras, Omnibus nuncupatur nominibus, cuius nomen vnum & idem est. Et multa talia dicunt similia quæ longum esset enarrare, ad ostendendum & demonstrandum quod vna res est sola, super quam actionem suam in huius operatione fundat natura. Quæ res, vt superius dixi, est

est argentum viuum & sulphur quod vobis demonstraui. Sed quæri posset, Quare ergo philosophi rem istam, si non est nisi vna, omnibus nominibus nominauerunt, & omnibus rebus comparauerunt? Ad hoc assignant plures rationes: Dicit enim Diomedes, Quia hoc fecerunt quatenus insipientes & ignorantes istam rem non cognoscerent. Item Morienes, Inuidi nomina multiplicauerunt, & posteros seduxerunt. Vocant autem seipsos Inuidos, quia inuident ne alijs quam sibi ipsis hæc scientia proueniat. Item Pythagoras, Multis istam rem vocauerunt nominibus propter excellentiam suę naturæ. Bonellus autem dicit, Quod nomina multiplicant, quia in operatione huius rei omnes colores, qui excogitari possunt in mundo, apparent: & sic eius nomina diuersificauerunt secundum diuersos colores. In opere omnia elementa continentur: quare ipsi rem nomine cuiuslibet rei elementatæ nuncupauerunt. Quod autem in hac re sint elementa quatuor, Orpholeus dixit, Scitote quod in nostro magisterio oportet elementa pura, cruda, syncera, & recta super ignem commiscere, & cauere ignis intensionem quousque coniungantur elementa, & sint se inuicem complectentia. Elementa igitur igne leui cocta diliguntur, lætantur, & in alienas conuertuntur naturas: hæc Orpholeus. Ait etiam philosophus, Conuerte elementa, & quod quæris inuenies: Conuertere autem elementa, vt quidam alius, est facere humidum siccum, & siccum humidum, & fugiens fixum. Ergo habetis p. f. quod in ista re vna, sunt quatuor elementa, quæ visibiliter videntur & naturaliter extrahuntur: & ideo philosophi vocant aquam istam, quatuor corpora & quatuor naturas: Dicit enim Hermes, Aqua illa est natura cælestis, quæ in corporalibus existentia elementa sua regione separat, & iterum ea componens, in vnum reducit. Dicit enim Nimidus, Fit hoc compositum perfectum in omnibus quatuor elementis. Hæc autem multiplicatio nominum, fuit causa erroris illorum qui operantur in non debita materia, sicut in salibus, aluminibus, vrinis, stercoribus, sanguine humano, sulphure & argento viuo in natura, in marchasitis, & in multis alijs rebus: ignorantes quod in re non potest inueniri quod in ea non est, vt dicit Geber: nec intelligentes quod philosophi similitudinarie & metaphorice in dictis suis sunt locuti: hanc artem preciosissimam & secre-

ſecretiſſimam, penitus nulli reuelandam putantes. De hac aqua ſiue de hac re, multa & infinita dixerunt philoſophi, quod eſſet prolixum narrare. Habetis ergo p. ſ. quæ ſint principia materialia huius rei, ſeu cauſa materialis quæ dicitur medicina philoſophorum, quia argentum viuum & ſulphur. Reſtat conſequenter determinandum de cauſa agente. Agens ſeu mouens ipſam materiam ad corruptionem, eſt calor qui eſt inſtrumentum mouens ad putrefactionem, & non eſt aliud agens in mundo: Et hoc eſt quod Alphidius philoſophus dixit, Scitote filij quod ſubſtantia agens in hoc toto mundo eſt vnum, ſcilicet calor: Calore autem priuato nullus eſt motus aut actus: ipſius enim diſpoſitionis materiæ radix, eſt calor: ſed tamen multi ſunt gradus caloris ſeu ignis. Eſt autem videndũ quis eſt iſte ignis, & in quo gradu eſt. Certe iſte ignis, eſt ignis caloris fimi equini: Vnde Alphidius dicit, Igne coquitur quẽ tibi oſtendã: Eſt ſe abſcondere in equino ſtercore humido, qui eſt ſapiẽtum ignis, humidus ſcilicet & obſcurus: qui ignis eſt calidus in primo gradu & humidus in ſecundo. De iſto calore omnes locuti ſunt philoſophi ſub verbis erroris & metaphoricis: Vnde aſſimulauerunt eum calori Solis, & calori naturali hominis ſani. Dicit enim Meſig, Calore Solis res congelatur: Vnde decipiuntur inſipientes qui vtuntur ignibus diuerſis, non intelligentes verba philoſophorum, ſcilicet ignorantes quod generationes & procreationes rerum naturalium habent ſolum fieri per calorem temperatiſſimum & æqualem, & non ſupra excedentem.

Modus miſtionis.

Viſis principijs naturalibus huius rei, ſubſequenter videndum eſt de modo miſtionis ſeu conceptionis eorum ad inuicem. Eſt autem ſciendum quod principia materialia huius rei ſuper quæ fundat natura actionem ſuam in eius operatione mirabili, ſunt ſulphur & argentum viuum, vt dictum eſt. Vnumquodque iſtorum ad inuicem eſt fortiſſimæ compoſitionis & vniformis ſubſtantiæ: Et hoc ideo quia vnitæ per minima, vt nulla ipſarũ partium in reſolutione poſſit alteram dimittere: imo quælibet currit, quælibet reſoluitur propter formæ vnionem, quam habent ad inuicem per minima à calore agente æquali in ſua natura ad exigentiã illorum

illorum essentiæ. Est tamen aduertendum quod prædictum sulphur & argentum viuum conuertitur in terream naturam, & ex ambabus terrenis naturis resoluitur fumus tenuissimus à calore multiplicatus in vase. Et hic duplex fumus, est materia metallorum seu medicinarum vel lapidis philosophorum immediata: à fumo & à calore temperato in vase suæ decoctionis vel decoctus conuertitur in naturam eiusdem terræ: ideoque fixionem quandam suscipit, qua defluens aqua per vas eius spongiositatem dissoluit, & ei vniformiter inuiscatur, & per vnionem deueniunt omnia elementa secundum debitam naturalem proportionem, & miscentur per minima, quosque faciant vniformem mistionem per successiuam decoctionem & diuturnam & temperatissimam in vase suo, donec inspissetur & induretur: & sicut medicina, siue metallum, siue lapis philosophorum. Ideo dicit Morienus: Dispositio sapientum & naturarum mutatio est earum naturarum calidi, frigidi, humidi & sicci subtili dispositione admirabilis commistio: & est argumentum vnicum sapientum. Nota tamen, quod ingressio, submersio, fixio, connexio, inspissatio, coniunctio, complexio, compositio, & mistio; quia ipsa congregata per diuisionem omnia alia commiscentur: Et hæc omnia vnum & idem sunt secundum Democritum. Commistio est miscibilium, id est elementorum: nam ipsa sunt prima principia vniuscuiusque commisti. Nec ipsius misti naturam manifestam & occultam scire possumus, nisi sciamus ipsa elementa commiscere seu componere: Vnde Hermes: Intelligite filij sapientum quatuor elementorum scientiam, quę suis patientia sunt rationibus in sua abscondita apertione. Eorum enim abscondita apertio nequaquam significatur nisi componatur, eo quod non perficitur, donec sui colores peragantur. item nota, per minima, id est per indiuisibilia. Nam minimum est illud quod est indiuisibile: nam si posset diuidi, non esset minimum. apparet autem quod per minimas particulas ipsius corporis, id est per indiuisibilia fit commistio elementorum: nam elementum est simpla & minima particula ipsius corporis.

De effectibus principiorum.

SEquitur declarandum de Effectibus dictorũ principiorum vid. argenti viui & sulphuris. Ideo ad euidentiam ipsorum est notandum, quod in operatione ipsius rei considerantur

derantur plures gradus. Ait enim Lucas in Turba: Pluribus rebus non indiget nisi vna, & illa vna res in vnoquoque gradu operum nostrorũ in aliam vertitur naturam. Huiusmodi autem gradus sunt secundum diuersas proportiones miscibilium elementorum, quæ in eius operatione eueniunt. Et quamlibet operationem in gradu suo secundum ordinem, quem natura tenet in via & prosecutione generationis suę, nomine alicuius metalli vocauerunt: nam primum gradum operationis suę vocauerunt ferrum seu Martem: Secundum gradum vocauerunt æs seu Venerem: Tertium, Plumbum seu Saturnum: Quartum stannum seu Iouem: Quintum, argentum seu Lunam: Sextum gradum, Solem seu aurum. Et infinitis alijs nominibus ista sua metalla metaphorice nominarunt, & totum istud ad occultãdam scientiam. Hæc autem in quantum generantur ab eisdem principijs primis, videlicet ab vna prima materia quod est argentum viuum & sulphur, dicuntur & sunt effectus dictorum principiorum, scil. sulphuris & arg. viui. Et de quolibet prędictorum in speciali philosophi tractauerũt definiendo secundum diuersas eorum proprietates quilibet per se, eo quod diuersam compositionem seu generationẽ in sui creatione seu productione habuerunt. Est tamen aduertendum, quod philosophi aliquando nominant illud, quod vocant aurum suum ferrum vel plumbum, &c. & sic de alijs: Et etiam, è conuerso, ferrum vel plumbum, & sic de alijs vocant aurum. Et hoc diuersis respectibus: quia in quantum resolutio & corruptio vnius, generatio vel causa est alterius, est effectus in sua causa. Vnde dixerũt quod aurum est ferrum, & sic de cæteris. Nota causam erroris illorum qui operantur in metallis naturalibus, videlicet calcinando, dissoluendo, & congelando ea, credentes ab istis medicinam philosophos creare, eo quod philosophi dicunt, quod ex ferro, plumbo, & cæteris generatur aurum, eo quod illa res, quam ipsi vocant aurum vel medicinam auri, generatur ex resolutione seu corruptione aliorum metallorum: Nam in eadem operatione generantur & corrumpuntur omnia dicta metalla, & ex eisdem generatur aurum eorum. Vnde etiam dixerunt, quod ferrum, & sic de cæteris, est aurum, eo quod causa aliquo modo est suus effectus. Per easdem etiam considerationes communicantur etiam sibi nomina adinuicem aliorum metallorum, in quantum

tum corruptio vnius est generatio alterius. Est autem notandum, quod omnia ista metalla vocant philosophi Argentum viuum & sulphur, eo quod ipsa ex eis fiunt & generantur. Prædictas autem generationes metallorum philosophi complexiones vocauerunt: sed omnes inæquales excepta auri & argenti: Et ideo etiam argentum respectu auri dixerunt inæquale. Solum autem auri complexionem seu perfectionem esse æqualem dixerunt, nec aliquam aliam dictarum complexionum seu generationum quæsierunt philosophi, nisi solum illam, quam vocant æqualem, scilicet auri, de qua dicit Iohanninus: Quod elementalis commistio, est illa, quæ cum moderatione corpus dicitur incolume. Et nota, quod dicit, cū moderatione scil. quatuor naturarum, scil. caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis: nam quādo aliqua istarum naturarum aliam non excedit, tunc dicitur corpus æquale: quia tantum est de vna quantum de alia. Item dicitur incolume, id est sanum vel mundum ab omni causa corruptionis. Et nota, quod hoc facit stannum vel plumbum: ipsum aurum vel medicina auri: Ideo dicit Geber, stannum est plumbum purissimum, & est in eo qualitas fixionis vel spissitudinis duorum componentium, scil. argenti viui & sulphuris, non qualitas quantitatis: quoniam in mistione vincit arg. viuum. Item Hermes & Filij philosophorum: Corpora sunt 7. quorum nota quod aurum non est primum via generationis, sed intentionis naturæ: quia natura semper appetit quod melius, nobilius & perfectius est, & ad hoc intendit Vel dicitur primum nobilitate & dignitate. Primum est aurum eorum optimum caput & rex, quod nec terra corrumpitur, nec re comburente comburitur, nec aqua alteratur, eo quod complexio eius est temperata, & natura directa in calido & frigido, sicco & humido, nec in eo quid superfluum est nec minus. Et ideo Philosophi prætulerunt illud, & magnificauerunt & dixerunt: Quia sic se habet aurum in corporibus videlicet metallicis, quemadmodum Sol in stellis. Sunt autem quæ restant determinanda principia artificialia huius rei quam quęrimus: nota quod isti modi dicuntur principia artificialia, licet sint naturalia, eo quod natura ministerio & artificio eorum operatur. Et hi sunt modi operationis ipsius, quibus mediantibus hæc res, quam nos quærimus, generatur, & in esse actuali

dedu-

deducitur. Et est vnus modus sublimatio, alter modus descensio, tertius destillatio, quartus calcinatio, quintus solutio, sextus congelatio, septimus fixio, octauus iteratio: & his similia dicunt infinita Qui quidem modi, licet sint ad inuicem ratione diuersi, sunt tamen ijdem in re. Aliquando enim philosophi considerantes materiam eorum, quæ quando est in vase suo, & sentit Solem & calorem incontinenti exhalatur, seu euaporatur in speciem fumi subtilissimi, & ascendit in altum in capite vasis: vocauerunt talem ascensionem, sublimationem. Videntes postea talem materiam, quæ ascenderat, descendere ad fundum vasis, vocauerunt destillationem seu descensionem. Adhuc videntes inspissari istam materiam suam, & denigrari, & fœtorem malum dare, vocauerunt putrefactionem. Videntes colorem nigrum seu fuscum & malum post longum tempus dimittere, & aliqualem albedinem ad modum cineris coloris venire, vocauerunt incinerationem seu dealbationem. Ideo Morienus ait: Totum Magisterium nihil aliud est, nisi extractio aquæ ex terra, & aquæ super terra dimissio, donec putrefiat ipsa. Et hæc terra cum aqua putrescit; & cum mundificata fuerit auxilio cuncta regentis, totum Magisterium perficitur. Adhuc videntes terram cum sua aqua commisceri, & aquam paulatim propter temperatam decoctionem diminui & terram crescere, dixerunt omnes, quod hoc erat ceratio perfecta. Vnde ait philosophus: Quod terra cum aqua ceratur, imbibitur, & temperata decoctione caloris Solis desiccatur, & in terram vertitur tota materia. Vnde idem ait: Hæc est integra, si versa fuerit in terram. Item videntes quod tota materia veniebat in quandam dissipationem, & quodammodo reducebat se ad solidam substantiam, & quia non fluebat, immo stabat stricte, dixerunt quod esset perfecta congelatio. Ait Plato: Soluite lapidem nostrum, & postea congelate cum magna cautela, sicut vobis est demonstratum, & habetis quasi totum magisterium. Idem alibi: Accipe lapidem nostrum, & pone in vase, & assa igne leui donec confringatur, & postea coque ad calorem solis donec congeletur: & scitote quod totum magisterium nihil aliud est, nisi facere rerum solutionem, & perfectam & naturalem congelationẽ: hæc Plato. Idem, soluite & congelate, & sic scietis totum ma-

gisterium. Item: Videntes materiam prædictam perfecte cōgelatam & inspissatam, ita quod nullo modo vlterius resoluebat se in aquam nec in fumum, dixerunt, quod vere erat fixata, quia eandem congelationem & inspissationem seu fusionem propter maiorem decoctionem caloris viderunt venire ad perfectam desiccationem, & dealbationem, & quod ista albedo erat super omnes albedines, dixerunt quod hæc erat perfecta calcinatio. Item videntes hanc materiam ad suum colorem stare, & coloribus infinitis mutari, quia hoc fieri non poterat nisi per materię resolutionē: ideo hanc resolutionem dixerunt solutionem: nam in ipsa resolutione discontinuantur elementa, & vicissim agunt & patiuntur: & ideo philosophi dicta elementa coniuges vocant. Quare turpiter errant insipientes, qui credunt medicinam physicam creari ex alia re, cum tamen dicant philosophi, Filij Alchimici ac credentes suis cunctis dissolutionibus, sublimationibus, coniūctionibus, separationibus, congelationib. pręparationibus, contritionibus, alijsque insistunt deceptionibus. Et sileant prędicantes aliud aurum à nostro, aliam aquā à nostra, quę etiam dicitur acetum acerrimum: aliam dissolutionem & congelationem à nostra, quę fit igne leui: aliam putrefactionem à nostra, aliquid aliud volatile, siue spiritum alium aliquem à nostro videl. arg. viuo & sulphure: aliquid aliud alumen siue sal à nostro, quod in albedine compositum, dicitur Flos salis albi, vel aliquod aliud ouum à nostro, vel alium sanguinem humanum à nostro, vel aliquod aliud à re vegetabili, vel homine vel bruto animali extractum, fore in nostra operatione opportunum vobis vel vtile. In hoc enim forte decipiuntur, quod nostri lapidis tot sunt nomina, quot sunt res. Audiant enim plures philosophos dicentes, quod non oritur ex homine nisi homo, nec ex brutis animalibus vel vegetabilibus, nisi sibi similia, nisi erroneas sequentes aliquas falsas applicationes, p huiusmodi talia quęrant, per quas & ipsi merito falsarij appellentur. Et taceant etiam credentes ex puluere bruti animalis Basilisci opus nostrum fieri. Ex hoc enim forte fallentur, quod nostri lapidis odorem esse dicunt philosophi tanquam odorem sepulcrorum. Et propterea forte credunt ipsum esse Basiliscum, quod fœtidissimum dicitur esse animal. Si autem inuenias hanc rē nostram nutriri, sicut infans in vtero, sicut quidam philosophi

sophi dicunt, hoc tradunt illi ad similia, non ad temporis quantitatem, sed ad lenitatem decoctionis: quia res calore temperato congelatur:& cum dicitur nutriri ouorum nutritione, hæc omnia, vt videtis, &c. Notate quod totum Magisterium & tota intentio philosophorum non est aliud, nisi diuidere, mundare & cōgregare. Et iterum, Tota perfectio non est aliud nisi perfecte soluere & congelare. Notate quod totum regimen consistit in igne & calore. Tota perfectio non est aliud, nisi elementa conuertere. Totum regimen nō est aliud, quam coquere, & assare, in tabulas tenues coaptare, limare, cū forficibus incidere, comminuere, putrefacere, incinerare, aquare, separare, diuidere, mundare, dealbare, rubificare, soluere, soliare, cerare, commiscere, calefacere, pilare, cribrare, rigare, humectare, infimare, imbibere, impastare, desiccare, decoquere, subtiliare, fundere, gladio igneo incidere, malleo percutere, animam à corpore separare, perfundere, corpus in spiritum & spiritum in corpus conuertere, coire, impraegnare, sublimare, figere, descēdere, calcinare, soluere, corrumpere, coagulare: hoc totum vnum, & non aliud est, nisi in igneo hoc calore, cucurbita, & alembico destillare. Et ista pro magno secreto in ista arte habeantur, vnde versus:

Quinque res est vna, vas solum, coctio sola,
Huius solius, non est medicamen alius.

Generalis philosophorum regula est hæc: Dicunt enim quod non fit inspissatio alicuius humidi, nisi prius fiat ex humido partium subtilissimarum exhalatio: & nisi fiat prius similiter ex humido partium magis crassarum subtiliatio: si fit tamē humidum in compositione seu commistione superans siccum & vera mistio sicci & humidi, vt humidum contemperetur à sicco, & siccum ab humido: & hoc non fit nisi per diuturnam commistionem humidi viscosi & subtilis terrei per minima, quousque humidum idem cum sicco & siccum idem cum humido fiat: & huius subtilis vaporosi seu fumosi non fit resolutio seu exhalatio subito, imo paulatim & multo ac longo tempore: & causa siue ratio est: quoniam vniformis est substantia principiorum & naturæ: si ergo subito fieret ab eis superflui humidi resolutio, cum non differat ibi humidum à sicco propter fortem eorum mistionem adinuicem resoluendā, vtique humidum à sicco in resolutione pro-

pter fortem vnionem quam habent adinuicem resolutio humidi viscosi, subtilis, fumosi diuturna & ęqualis est causa inspissationis seu compositionis metallorum.

Explicit.

THESAVRVS PHILOSOPHIÆ.

Reserat nobis eius salutare, cuius sunt omnia, cælum, terra, mare, qui de nihilo cuncta creare potuit: & dissona consona ligare voluit: & ægra statuit medicinis curare ex sua bonitate: quod antiqui sapientes ad plenum intelligentes, duplicem de hoc modum in suis libris posuerunt, vnum verum, alium vero deuium. Verum quidem modum posuerunt verbis obscuris, vt a nullo, nisi a filijs ad plenum intelligeretur. Hoc autem celauerunt, ne impij hanc scientiam vsurpantes, ad profana perpetranda fierent promptiores: & de eorum peccatis essent rationem reddituri. Idcirco caue tibi carissime, ne hac sciētiam alicui indigno participes, sed more Philosophico eam celes, quam cum vero experimento cognoueris, amor eius & dilectio in te augebitur.

Falsum autem modum in verbis liquidis posuerunt: quem modum & eius errores cum suis causis dicere prætermittam. Sed, carissime audi & intellige, & Deus tuum illuminet intellectum. Scito quod scientia nostra est scientia 4. elementorum & temporum, & qualitatum, & eorum ad inuicem conuersio: & in hoc omnes philosophi conueniunt. Et scito quod in omni re sub cælo sunt 4. elementa, non per visum, sed per effectum. Vnde Philosophi sub velamento scientiæ elementorum, scientiam istam tradiderunt, & operati sunt: sed non intelligentes literam operationis: hæc omnia in sanguine, capillis & ouis, nec non & multis alijs truffis tentauerunt, & ego tentaui, & in stuporem fui redactus. Et ideo tanquam de scientia desperatus, Magisterium postposui: alias reprobaui imbecillitate proprij intellectus. Ad me ipsum tamen postea reuertens tandē cum Auicen, cogitare cœpi: Si hęc res est, quomodo est? Et si non est, quomodo non est? Sciui igitur quod omnium metallorum materia & sperma est Mercurius decoctus & inspissatus in ventre terræ, calore sulphureo, ipsum decoquendo & secundum varietatem sulphuris & eius mutiplicitatis diuersitatem

ſitatem, diuerſa metalla procreantur in terra. Ipſorum enim prima materia eſt vna & eadem: ipſa tamen differunt ſola actione accidentali, & in decoctione maiori vel minori, temperata vel intemperata, adurente vel non adurente: ſic concorditer aſſerunt omnes philoſophi. Certum quippe eſt omnem rem eſſe ex eo vel de eo in quod reſoluitur: nam gelu conuertitur in aquam mediante calore; Clarum eſt ergo ipſum primo fuiſſe aquam, ſic & omnia metalla conuertuntur in Mercurium, ergo ipſa prius fuerunt ex Mercurio: modum autem conuertendi ipſa in Mercurium, inferius oſtendam. Hoc autem ſuppoſito, ſoluitur dictum Ariſtotelis dicentis 4. Meteoror. Sciant ergo artifices Alchimiæ, ſpecies metallorum permutari non poſſe. Et hoc verum eſt, niſi ipſa (vt ſequitur) reducātur in primam materiam. Reductio vero ipſorum eſt facilis & poſſibilis adinuicem, nam omne creſcens & naſcens multiplicatur, vt patet in omnibus plantis & arboribus & animalibus: nā ex vno grano mille procreantur grana: ex vna arbore mille procedunt rami, & ab vno homine omne genus hominum procreatur: ſicut vnum quodque augetur ex ſua ſpecie, ſic & metallum poteſt per conſequens ex ſe augmentare ſuum metallum. Et nō eſt differētia, vt dicit Ariſtoteles, vtrum hęc fiant in organis naturalibus vel artificialibus. Metalla vero omnia in terra naſcūtur & creſcunt: poſſibile eſt ergo in eis augmentationem & multiplicationem fieri, & ita vſq; in infinitum. Sed hoc non poteſt fieri, niſi per illud quod eſt perfectius in linea metallorum: perfectioris generationis eſt illorum metallorum completa medicina, quæ eſt elixir Philoſophorum. Ad hoc autem elixir perueniri non eſt poſſibile, niſi per ſuum medium. Vide naturam medij, in quo ſemper eſt continentia extremorum. Extrema vero ſunt ſulphur & Mercurius, & elixir completum: ex illis iſtorum quæ magis depurata & decocta ſunt & digeſta, illa ſunt meliora & perfectiora, & etiam propinquiora. O cariſſime non oberres, quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Iam ſatis patet quis ſit lapis, quæ medicina eius, cui nihil extraneum additur, niſi quod ſuperflua remouentur: quia non conueniunt rei, niſi quæ propinquiora ſunt ei ex natura. Nunc igitur cariſſime explicabo dicta Philoſophorum, & verba ſapientum obſcura in parabolis celata, vt iudices me verba philoſophorū

intelligere, & ipſos verum protuliſſe affirmes. Eſt igitur illud primum quod Philoſophi vocauerunt ſolutionem, quæ eſt artis fundamentum: Vnde dicit Maria, Copula gummi cum gummi vero matrimonio, & fac illa ſicut aquam torrentem. Roſinus Philoſophus ait: Niſi corpora in incorporea vertatis, in vanum laboratis. Item Parmenides de hac ſolutione tractat, dicens in Turba: Quidam hanc ſolutionem audientes, putant eam fieri abſque corpore ſuo cum coniuncta eſt, & factum eſt vnum permanens: Non eſt enim philoſophorum ſolutio aquæ iubilatio, ſed corporum in aquam ſolutio, ſeu conuerſio, ex qua primo creata fuerunt; videlicet in Mercurium, prout gelu conuertitur in aquam liquidam ex qua prius fuit. Ecce per Dei gratiam vnum elementum quod eſt aqua, & ipſius corporis in aquam liquidam reductio. Secundum verbum eſt, quod ex aqua fit terra leni decoctione totiens reiterata, donec nigredo ſupereminceat: Nam vt dicit Auicenna in titulo de Humoribus, Calor agens in humido corpore primo generat nigredinem, vt eſt videre in calce quæ apud vulgum fit. Ideo dicit Menabdes: Iubeo poſteros facere corpora non corpora per diſſolutionem, & incorporea corpora per ſuauem decoctionem: in qua ſumme cauendum eſt, ne ſpiritus conuertatur in fumũ, & euaneſcat per nimium ignem. Vnde Maria dicit, Cuſtodi ipſum, & caue ne fugiat aliquid in fumum. Et ſit menſura ignis caliditas ſolis Iulij mẽſis, vt ex ſuaui & longa decoctione inſpiſſetur aqua, & fiat terra nigra. Sic ergo habes aliud elementum quod eſt terra. Tertium verbum quod præceſſit, eſt terræ mundificatio. Vnde dicit Morienes: Hæc terra cum aqua ſua putrefit & mundificatur: quæ cum mundata fuerit, auxilio Dei totum magiſterium dirigetur. Hermes quoque ait: Azot & ignis latonem abluunt, & nigredinem ab eo auferunt. Ideo dicit philoſophus Dealbate latonem, & liberos reponite, ne corda veſtra rumpantur. Hæc eſt enim compoſitio omnium ſapientum, & etiam tertia pars totius operis. Iungite ergo, vt dicitur in Turba, ſiccum humido, id eſt terram nigram cum aqua ſua, & coquite, donec dealbetur. Sic habes aquam & terram per ſe, & terram cum aqua dealbatam. Quartum verbum eſt, quod aqua, quæ cum terra fuerit inſpiſſata & coagulata, aſcendat ſublimatione. Sic habes terram, aquam &

aerem

aerem. Et hoc est quod dicit Philosophus: ipsum dealbate, & cito igne sublimate, quousque ex eo exeat spiritus, quem in eo inuenies, qui dicitur auis, aut cinis Hermetis. Vnde & Morienus ait: Cinerem ne vilipendas: nam ipse est diadema cordis tui, & permanentium cinis. Et in libro Turbę dicitur: Ignis regimen augmentate: & per albedinem peruenitur ad cinerationem, quæ dicitur terra calcinata, quæ est naturæ igneæ: & habes in prædictis proportionibus quatuor elementa, nempe aquam dissolutam, terram dealbatam, aerem sublimatum, ignem calcinatum. De istis etiam 4. elementis dicit Arist. in lib. de Regim. principum ad Alexandrum, cum habueris aquam ex aere, & aerem ex igne, & ignem ex terra, tunc plenam habebis artem philosophiæ. Et hic est finis primæ compositionis, vt Morienus dicit. Nunc ad secundam compositionem transeamus, quæ habet inspirasse, tingere, & viuificare primam compositionem. Vnde dicit Calindus philosophus, Nemo vnquam potuit, vel postea poterit tingere terram foliatam nisi cum auro. Ideo præcipit Hermes dicens, Seminate aurum vestrum in terram albam foliatam, quæ per calcinationem facta est ignea, subtilis, & aerea: In istam ergo terram aurum seminamus cum tincturam auri illi imponimus. Sed nunquā aurum potest perfecte aliud corpus tingere quam seipsum: Certe hoc non potest nisi perficiatur arte. Vnde ait Raymundus, Quamuis hic lapis noster iam in se tincturā naturaliter contineat: nam in corpus magnesiæ creatus est perfecte, per se tamen non habet nisi perficiatur arte & operatione. Geber dicit in Operatione radicum, Ad hoc fit operatio, vt melioretur tinctura auri in auro plus quam est in sua natura: & etiam vt fiat Elixir iuxta sapientum allegoriam, id est, compositum ex speciebus limpidum condimentum, antidotum & medicina omnium corporum curandorum, purgandorum, & transformandorum in Lunificum & Solificum verum. Sed nunquid Solo auro, & non alio corpore indigeamus, audi Hermetem dicentem: Pater eius, id est, primæ compositionis est Sol, mater eius Luna: Pater est calidus & siccus, tincturam generans: Mater eius est frigida & humida genitum nutriens. Ideo Sol per se, & Luna per se, sunt difficillimæ fusionis. Et dum coniunguntur in modum quo fit solidatura ad aurum, funduntur citissime. Ideo dicit Maria: Accipe corpus proiectum, siue mon-

ticulum clarum, quod non capitur putrefactione, & tere cũ elsapenos quod comprehendit tincturam spirituum, & appropinqua igni, & totum liquefiet cito, si super eum proiecisti vxorem suam Lunam. Igitur si in lapide nostro esset tantum alterum ipsorum, nunquam facile flueret medicina, neque tincturam daret. Et si daret, non tingeret nisi inquantũ esset: & reliquũ, vt Mercurius, in fumo euolaret: quia nõ esset in eo receptaculum tincturę. Sed nostrum finale secretũ est, habere medicinam quæ fluat ante fugam Mercurij. Istorum autem duorum coniunctio est necessaria in opere nostro: Dicit enim Geber, In perfecto Magisterio preciosius metallorum est aurum: ipsum est enim tinctura rubedinis trãsformans omne corpus. Ipsum est & fermentum totam massam conuertens ad suam naturam. Ipsum quoque est anima coniungens spiritum cum corpore: quia sicut corpus humanum sine anima est mortuum & immobile, sic & corpus immundum sine fermento quod eius est anima, terreum & inuegetabile: Nam fermentum præparati corporis totam massam conuertit ad suam naturam. Et nõ est fermentũ nisi Sol & Luna planetis appropriata: Quia sicut Sol & Luna cęteris planetis dominantur, sic ista duo corpora dominantur alijs corporibus metallorum, quæ ad naturam prædictorum duorum conformiter conuertuntur, & ideo fermentum dicitur: Nam sine ipso gramina non emendantur. Dicit enim Raymundus, Sed hanc emendare non poteris nisi prius subtilietur arte ac operatione. Quare Hermes dicit, Fili extrahe à radio suam vmbram. Igitur præparatio & subtiliatio fermenti nobis est necessaria, sicut est in infante, quia quantum est ad creationem perfecte nascitur, sed non quantum ad operationem, nisi prius alatur pauco lacte & post pluri, deinde plurimo, sic contingit ex toto in lapide nostro. Accipe igitur quartam partem sui, hoc est vnam partem de fermento, & tres partes de corpore imperfecto, dissolue fermentum in æquale sui aquæ Mercurij: Coque insimul lentissimo igne, & coagula illud fermẽtum, vt fiat sicut corpus imperfectum, & orificio vasis clauso. eodem modo & ordine vt dictum est fit præparatum; hoc autem præcipit Hermes dicens: Charissime, in principio operis recẽtis ęquales partes permistionis cõmisce insimul, & tere donec despõsetur, & ale vt fiat in eis cõceptio in fundo vasis, &

ſis, & generationes geniti fiant in aere. Morienus quoq; dicit, Fac in principio vt fumus rubeus capiat fumum album in forti vaſe firma coniunctione ſine ſpirituum exhalatione, & hoc eſt quintum verum. Sextum verum eſt, vt quartā partem fermenti ſubtiliati coniungas cum tribus partibus terrę dealbatæ, & aquam ſuam imbibe huic, & vt prius toties hęc coque & reitera, donec duo corpora vnum fiant ſine coloris diuerſitate. Vnde Morienus, Cum corpus album fuerit calcinatum, mitte in eam quartam partem ſui de fermento auri: Nam aurum eſt ſicut fermentum panis, quod totam maſſam paſtę conuertit ad ſuam naturam: Coque ergo ipſum in aqua ſua donec fiat res vna, & corpus vnum ſiccum: Quia, vt dicit Maria, Percutiet ipſum aer, congelabit eum, & erit vnum corpus: & illud eſt ſecretum Scaliæ: Tunc intruditur fermentum in ſuo corpore, quod eſt eius anima. Et hoc eſt quod dicit Morienus, Niſi corpus immundū mūdaueris, & id dealbatū reddideris, & in id animā miſeris, nihil in hoc Magiſterio direxiſti. Ideo fit permiſtio fermenti cū corpore mundato, & non cum corpore immundo. Nam vt dicit Gaſius, in perfecto Magiſterio, Lapides nō recipiunt ſe ad inuicem, niſi vtroque prius fuerint mundati. Non enim recipit corpus ſpiritum, neque ſpiritus corpus, ita quod ſpirituale fiat corporeum, vel corporeum ſpirituale, niſi prius fuerint ab omni ſorde depurati perfectiſſime. Quando vero mundantur mox complectuntur inuicem corpus & ſpiritus, & peruenit ex eis operatio vna perfecta, quia alterata ſunt à natura, & craſſa facta ſunt ſubtilia Hoc etiam dicit Aſtanus in Turba: Spiritus non coniunguntur corporibus, donec ab immunditijs perfecte fuerint denudati: & in hora cōiunctionis maxima apparent miracula: tunc corpus imperfectum coloratione firma coloratur fermēto mediante, quod fermentum ſit anima corporis imperfecti: Et ſpiritus mediante anima cum corpore coniungitur, & cum ea ſimul in colorem fermenti conuertitur, & fit vnum cum eis, Hoc eſt igitur elixir, vt dicit Auicenna ad Aſſem philoſophum, quod tingitur tinctura ſua, & ſubmergitur oleo ſuo, & figitur calce ſua: cuius aquam inuenimus ſicut eſt argentum viuum in mineralibus, & oleum eius ſicut eſt ſulphur, aut arſenicum in mineralib. & calx eius eſt calx in mineralibus: Verum etiam melius, abūdantius & ſublimius eſt opus: vt albū complectur

pletur tribus, in quibus non est ignis: & cittrinum quatuor rotatur rotis. De istis rotis etiam dicit Maria, In hac schola non sunt nisi mirabilia: intrant namque in eo quatuor lapides, & eius regimen verum est. Ex prædictis igitur patet subtiliter intelligenti vel intuenti, philosophos in eorum verbis obscuris verum dixisse: Nam dicunt, Lapis noster est ex quatuor elementis: & ipsum elementis comparauerunt. Et primo ostensum est qualiter quatuor ibi sunt elementa. Quia vt dicit Rasis: Omnia quæ à Lunari globo inferius à summo condita sunt opifice, participant quatuor elementis, non tamen per visum, sed per effectum. Nam lapis est vna sola res, tantum vna substantia, radix vna, & vna natura. Hermes dicit, Incipe in nomine Domini, & cognosce naturam lapidis. Ipse enim est à radice materiæ suæ, quia in eodem & de eodem: nec ingreditur aliud super eo quod non sit ortum ab eo: Re vera non conuenit rei, nisi quod propinquius est ei ex natura sua: nam vnum quodque diligit sui simile: Idcirco dicit Plato. Substantia vna, & vna essentia: in hoc vno est calidũ, frigidum, humidũ, & siccum: Ideo dicitur minor mundus, quoniam ex eo & per eum & in eo & cum eo sunt omnia metalla. Ipse quoque est sicut arbor, cuius rami & flores, & fructus sunt ex ea & per eam: & ipsa est totum similiter. Vnũquodq; non generat res nisi sibi similes ex specie sua: ita hæc res vna est & eadem, & quicquid de ea est, vnum & idem est & non diuersum. Hunc autem lapidem nominant philosophi nomine omnis rei corporis, & omnis speciei: Vnde Pythagoras, Omnibus nominibus nuncupatur, cuius nomen proprium est tantum vnum: vnde versus:

Dicitur hæc Luna nominibus omnibus vna.

Et dicit Phieras, Tenebrosorum nominum pluralitatem dimitte. Natura quidem vna est quæ omnia superat, non autem diuersæ naturæ illam rem emendant: Verum quidẽ vna sola natura est, quæ se ipsam germinare facit. Igitur, vt dicit Diomedes, Venerabili vtimur natura, quoniam natura non emẽdatur nisi sua natura: cui noli alienum introducere puluerem, neq; vllam rem, neq; res diuersæ illam rem emendãt: Nam ipsa seipsam facit germinare.

Maria tamen dicit, Quod exibit albũ & calx humida, quæ sunt

ſunt vnum de vno ſunt radices huius artis. Et philoſophi nominauerunt illam multis vel omnib. nominib. quorum vna ſola res eſt tãtum, vt dicit Morienus: Ego veritatem dico vobis, quod nihil aliud duxit modernos in errorem niſi nominum multitudo. Sed omnis ſapiens ſciat, quod hæc nomina non ſunt niſi colores in coniunctione apparentes. Et ſic non errabis in via huius operis, quamuis philoſophi dicta & nomina ſua multiplicauerunt, tamen non intelligunt niſi rem vnam, & viam vnam operandi, & vicem vnam caloris (vel coloris) oſtendi. Et nota, iſta diuerſitas colorum non apparet in noſtro lapide, niſi in coniunctione animæ cum corpore, vt dicit Morienus, Vna tantum vice ignis in eo innouat diuerſos colores. Dixerunt Philoſophi, quod lapis ex corpore, anima, & ſpiritu eſt: & verum dicunt. Nam corpus imperfectum dixerunt corpus, fermentum animam, & aquam ſpiritum: & bene quidē. Nam corpus imperfectum per ſe eſt corpus graue & infirmum, ac mortuum: Aqua eſt ſpiritus corpus purgans, ſubtilians, & dealbans. Fermentum eſt anima quæ corpori imperfecto vitam tribuit, quam prius non habebat, & in meliorem formam perducit. Corpus eſt Venus & femina: Spiritus eſt Mercurius & maſculus: Anima eſt Sol & Luna. Corpus habet liquefieri in primam materiam ſuam, quæ eſt Mercurius, vt dicit Morienus noſter, Mercurius nō habetur niſi ex corporibus liquefactis liquefactione non vulgari, ſed ea tantum quæ durat donec coniuges vero matrimonio ſocientur, & etiam vniuntur: & hoc eſt vſque ad albedinem. Et nota quod corpus liquefactum eſt ex toto, cum in decoctione apparuerit nigredo. Vnde dicit Bonellus, Videntes autem nigredinem illi aquæ imminere, ſcitote illud corpus iam liquefactum eſſe, hinc coquite eum in aqua leni igne, vſquequo cum ſuo vapore compari deſiccetur, & fiat res, quæ in ea à ſuo corpore introducitur. Spiritus vero, corpus ſubtiliatum conuertit ad ſe & penetrat, ideóq; dicitur aqua permanens & aqua vitæ. Vnde dicit Mūdus in Turba, Mercurius eſt aqua permanens, ſine qua nihil fit: Vis enim eius eſt ſpiritualis, ſanguis contritus, vnde cum corpore iſtum in ſpiritum vertit, & ſibi ad inuicem miſtum, in vnum redactum ſecundum virtutem virtutum corpus incorporat ſpiritum, ſpiritus vero corpus in ſpiritum tinctum, prout ſanguis vertit: Nam omne quod ſpiritum habet, habet & ſan-

ſanguinem: Et ſanguis eſt humor naturalis naturam confortans. Et ſcito, quanto magis corpus decoquitur, & in ſuo humore abluitur, tanto magis limpidius apparebit & melius. Sed vt dicit Morienus, Nihil eſt quod a latone poſſit ſuam vmbram auferre niſi azot, quando in eo decoquitur, donec eum coloratum reddit & album, velut oculi piſcium: tunc enim expectat ſuum bonum vt confortetur ſuo fermẽto. Nota autem quod fermentum eſt anima fixa lapidis, tingens, viuificans, & complectens. Vnde dicit Maria, Corpus fixum eſt de materia Saturni comprehendificans digeſtionem tincturarum, & complens ſapientia fediarum, ſine quo hoc Magiſterium nunquam perueniet ad effectum, donec Sol & Luna in vno corpore coniungantur: Nam totum huius artis artificium, vt dicit Eulclides, eſt in Sole & Mercurio: ipſa enim in vnum coniuncta, tincturam habent infinitam. Nam in opere quæris colorem ſanguine rubicundiorem. Modicum quippe huius coloris in album infuſum, conuertit magnam albi quantitatem in citrinum colorem, ſicut experiri potes, ſi ſanguinem proieceris in lac vel in aquam. Igitur, vt dicit Ioſephus, Commiſce ignem & aquam, & erunt quatuor: deinde fac iſta vnum, & perueniſti ad illud quod quæris: tunc enim fiet corpus non corpus, debile ſuper ignem non debilem, & erit ſuper eo pax. Præparatio autem harum rerum à principio, vſque ad finem eſt aqua fixa, honorata: nã illa manifeſtant tincturam in proiectione: & ipſa eſt mediatrix inter contraria, & ipſa eadem eſt principium, medium & vltimum. Intelligens ipſam, apprehendit ſapientiã. Dixerunt etiam quidam Philoſophi, Niſi corpora vertatis in nõ corpora, & incorporea in corpora, regulam veritatis non inueniſtis: & verum dicunt. Nam corpus primo fit aqua, & ſic corporeum fit incorporeum, id eſt, ſpiritus: deinde in coniunctione ſpiritus aqua fit corpus. Ideo dicit Hermes, Conuerte naturas, & quod quæris inuenies: & hoc eſt verum. Nam in noſtro Magiſterio primo facimus de craſſo gracile, id eſt, de corpore aquam: Poſtmodum vero facimus de humido ſiccum, id eſt, de aqua terram: & ſic vere naturas conuertimus, quia facimus de corporali ſpirituale, & de ſpirituali corporale. Et hoc eſt quod dicit Senior. Eſt conuerſio corporum de ſtatu in ſtatum, de re in rem, de infinitate ad potentiam, de craſſitie ad tenuitatem, de corpore

ad

ad ſpiritualitatem, ſicut conuertitur ſemen hominis in matrice mulieris conuerſione naturali de re in rem, donec formetur homo inde perfectus, ex quo fuit radix & principium eius: nec mutatur ab hoc nec ex ſua radice aliqua diuiſione. Nam vt dicit Ariſtoteles, Omnis generatio eſt ex conueniẽtibus in natura. Et hoc eſt verum, maxime in generationibus metallicis: Ideo enim Phloſophi dicũt, Ne facias ingredi ſuper eum alienum, neque puluerem, neque aquã, neque vllam rem: quia ſi intrauerit ſuper eum alienum, corrumpit eum, & deſtruit eum. Vnde dixit Arabs rex quidã, Aqua non conglutinatur niſi cum ſimili ſulphuris ſui in hoc quod ex eo eſt. Deinde facimus illud quod eſt ſuperius, ſicut eſt illud quod eſt inferius, id eſt, vt ſpiritus fiat corpus, & corpus ſpiritus, ſicut eſt in principio noſtræ operationis, vt in ſublimatione, quod eſt inferius, eſt ſicut quod eſt ſuperius, & totum vertitur in terram. Idcirco dicit Hermes, Quod eſt ſuperius per ſublimationẽ, eſt inferius per deſcenſionẽ, & quod eſt inferius per conſtipationem, eſt ſicut quod eſt ſuperius per aſcenſionem, ad perpetrãda miracula rei vnius: aqua & terra habent locũ inferius: aer & ignis aſcendunt ſuperius: aqua & terra concipiunt & nutriunt: aer & ignis, agunt & coniungunt. Et iſta quatuor in noſtro lapide conueniunt, vt dicit Senior: Quod quatuor elementa in lapide noſtro purificata ſunt, quia in eo eſt aqua fixa, & aer quietus, & terra quieſcens, & ignis circundans omnia: & in hac repugnantia in eo conueniunt. Et hæ quatuor naturæ in eo, & ex eo, & per eum generatæ ſunt. Patet ergo ex prẹmiſſis, quod lapis noſter ex quatuor elementis eſt. Dixerunt ergo Philoſophi, Quod lapis noſter habet corpus, ſpiritum, & animam: Et iſta tria dicuntur ex vna natura, & vna re cum vna aqua de vna radice: & certe verum dicunt: Nam totum Magiſterium noſtrũ fit cum aqua noſtra, & de ea, & ex ea ſunt omnia neceſſaria: Nam ipſa corpora ſoluit, non ſolutione vulgari, prout tradunt ignorantes, ꝙ cõuerantur in aquam nubis, ſed ſolutione vera philoſophica, vt cõuertantur in aquã, ex qua ab initio fuerunt. Vnde dicit Socrates, Secretum cuiuslibet rei & vita, eſt aqua: ipſa ſoluit corpus in ſpiritum, & de mortuo facit viuum. Ipſa eſt acetum acerrimum, quod omnibus imminet, & omnia ſuperat. Terite ergo lapidem noſtrum aceto acerrimo, incoquite donec inſpiſſetur, citiſ-

citissime tamen, ne acetum conuertatur in fumum & pereat totum. Item, ipsa eadem aqua calcinat corpora, & in terram reducit. Ipsa etiam eadem corpora denigrat, dealbat & rubificat: ipsa eadē in cinerem transformat, puluerizat & ea intrat: iuxta quod dicit Marchos rex, Aqua nostra soluit corpora, congelat, & denigrat ea: & ipsa abluit omne corpus, & aufert omnem nigredinem, & tingit omne nigrum: & facit album, & tingit omne album: & facit rubeum, & viuificat omnia mortua in vitam sempiternam. Ideo magnificatur hæc aqua, exaltatur, & facta est domina omnium rerum, nec inuenitur res agens suas operationes. Morienus quoque dicit, quod Azot & ignis latonem abluunt, mundificant, & obscuritatem eius penitus ab eo eripiunt. Laton autem est corpus immundum, Azot vero est Mercurius. Et hæc aqua coniungit corpora diuersa modo prædicto preparata tali coniunctione, quod non potest ignis potentia ea separare. Ipsa facit matrimonium inter corpus & fermentum, & eorum vnum mutat in aliud, & ab ignis combustione defendit. Calcinata namque terra & dealbata ipsa altiora petens loca, fit spiritualis & aerea: Et quod est spirituale & aereum, est incorruptibile & penetratiuum. Vnde dicit Hermes, Aqua aeris inter cælum & terram existens, est vita vniuscuiusque rei: nam ipsa est mediatrix inter ignem & aquam per calorē & humiditatem suam, vnde ipsa aqua suscipit aerem: nam ipse aer suscipit ignem, quia ipse est vicinus igni per calorē, & propinquus aquæ per humiditatem: idcirco facit matrimoniū inter virum & mulierem. Omnis enim spiritus consistit ex subtilitate fumositatis aeris. Nam omne animatum vegetabile attrahit spiritum & vitam ex aere. Ignis igitur aquam aeris viuificat mortuam, facit matrimonium & à combustione ignis protegit compositum. Ideo dixerunt Philosophi, Conuerte aquam in aerem vt fiat vita: vita tamen cum vita, quia ipsa est vita & spiritus cui ipsa intrauerit. Igitur aqua nostra sublimat corpora non sublimatione vulgari, quam intendunt idiotę credentes quod sublimare, sit superius ascendere: Vnde accipiunt corpora calcinata & miscent ea cum spiritibus sublimatis, vt sulphure & Mercurio cum sale armoniaco coniungunt, & per fortem ignem sublimationem faciunt, vt corpora simul cum spiritibus ascendant, & dicunt tunc quod spiritús & corpora sunt subli-

ſublimata,& à ſuis ſuperfluis optime depurata: ſed deluſi ſunt: quia ipſi poſtea ipſa magis immunda reperiunt, quam prius fuerint. Nam ars eſt debilior quam natura: Vnde dicit Albertus in libro de Mineralibus, Quoniam duo extranei humores à ſulphuris ſubſtantia artificio & ingenio naturæ purgati ſunt, melius ab arte purgari vel depurari non poſſunt: Nam artificium naturæ certius eſt & ſublimius omni arte. Igitur noſtrum ſublimare non eſt ſuperius aſcendere: ſed ſublimare Philoſophorum eſt de re parua & humili, ſeu baſſa & corrupta, magnam facere, altam,& puram. Vnde quum dicimus, Ipſe ſublimatus eſt in Epiſcopum, hoc eſt promotus eſt in Eipiſcopum, hoc eſt, promotus eſt ad dignitatis gradum. Sic dicimus corpora ſublimata, id eſt ſubtiliata, & in alteram naturam translata: Vnde ſublimare idem eſt quod ſubtiliare, quod totum facit aqua noſtra: Vnde dicit Morienus, Aqua à corpore mortuo in quo non eſt anima aufert fœtorem, & quando dealbauerit animam, & eam ſublimauerit, & corpus cuſtodierit, aufert ab eo obſcuritatem, & omnem odorem malum. Albides quoque dicit, Accipite res à mineris ſuis, & ſublimate eas ad altiora loca ſua, & mittite eas à cacumine montium ſuorum, & reducite eas ad radices ſuas. Sublimare igitur eſt rem groſſam ſubtiliare: Vnde dicit Hermes, Sublima ſubtile à ſpiſſo ſuauiter & cum magno ingenio. Aſcendit enim terra in cælum, iterumque deſcendit in terram, & recipit vim ſuperioris ſubtilitatis penetrandi, & inferiorem grauitatis remanendi Sic ergo intelligite ſublimationem philoſophorum, quia multi ſunt in hoc decepti. Item aqua noſtra viuificat corpora & mortificat,deducit ad occaſum,& reducit ad ortum. Ipſa colores nigros apparere facit in mortificatione, dum conuertuntur in in terram putrefactione:Poſtmodum apparent multi colores & varij ante dealbationem,quorum omnium finis eſt albedo ſtabilis: Ipſa enim eſt vt granum frumenti cadens in terram, quod ſi mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Sic ſemina omnium terræ naſcentium mutantur,& putrefiunt, donec ingreditur ſuper eis corruptio: dein germinant & augmentantur ſicut illa,ex quibus radicem habuerint:Sic aqua noſtra nutritur,putrefit,& corrumpitur,deinde germinat,reſurgit,& ſe ipſam viuificat.Idcirco dicit Calidus, Quando vidi aquā congelare

gelare se ipsam, tunc certificatus fui, quod res vera est sicut asse signatur. Coquite ergo eam cum corpore suo donec siccetur humiditas eius ab igne, & sit sicca, donec videatur eam collegisse spiritus eius ab ea, & fecisse mansionem in radice elementi sui: hoc autem erit quando mortificaueris, corpus album decoxeris: tunc erit aqua spiritualis, potens naturas conuertere ad alias naturas: tunc autem corpora mortua viuificat & germinabit. Item, Aqua nostra est mater diuersorum colorum mirabilium: quia per ipsam diuersitas colorum apparebit, & hoc erit maxime in missione aquæ corporis præparati & fermentati: tunc enim infiniti colores apparent tot, quot excogitari possunt: quia tunc spiritus coniungitur cũ corpore & anima: nã spiritus est locus animæ, & anima à corporibus extracta est aquæ tinctura. Vnde Senior: Hæc aqua est tinctura soluta in corpore deportata, sicut portarur tinctura tinctorum super pannum: deinde recedit aqua per desiccationem, & remanet tinctura sua per impressionem: Similiter est de aqua animæ in qua portatur tinctura, quam reducunt super terram suam albam sitientem, foliatam. Hanc aquam vocat Hermes auri spinarum & florum, & croci: quia tingit terram eorum calcinatam: vnde etiam dixit, Seminate aurum in terram foliatam: deinde recedit aqua spiritualis, & in corpore remanet anima, quæ est tinctura Solis: nam ipsa est sicut fumus subtilis, insensibilis, non nisi in effectu apparens. Sed eius actus est manifestatio colorum, & ignis ex igne generatur & nutritur in igne, & est filia ignis: ideo oportet reduci ad ignem, vt non timeat ignem, sicut reducitur puer ad vbera matris suæ.

Hunc etiam lapidem nostrum aliqui æs album vocauerunt. Vnde Lucas & Eximeus in Turba: Scitote omnes scientiam quærentes, quod nulla sit tinctura, nisi ex nostro ære albo: æs enim nostrum, non est æs vulgi, æs vulgi corrumpitur & inficit omne cui imponitur: æs vero Philosophorum perficit & dealbat cui associatur. Ideo dicit Plato: Omne aurum est æs, sed non omne æs est aurum: nam in natura aurum assimulatur æri, vt in grauitate, tactu: sed in natura æris non est aliud, quam in narura auri, ex corruptione in terra & mansione in patientia, in igne & mansione in mari. Itaque æs nostrum habet corpus, animam & spiritum: & illa tria sunt vnum: nam spiritus, corpus & anima sunt vnum:

vnum: quia ipsa omnia sunt ex vno & de vno, & cum vno, quod est radix ipsius. Æs igitur philosophorum est elixir eorum ex spiritu, corpore & anima completum & perfectum. Sic enim philosophi lapidem diuersis nominibus nominauerunt, vt sapientibus esset manifestus, & insipientibus occultus. Sed quocumque nomine nominetur, semper est vnus & idem: & de eodem: vnde dicit Merculinus hæc carmina:

Est lapis occultus, & in imo fonte sepultus,
Vilis & eiectus, fumo vel sterrore tectus:
Vnus habet vtutis lapis omnia nomina diuus,
Vnde Deo plenus sapiens dixit Morienus.
Non lapis hic lapis est animal quod gignere fas est
Et lapis hic auis, & non lapis aut auis hæc est:
Hic lapis est moles, stirps, & Saturnia proles:
Iuppiter hic lapis est, Mars: Sol, Venus, & lapis hic est
Aliger, & Luna lucidior omnibus vna,
Nunc argentum, nunc aurum, nunc elementum,
Nunc aqua, nunc vinum, nunc sangis, nunc chrisolinum
Nunc lac virgineum, nunc spuma maris, vel acetum,
Nunc in sentina fœtenti stillat vrina,
Nunc quoque gemma salis almizadir sal generalis,
Auripigmentum primum statuunt elementum,
Nunc mare purgatum cum sulphure purificatum:
Siccine transponunt quod stultis pandere nolunt,
Sicque figuratur sapiens ne decipiatur,
Et quod tractatur stultis ne distribuatur.

Item, vt dicit Morienes: Lapis noster & confectio ipsius magisterij assimilatur in ordine creationi hominis. Nam primum est coitus, secundum conceptio, tertium prægnatio, quartum ortus, & quintum sequitur nutrimentum. O carissime, hæc verba Morieni intellige, & non errabis in veritate. Aperi ergo oculos tuos, & vide quod sperma philosophorum est aqua viua, terra autem est corpus imperfectum, quæ terra merito dicitur mater: quia ipsa est mater omnium elementorum: ideo quando sperma Mercurij coniungitur cum terra corporis imperfecti, tunc coitus appellatur: tunc enim terra corporis dissoluitur in aquam spermatis, & fit aqua sine diuisione vna: vnde dicit Hali, Solutio corporis, & coagulatio sunt duo: sed habent vnam opera-

tionem: quia ſpiritus non coagulatur, niſi cum coagulatione ſpiritus: & corpus & anima quando coniunguntur, agit vterque in ſuum conſimile: Exemplum cum aqua coniungitur terræ, aqua cum ſua humiditate & virtute conatur eam diſſoluere: nam facit eam ſubtiliorem quam prius erat, & reddit eam ſibi conſimilem: quia aqua eſt ſubtilior terra: ſimiliter facit anima in corpore, & eodem modo inſpiſſatur aqua cum terra, & fit conſimilis terræ in denſitate: quia terra ſpiſſior eſt quam aqua. Ideo inter ſolutionem corporis & coagulationem ſpiritus, non eſt differentia temporis, nec diuerſum opus in aliquo, ita quod fiat vnum ſine alio, ſicut non eſt inter aquam & terram in ſua coniunctione diuerſa pars temporis: quod cognoſcitur ſi coniungatur vel ſeparetur vna ab alia in earum operationibus: Sicut ne ſperma viri ſeparetur à ſpermate mulieris in hora ſui coitus, ſic & earum vnus eſt terminus, vnum factum, & vna & eadem operatio inſimul cernitur ſuper ipſa duo. Ideo Merculinus, rerum miſturam, coitum vocat & genituram.

Semina miſcentur quaſi lac, quæ miſta videntur.

Secundum eſt conceptio, quũ terra in nigrũ ſoluitur puluerẽ, & incipit aliquantulum de Mercurio ſecum retinere: tunc enim agit maſculus in feminam, id eſt Azot in terram: ideo dicit Ariſleus, Maſculi adinuicem non gignunt, nec mulieres concipiunt. Generatio enim eſt ex maribus & feminis, & maxime ex inuicem conuenientibus. Maribus namque ducentibus feminas, natura gaudet & fit generatio vera. Natura autem alienæ naturæ ineptæ coniuncta, nullam veritatem ſpermatis gignit. Coniunge ergo filium tuum Gabricum dilectiorem tibi omnibus filijs tuis cum ſua ſorore Leya, quæ eſt puella fulgida, ſuauis & tenera: Gabricus eſt maſculus, & Leya femina, quæ ipſi dat omne quod ex ipſa eſt, & quamvis Gabricus ſit carior Leya: tamen non fit generatio ſine Leya, Gabricus enim cum Leya concumbens, protinus mortuus eſt: nam Leya aſcendit ſupra Gabricum, & includit eum ſuo vtero, vt nihil penitus videri potuerit de eo, tantoque amore amplexata eſt Gabricum, quod ipſum totum in ſui naturam concepit, & in diuerſas partes diuiſit: & hoc eſt quod dicit Merculinus.

Quod quaſi lac fuerat, conceptio ſanguine mutat,
Pallida nigreſcunt, rubea diffuſa nigreſcunt.

Tertium

Tertium est prægnatio: quia dealbatur terra: dominante namque aqua, terra crescit & multiplicatur, & augmentatio nouæ prolis inde generatur: tunc oportet te terram nigram abluere, & igne calido dealbare. Vnde Hali dicit: Accipe quod ad fundum vasis descendit, & ablue istud cum igne calido, quo usque auferatur eius nigredo, & recedat eius spissitudo, & fac ab eo euolare additiones humiditatum, donec deueniat calx nimis alba, in qua non erit macula, tunc enim terra ad recipiendam animam est depurata, ideo Mercul.

Fumans mutatum, prægnatio spondet hiatum:
Quæ bene purgantur, concordi pace ligantur.

Quartum est ortus, quando fermentum coniungitur terræ dealbatæ, ita quod vnum fiant substantia & colore: tunc enim natus est lapis noster in vitam sempiternam: quia tunc spiritus cum corpore, anima mediante coniungitur. Hæc namque est compositio quæ, vt dicit Hali, fit cum putrefactione & matrimonio: & matrimonium est subtile cum crasso seu spisso com miscere, & animam cum corpore commiscere. Putrefactio vero est assare, terere & rigare quousque insimul commisceantur, & fiant vnum, & non sit in eis diuersitas neque separatio de aqua mista aquæ, tunc conabitur spissum retinere subtile, & conabitur anima pugnare cum igne, & ipsum pati: & conabitur spiritus multum alienatus in corporibus fundi cum eis. Ideo Merculinus:

Quantum prægnatum, producit stercore natum:
Natis vita datur, non natis vita negatur.

Quintum est nutrimentum, quia fœtus extractus non nisi lacte nutritur & igne, parce & paulatim, dum paruulus est. & quãto magis esurit ossibus confortatis in iuuentutem perducitur: in quam perueniens sibi subsistit & sufficit, & sic oportet te in hac operatione facere, sciens quod absque calore nil vnquam generatur: & intensus calor perire facit: & frigidum balneum compositum fugat, temperatum vero & suaue balneum & igne leui corrumpentes humiditates corporis extrahuntur: ideo dicit Merculinus.

Postea nutritur, quod natum lux reperitur,
Ignis aquam superat, fornax alimenta ministrat:
Hinc etiam lapis natus noster appellatur.

Vnde Plato in libro Turbæ dicit, Honorate Regem ab igne venientem, diademate coronatum, & ipsum illuminate

quousq; ad ętatem peruenerit perfectam, & nolite ipsum cõburere, nec fugetis ipsum comburendo nimio igne: quia si ipsum prouocaueritis ad irã, aufert à nobis regimen suũ: Cuius pater est Sol, mater vero Luna, quam portauit ventus in ventre suo: & nutrix eius est terra, nutritur autem suo lacte, id est spermate ex quo fuit ab initio: imbibatur ergo sæpe & sæpius parce & paulatim suo Mercurio, quousq, bibat quod sibi sufficiat. Tunc autẽ, vt dixit Hali, erit corpus causa retinendi tincturam: & erit tinctura causa retinendi colorem, & color erit causa demonstrãdi tincturam, in qua est lumen & vita naturæ. Vnde hæc est via recta, breuis, summa perfectio rei, & cõseruatio totius magisterij. O carissime amice singulariter dilecte, per ea quæ dicta sunt faciliter potes intelligere verba obscura, & cognosces omnes in eo conuenire, quod nullum est magisteriũ nisi illud quod dixi. Iam.n. habes corporis solutionem, & ipsius ad primam materiam reductionẽ. Deinde habes ipsius in terram conuersionem: Præterea terræ nigræ dealbationem, & in aerem leuigationem: quia tunc destillando humiditatem quæ in ea inuenitur, fit aereum quod ascendit, & terra remanet calcinata, & tunc est igneæ naturæ: & habes conuersionem ipsorum ad inuicem: & accipit augmẽtationem tantam, cuius vtilitas maior est, quam possit percipi aliqua ratione, Amen.

PRAXIS VNIVERSALIS MAGNI OPERIS, ex tertia distinctione libri Quintarum essentiarum Raymundi Lullij.

COrpus Solare vel Lunare calcinatum, in oleum conuersum per menstruum nostrum: Et scias pondus cuiuslibet: si fuerint menstrui libræ 3. ponas de corpore vncias 2. & fac eorum coniugiũ adinuicem, id est mistionem in vase tibi noto fortissime clauso ex luto facto ex albumine oui, papyro & calce viua diligentissime carminata, pone in balneo aut fimo calidissimo: securior tamen est operatio cũ balneo cinerum, ne calor in alio balneo aut fimo recedat: nam ignem actum suum ibi habere necesse est. Qui calor etiam si defuerit, ad malũ terminabitur. Ministra ergo ignem lentum quouis istorum modorum successiue, & continue sine intermissione, quousq; per menstruum dissoluatur, vt fiat

mistio menstrui in oleum, & rursus olei in menstruum per minimas partes, & transeat materia à dissolutione mistionis ad alteram potentiam elementorum, & per consequens ad generationem : non ad generationem, quæ est post totalem lapidis corruptionem, sed ad accidentalem generationem, qua largo termino generatio dicitur: quod cognoscas, quando alius color incipit generari, scilicet niger. Non arbitreris ipsum esse nigrum, sicut encaustum, sed sicut in colore mali granati: qui color niger, est finis alterationis, & principium digestionis. Ergo hæc generatio huius coloris non est ex corruptione formæ substantialis ipsius auri & menstrui, quam in instante sequitur generatio formæ substantialis ipsius auri & menstrui, quam in instante sequitur generatio formæ substantialis lapidis philosophorum, cum expoliatione terrestreitatis ingressum prohibentis. Isto colore viso, intelligas corpus Solare transire per dissolutionem, alterationem & digestionem in generationem : quia ibi facta est colligantia amoris intra corpus & menstruum, quia corpus conuersum est in menstruum, & menstruum in formam. Deinde continuando digestionem sine intermissione temperate continuando: tunc corpus cum menstruo ingrediuntur digestionem & generationem : & durat digestio & generatio per tempus mutationum.

De Lapide Philosophorum quidam summatim multa epilogando sic dicit.

Restat nunc quatenus breuiter teneatur memorialiter totum magisterium sub sermonis breuitate recapitulatiue : Vnde dicimus, quod tota huius operis nostri intentio in summa nihil aliud est, nisi vt sumatur lapis philosophicus, & cum operis instantia alijs etiam regiminibus completis assiduetur super ipsum opus sublimationis atque destillationis primi gradus, vt per hoc mundetur à corruptionis impuritate : deinde vero figatur, ita quod nihil ascendat : & cum fixus fuerit, solue ex eo quod subtile est, & in ignis temperamento serua, quousque per modum sublimationis, solutionis, atque destillationis eleuetur, & eleuari possit. Cum eleuatum fuerit, in ignis temperamento serua, quousque totum figatur, & in asperitate ignis quiescat: & hic secundus præparationis appellatur gradus ; & in hoc

quidē præparationibus & perfectionis meta consistit. Tertius vero similiter gradus lapidis administretur, quo per totum principium, medium & finem consistunt præparationis complemento: Et est vt fixum lapidem cum manet sublimatus per administrationem ignis volatilem facias, & volatile fixum, donec in ignis temperamento quiescat, ita quod nil videatur ascendere: Et hic tertius modus, est completus. Quarta vero administratio est, vt lapidem dissoluas, & per modum destillationis volatilem facias: & cum ista fuerit tota materia cum igne sibi appropriata, donec quiescat sine aliqua separatione. Et cum ista facta fuerit, verissima via inuenta est. Quinta administratio est, vt lapidem congelatum dissoluas, & volatilem facias: & iterum volatile fixum. Sexta administratio similis est quintæ, similiter & septima: & summarie nihil aliud est, quam solue, congela.

PRACTICA MAGISTRI ODOMARI ad discipulum.

Cogis me frater Ludouice contra omnium philosophorum præcepta militare: sed quia tui amore sanctissimo cor meum accenditur: ideo secretum quod hactenus pater filio negat, tibi carissimo fratri fideliter iungo. Recipe Lunæ purissimæ à sulphure suo combustibili purgatę per modum calcinationis ℥ vnam, & pone in vrinali vitreo cum duplo aceti destillati per modum destillationis aquæ vitæ, quod melius est, & claude os vrinalis ne respiret: postea sepelias in caldario aquæ pleno & straminibus, ita quod aqua ferueat per vnam horam: & dissolutum destilla per filtrum: destillatum desicca: desiccatum in furno reuerberationis calcina: calcinatum, iterato cum aceto dissolue per omnia faciendo, vt supra, sex vicibus itera: vltimo calcina. Tunc recipe Mercurij sublimati ℥ duas & in corpora diu, optime ducendo cum magna cautela. Postea illud sublima in aludel plani fundi cum igne fortiori, quam expedit in fusione æris, & totum ascendet. Et hoc iterato totum contere simul, & sublima donec figatur, fixum dissolue sex vicibus vt primo. Vltimo calcina, & cum nouo Mercurio crystallino sublimato iterum eleua, & tantundem illud fixa: hos autem ordines fixationis & & volatilitatis quinque vicibus itera: quia vltra quinque vices non poterit bene calcinari, nec eleuari: imo omnia adęquan-

quantur in fundo, in fermentatione & maturatione. Tunc ℥. vna istius lapidis cadit supra centum. Sed si vncia vna in fimo equi vel in balneo Mariæ dissoluerur, & in cineribus tepidis congeletur, illius vncia cadit supra sex millia. Et si secundo dissolutionem & congelationem reiteraueris, cadet pars vna super mille millia. Si tunc solueris & congelaueris, ita quod lapis amplius coagulari non valeat in quocunq; paruo igne, imo quod ignis in naturam solarem conuersus quam cito ignem vel Solem senserit, pars vna cadet super infinitas.

Si autem vis facere rubeum: Recipe Mercurij rubificati, fixi, & in spiritum versi partem, & adde elixiri albo: & fiet citrinum, & habes opus tuũ rubeum. Rubificatur autem Mercurius in aqua acuta, quæ fit ex libra vitrioli, & libra salis petræ, & quarta parte libræ cinabrij, & duabus vncijs aluminis iameni, & postea figitur in prima sublimatione magnæ ignitionis: postea soluitur in aquam sanguine rubicundiorem, & per dies quadraginta pone in fimo, in calculo siccando. Hæc aqua si calefiat parum, & super centum libras eius proijciatur elixir albi vna libra, fiet totum elixir rubeum perfectissimum: & sic in infinitum. Similiter fit ad album, si Mercurius albus crystallinus non fixus soluatur, &c. Si hic lapis colorem habeat album, facit Lunam: si rubeum generat Solem: si viridem, probatissime facit viride aurum: etiam vitrum vel crystallum, si superproieceris, inde naturas procurabis secundum suum colorem. Omnem infirmitatem, debito modo sumtus, in hora expellit: & senem in iuuenem gaudiosum cõuertit: & simpliciter crines canos eijcit, & pulcram comam inducit.

Fuit in Gallijs homo quidam, qui oleum rubeum composuit, in quo oleo postea ponebat laminas tenues Lunæ, quas super lentum ignem dimittebat aliquibus horis: deinde sigillabat vas, & faciebat ignem desuper, & tota illa Luna cũ materia tota conuertebatur in aurum: sed ex quo fieret oleum nescio. Credibile tamen est medicinam factam ex corpore spiritibus, & animabus fixis, rubeis & per dissolutionem in oleum redactis.

Nota pro præseruatione à fumis Alchemicis venenosis (præter alia adiutoria) vt obtures nares cum bombyce seu bombace madefacto in oleo violarum.

Contra ægritudines genitas ex fumo Mercurij vel aliorum

ſpirituum Alchemicorum, prodeſt vti zedoaria, & bacca lauri, & pipere & allio, & vino.

Albertus in libro ſuo de Mineralibus inquit: quod operarij qui metalla fodiunt, quando igniunt ea, obſtruunt os & nares duplici vel triplici filtro, ne vapore nimis lædantur in ſpiritualibus, & noceant valde præcordijs.

Arcanum Philoſophorum, Vt ex Saturno facias aurum perfectum.

Recipe libram ſemis Mercurij philoſophorum, & vncias duas ſulphuris eorundem: amalgama vtroſque ſimul, ita vt de alterutro nil appareat, ſed remaneat puluis niger ex his duobus: quem recipe & pone in phiala ſtricti oris, & pone ſuper fornaculam ſeu furnellum olla mediante cum cineribus cribratis, vt ſcis: & fac quod cineres non aſcendant ad materiam, & da in principio ignem leuem per octo dies, ad hoc vt ſpiritus non aſcendant, & ſi quid aſcenderit in illis octo diebus, reduc cum illo, quod in fundo vaſis remanebit, frangẽdo vas ſingulis octo diebus poſt primam materiam factam, quæ erit integra: & ſic frangendo vitrum, tere materiam tuã, & repone in alio vitreo vaſe: & ſic facias omni octauo die donec videas materiam tuam in colore cineris: tum diminue cineres per vnum digitum, ita quod non remaneat de cinerib. niſi per duos digitos, & ſuperpone igni, & tamdiu permitte, donec materia ſit rubea. Et quando videris eam rubeam, diminue iterum de cineribus per digitum, & ſic per conſequens quouſq; ſit albiſſima vt nix, & quod poſtea reuertatur in colorem rubeum, de qua medicina recipe vnciam vnam, & proijce ſuper octo Saturni præparati, & fiet Saturnus niger & durus vt ferrum: de quo ita duro & nigro proijce vnciam vnam ſuper vncias octo Saturni, & fiet rubeus: de quo rubeo proijce ℥. vnam ſuper 8. lib. Saturni præparati, & habebis aurum perfectum. Laus Deo.

Ad album. Accipe Mercurij ſublimati, arſenici ſublimati, argenti calcinati, ana, tere & imbibe cum aqua tartari, vt ſit totum liquidum, & per alembicum deſtilla, reddendo qualibet vice aquam fæcibus, donec amplius non deſtillet aqua, & remaneat in fundo maſſa fixa: quam tere & imbibe, ac ſiccat ter vel quater cum aqua ſalis armoniaci fixi. Poſtea pone dictam materiam in alia phiala ad diſſoluendum in

loco

loco humido: & solutam destilla per filtrum, postea congela; & vtere super æs calcinatum & reductum.

Perfecta salis communis præparatio ad lapidem philosophorum

SVme salis communis quartarium vnum siue libras decem, & habeas crucibulum tam grande quod totum hunc salẽ capiat prius à saxis aut extraneis rebus mundatum: Sali in crucibulo posito, superpone ferreum cooperculum, ignique crucibulum admoue ac ignitos carbones circum quaque ac suprapone in fabri ferrarij officina, & continue bonum ignẽ cum manticibus seu flabellis facito, quoad crucibulum bene rubescat & crepitare desinat: tunc.n. sal præparatum erit. Sequere augendo ignem & sufflando cum flabellis ac si argentum fundere velles: tunc sal fundetur, siue liquescet in crucibulo non aliter ac si argentum esset: hunc ita fusum proijce in massam tanquam si foret argentum, & in vnum frustum sponte densabitur, sed erit tamen frangibile. Nam etsi hic sal ex salsa aqua seu marina factus sit, sustinet tamẽ ignem & funditur sicut metallum. Fac ex hoc bonam quantitatem, & hunc tere subtiliter non nimis tamen, & habeas vesicas bubulas, & ex eo sale trito imple, & collum vesicæ cum funiculo forti liga, atque in loco quantum potes humidiori appende, & cum fibula seu acu mediocriter magna in fundo vesicas perfora pluribus in locis singularum, & suppone catinos terreos vitreatos, & quod effluit è vesicis colligatur. Potes etiam dictum sal tritum super idoneũ marmor ponere & nocturno in aere dissoluatur. Tantum autem huius aquæ confice, vt libras decem habeas: demum per filtrũ eam destilla, deinde rursus per alembicum destilla, & in bociæ fundo inuenies massam albam, pulcram & crystallinã: & hæc est primus sal, id est prima congelatio & præparatio aquę salsæ, ex qua fit prædictum sal commune. Hunc vero crystallinum salem dissolue super marmoreo lapide, vt superius dictũ est, vel in loco humido quantũ tibi satis videtur: neq; illum in crucibulo fundas, quia tã subtile & penetratiuũ estq; à crucibulo trãsflueret & amitteretur: igitur cũ dissolutus in aquã erit, eã destilla in alẽbico, eamq; serua: & in vasis vitrei seu bociæ fundo massam reperies albissimam & crystallinam & hæc est secundus sal crystallinus, nẽpe secunda cõgelatio, denuo tere illã massã, & dissolue, vt supra, in loco humido, &

aquam

aquam alembico deſtilla, & aquã ſerua, & in phialæ ſeu bociæ fundo maſſam, id eſt, ſalem cryſtallinum inuenies, qui tertius eſt, id eſt tertia congelatio. Accipe rurſum hunc ſalem, tere tenuiter, & ſuper lapide ad diſſoluendum colloca, & aquam diſſolutam deſtilla per alembicum: aquam exeuntem ſerua, & maſſam in fundo albiſſimam & cryſtallinam accipe, quæ quartus ſal ſeu quarta ſalis congelatio vocatur: atq; hoc modo pluries facere licebit, & ſubinde ſal erit cryſtallinus ſubtilior & penetrantior: & ita oleum fixũ facies & ſalem fuſibilem ſicut cera, & Mercuriũ philoſophorum facies, & tandem optatũ aurum: & hoc eſt ſecretum officij naturæ, & fundamentum omnium metallorum lapidumq; precioſorum & ſulphurum, & eſt occultum naturæ ſecretum, & ſecretiſſimũ philoſophorũ ſecretum: nam dulcificat metalla, & redigit in argentum viuum & in argentum & aurum perfectiſſime ad naturæ inſtar, ſi bene operari ſciueris. Et deniq; iſtud eſt verum & vltimum ſecretum cum quo fit lapis philoſophorum.

Alia ſalis communis præparatio. Salis communis partem vnam reſolue in quatuor partibus aquæ pluuialis, poſtea deſtilla per filtrum: pone deinde ad ignem, & dimitte bullire donec tota aqua deficeret.

Alius modus. Salis quantum vis ſolue in aqua calida in mortario terẽdo, & quod ſolutum eſt effunde, & cola in vas ligneum præparatum ſpiſſum, & ſi quid remanet de ſale in mortario, iterum ſuperfunde aliam aquam calidã ſicut prius, terendo ipſum donec habeas totum ſalem ſolutum: tunc accipe aquam illam & decoque in vaſe plũbeo, vel cupreo ſtannato, vel alio vitreato, donec aqua euaneſcat, & ſal reuertatur ad primam ſubſtantiam: Tunc recipe ſalem, & pone in ollam nouam in furnum calcinationis, & ſicca peroptime ac ſerua. Philoſophi dicunt ſales eſſe pręparatos, cum fluunt ſuper laminam ſicut cera.

Hiſtoriola antiqua de Argento in aurum verſo.

QVidam Maurus in terra Maurorum acceſſit ad quendam fabrum, & eidem portauit 20. argenteos, vt eos ad ignem in cruſolo mitteret: quibus fuſis, faber ærarius ſuper ipſis proiecit puluerem quem dedit ſibi Maurus: erat autem pulu is viridis, fumum citrinum in igne faciens: argentum conuerſum eſt in aurum, & illud aurum ærarius vendidit auri-

fici

fici ad precium auri preciosissimi. Aerarius inde rediens dedit precium Mauro: tandem Maurus misericordia motus erga ærarium, dixit ei. Hanc confectionem pulueris te docebo. Recipe auri calcinati vel puluerizati, æris vsti, croci ferri, ana vnciam vnam, salis armoniaci, rubificati vncias tres, albi additur, vittioli rubificati vncia: soluatur sal armoniacum, & eo soluto in cera, id est, cum sua aqua imbibe dictos pulueres auri, aut marmore molendo & terendo per longam contritionem: Postquam pulueres biberint totam istam aquam salis, pone in phiala vitri habente collum longum sub fimo equino calido per dies 21. mutando fimum calidum de quatuor in quatuor diebus. Postquam solutum bene fuerit, & in aquam conuersum, congela ipsum in aliqua phiala super furnello super cineres calidos: quo congelato, pone partem vnã super decem partes argenti fini præparati & separati. Nota quod si aliqua pars remanserit insoluta, mollias adhuc cum aqua salis armoniaci, quousque sit totum solutum: hoc fac vt non perdas aurum tuum, semper reiterando imbibitionẽ cum aqua salis armoniaci. Si autem dictam congelationem resolueris iterum, & omnia per ordinem vt superius feceris, vna pars tinget viginti: & sic multotiens multiplicare poteris, augebis enim 10. singula vice. Illum ærarium vidi in Toleto, qui mihi ista retulit, & cuidam consanguineo suo seni: & ærarius ille erat senex, & ego & magister operati sumus secundum modum prædictum. Aurum sic debet puluerizari cum odore plumbi, vel cum aqua in qua sæpius sit extinctum plumbum. Vel fac aliter: Soluatur plumbum in in vase quod superius habeat foramen modicum ad quantitatem vnius aurei, & superponatur aureus ita vt recipiat odorem plumbi ex illa parte, deinde verte ad aliam, & cum sic factum erit aliquoties, aurum poterit conteri. Aes vstum autem cum sulphure viuo calcinari debet: & antequam in illis misceatur, debet ablui cum aqua pura vel aqua & sale, donec ab eo exeat aqua limpida. Crocum ferri fiat cum aceto ad ignem lentum vt fiat rubrum. sic vero fit: Limaturam ferri aceto forti imponas, & sit acetum rubeum & clarum, & ponatur ad Solem duobus vel tribus diebus: postea effundatur leniter acetum, ac seruetur, & aliud acetum limaturæ superponatur ad Solem: & fiat ita donec tota limatura soluatur vel redigatur in pulucrem tenuissimum: & iterum totum acetum

acetum deficcetur ad Solem. Sal armoniacus soluatur per frigidum & humidum, vel per calidum & humidum. Recipe solutionis eius partes duas, æris vsti partem vnam, croci ferri partem vnam, salis armoniaci ad quãtitatem omnium: Soluatur sal armoniacum, & ex eo imbibantur pulueres per longam contritionem, postea ponatur in fimo equino calido ad soluendum quindecim diebus: potes ista resoluere in fouea mutando sæpe fimum calidum: deinde coagula super cineres ad lentum ignem. Huius coagulationis seu congelationis pars vna tingit 10. de Luna præparata. Et si solueris secundo, modo prædicto omnia faciendo, pars vna tingit 20. & sic augmentare potes.

Licet hanc esse rei veram descriptionem putem, ponam tamen paruulam diuersitatem quam in alio scripto non ita authẽtico reperi: vbi sic scribitur: Æs vstum extinguatur septies in oleo oliuæ, vel donec habet colorem croci. Congelatio sic fit: Ponatur materia dissoluta in amphora (seu phiala) rotunda, firmiter clausa, & locetur in medio vasis vbi sint cineres, & sub hoc vase fiat ignis lentus per diem naturalem, & congelabitur in puluerem viridem.

Crocus ferri sic fit secundum Albuscasim in libro qui dicitur Seruitor. Accipe de limatura ferri quantum vis, & pone super lamina ferrea, & suffla cum folle quousq; calefiat lamina (vel rubefiat) & limaturam pone in mortario ferreo ita calidam & tere bene: & iterum repone in lamina & pone super ignem, & suffla donec calefiat vt prius: & ita facies decies vel amplius, quia quanto plus feceris, tanto melius, quando ergo versum fuerit in colorem croci, si adhæret alicui rei color non separabitur.

Rubificatur vitriolum sic. Vitriolum ignitum super tegulam vel in cacia ferrea extingue in aceto destillato decies: & dimisso in quiete per triduum, postea destilletur per filtrum, destillatio vero coaguletur, coagulatio asseratur, & erit rubeum speciale.

Ad rubificandum vitriolum Romanum. Vitriolum vel atramentũ pone in ollã non coopertã, & pone in furno calcis vel panis per diem, & fiet nigrum: verte cum ferro, & repone, & cum erit bene rubeum, extrahe.

Rubificatio alia. Vitriolum dissolue in vrina puerorum cocta & despumata, post fac euaporare vrinam & calcina in olla

clausa

clausa in furno reuerberationis per spaciũ quatuor vel quinque horarum, & erit rubicundissimum, & perpetui coloris.

Aliter. Pulueriza vitriolum & coque in cochleari ferreo super ignem, donec optime rubificetur.

Flos Martis qui intrat in rubificando & fixando sulphur. Accipe limaturam Martis quam pone in vase terreo ad spissitudinem digiti, & da sibi ignem tam fortem quam poteris per tres vel quatuor dies lignorũ semper & sufficienter in furnello: & quando fit alba, da multo maiorem ignẽ, & inuenies florem Martis rubicundissimum & preciosissimum.

Aqua calcinationis omnium metallorum: etiam Mercurij. Recipe vitrioli Romani, salis nitri ana partem vnam, salis communis partes duas, calcis viuæ partem semis: redigantur in puluerem & destillentur per alembicum. hæc corrodet omne metallum.

Præparatio atramenti viridis, ex Emanuele. Accipe illud, tere & imbibe cum aceto mali granati & sorbarum, quia augmentant rubedinem, & sicca septem vicibus in vno die in cinere: deinde tere, nam bene teritur, & mitte in furno panis per diem vnum, & inuenies rubeum & subtile calcinatum calce rubea: deinde solue in aceto mali granati, vel in aceto de vino rubeo in duplo sui, & pone sub fimo per diem vnum: sed antequam soluatur in aceto, prius soluãtur in aceto vnc. 4. de sale armoniaco: deinde extrahe à fimo & congela: postea iterum solue in aceto & pone sub fimo per alium diem, & destilla, & habebis optimum puluerem cui non est par: vel omni die poteris soluere in aquam sine aliqua imbibitione, sed solummodo tere, & pone in viscere sub fimo per diem vnum, & soluitur in aquam per acuitatem salis in eo. Reconde quia est sublimior omnium, & habet virtutem retinendi & soluendi.

Rubificatio vitrioli. Puluerizetur, & libram vnam in quatuor libris vrinæ, vel aceti destillati dissoluas, deinde bulliat vsque ad medietatis consumtionem, deinde per linguas destilletur, & super ignem euaporetur. (vel in potto nouo sigillato rubificetur) alij in crucibulo sigillato igne lento rubificant: vt habetur in Alberto.

TRACTATVS DE MARCHASITA, EX QVA TANDEM CVM ALIIS DICENDIS fit Elixir ad album verissimum.

MVltorum generum & multis in locis reperitur Marchasita vulgo dicta, à Græcis autem Pyrites: est autem ex metalli genere, nam cum plumbo mistum efficit notularum pro typis virgulas, color montium vel lapidum aut terræ, vbi reperitur, est purpureus fere. inuenitur in primis supra ciuitatem Brundusij in Apulia prope sanctum Iohannem de Migento, estque Marchasita argentea nigri coloris. Item in partibus Romandiolæ apud Britonorum inuenitur argentea Marchasita. Item in Corsica prope quoddam castrũ quod vocatur Canui, in loco qui vocatur Bagnaria, & est albi coloris multum ponderosa, nec funditur nisi cum magna difficultate. Item circa Balnea de Porretta inuenitur aurea Marchasita. Item portatur alia ex Sardinia, vbi foditur verum argentum, in loco qui dicitur Villa de Glexia: Inuenitur item iuxta maritima multis in locis, & præsertim loco dicto Salnena. Inuenitur in Boemia Marchasita alba, valde fusilis, & prope Bernam in loco vbi foditur stannum, & stridet sub dentibus, & leuiter pulverizatur. Inuenitur magna copia vbi foditur Mercurius, & vocatur mater Mercurij, estq; talis optima Marchasita albissima, ponderosissima, nec funditur nisi artificialiter. In districtu Vincentiæ in terris illorum de Vinaria, & est glauca, & ponderosa valde.

IN nomine igitur altissimi creatoris & Domini nostri Iesu Christi. R. Marchasitæ argenteæ lib. 1. & tere eam subtiliter, & impasta eã cum sale nitro & sapone Gallico, vt sit sicut pasta, & eam repone in crucibulo, ac funde ipsam, & cum fusa erit proijce eam in aquam inferius scriptam, & hoc iteretur ter, & sic erit optime separata à putredine terræ.

Aqua vero in quam debet proijci, sic fit. R. Calcis viuæ lib. 1. salis gemmæ drach. 4. aluminis rochæ drah. 4. aluminis zucharini drach. 4. aceti optimi lib. 7 & sit bene calidum, & soluantur alumina & sales & calx in ipso aceto, & per filtrum destilletur, & in ea dicta Marchasita fusa proiiciatur.

Modus componendi medicinam talis est. R. de supradicta Marcha-

Marchasita ita præparata lib. ſem. & tere eam ſubtiliter & adde ſibi Mercurium ſublimatum & ſalem armoniacum ſublimatum an.lib. ſem. Modus præparandi Mercurium & ſalem armoniacum pertinentia huic operi, talis eſt. Recipe Mercurium ſublimatum quantum vis, & ſublima ipſum cũ ſale communi præparato,& erit ſicut cryſtallus:ſimili modo ſublima ſalem armoniacum,&erunt optima:& ſal quod debet poni cum prædictis ſublimationibus ſic præparatur.R. Sal commune quantum vis, & pone in aquam calidã vt bene diſſoluatur, & dictam aquam deſtilla per peciam panni linei vel filtrum,ita quod ſit clariſſima,quam congela in vaſe vitri vel terreo interius vitreato: ſupradicta terantur in mortariolo lapideo ſimul, & bene ſimul incoporentur ſine aliquo liquore,& pone in ampullam vitri &loca ipſam ſuper furnellum, & da ſibi lente ignem de mane vſque ad tertiam, vel quo vſque humiditas ſit conſumpta, poſtea vigora ignẽ gradatim,tam diu quod ſal armoniacum & Mercurius adſcendant ad collum dictę ampullæ,deinde permitte infrigidari,& frange ampullam, & quod eſt ſublimatum cum facicibus ſuis iterum miſce,& tere,& ſublima, & hoc itera ſeptẽ vicibus,ſemper miſcendo cum ſuis fæcibus: in ſeptima vero vice remanebit Marcaſita calcinata albi coloris fuſibilis. deinde accipe eam & ſerua in vaſe mundo vitri clauſo bene.

Deinde R.Salis alkali lib. 10. & tere ipſum, & madefac cũ modico aceto, & fac pallas ſeu pilas ad groſſitudinem oui gallinę,& ad ſolem ſiccari permitte, tunc pone ad decoquẽdum in fornace vitrariorum, vel alia ſimili fornace, & ibi dimitte donec dictæ pilæ ſint albiſſimæ: tunc extrahantur de fornace, & in mortario lapideo conterantur:deinde habeas paratum acetum calidum ad libitum, & in eo ſoluatur ſal & deſtilletur per filtrum mundum, & deſtillatum in vaſe vitri vel interius vitreato congeletur,& iterum tere in aceto calido vt ſupra ſolue & deſtilla & congela vſque ad quindecim vices: poſtea proba ipſum ſuper laminam, & ſi funditur ad candelam, perfecte laboraſti:ſi non, itera donec leuiter fundatur:tunc pone ſuper marmor in loco rorido ad ſoluendũ, & cum ſolutũ fuerit, cum ipſa aqua incorpora calcem Marcaſitæ, & pone in vaſe vitreo ſuper furnellum ad congelandum cum leui igne. & congelabitur vſque ad triginta dies & citius,tunc lauda Deum qui dedit tibi tale ſecretum. Et

quando volueris experiri, Recipe Mercurij lib. x. & ablue eum cum aceto & sale, & cum bene lotum fuerit, exiccetur cũ panno, postea exprime per corium, tunc pone ipsum in cruxolo mundo, & pone intra carbones viuos, & quando Mercurius incipiet fumigare, asperge super ipsum de prædicta medicina vnc. 1. tunc audies magnum rumorem & crepitationem, tũc suffla leuiter quousq; non plus crepitet, tunc suffla secure, & cooperi crucibulum cum carbonibus & sic permitte per magnum tempus: postea euacua ipsum vbicunque volueris, & iuro (inquit auctor) per Deum, quod habebis Lunam veram ad omnem examinationem meliorem, quam de minera terræ extrahatur.

Marchasita soluit ferrum cum spargitur super eum, & cõburit cuprum & argentum, & constringit aurum, & stringit plumbum alkali, id est stannum.

Aliqui dicũt, quod cum solo oleo lini incerando Marchasita funditur cum forti igne, valde leuiter.

Nota hunc alium modum, quem in optimo manuscripto libro separatim inueni, sic. De Marchasita aurea & argentea, vel sagimine nitri, quantumcunque earum vis tere contritione vltima, & linias eam sapone & nitro, & funde eam in crucibulo, & accipias quod egreditur de fusa patum, & eijcias fęcem: & si tu fusionem iteraueris, sicut dictum est secundo & tertio, melius erit. Deinde accipe quod purum est ex ea, & est frustum album liquescens, & est res magis similis argento, excepto quod ~~frangitur~~ sub martello, & tere illud cum sale armoniaco soluto in aceto, imbibendo & siccando, donec totũ ebibatur: nam ipsum erit Elixir bonum, quod excusat te ab alio cum Dei auxilio. Proijce ergo de ipso super stannum mũdatum, quoniam stringit ipsum & indurat, & incidit stridorẽ & fœtorem eius. Deinde proijce de illo stãno super æs rubeũ, albificabit enim ipsum formosa albedine. Coniunge ergo ipsum cum argento sicut scis, & proficies cum eo ex vno die, sed hoc fac arte. & est ex melioribus quæ sunt, & studij leuioris, & excusaberis per hoc ab alio: occulta ergo ipsum.

Separatio Magnesiæ & Marchasitæ ex lib. perfecti magisterij Rasis. Accipe de quacunq; earum volueris quantum vis, & ignias eam in cacia ferrea septies, omni vice extinguendo eam in aceto fortissimo, & qualibet vice post extinctionem extrahatur ab aceto, & ponatur super porfidũ, ac fricetur fortiter,

titer,& cum aqua dulci abluatur.hoc facto igniatur ter, & omni vice extinguatur in aceto citrino, & est optime separata. Aliq dicunt, quod non est necesse sublimare Tutiã, Magnesiam, vel Marchasitã, dummodo tñ bene fuerint pparata. Magnesia vero & Marchesita sic præparantur. Tere quousq; fiat puluis minutus: deinde fac bullire in aceto & in aqua tartari per dimidiũ diem in quolibet, & postea in modico aceti, deinde cola acetum & laua cum aqua cõmuni, & sicca puluerẽ & serua:& si hoc modo præparentur, non est necesse sublimare.

Ne quid huic tractatui de Marchasita desit, hæc sequentia non inutiliter addimus ex mirabili quodam libro excerpta.

Accipe Marchasitæ argenteæ quantum vis, tere in mortario cupreo: puluerem distẽpera cum melle, pone in crucibulo funde & fac ter: deinde R. vnc. 1. salis armoniaci, aceti vnc. 3. de dicta medicina vnc. 1. pulueriza super marmor, imbibe quousque siccetur ad solem, vnc. 1. huius medicinæ congelat perfecte Mercurium supra ignem calidum. Item aliter. R. Marchasitæ calcinatæ prius in aceto bullitæ per consumtionem aceti vnc. 4. arsenici sublimati lib. sem. salis armoniaci quart. 1 calcis corticum ouorum vnc. 4 Mercurij per se mortificati lib. 1. & sem. misce omnia in phiala vitrea, pone in fimo per mensem, deinde destilla, & aquas destillatas obserua, in fimo calido, & postea tere cum aqua albuminis ouorum & iterum destilla, & omnes insimul coniunge, & destilla de ventre in ventrem quousq; amplius non destillent. vna pars tingit centum Veneris præparatæ in Lunam.

Marchasitam integram ignias, & proijce in aceto destillato, & erit puluis albissimus: deinde facias puluerem Marchasitæ desiccare ad ignem vel solem, deinde fac ascendere cum baurace quousque habeas vnum granum, & ad 7. vnc. Marchasitæ, pone drach. 1. de borace, & pulueriza & imbibe cum Mercurio, & claude in crucibulo cum borace & funde, & erit Luna bona; sed dicitur quod borax petrosa melior est hic.

Ablutio. Marchasita argentea teratur & ponatur in aceto forti, & coquatur, donec egrediatur ei⁹ obscuritas & nigredo, & renoua acetum quatuor vicibus, donec exeat limpidum: ipsa albificat æs, & etiam stringit stannum.

Sublimatio Marchasitæ, post ablutionẽ & exiccationem. Pone in aludel & sublima igne lento 2. diebus & nocte vna, post infrigidationem vasis aperi cum suauitate, & inuenies

m 2 simi-

ſimilem argento viuo ſublimato extincto: cuius drach. 1. ſuper 40. plumbi mundificati conuertit illud in Lunam. Alibi ſic incipit. Sume eam & tere, & in aceto vini infunde, & ad Solem per decem dies dimitte: poſt hæc cola & ſicca, & pone in ollam de aludel, &c.

Purgatur Matchaſita per Mercurij lauacrum: deinde calcina in vaſe terreo ſigillato ad magnum ignẽ tribus vel quatuor horis: quo infrigidato, inuenies totum redactum in terram mortuam nitidam: tere ipſam cum calce corporis, mediante borace: fit liquabilis elixir, qui conuertit Venerem, Iouem & Mercurium in vna hora in verã Lunam, & augmẽtatur modicum ex eo cum Mercurio vſque in infinitum, nec eſt ſcienti opus reiterare.

Proba an poſt lauationem Marchaſitæ poſſit ſublimari cum ſale armoniaco totiens quouſque figatur: deinde lauari cum aqua vitæ, & inde facere proiectionem, aut primo diſſolui, et iungi cum auro diſſoluto, aut Luna diſſoluta, & poſtea conuerti in elixir.

Marchaſitæ ſublimatio ex tractatu Petri Hiſpani, articulo ſecundo. R. Marchaſitæ quantum tibi videbitur expedire, & pone eam in vaſe ſic diſpoſito ſuper carbones ardentes. & ſuffla cum ſufflatorio quãtum poteris, donec totum ſulphur Marchaſitæ aſcendat ſuperius album ſicut nix. Marchaſita ſic comburitur, melle vncta, in carbonibus mittitur & flabellatur, quandiu colorem rufum faciat. Alij vero in multis carbonibus igneis coquunt, & ſecundo melle vnctam reponunt ad ignem quoſque ſe fregerit, deinde extrahunt, & lauant ſicut cadmiam.

De Arſenico.

ARſenici optima ſublimatio. R. libram 1. de ipſo bono & electo, in mortario æneo ſubtiliſſime tere: quo remoto & ſeorſum poſito, accipe tantundem æris vſti, quod in eodẽ mortario ſubtiliſſime teres, et ipſum tritum cum Arſenico pones: tunc accipe tantundem ſalis gemmæ, & eodem modo tere, & repone cum duobus prædictis, vltimo de blancheto, quod proprie ceruſſa dicitur. Et hæc quatuor ſuper tabulam vitream (aut vitreatam) terendo fortiſſime commiſce primo ea cum manu vel virga groſſo modo, poſtea ita fortiter & diligenter ſuper tabulam marmoreã conterendo quouſq; ad plenum partes ſingulæ ſubtiliter ſint commiſtæ.

His

His ita peractis, assabis hoc modo: calefacias primo larem planum de tegulis, vel de terra forti & cum fuerit calefactus, consperges desuper cineres cribellatos vsq; ad spissitudinem duorum vel trium digitorum, & puluerē illorum quatuor sic mistorum in vna pelui vitrea, vel saltem vitreata & bene lata quanto minus poteris consparsum, & diligenter sparsum impones. Deinde accipe crapam vnam calidam, quæ ad ignem æqualiter ex omni parte fuerit calefacta, & vide ne calor eius notabiliter excedat calorem latis, & pone crapam ipsam super larem calidum, peluim cum prædicto puluere includēdo quanto magis æqualiter poteris ita caute, quod calorem æqualem ab omni parte habeat, & vas intus positum in parte aliqua non contingat, & ita permitte quiescere, donec totum infrigidatum sit perfecte, & tunc extrahe: & si inueneris puluerem subtilem non congestum neq; conglobatum, bene est: sin autem iterum super marmor pulueriza & assa, sicut prius toties, quousq; totum per assationem in subtilem puluerem conuertatur. Hæ autem assationes optime fierent in stufa vel furno calefacto, & dicto modo specialiter ad hoc temperato. Cum ergo per assationē totum in subtilem puluerem fuerit sic conuersum, pones in vase sublimationis substernendo vnū bonum lectum de sale asso non crepitante, vel de calce testarum ouorū, vel alio cōsimili. Vas ergo claude cum luto sapientiæ, quanto æqualius & leuius poteris, ita quod nullatenus respiret, quod sic fit. Accipe cineres cribellatos, & parū minus de sale cōmuni, & cum albuminibus ouorum distempera terendo subtiliter super marmor, & non ponas multum de albuminibus: quia cum modico de illis poteris facere multum molle, sed aliquantulū durū, & cum isto luto coniungens ollam siue discum, siue aludel cū suo cooperculo, caute orificia vasorum ad paruam spissitudinē liniendo, & ipsa prius orificia cum saliua leuiter madidando aliquantulū, vt lutum eisdem adhærere valeat: eodē etiam luto iunctura ipsius ad paruam spissitudinē debet deforis illiniri, & sic clauso, & in furno suo posito lentissimum dabis ignē, sicut trium vel quatuor carbonum, & ipsos accensos grossos superpones, & ipsum ignē sic temperatum cōtinuabis aliquātulum diu: & cum lutum orificij iuncturæ fuerit desiccatum, linies iterum desuper illū, & permitte ad illum ignem temperatissimum desiccari. Posset etiam fieri bonū lutū ad hoc de aqua salis cōmunis soluti in

aqua calida, diſtẽperando cũ ipſa aqua cineres cribellatos, ſed primũ eſt melius. Cum ergo ſecunda linitio fuerit deſiccata, vigora ignem paulatim quouſq; cooperculum calefiat in tãtum quod poſſis manum deſuper tenere, ſed non multũ diu. Poſtq̃ vero fuerit ſic fortis ignis, caue cũ diligentia & cautela, vt non augeatur vel minuatur, ſed cum manuũ contactu frequenti ſuper coopercula ꝓba: nam ſi manũ ſuper cooperculũ tenere non poſſis, ſcias quod arſenicũ cõburitur, & deſtruitur etiam in colore, & efficitur croceũ primo: deinde rubeum ꝓpter magnam aduſtionem: & niſi vas remoueatur ab igne, vel ſubtrahatur ignis, credo quod penitus deſtrueretur. Si ergo iſtud cõtingat anteq̃ tota humiditas ſit egreſſa, reduc ignem ad temperamẽtum, ſubtrahendo ſc. paulatim à parte inferiori, & cum panno nõ multũ madido refrigerando cooperculũ ſublimatorij, quouſq; poſſis bene tenere & diu manum deſup. & continua ignem ęqualẽ quouſq; tota humiditas ſit egreſſa, quod quidem experiri poteſt pro certo vitrum vel ferrum politum ſuper foramen cooperculi coaptando, & ſæpe aſpiciendo ſi madidum ſit. Semper autẽ etiam à principio ignis tene lanam intus per foramen, quę plus valet ibi nigra quam alba, munda tamen valde: huiuſmodi enim lana etiam ſpiritum retinet ne recedat, & humiditatem nõ impedit, quin aſcendat; ceſſante autem omnino humiditatis aſcenſu, claude foramẽ cooperculi cum panno lineo bene cõpreſſo vel retorto: quã cito autem videris, quod aliquid de ſublimato lanæ dictæ adhæreat, vel per foramen cooperculi exeat, claude foramen p̃dicto modo, & aliquantulũ fortifica ignem, & valde parum, ſicque continua vſque ad finem ſublimationis, ignem æqualiter, quanto poteris magis faciendo. Si autem vis quod ſublimetur quaſi in ſpeciem cryſtallinã, habeas duos capellos de filtro non compreſſe, vel de aliquo panno lineo groſſo ad menſuram & formam cooperculi factos alternatim madefactos in aqua frigida pones ſuper cooperculum, ita quod cooperiatur totum excepto foramine ſummitatis, tunc alternatim teneas illos ibi à principio aſcenſus vſque ad finem, & caue diligentius, ne aliquid de aqua per foramen aludel valeat ſubintrare: & habebis propoſitum. Ignem autem ſemper de carbonibus facias: quia de lignis æqualiter fieri nõ valeret. Si autem prædicta intentio cõtingeret circa primũ aſcenſum Arſenici, prædictam madefactionẽ cooperculi de neceſſitate fieri

fieri oporteret, & ignem quasi inseparabiliter ad æqualitatē & temperamentum reduci, & tunc in illa quantitate continuari vsque ad finem: quod si de sublimatione nihil processerit in ascensu ante prædictam intentionem, remouendum est totum vas sublimationis de fornace, & imponendum est in cineribus cribratis, & sepeliendum est in eis vsque ad iuncturam vaserum, & cooperculum cum prædictis capellis infrigidandum, quousque sit bene frigidum: postea est aperiendum, & quod est sublimatum bene album & mundum extra est reponendum: quod vero croceum vel rubeum est effectum, & quod sine fæcibus de vase extrahi non potest, accipe & tere iterum cum frigidioribus fæcibus super marmor, & lentissimo igne sublima, & eius sublimationē expecta. Tempus autem sublimationis & mora, postquā vasa debite clausa fuerint, & locata est, octo horarum, scilicet ab aurora æstatis vsque ad vesperas: hoc tamen est principaliter attendendum, ne antequam ab ascensu cessauerit ignis, in aliquo minuatur vel aliquatenus extinguatur: quia non posset postmodum emendari. Quando ergo dubitaueris, vtrum cessauerit ab ascensu, per foramen superius longam lanam immittes, ita vt possit descendere prope fæces, & postmoram aliquantulam extrahes, & si quid ei de Arsenico ascendente adhæsit, scias, quod nondum cessat ascensus, si non adhæsit, non dubites quod cessauit: & cognosces pro certo. Eodem modo poteris experiri, quando ascendere incipiet, cum aliquid eius lanæ prædictæ adhæserit. Vasa eius nunquam aperias quousque plene refriguerint, vel per se, vel prædictorum cappellorum appositione in casibus supradictis. Arsenicum sublimatum in vase vitreo est seruandum, & cum papyro vel mundo & albo corio cooperiendum, & loco qui non sit expositus vento vel aeri humido. Si autem æs vstum non habeatur, limatura æris vel ferri mundata, tamen ab omni puluere per sufflationem, vel per lotionem aquæ ab omni rubigine poni potest loco æris vsti. (Rogerius tamen dicit, quod melius valet cum calcibus corporum, quam cum limaturis) Si autem vis scire, vtrum in fæcibus aliquid remanserit de Arsenico proijce super carbones, & si fumum fecerit, adhuc est ibi aliquid, &c.

Præparatio salis Armoniaci secundum Rosin.

R. de sale arm. crystallino, tere cum tanto spumæ maris

& sale nitro, & ipsum sublima, & sume sublimatum, coque ipsum positum in cānis in aqua: soluetur enim, destilla ipsum aut solue ipsum in vesica, vel in fellis kisti super aquam, & destilla ipsum, & ex eo operare. Alij sublimant cū sale gemma, sed illud sal debet esse optime siccatum ante ignem, & cū sale arm. optime tritum. Salem armoniacū fixum soluere est difficile: imbibe ergo ipsum ex aceto, & inhuma in fimo: soluetur enim, destilla ipsum, & caue tibi ne totam assumas aquam, sed tantum quantū posuisti de spiritu quem soluere voluisti. Puluis dans malleum & dulcedinem Soli & Lunæ, si sint combusta & calcinata, facit etiam ferrum fusile, & est Iani Lacinij. R. Salis armoniaci, salis petræ: & boracis ana, tere & commisce, & solue in modico vini, & desicca, & de puluere quartum pōdus, pone cum tribus cuiuscunq; calcis volueris, & reuertetur ad malleum multum bene.

Caput de Sale alchali.

SAl Alchali, scilicet vitri, est de minera lapidis similis vitri albi omnifundi, & cum eo lapides vertuntur in naturā albi vitri, & est fortior omnibus salibus in suo regimine. Volo dicere quod vitrarij hoc sale vtuntur ad fundendum & conuertendum in vitrum cæteros lapides. Accipe igitur de eo quantum vis, & pone in vase, & sicca in furno per diem vnum, & tere & ablue cum aceto albo acerrimo duab. vel tribus vicibus, & sicca ad solem, & sic remanebit in eo virtus acuitatis aceti, & melius subtilian tur partes eius: deinde tere & imbibe cum aqua salis: sic depurantur & subtiliātur omnes superfluitates partium salis, deinde pone in vase sublimationis, & sublimetur tribus vicibus, semper remouendo fæces, & per duos sacculos. Deinde pone sub fimo tribus diebus quia p subtilitatem & acuitatem salsedinis salis & humiditatē fimi melius depurantur & subtiliantur omnes partium salis superfluitates in suo regimine: deinde extrahe & cola vicibus tribus, & per vnamquamq; colationem dimitte per diem vnum, vt fæx eius resideat: deinde post tres vices colaturam accipe, & pone in caldario paruo habente tria foramina, vel quatuor in coöperculo optime stagnato: deinde accipe duas maneries scilicet album & viride vnumquodque per se: & tere, & sic in furno pone ad desiccandum, & solue iterum in duplo sui de aqua dulci, id est, de aqua putei, & pone sub fimo duobus diebus: deinde cola & congela, & sic tribus vicibus facies.

deinde

deinde solue in viscere, id est, in ampulla, sub fimo pone per diem vnum, & sic solue: deinde destilla semel, & proijce fæces, & congela: & si non vis ipsum congelare, reconde aquam quam soluisti sub fimo in viscere, & destilla. Nota ad similitudinem, quod de Luna fit sal alcali hoc modo. R. Lunam in laminas, & pone in vno crucibulo, & claude bene vas ne exhalet, & pone in furno reuerberationis, & fac stare in igne 24. diebus in bono igne, postea extrahe & fac puluerem, istum puluerem pone in vase vitreo cum aqua communi, hoc est, cum aqua Mercurij testamentarij Raymundi de Lullio destillata ad alembicum vitreum, & bulliat tantum, quod solum tertia pars remaneat. istam partem destilla per filtrum, vt supra: postea congela, & ista congelatio est sal alcali, &c.

QVÆSTIO, AN LAPIS PHILOSOPHICVS valeat contra pestem.

Vtrum lapis philosophorum, si haberetur, valeret contra morbum pestilentialem.

ET videtur quod non: quia si lapis philosophicus talem haberet virtutem, vtique reges & principes mundi, similiter & prælati ecclesiæ Romanæ, qui vehementer abhorrent morbum illum, & qui diuitijs affluunt, & penes se habent valentissimos viros medicos & philosophos naturales, deberent curare confici lapidem illum, & vterentur eo pro se & amicis suis. Oppositum patet per Arnaldum de Villa noua in penultimo sui Rosarij cap. vbi dicit: Sic etiam habet virtutem efficacē super omnes alias medicorum medicinas omnē sanandi infirmitatem, tam in calidis quam in frigidis ægritudinibus, eo quod est occultæ & subtilis naturæ, conseruat sanitatem, & roborat firmitatem & virtutem: de sene facit iuuenem, & omnem corporis expellit ægritudinem: venenum declinat à corde, arterias humectat, cōtenta in pulmone dissoluit, vulneratum consolidat, sanguinem mundificat, contenta in spiritualibus purgat, & ea munda seruat: & si ægritudo fuerit vnius mensis, sanat eam vna die: si vero fuerit vnius anni, sanat eam 12. diebus: si vero morbus fuit ex longo tempore, sanat eum in vno mense: vnde non immerito hæc medicina super omnes alias medicinas & super mundi diuitias est perquirenda: quia qui habet ipsam, habet incomparabilem

thesaurum. Pro huius autem quæstionis decisione, multa sunt inquirenda:& primo, quid causet morbum pestilentialem, an scilicet venenum, an alia res? Ad quod mihi videtur esse respondendum, quod venenum potest dupliciter capi, stricte, vel large: Stricte capiendo, nihil est venenum, nisi quod applicatum corpori humano aptum natum est ipsum taliter discrasiare seu alterare, quod mors subsequitur. Large vero capiendo, potest omne illud vocari venenum, quod interficit, vel aptum natum est interficere corpus humanum, & sic quicquid inducit, vel aptum natum est inducere mortem, siue sit febris, siue dysenteria, siue hydrops, siue lepra, siue quæcumque alia infirmitas ducens, vel apta nata ducere ad mortem, potest vocari venenum. Quo præmisso, sit ista propositio. Venenum, qualitercumque sumatur, siue stricte siue large, causat interdum morbum pestilentialem: apparet, quia si stricte capiatur, contingit quandoque hominem infici per flatum alterius hominis infecti, vel per vestium infectarum odorem, vel per aerem circumstantem corruptum. Si vero large capiatur venenum, contingit interdum hominem nedum ab extrinseco, sed etiam ab intrinseco, vt puta febre, vel alia infirmitate infici peste, prout sæpe docuit experientia. Secundo notandum quod corpus humanum est subtilissimis elementis compositum, quæ in genere mistorum haberi possunt: quia de suprema impositione, & est complexio eius anatica seu æqualis, sub tamen certa latitudine. Exempli gratia: Si imaginemur aquam summe calidam, & 10. graduum in caliditate, & summe frigidam esse 10. graduum in frigiditate, tũc tepidum erit medium, sub tamen certa latitudine. Quando vero aqua excedit in qualitatibus primis latitudinem illius tepidi, non meretur illa aqua ad modum dici tepida, sed vel calida vel frigida: sic est de latitudine complexionis humanæ, quando superuenit homini aliquod ipsum discrasiãs, siue distemperans vltra latitudinem humanæ naturæ, siue ad caliditatem, siue ad frigiditatem: hoc est ei venenum, large capiendo venenum. Secunda propositio respondens ad quæsitum: Lapis philosophicus habet curare tactos morbo pestilentiali, si applicetur antequam sanguis patientis totus inficiatur: si vero expectetur quousq; sanguis totus sit corruptus minime. Prima propositionis pars apparet ex hoc: quia aurum quod est materia lapidis philosophici, si fuerit dissolutum secunda solutione philosophica, quæ

quæ fit per aquam permanentem, licet non fuerint elementa ab eo sequestrata, depurata & reducta, omne impurum & scoriosum expellet ab ea, prout experientia docet: Quid ergo faceret, si elementa fuerint sequestrata, depurata, reducta, refixata, incerata, & totus lapis in se multiplicatus? vtique corpori humano applicitus in principio ægritudinis, antequam totus sanguis inficiatur, omne ab eo noxium expelleret. Secunda pars propositionis, videlicet si expectaretur quousque tota sanguinis massa corrupta esset, non proficeret, apparet: quia potentia sensitiua principaliter consistit in sanguine & in spiritibus à corde causatis: siq; sanguis totus esset corruptus, non purgaret eum lapis philosophicus: quia non est compositus de sanguine humano, sed de purissima auri substantia. Verum quia lapis est anaticæ (seu temperatæ) complexionis, & naturæ eius sunt apertæ & abundantes in gradibus aureitatis integris laboraret expellere omnem sanguinem corruptum, & tunc maneret corpus omnino exhaustum sanguine, & per cõsequens oporteret illum hominem mori, cum non possit homo viuere absque sanguine. Nunc autem videndum est, quid veritatis contineat dictum illud Arnaldi de Villa noua: Quod lapis philosoph. declinat venenum à corde: & dico Arnaldum vera dicere. Pro cuius intelligentia notandum est, venenum duobus expelli modis à corde: vno modo per viam tractus, & sic Theriaca magna, cuius basis sunt carnes Theriorum, trahit ad se venenum: quia simile naturaliter applaudit suo simili: alio modo per viam pulsus, & ita lapis philosoph. qui est anaticæ complexionis similis in qualitatibus primis humanæ complexioni expellet venenum à corde, eo quod ipsum venenum non est sub latitudine anaticæ complexionis, sed longe ab ea distans. Lapis enim philosophicus nihil aliud est, quam aurum in gradibus suis multiplicatum, stante proportione quæ fuit in auro primo, vt scilicet quod fuit vnius integri gradus aureitatis, iam est centum & mille graduum. Si igitur aurum vnius gradus integri solutũ philosophice expellit omne superfluum sibi obnoxium, sicut docet experientia, vtique aurum centum vel mille graduum integrorũ, quod est lapis philosophic. vbi omnes naturæ sunt apertæ & abundantes, promptæque ad communicandum alijs metallis anaticitatem suã, & ad transmutandum ea subito in verissimum aurum, expellet omne venenum à corpore humano. Pro intelligentia

vero

vero cuiuslibet rei sciendum est, quod auri complexio & temperati ad pondus hominis complexio, in nullo differunt, quoad proportionem qualitatum primarum elementorum, sed quoad crassitiem & subtilitatem elementorum differunt permaxime. Est enim aurum de elementis primæ impositionis naturæ generatum extra nostrum intuitum specie minerali, vbi elementorum effigies primo coniunctionem suscipit, & vbi species lapidea primo se ostendit in forma. In visceribus enim terræ terminatur primo pyramis generationis mistorum & ex illis mistis, videlicet ex maioribus mineralibus fiunt resolutiones debilioris compositionis, ex quibus herbæ generantur plantæ & arbores, quæ sunt de secunda mistorum impositione, & quæ herbæ, plantæ, & arbores, eo quod radices habent in terra, nutriuntur huiusmodi resolutionibus primæ impositionis, sicut fœtus in vtero nutritur sanguine menstruoso per vmbilicum tracto, qui vmbilicus se habet proportionaliter in fœtu, sicut radix in plantis & arboribus, & omnia quæ sunt de secunda impositione vegetant: illa vero quæ sunt de prima impositione, non: sed natura illa solum componit. Tertia vero impositio quæ est quadrupedum & volucrum nutritur impositione secunda, & quæ sunt de hac impositione vegetant & sentiunt. Quarta vero impositio, in qua est spiritus vitæ & imago Dei, nutritur impositionibus secunda & tertia, & vegetat, sentit & intelligit, & est de subtilisś. elementis. Sed nunc oritur dubium, an aurum existens in crassitie sua insolutum, cum sit in qualitatum primarũ complexione omnino conforme humanæ complexioni, expellat venenum, sicut facit lapis philosophicus? & dico quod non, quia naturæ non sunt in eo apertæ, sed clausæ: & ideo non emittit virtutem suam, sicut facit philosophicus lapis, in quo sunt naturæ apertæ ac abundantes ad communicandum alteri de virtute sua, &c. Huius rei veritatẽ docet experientia rerum magistra. Videmus enim in istis florenis iamdiu cursum habentibus, quod aurum permistum est cupro, quod est scoriosum & immundum, & tamen aurum quod in illis est florenis non depurat scoriam plumbi sibi commisti. Similiter (quod dolenter refero) huiusmodi floreni tincti sunt in superficie exteriori cum viridi æris, & tamen aurum nõ depurat illud nec reijcit a se: secus autem est de auro soluto, & maxime si solutum fuerit secunda solutione, quæ est philosophica.

phica.

phica. Prima enim auri solutio, quę est incineratiua, quodammodo depurat scoriositates Mercurij sibi admistas: sed secunda solutio abijcit omne impurum sibi admistum: tertia vero solutio quæ est tinctura, longe adhuc melius purgat quam solutio secunda. Et de hac tertia solutione loquutus est Arnaldus de Villanoua quum dicit: Quod lapis philosophicus omnem à corpore expellit ægritudinem. Nunc autem restat soluere argumentum in quæstionis principio factum, videlicet: Si lapis philosopicus haberet virtutem curandi morbum pestilentialem, vtique reges & principes & prælati abundantes diuitijs, & qui habēt penes se medicos & philosophos naturales, facerent fieri hunc lapidem, & vterentur eo pro se & amicis suis: Dico quod licet reges & prælati habeant penes se medicos & doctos philosophos naturales, paucissimi tamen illorum sunt qui sapiant in hac re: & si qui sapiunt, vitant expensas & labores necessarios pro huiusmodi re adipiscēda: vitant etiam temporum protractionem. Sunt enim multi laborantes pro habenda hac scientia, & putāt eam perficere à principio ad finem vsque in duobus vel tribus annis. Et ego dico, quod in tribus vel quatuor annis, vix aliquis, nisi summe doctus, artinget aquam permanentem, quæ est initium lapidis: cum ergo credunt se habere lapidem perfectum, vix sunt in principio. Vidi enim vnum senem Anglicum qui per annos forsan quadraginta, vel amplius laborauerat pro lapide acquirendo, qui nunquam tamen peruenit ad aquam permanantem. audiui enim ab eius ore in fine dierum suorum hoc verbum: Nullum aurum, quantumcumque credatur, esse solutum, sed solummodo incineratum. Dicebat quippe quod omne aurum quantumlibet solutum, ipse vellet iterum facere conflui in verum aurum: & quia aurum non est (vt ipse dicebat) solubile, non potest ab eo extrahi lapis philosophicus. & ideo dixit lapidem philosophicū extrahēdum fore à metallis impuris & solubilibus videlicet, ex cupro vel stanno. Verum scio quod indocte loquebatur, licet tamen multi adhuc sint hoc idem putantes, qui in stercoribus laborantes, stercora inueniunt in fine. Nunc autem restat videre, quid veritatis cōtineat illud verbum Arnoldi Villanouani, cum dicit: Lapis philosophicus facit de sene iuuenem, & omnem corporis expellit ægritudinem: & respondeo: verbum hoc duo habere membra. Primum membrum est, de sene facit iuuenem, &

quan-

quantum ad illam partem, oratio videtur esse de sermonis virtute falsa. Impossibile est enim aliquem senem fieri iuuenem, nihil enim meretur proprie dici senex vel iuuenis, nisi vegetabile. & omne vegetabile habet triplicem naturæ ordinem, augmentum, statum, & declinationem. In augmento meretur dici iuuenis, in statu meretur dici perfectum, in declinatione senex. In iuuentute est multum de humido radicali, in statu minus, in senio minimum, & illud minimum haud potest in se reuiuiscere ac fieri multum: sed potest solummodo virtutem suam fundere in sibi quasi omnino simile. & hoc potissime percipitur in homine, cum nutrimentum fit adeo transmutatum, vt omnino propinquum sit carni, hoc est, quando ipsum transmutatum est in cambium, quod immediate in carnem transmutatur vel in semen masculinum. si in semen, tunc eo in matricem, vt conuenit, effuso fit embryo: & ex embryone nouus homo, qui & nutritur vegetabiliter, & fit iuuenis: postea fit adultus, id est vir, deinde fit & senex. Mens autem Arnaldi de Villanoua fuit talis: De sene lapis philosophicus facit iuuenem, id est, abiecto omni scorioso & impuro, ipse lapis reuocat in puris potentiam ad actum, & emendat humanæ complexionis lapsum, reducendo ipsum versus temperamentum naturæ suæ. & sic septuagenarius luxuriat, sibique visum est se esse in dispositione omnia faciendi, quæ fecit dum esset annorum quinquaginta, vel forsan quadraginta. Quantum vero ad secundam partem, videlicet quod lapis philosophicus omnem expellit ægritudinem: dico hoc esse verum, nisi forsan chronicis hæreditarijs, cuiusmodi est atticularis morbus, à paterno semine relictus, lepra, & huiusmodi passiones, quæ conceptionis tempore in parentum seminibus remanserunt: Nam talium infirmitatum radix difficulter aut forsan nullo modo extirpabilis est. Verum in alijs morbis chronicis vel acutis, quæ ex malo regimine superuenerunt, vel ex complexionis lapsu ad vnam vel ad aliam differentiam, ipse lapis ratione anaticitatis & puritatis suæ nihil permittit scoriositatis & immunditiæ latere iuxta se, quin totum eijciat & expellat, & in puris actum prouocat suspensum, adeo quod si lapis philosophicus esset res vegetabilis, transmutaretur vtique in substantiam humani corporis, & sic homo tali cibo nutritus fieret perpetuus: sicut videmus, quod corpora metallica ægra & corruptibilia depuran-

purantur per lapidem, & transmutantur in verum aurum quod est incorruptibile. Nunc autem, quia lapis philosophicus est de prima impositione mistorum, non potest fieri cibus vegetabilium & sensitiuorum, nisi si moriatur ex toto, id est, nisi elementa in eo resoluantur simpliciter, sicut videmus in hominum cadaueribus elementa simpliciter resolui. Sed tunc diceret forsan aliquis: Amice, nonne in lapidis confectione oportet elementa diuidi, ignem, aerem, aquam & terram, & vnumquodque a scoria sua depurari? quod si aliquod elementorum maneat in alio elemento, labor erit cassus, prout distincte ponit Rasis in Lumine luminum: resoluto autem ipso lapide sic per elementa, ipse potest vtique fieri nutrimentum vegetabilibus & sensitiuis. Responsio. Nunquam potest lapis philosophicus sic diuidi per elementa, quin in vnoquoque elementorum maneant cætera elementa: hoc est dicere, in igne manet aer, aqua & terra: in aere, aqua, terra & ignis: in aqua, terra ignis & aer: in terra, ignis, aer & aqua. Quod si vnum illorum elementorum ex toto corrumperetur, nunquam posset lapis reduci, sed omnia manerent inutilia, cassa & vana Sed forsan diceres tu: Quomodo potest hoc fieri, cum immediate dixeris, si quid vnius elementi maneat in alio elemento, labor erit cassus? & tunc tu dicis in vnoquoque quatuor elementorum manere omnia elementa? Respõsio: Elementorum duo sunt aquatica, & duo lapidea: aquatica sunt aqua & aer: lapidea sunt terra & ignis. aquatica depurantur sublimationibus: lapidea vero calcinationibus: quod si lapideorum elementorum aliquod remansit in elemẽtis aquaticis, aut aquaticorum in lapideis, labor erit cassus. Et ratio est, quia lapidea elementa non possunt mundari nisi per calcinationem, prout metra dicunt:

Est impoßibile sulphur sine, flamma delere,
Calcis adustibile quod præstat fossa minera.

Aquatica vero mundantur sublimationibus, prout metrum canit: *Si vis mundare limphas, surgendo lauabis* Et ideo philosophi bene dicunt: si quid vnius elementi, hoc est, lapidei, maneat in alio elemento aquatico, vel econtra, labor erit cassus, quia nec vnum nec aliud elementorũ purgari poterit prout decet, & natura requirit. Aliud autẽ occurrit dubiũ, cum prius dictũ sit, quod auri complexio & hominis tempe-

rati ad pondus complexio in nullo differat quoad proportionem qualitatum primarum elementorum: certum quippe est & nulli cedit in dubium, quin aurum sit temperatæ complexionis, cum sit res homogenea, & in eo sint duplex calidum ignis scilicet & aeris: duplex frigidum, aquæ scilicet ac terræ: duplex humidum, aeris & aquæ: duplex siccum, terræ & ignis. Sed in nullo homine videtur esse sic, eo quod homo habeat corpus heterogeneum, cor scilicet calidum & siccum, cerebrũ frigidum & humidum, quæ sunt contraria, hepar calidũ & humidũ, & stomachum frigidũ & siccum, quæ iterum sunt contraria. & ista quatuor sic repugnantia, sunt principalia membra humani corporis, nihil autem est totum, quam suæ partes integrales. Responsio, in nullo differunt complexio auri & hominis temperati ad pondus quoad proportionem qualitatum primarum elementorum, prout superius positum est. Et tunc ad argumentum. Licet aurum dici possit temperatæ complexionis, eo quod in ipso est duplex calidum, duplex frigidum, duplex humidum, & duplex siccum, non videtur sic esse de homine, cuius corpus est heterogeneum, & cuius partes integrales principales inuicem contrariantur, sicut cor cerebro, & hepar stomacho. Dico quod licet cor dicatur contrariari in qualitatibus primis cerebro, & hepar stomacho, non est tamen sic in re: omnia enim membra hominis quantumcumque dicantur sibi inuicem contraria, nutriuntur sanguine in quo est anaticitas (id est æqualitas vel proportio) elementorum, vel quasi, & omnia eius membra simul capta constituunt hominem complexione anaticum, vel quasi. & sic est etiam de auro, dum ex ipso conficitur lapis philosophicus. soluto nempe auro diuiduntur ab eo quatuor elementa, ignis, aer, aqua, terra, non autem simpliciter, sed secundum quid. Vbicumq; enim est ignis ab alijs elementis diuisus, in illo igne sunt aer, aqua, & terra, vt superius dictum est: verum ignis prędominatur: & ita de aere, aqua & terra censendum est. Sic etiam est imaginandum de membris principalibus hominis: licet enim in corde prædominetur ignis, tamen in ipso corde sunt in actu omnia alia tria elementa, & ita de cerebro, licet in eo prædominetur aqua, tamen ibi sunt aer, ignis & terra in actu, & sic consequenter de hepate & stomacho dicendum est.

Vetus

VETVS EPISTOLA DOCTISS. DE Metallorum materia, & artis imitatione.

EGo tibi aperire conabor optatum, quod ad veterum visum est mentem accessisse: nam vulgares (& merito) illud Aristotelis in libro Meteor. de sulphure & Mercurio, quod sunt omnium materia metallorum, non plene intelligentes, in sua opinione mentiti sunt. Non enim credas ex solo sulphure metallum posse generari: quia putant compositionem hanc ex sulphure & Mercurio, tanquam ex duobus diuersis componi, ex vno tanquam ex materia, ex alio tanquam ex forma, quod non est sic: nec tu nec alii sic intelligentes, intellexerunt Philosophum: ibi enim expresse innuit, hæc ambo locum obtinere materiæ: quia non est intelligendum, quod Mercurius & sulphur specifice distent à se primitiuis & specificis distantiis: nam sulphur in compositione prius est simplex sulphur, & hæc est prima materia: postea vero putrefactum, conuertitur in aerem attritum ex materia caliditatis, vel loci, vel influentiæ: & hanc conuersionem appellauit Philosophus Mercurium, qui est dispositus ad omnem speciem assumendam, cui iungitur, & hæc proprietas dignoscitur ab illo sydere & planeta, qui talis est proprietatis: ita quod denominatio hæc potest esse similitudinaria & effectiua: quia à similitudine assimilationis proprietatum, vel effectiua ab effectu ipsius, vt puta præfatæ influentiæ. Qui quidem Mercurius secundum maiorem vel minorem decoctionem à caliditate materiæ, vel loci, vel influentiæ, vel ex spissitudine, vel raritate materiæ, vel grossitie, vel mundicie, generatur & conuertitur in diuersas metallorum species. Et quod hoc sit verum naturaliter, probatur: vt puta quod Mercurius per se non intret specifice distincta à sulphure compositione. Nam videmus in mineris apparere sulphur, non autem Mercurium: qui quidem Mercurius habet distinctas per se mineras ab aliorum mineris metallorum, quod accidit ex loci leprositate, vtputa superflua caliditate & humiditate: quæ quidem caliditas & humiditas non constringit materiam sulphuris in Mercuriũ alterari, sed cõstrictionem impedit, de qua quidem compositione superius

est artificialis processus, sicut est naturalis. Operationes Alchemiæ sine virtutis mineralis auxilio perfici non possunt. quoniam enim generans metalla est virtus mineralis: sed vt patet per primam eius parabolam, quod intendentes imitari naturam in faciendis metallis, necessarium habent operari per virtutem mineralem habentem formam cœlestis agentis, sine qua materialia principia non acquirunt formam. non enim exit forma metalli à principiis materialibus, quæ sunt sulphur & argentum viuum, sine eductione virtutis mineralis in actum formæ, & propter hoc ars quantumcunque disponens & depurans materiam, nunquam inducet veram formam sine virtute minerali, quæ sicut in aquis per loca mineralia fluentibus defertur, & in arenis ex vaporibus proportionatis, metalla generat, vt patet per secundam huius, sic magis inest toti generato per ipsam, & per vnumquodque ipsorum, vt ex materia disposita fieri possit ipsorum generatio, si materiæ mundæ susceptibili, quæ menstruum est metallorum paterno commistum semine, artis beneficio infundatur: tunc enim simile generabit sibi simile secundum speciem & formam, & extra hoc est error artis: nisi forte medela fiat debilitatibus metallorum per alia, non tamen fit essentialis in metallis transmutatio, nisi reducantur ad materiam primam, & hæc commisceantur secundum formam quæsitam. Intelligentibus dicta sufficiant.

Ad pleniorem operum naturę ac artis intelligentiam clarius & amplioribus rationibus capessendam, consulo, amice lector, vt videas librum x. Cardani de Varietate rerum cap. I. & 2. quæ huc non attuli, cum quod quæque apud fontem suum videre expediat, tum quia quæ hic posita sunt ex se etiam sufficiant, & perfecta sint.

PRACTICA CARAVANTIS *Hispani.*

Recipe sulphuris viui & salis nitri ana, tere omnia seorsim, postea misce pulueres & pone in bocia vitrea bene lutata, & ad ignem lentum appone per horas duas, postea ignem auge, donec fumus cesset: post fumum veniet flamma extra collum bociæ, & ascēdet per vlnas seu brachia duo vel tria, & cessata flamma remanebit sulphur in fundo quasi albus & fixus: tunc extrahe, ac recipe dictum sulphur fixum, & tan-

& tantundem salis armoniaci, & tere omnia & bene in puluerem redige ac commisce, deinde omnia pone ad sublimandum dando primitus ignem lentum, deinde fortiorem, donec ascendat per horas quatuor: sublimatum extrahe, & omnia, nempe tam sublimatum quam fæces simul incorpora, & iterum sublima vt primo, vsque ad sex vices, & sulphur remanebit in fundo vasis, quod accipe & tere, ac super marmor aut vitrum in loco humido pone, & conuertetur in oleum: de quo pone duas vel tres guttas super vno ducato in crucibulo liquefacto, & fiet oleum, quod pone super marmor, & congelabitur: de quo pone partem vnam supra quinquaginta Mercurii purgati, & fiet sol optimus.

LIBER MAGISTRI IOANNIS DE RVPESCISSA, DE CONFECTIONE VERI LAPIDIS PHILOSOphorum

clare & absque palliatione, editus ab eo viro vtique à Deo illustrato, quem libellum composuit ad hoc diuina præmonitus reuelatione.

PRACTICA.

NAtura seu materia lapidis est res vilis precii, vbique reperibilis: quia est aqua viscosa, cum sit argentum viuum commune, sicut extrahitur de terra. Et quia aqua viscosa, scilicet argentum viuum generatur in latrinis, dixerunt aliqui, quod in locis vilibus repeririebatur: Et multi bestiales non intelligentes intentum Philosophorum, ipsum ad literam in stercoribus quæsiuerunt. Hæc autem natura operatur aliquid, amouendo scilicet terrestreitatem, quam habet, & aliquid apponendo, scilicet sulphur Philosophorum: quod non est sulphur vulgi, sed est sulphur inuisibile, tinctura rubedinis. Et ego nominabo tibi eum nomine suo & vitrioli scilicet Romani. Et istæ duæ præparationes fiunt simul sic: Recipe salis petræ & vitrioli Romani ana lib. duas, & tere eas subtiliter, & in patella ferrea mouendo, desicca ad

ignem lentum aliquantulum, vt aquea humiditas recedat: deinde R. lib.i. Mercurii de minera extracti, & non de plumbo facti, & volue ipsum in corio leporis, & sparge ipsum super materiam prædictam calidam aliquantulum, quia seminabitur, & exibit, & mundificabitur transeundo per poros corii prædicti, vt non appareat in eo. Et pone totum in vase aludel (seu alembico) ad sublimandum primo cum lento igne, donec humiditas per foramen capitis vasis recedat aliquantulum, quod cognosces cum gladio, si positus super foramen non recipiat ex fumo ascendente humorem: postea claude foramen cum luto sapientiæ: sed tutius est, vt ante materia paululum desiccetur, & in aludello nullum sit foramen, & fortifica ignem per duodecim horas, & in fine da fortiorem ignem, vt bene totus Mercurius sublimetur, & extrahe ipsum album sicut nix est. In isto autem opere fecisti duo: Primo enim purgasti ipsum à terrestreitate & nigredine ac humiditate maxima, quæ vndique currit, & coagulasti eum, & reduxisti album vt nix, & contribilem & miscibilem, & aptum ad digestionem in stupha sicca: & aptasti eum ad reducendum in aquam, prout inferius apparebit. Secundo, postea misisti in ipsum sulphur inuisibile Philosophorum, quod est tinctura rubedinis, & spiritus vitrioli Romani: & est ibi miraculum maximum: quia cum spiritus ille inuisibilis habeat tincturam rubedinis, tamen coagulat Mercurium in sublimatione in albedine nimis. Et hoc est quod multi maximi philosophorum scripserunt, quod lapis fit ex Mercurio & sulphure, quod non est sulphur vulgi, sed sulphur Philosophorum. Et de prædicta præparatione, sublimatione, & operatione dixit magister Arnoldus de Villanoua, in Tractatu parabolico de maiori edicto, Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Intelligas per granum frumenti in terra mortificandum, Mercurium mortificandum in terra salis petræ & vitrioli Romani: & ibi mortificatum, & cum igne sublimatum multum fructum affert, nempe lapidem magnum, quem omnes Philosophi quæsierunt. Signum autem quod spiritus vitrioli incorporetur Mercurio est, quia licet Mercurius sublimatus multas fæces terreas dimittat in terra, tamen si posueris libram vnam, tantundem rehabebis: sed hoc esset impossibile, nisi quod Mercurius albior

bior

bior niue secum traxit purissimum spiritum vitrioli prędicti, quod est inuisibile sulphur. Demonstratur autem spiritus inuisibilis vitrioli ad sensum per ingenium sic: R. acetum & in eo extingue ferrum quatuor vicibus: Deinde pone ibi Mercurium sublimatum & tritum per vnam noctem, in crastino destilla acetum per linguas bis vel ter, donec sit clarum, post mitte in ampulla vitreata ad ignem lentum, & amoue cappam nigram ferream, quæ eleuabitur, & post purgationem da ignem & euapora acetum,&remanebit ibi spiritus vitrioli in fundo, de colore floris gaudii amœnissimo supra modum, si experto credatur: Et ita habebis ad partem Mercurium mortuum effectum, & ex alia parte sulphur inuisibile supradictum. Quare mihi est monstratum, quod Mercurius per vitriolum sublimatus secum portat spiritum eius, quia sulphur inuisibile lapidis tinctura appellatur. Nam de Mercurio sine vitriolo sublimato,non poteris extrahere spiritum prædictum. Hæc est operatio prima.

Secunda operatio.

SEcunda operatio huius artis est, Ab illo Mercurio sublimato, qui est albus vt nix, extrahe spiritum eius, qui à quibusdam magnis Philosophis quinta essentia clamatur,quia spiritus ille est incorruptibilis fere vt cælum,licet sit non fixus volatilis, quia sic est necesse: extrahitur enim hæc quinta essentia, hoc est spiritus Mercurii ab illo supra sublimato,sic: R. libram vnam salis Petræ, & tantundem vitrioli Romani,&extrahe aquam fortem,& tere Mercurium supra sublimatum, & dissolue eum in illa aqua forti suprá cineres calidos in amphora vitri clausa per duodecim horas: quod si non dissoluatur,pone intus de sale armoniaco septem partes aquæ vel plus:& hoc est maximum secretum in arte:(N. si in principio sumatur sal nitrum pro sale petræ, puto fore melius.)Appone ergo cor tuum ad ipsum,& post dissolutionem pone in vrinali,& desuper alembicum,& mitte super ignem: & destilla aquam fortem quam recipe, & post totalem destillationem continua ignem, & ascendet per latus vrinalis spiritus Mercurii:& hæc est quinta essentia albior niue: in fine fortifica ignem,& totum ascendet:deinde aperi vas,& extrahe quintam essentiam,& inuenies in fundo vasis fęces cõbustas & nigras à spiritu Mercurii separatas.In hac autẽ operatione fecisti duo:Primo separasti illud,ꝙ in albo Mercurii

ſeparato erat terrenum, corruptibile & imperfectum: totum enim combuſſit illud aqua fortis: & eſt mirum valde, quod de re alba, vt nix, poſſit extrahi res terreſtris & nigra. Secundo imbibiſti intra ſpiritum Mercurii amplius de ſpiritu vitrioli, qui eſt in aqua forti. & hoc eſt quod in prædicto tractatu dixit magiſter Arnoldus, dicens ſic: Bibat, bibat, bibat quantum bibere poteſt per duodecim horas. (N. vices) quia Mercurius diſſolutus eſt in aqua vitrioli, hoc eſt de ſulphure inuiſibili, quam habet: & hæc diſſolutio fit in duodecim horis. Secundo diſſolue ſpiritum Mercurii in aqua forti, & ſublima vt prius, & remanebunt in igne fæces non tot vt prius. Tertio reitera opus, & nihil de nigris fæcibus, aut parum inuenies, & tunc habebis perfecte quintam eſſentiam, materiam lapidis ſecundario præparatam, incorruptibilem, volatilem non fixam, & niue albiorem.

Tertia operatio.

RECipe præfatum Mercurii ſpiritum ſeparatum, ſeu eius quintam eſſentiam, & tere mundiſſime ſuper lapidem, & pone puluerem in vaſe vitreo, & mitte in furno Philoſophorum in ſtufa ſicca ad digerendum, prout quidam volunt nominare: licet alii dicant ad calcinandum ad ignem lentum de carbonibus factum per 8. dies, vel plus, quem furnum fortaſſe inferius deſcribam, vel alibi inuenies: Ibi enim decoquitur vt poſſit diſſolui in aquam: quoniam quando aliter diſſolueretur, nec opus perficeretur.

Quarta operatio.

QVarta operatio eſt, vt digeſtionem prædictam in vrinali ponas clauſo in balneo infra ollam plenã aqua, donec tuus ſpiritus diſſoluatur in aquam: qua diſſolutione facta & completa, pone deſuper alembicũ, vel in principio, quando vrinale ponis in balneo potes deſuper alembicum adaptare: Demum da ignem, & aſcendet ſtilla roris madii in modum aquæ vitæ, lucida lacryma oculi, lac virginis, puriſſima lapidis materia occulti vltima præparatione perfecta, guſtu amara, ad literam acetoſa, volatilis non fixa, incorruptibilis fere per digeſtionem in puluerem, à Gebero nunquam cognita, ab Auicen. ignorata. Hanc Hermes palpauit, Alphidius aptauit, Roſarius intellexit, magiſter Arnoldus dictauit: nam de hac quarta operatione, quæ dicitur expreſſio lactis virginis, dicit magiſter Arnold. Quod oportet exal-

exaltare filium hominis in aeris cruce: quod eſt ad literam, de materia in tertia operatione digeſta, quæ trita ponitur ad diſſoluendum in fundo vrinalis, aſcenditq; quod ibi eſt, puriſſimum & ſpirituale, & in aerem ſurſum conuertitur, & in cruce exaltatur capitis alembici, quaſi Chriſtus, vt magiſter Arnoldus dicit, eleuatur in cruce. Et iſta diſſolutione completa, habes tuam materiam vltima præparatione præparatam & perfectam: & ſi vnam guttam ex hoc lacte virginis ſuper laminam ignitam proieceris, dealbat eam intus & extra. Et ita vidiſti quod materia lapidis eſt vna, nõ ſimplex omnino, ſed compoſita ex ſpiritu Mercurii, & ex ſpiritu vitrioli Romani, quod dicitur ſulphur inuiſibile, non vulgi, ſed Philoſophorum: quia eſt tinctura Mercurii & rubedinis: licet Mercurius in ſe nõn habeat tincturam ad rubeum intrinſecus abſconditam: ſed propter purgationes: quia nimis eſt terreus, dimittit, & ob hoc indiget ſulphure puriſſimi vitrioli imbibi ad plenum, vt ſupra.

Hac autem deſtillatione completa, inuenies in fundo vrinalis elementa tria miſta ſimul, quod remaneat terra craſſa & combuſtibilis: & extraxiſti ab eo elementum aquæ animatum anima ſpirituali vitrioli Romani: & eſt per ſe ſine aliis tribus elementis ſufficiẽs materia lapidis, maxime ad album, & ad rubeum conſequenter, vt dicetur. Si autem vis ſeparare alia tria elementa ab inuicem; operaberis in hunc modum: R. illas fæces terræ, & pone ad digerendum in ſtufa ſicca, vt prius: poſtea pone in balneo ad diſſoluendum & deſtillãdum vt prius cum fortiſſimo igne: & quod aſcendet per ignem balnei, eſt elementum aeris de colore olei: recipe ipſum & ſerua: & cum nihil amplius poterit aſcendere, transfer vas de balneo ad ignem ſublimationis in cinere, & da ignem bonum, & aſcendet per alembicum elementum ignis rubicundum in liquore olei rubei: R. ipſum & ſerua ad partem: & ita habes à Mercurio quatuor elementa ab inuicem ſeparata. Primum elementum aquæ, quod lac virginis dicitur: Secundum elementum aeris, ſcilicet oleum reſplendens in balneo deſtillatum: Tertium elementum ignis, ſcilicet oleum rubeum deſtillatum ad ignem: Et quarto habes in fundo vaſis elementum terræ nigerrimum vt carbo, quod nihil vltra valet. Intellexiſti hæc omnia? Neſcio quid de Mercurio clarius dici poſſit.

Quinta lapidis operatio.

MAteriam lapidis perfecte præparatam in hac quinta operatione docebo:quomodo videlicet materia præparetur ad album,id eſt, quomodo lac virginis digeratur & reducatur virtute ignis in puluerem tam ſubtilem, vt non ſentiatur per tactum manus. Recipe igitur lac virginis: quod quidem lac dixeruntquidam Philoſophi, animal cum ſanguine ſuo: animal quod creſcit in ſublimando, & habet animam ſanguinis, id eſt tincturam rubedinis, ſpiritum vitrioli ſupradictum: & pone infra vitri amphoram in fundo rotundam, & ignias ei collum & ſtrangula ipſum cingendo cum forcipibus,caute tamen,ita quod nihil poſſit exire quoquo modo: & ponas regulam perforatam in collo furni inter ignem & amphoram, vt lac virginis non deſtruatur ab igne: & pone vas in furno Philoſophorum ad digerendum in igne, vbi vas habebit per ingenium ignem ab omni parte,vt vas æqualiter ignem recipiat,vt ad nullam partem lac virginis poſſit euolare quomodocunque: id quod fieret niſi ignis ab omni parte daretur æqualiter.Et eſt ars ad dandum ignem temperatum, non exceſſiuum & operis deſtructiuum,vt ſubtus tot carbones accenſi ardeant,vt manus hominis teneri poſſit in aere inter latus furni & vas, in quo eſt materia,id eſt lac virginis fulgentis: & continuabis hunc ignem,donec videas materiam denigrari.Quod ſi nimis tardaret, adauge ei ignem: & cum videris materiam denigrari, gaude:quoniam principium digeſtionis,tunc habebis:& cõtinua ignem,donec omnes carbones conſumentur:&videns materiam aliquantulum dealbari, tunc augmenta ei ignem paulatim & ſenſim, donec videas materiam magis ac magis dealbari. Et cum videris perfecte dealbatam, habes perfecte lapidem ad album.

Sexta operatio.

SExta operatio docet lapidem iam completum perfici ad rubeum,nil penitus addito,nilque remoto, ſic videlicet: Extrahe de vaſe prædicto, quod vocatur ſepulcrum Philoſophorum:Et magiſter Arnoldus dixit,quod lapis eſt clauſus in eo,vt Chriſtus in ſepulcro: & partem vnam, quam volueris pulueris ſine tactu accipe: per ipſum enim conuertes omnia metalla imperfecta in verius metallum,quam eſſet de minera. Reliquam partem conclude in vaſe vt prius,& fortifica

ſica ignem ei, iubente magiſtro Arnoldo, qui dicit: Poſtquam lapis peruenit ad perfectionem albedinis, non ſentiat pœnas creſcentis ignis, nec periculum aliquod, etiam ſi notabiliter fortificetur: quia ſic ei expedit, & eſt omnino neceſſe: cuius cauſa eſt in veritate per ignem lentum, qui fit, quando digeritur ad album. non poteſt decoqui ſulphur inuiſibile abſconſum, vitrioli ſcilicet ſpiritus latens ſub albedine lapidis: ſed digeritur ſpiritus illo igne ad album. Quapropter neceſſarium eſt, ignem augmentare, vt attingat profundius, & digerat tincturam rubedinis & ſulphur latens vitrioli, & ipſum exterius apparere faciat, & nihil addito, nihilque remoto, quod lapis albus per maiorem ignem efficiatur, reſuſcitatus a mortuis cum diademate refulgente & glorioſus, vt magiſter Arnoldus excellenter teſtatur. Sed nota quod in duobus vaſis ſimul operari debes: in vno ad album, in altero ad rubeum. Et nota quod aliqui operantur per omnia, vt dixi de lacte virginis, & de elemento aeris: & ignem non curant. Et eſt opus eorum per ſolum lac virginis nobile & perfectum pro certo, & maxime ad album. Alii vero miſcent tria elemẽta ſimul ſcilicet vnum pondus ignis, quatuor pondera aeris, & octo pondera lactis: & hic modus fortior eſt ad rubeum, debilior vero ad album. Tres hos modos potes facere ſimul in vno vaſe de ſolo lacte ad album: in alio vaſe de ſolo lacte ad rubeum: in tertio vaſe de tribus elementis ad aurum, & in eodem furno, vt probes ſublimitates diuerſorum modorum & videas mirabilia maxima à Deo glorioſo creata in rebus. Credas, vir Euangelice, quod ante me nullus hominum in aperto hanc ſcientiam & veritatem ſcripſit. Scito autem, & aduerte, quod Philoſophi magni, quibus reuelatum fuit myſterium huius artis reuelationibus veritatis, imprecati fuerunt maledictiones horrendas, timẽtes, ne veniret arcanum ad manus indignorum.

Septima pars.

SEptima pars huius operis eſt praxis virtutis elixir, hoc eſt medicinæ præfatæ: virtus autem reſeruatæ eſt, & perfectę ad album eſt, vt conuertatur Mercurius in plumbum, cuprum, ſtannum, latonem, & chalybem in argentum veriſſimum.

Reliqua duo capitula: Vnum fuit de modo fornacis Philoſophorum, quod alibi melius ſupra poſui: Aliud de modo

tingendi & proiiciendi elixir, quod etiam satis alibi potest inueniri. De fermentatione autem Solis vel Lunæ nusquam mentionem facit hic magister, cum tamen omnes Philosophi concorditer dicant, quod Sol facit solem, & fixum figit: Et quale semen in terram seminaueritis tale & metetis: Et non potest inueniri in re quod in ea non est: & cætera similia multa, &c. Tu autem sicut prudens & discretus elige quod bonum est (omnibus probatis) & applica fermentum vt scis, &c.

ANNOTATIO.

NOTA quod sal petræ & sal nitri sunt vnum & idem: tantum differunt, quod sal nitri est sal petræ præparatum & purgatum à sale quem habet: & ita præparatum inuenitur copiose in apothecis. Præparatur autem sic: Contunditur, & in aqua communi bullitur aliquotiens, vltimo bullitur, & feruens in vas proiicitur ligneum, quod vas habet multos erectos stipites, quibus in bullione adhæret prędictum sal petræ: quibus frigefactis colligitur: & tunc sal nitri vocatur.

Scias infallibiliter & in veritate, quod ex solo aceto nostro acerrimo, & absolute nullo alio extraneo addito, opus nostrum perficitur: quo absente, nec nigredo, nec albedo, nec rubedo consistit, quod facit Solem & Lunam purum esse spiritum. Quare aliqui hic grauiter errant operando, qui soluunt amalgama nostrum in aqua forti: & per hoc opus destruitur: quia in pluralitate rerum ars nostra non consistit. Venerabili igitur vtimur natura, cui aliena nolite introducere, nec aquam fortem, nec salem, nec puluerem: quia natura non emendatur nisi in sua natura. Et natura nostri aceti acerrimi benedicti, continet omnia necessaria in se, &c. Recipe igitur de Sole foliato partem vnam, & de aceto nostro partes septem, & fac amalgama more solito. Deinde pone in vna vesica bouina de vitro, & obtura os vitri, & pone ad destillandum in fimo equino calido & humido per tempus, sic quod caput vitri remaneat in aere extra fimum: diebus finitis, extrahe vitrum de fimo, & pone ipsum supra cineres calidos, & ibidem permitte stare ore clauso dando ei letissimum ignem tamdiu, quousque videris materiam in vitro esse coagulatam, &c, sicut scis.

Da

De sale. Ignoscat mihi Deus.

RAtio de sale cibi: Scias quod sales sunt multi, & nobilius eorum est à loco, qui dicitur Andaram: deinde sal panis, & sal Indus, qui est rubeus, & sal nabati, & sal calcis, deinde sal amarus, qui est in Hispania, in loco qui dicitur Bolongi. Eius quidem natura est calida & sicca: & est aqua quam coagulauit siccitas ignis: & ex proprietatibus eius est, quoniam liquefacit argentum cum ignis vehementia, & addit in ipso albedinem, & vertit ipsum a corporeitate ad spiritualitatem: & similiter facit de auro, in quo ruborem augmentat, & abluit corpora à sorde, corrodit sordiciem eorum, & cum ipso calcinantur corpora, & non cum alio. Et propter hoc nominauerunt ipsum Sapiētes argentum communicans, propter albedinem suam: Et quoniam omnes homines indigent & vtuntur ex eo in omnibus rebus, & cum eo rectificantur creaturæ, & Deus excelsus non laudauit creaturam in lege veteri sine illo, & præcepit vt nullum sacrificium & oblatio fieret sine sale, &c. Et sal inuenitur in omnibus membris plantarum, & calcibus lapidum, & ossibus animalium, & in omnibus rebus: ergo secretum totum est in sale. Et qui scit solutionem & coagulationem ipsius, iam tunc est eleuatus supra secretum occultum, quod est lapis sapientum: & ipse dealbat corpora & mundificat & resoluit ea, & coagulat spiritus, & retinet eos, & prohibet ab eis adustionem ignis. Pone ergo mentem tuam in sale, & præpara ipsum, & ne cogites præterquam in ipso. An non vides apud complementum omnes redire ad salem armoniacum sapientum, & dicere ipsum multotiens? & ipsi volunt salem sibi post præparationem eius: peruenit enim ex eo sal sapientum, nobile, fixum, & non fugiens ignem. Et Hermes quidem dixit filio suo: O Fili, quando scieris saponem sapientum, consequeris concupiscentiam, & euades cum parte meliori. Et ipse quidem est difficilis super eum qui nescit, tamen peruius super eum, qui scit eum. Inquit autem Compilator; Non perit quærens ad proprietatem nisi ignorantia eius, quod vere occultauerunt sapientes, & de quo euacuauerunt omnes libros, & non explanauerunt. Et ego iuro per Deum, sine quo non est Deus, qui est sciens, absens, præsens: Vir qui ignorat secretum salis, non comprehendet parum vel multum, ex eo, qui conceditur ei

come-

comedere: quoniam cum ignorat naturam eius, est sicut qui sagittat sine chorda. De modo vtendi est, vt accipias de ipso partem, & tere ipsum optime, & vltimate ponas ipsum tritum in olla, & bene obstrue seu tege, & pone ad furnum panis die ac nocte: deinde solue ipsum in duplo sui in aqua dulci: deinde coagula ipsum, & veniet sicut nix: repone ergo ipsum, & vtaris de eo non nisi soluto per modum vt scis, &c.

De Elixir.

HOc Elixir tingitur tinctura sua, & submergitur oleo suo seu aere, & figitur calce sua, seu terra sua. Et oleum quidem est aggregans vel coniungens inter tincturam subtilem valde: & aqua, id est argentum viuum, est deferens tincturam, id est elementum ignis, & oleum antecedens cum sale tingente: & tinctura perfundatur cum eo: & quando figitur calx, figitur cum eo propter vehementiam commistionis. Et exemplum calcis est terra. Et album quidem completur tribus, in quibus non est ignis. Et citrinum seu rubeum completur quatuor totis elementis seu partibus lapidis.

Totius mundi status periret, si noster in libris nominaretur lapis. O felix scientia, quæ a sciente quæritur: non immerito super omnes huius mundi scientias perquirenda est: Quia qui eam habet, incomparabilem habet thesaurum: In salubri constellatione natus est in hoc seculo, diues diuitiis infinitis super reges & principes huius mundi. quis non diliget talia? quia sanum & longæuum se vtentem conseruat super omnium medicorum medicinas. Hæc sunt bona iusta coram Deo & hominibus, non per vsuram acquisita, seu per fraudem & deceptionem plurimorum: sed est speciale donum Dei, vt dicit Psalmus: Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, &c.

Vt placeat cunctis, nullum decet esse superbum:
Qui sic inflatur, deserit omne bonum.
Sit blandus facie, sit mitis, & ingeniosus:
Ni contemptibilis forte sit ipse cito.
Officio proprio sapienter sit studiosus,
Vt fiat doctus quiuis in arte sua.

IOAN-

IOANNIS AVRELII AVGVRELLI CHRYSOPOEIA AD LEONEM DECIMVM PONTIFIcem Maximum.

AVriferam paruis animi pro viribus artem
Quæſitam nobis, & longo tempore partam,
Vt rerum inuolucris tantarum euoluere moles
Se potuit, claro perhibentes carmine nuper
Luſimus, & Muſis hanc commendauimus almis,
Quod nulli ex omni numero fecere priores.
Cumque operi auctorem, cuius ſub nomine tutum
Pergeret, optarem, foret & res præſide digna,
Ipſa ex ſe magno, variaque hinc mente tenerer,
Cui merito cuncta hæc, & non ingrata dicarem,
Interea nobis tute velut æthere ab alto
Miſſus ades mundi feſſis ſuccurrere rebus,
Qui belli ſcelerumque faces, incendia tanto
Extinguas, placidamque piis ſperare quietem
Des populis, ſolidamque per aurea ſecula pacem.
Quive etiam, ſi parua licet componere magnis,
Ad ſanctos hæc noſtra pedes ars aurea tendat.
Vt quo te fidei ſacræ nunc cœtus honore
Proſequitur cunctus, hoc te veneretur, & omni
Ipſa tuum pro me cultu ſic numen adoret.
Hanc igitur, ſi non immenſa negotia prorſus
Impediunt, permitte, precor, ſe prodere tantum,
Quo tibi detracto veluti velamine virgo
Nobilis ingenuo vultum perfuſa rubore,
Occultum incipiat ſemel oſtentare decorem.
Hæc etenim prima quanquam ſe fronte legenti
Non adeo oſtendat, paulum tamen ipſa recluſis
Detecta arcanis, mira & gratiſſima pandit.
Quam ſi forte legens interdum nomina diuum
Offendes, quos vana olim coluiſſe vetuſtas
Dicitur, exemplo haud renuas, ſacra optima quanquam
Exerces, veramque fidem, cultumque tueris.
Illa etenim tanquam priſcis conſueta vocari
Vatibus enixe quos tunc imitabar, adiui

Supplex

Supplex,& paribus curis in vota vocaui.
Materies etiam solitum conquirere Solis
Et Lunæ auxilium,nec non Vulcania velle
Arma videbatur,quorum implorare fauorem
Fas erat,& mihi iam per te licuisse, sit id nunc
Concessum,& venia dignum peccasse fatenti.
Mox tamen hinc aliud quæsitum ad carmina numen,
Et precibus solum cunctis quandoque vocatum
Forte aderit:præsens fuerit si gratia Cælo
Tanta mihi,magnum multo seu carmine Mosen,
Seu quem flagranti vectum super æthera curru
Mirati videre patres,oculisque secuti
Aera per purum,cœli discindier oras,
Astrorumque globos intro aspexere micantes;
Seu qui voce palam porrectoque indice prodit,
Venisse auxilio iam tum mortalibus agnum,
Ipse canam,Vatem quamprimum matris in aluo
Exultantem,& adhuc puerum ad deserta ferentem
Antra pedes,puri mox & Iordanis ad vndam
Dignatum caput illius contingere lympha,
Qui proprio antiquam nobis sic sanguine labem
Abluit,vt scelerum maculas absterserit omneis.
Nomine cuius item tibi quondam & moribus aucto
Defuit haud vnquam fauor,ac cælestis abunde
Gratia,qua tantum meritis conscendere culmen
Posses,& iustas mundi regere vnus habenas,
Magnanimos æquans propria virtute Leones,
Pontificum decus egregium iam sæpe repertos
Esse,nec Italiæ sub iniquo tempore, & vsquam
Christicolis vllo prorsum in discrimine deesse.
Hæc sed erunt mihi cum dicendi facta potestas
Iam fuerit,dabiturque loqui,quæ iusseris ipse
Sancte pater,cuius nobis stant omnia nutu.
Interea certis hominum vis vllane possit
Indiciis aurum facere,& mutare metalla,
Percipias primum;dehinc quæ secreta laboret
Ars id perficere,& naturam æquare potenti
Ingenio , inspicias:demum quis rite sequatur
Hinc modus assiduis doctisque laboribus artem
Peruideas,& quo tandem experientia ducat.

Omnia

Omnia quæ gnaro passim tibi certa patebunt,
Si quo hæc inter se nexu, quove ordine constant;
Ipse acie, qua cuncta soles discernere mentis
Inspectans, paruum non dedignabere munus,
Quod tibi non parua offerri super arte laboro.

IOANNIS AVREL. AVGVR. CHRYSOP. *Liber I.*

HVmana experiens naturæque æmula virtus
Aurum num vere faceret, qua fideret arte,
Quisve modus foret, est animus quærentibus vltro
Dicere, quaque palam vestigia nulla priorum
Apparent proferre pedem. Vos numina gressum
Dirigite, est hominum quibus experientia curæ.
Tuque adeo inprimis, auro cui plurima tellus
Spargitur, & vasto venas sub corpore condit
Syderei succo plenas meliore metalli,
Phœbe ades; & tecum accelerans non passibus æquis
Alma soror, grauis argento cui sæpe fatiscit
Orbis iter, summaque ostentat brachia terra
Candoris grato ætherei fucata colore.
Tu quoque nec cęptis Cylleni audacibus vsquam
Defueris, tibi nam puro de fonte perennis
Riuulus argentum, vulgo quod viuere dicunt,
Sufficit, & tantis præstat primordia rebus.
Denique tu pater ignipotens, quem feruida flammis
Antra iuuant, tentisque expressæ follibus auræ,
Fornacesque incudesque & liquefacta caminis
Massa æris ducti, aurique electrique recocti
Inuictum exercent semper, tu maxime præsis
Artifici Vatique simul tua facta canenti.
Nil sine te solers ars inchoat: eja age sanctum
Coniugis vt tecum pergat descendere numen
Effice, quam penes est generandi plena potestas.
Hæc mihi, ne cursu naturæ auertar, & vsquam
Declinem, ostendet quot constent cuncta, quibusque
Principiis, quęve hinc ineunda est semita, quantus
Sit modus, vt certam capiant humorque calorque
Temperiem, cuius suaui perfusa vigore

Omnia

Omnia, perpetuo fœtus in secla propagant.
Tu molli è gremio surgens vxoris amatæ
Arte pari prorsus genitalem imitaberis ignem.
Per te sublimi pendent in vase metalla:
Per te eadem triti specie sub pulueris imo
Fundo hærent, eadem per te calefacta liquescunt.
Tu mihi, tu lentum solus pater alme calorem
Intendes, & cum tempus dabit, ipse remittes.
Tu princeps operis tanti, tu carminis esto
Principium, feruens dulcis mihi spiritus oris
Extet, eatque virûm per te, Vulcane, per ora.
Nec tu non faueas tantis æquissima votis
Prisci perpetuum secli decus Heroine,
Quam circum exultant laudata ad flumina Nymphæ
Minciades, Phœbique chorus comitatur euntem,
Aut fouet Antino recubantem in gramine Manto,
Læta trium nodo neptem complexa sororum:
Sic mihi iam gradibus crescent incepta secundis,
Nec rerum series illis, aut copia deerit,
Et sua scribendis accedet gratia rebus.
Immenso primum cæli quodcunque sub orbe:
Seu simplex fertur corpus, seu corpore constat
Multiplici, tendit sobolem proferre, diuque,
Quaque potest augere genus, speciemque tueri.
Namque vbi materiem sparsus comprenderit ignis,
Victor agit flaminis, donec conuertat in ignem.
Inficit humectatque liquor, nec deficit vsquam,
Quin in se quicquid tetigit, ni maior ibidem
Vis obstet, vertat, tenuesque effundat in vndas.
Sic aer, sic terra sibi conferre laborat
Vndique, sic longo cuncta in se tempore transfert.
At quæ compositis constat, quæcunque feruntur
Viuere, de propriis vel semina stirpibus edunt,
Vt fæcunda Ceres, vt germen fertile Bacchi,
Vel sibi consimiles natos animantia gignunt,
Vt bellator equus, bos vt bene iunctus aratro,
Vtque hominum proles mira & cælestis origo.
Hæc inter variant, quæ nec primordia rerum
Extant, quæque frui vitali sorte negantur,
Vt media quæcunque sedent tellure metalla,

Quæque

Quique latent miro grati fulgore lapilli,
Nullo namq; genus sobolemve augere putantur
Semine, sed cunctos ævi torpore per annos.
Verum hæc ipsa etiam secreto viuere quivis
Sentiat, & vitæ diuino munere fungi,
Hæc & oriri eadem si contemplabitur, & si
Augeri ex sese penitusq; increscere cernet,
Vt mox è varijs patefactis nosse licebit.
Quod si non sobolem educunt, non cætera vertunt
In semet, causa est, quod multa spiritus illic
Materie abstrusus, vitam qui porrigit omnem
Explicat ægre ex se vires, ni viuida promat,
Has hominum virtus densa sub mole latentes.
Hoc etenim quicquid diffunditur vndiq; Cæli
Aeraq; & terras & lati marmoris æquor
Intus agi referunt anima, qua viuere mundi
Cuncta putant, ipsumq; hac mundum ducere vitam
Ast animæ quoniam nil non est corporis expers,
Mundus at, & mundi partes quoq; corpore constant:
Spiritus hoc inter medius fit, quem neq; corpus,
Aut animam dicas, sed eum, qui solus vtroq;
Participans in idem simul hæc extrema reducat.
Hic igitur maria, ac terras, atq; aera & ignem
Viuereq; augeriq;, atq; in se cuncta referre
Semper avet, semper stirpes, animantia semper
Gignere, perpetuamq; sequi per secula prolem.
Denique sic etiam fuluo detentus in auro
Ipse manum cupit artificis, qui vincula soluat,
Et qui se propria reddat virtute potentem.
Quod si quis properans hunc artis viribus vnquam
Explicet, atq; diu tepido post incoquat igni,
Continuo aspicies, visu mirabile, vitam
Auro impertiri longo cum seminis vsu:
Nec deerit, quin ex auro sibi procreet aurum.
Quod cum ita constiterit, durate & credite dictis
Intenti artifices, & res sperate secundas.
Iam patet his, vt non tantum sub montibus aurum
Natura efficiat, sed vt id quoq; prodeat arte,
Quoque modo id fieri possit, quandoque docebo.
Interea, ne quid nobis quærentibus obstet,

Quo

Quo minus his adhibere fidem sit forte necesse,
Quę contra soleant dici, nunc omnia soluam.
Mox eadem validis grata experientia signis
Impetet, & grauium sententia prisca virorum
Delebit, referens quæ jam videre parentes
Ipsi oculis, manibusq; simul tetigere beati.
Atq; hinc incipiens cuncta hæc ex ordine pandam.
Nil mirandum æque, quam si quod longa peregit
Annorum series genitali semine cœptum,
Audeat illud idem momento protinus horæ
Ars facere, ac proprio naturam vincere cursu,
Quem tenuit tanto in spacio per grandia terræ
Viscera, summa eadem seruans vestigia ab ima
Sede, per anfractus tantos, ac cæca per antra.
Nec minus his mirum si quis primordia possit
Scire, quibus constet puri genus omne metalli,
Atq; ea componens, aurum dum conficit arte,
Mensura exæquet, nec non & pondere libret,
Mentitur quibus hęc natura, & ponderat vnis,
Quid locus? an quisquam poterit fornace calorem
Æquare? exiguis qui circumducta caminis
Nunc loca terrarum perfertur, nunc petit altam
Tellurem, mox & supraq; infraq; refertur
Vnus, & inserto distendit cuncta tepore.
Quis potis est vnquam tanta omniparentis apisci
Munera naturæ? quæ vis mortalibus vnquam
Tanta fuit? non ipsi etiam, qui numina cælo
Deijcere in terras conati, vellere ab imis
Iam potuere suis montes radicibus altos,
Inuitæ auderent sacra in penetralia terræ
Tendere, scrutariq; pię secreta parentis.
Adde, quod in varias mutari corpora formas
Natura haud patitur: neq; enim velocis equi bos
Induerit speciem piger, aut Parnasia Laurus
In se Chaoniam poterit conuertere quercum.
Nec magis, æs puro se commutauerit auro,
Quam si quodq; etiam queat à quocunq; creari.
Hæc sunt, quæ cælo missam diuinitus artem
Conantur frustra indiciis tenuare pusillis.
At neq; scire opus est, (quamquam hæc sit noscere pulcrum)
Quæ

Quę quibus extiterint gignendis vltima rebus
Principia; aut quali fuerint ea lance recepta
In numerum & pondus: neq; enim si farrea tractes
Semina, constituant quę far primordia quęras,
Quave ea conveniant mensura & pondere farri.
Farra sed ipsa putri mandabis condita terrę, &
Virtutem latitantem intus seseq; mouentem
Irritans tantum, naturæ cætera linques.
Nec longinqua adeo spatiosi temporis ætas
Conuenit huic operi, vires quod promit ab auro,
Ac non principijs è primis conficit aurum.
Quid si nobilius quoddam, quod præstet & ipsi
Auro, contendant proprio molimine summi
Perficere artifices? apte cui nomen Elixir
Experti fecere Arabes, veriq; dedere
Indicium: id quoniam in melius quodcunq; metallum
Ducit, & infectum mira depurat ab arte.
Sic neq; spectandus nobis locus ille calorq;,
Quo calet inclusum semen genitale metalli,
Quiq; diu fertur specubus tellure sub alta,
Ast alio prorsum ducendi tramite gressus
Naturæ pariter secessus inter & artis,
Qua simul ad metam prospectans vtraq; ducit.
Deniq; nec speciem verti, tunc arte putaris,
Ære vel argento duci si videris aurum,
Sed priuum hoc priuo fieri ex ære atq; argento
Aurum credideris, veluti si farris in agro
Infelix lolium & steriles nascantur auenæ..
Aut si forte boum videas per viscera toto
Stridere apes vtero, & ruptis efferuere costis.
Aut vt plura sinu molli simul oua puellæ
Rite fouent, multus tenero sub pectore bombyx
Palpitat, & lecta nutritus fronde virentis
Dehinc mori, tenuis texto se velleris orbe
Implicat, ac tandem pedibus munitus & alis
Papilio de verme pedes volitansq; recedit.
Quid si cuncta etiam sint vni subdita formæ,
Quæ specie vulgo perhibent differre metalla?
E quibus extiterit quodcunq; impurius, atq;
Sordibus infectum terrestribus, exuet omnem

Arte luem citius, purumque nitescet in aurum.
Atq; ideo haud scire opus est, quibus abdita terris,
Et quibus è causis sunt, & quot forte metalla,
Qua varie primo fuerint distincta sub ortu.
Sed quis in arcanos terræ descendat hiatus?
Quisve referre pedem possit loca terra remensus,
Veridicove queat fari quæ viderit ore?
Vos Musę, quas nosse decens & dicere par est
Omnia, vos diuæ nulli memorata priorum
Dicite, sic vobis ipse aurea vasa sacerdos
Prima feram, æternum sic aurea carmina durent.
Lynceus, vt fama est, visu prælatus acuto
Omnibus, è summo Siculi qui culmine montis
Pœnorum in portus oculo contendere posset,
Et numerare etiam versanteis littore puppes.
Hic simul oppositas moles, simul edita saxa,
Inserta montes acie penetrabat ad imos,
Altaq; secretæ spectabat viscera terræ;
Aera per purum veluti, vitreasve per vndas,
Aut liquida quondam crystallo missa videmus
Spectra, quibus rerum nobis respondet imago.
O quoties patrij residens sub rupe Pachyni,
Trinacriamq; omnem supra speculatur & infra,
Æthnei causas ignis motusq; videbat.
Qui simul ac tanta vi se procul omnia sensit
Cernere, non vltra cunctandi certus, & alte
Prouidus, externas animum conuertit ad oras.
Ergo ratem certa plenus spe magna videndi
Conscendit, pelagiq; Deos in vota salutat.
Sicanio verum portu vix soluerat, ecce
Cum fera tempestas cæliq; marisq; legentem
Grajorum ob portus, Epyri vertit ad vrbes.
Hanc Arethusa illi Nymphas hortata marinas
Immisit, Nymphisq; etiam adnitentibus ipsis,
Et totum ex imo passim miscentibus ęquor.
Namq; illas metus in thalamis ne forte videri
Æquoreis possent, inuaserat æquus, & omnis
Tunc chorus obscura septum caligine cælum
Texerat, ac noctem nautis obduxerat atram.
Hinc ille aerei properans it proxima Pindi

Culmina ſpectatum, nec longum tempus, & omnis
Interius Rhodopes, Hemi, Tomariq; cauernas
Fontibus irrigui centum procul inde videbat,
Oraque cernebat terræ penetralia centum.
Quin Pindo exoriens aderat Achelous ab ipſis
Sedibus ante oculos, & ab imo viſcere Lynceo,
Altera qui longo retinet taurina receſſu
Cornua, ſeque alte exporgens immenſa per antra
Occulit Herculeæ metuentem verbera clauæ.
Ille etiam lento præcelſa Ceraunia paſſu
Circuit, & viſu ſimul interiora petiuit
Omnia, mox Graię varijs in montibus oræ
Conſedit, penitusq; cauis rimatus inhæſit
Obtutu ſpecubus, mirandaq; plurima primus
Vidit, & hęc eadem nobis memoranda reliquit:
Quę dum alijs ad nos olim delata viciſſim
Prodimus, ante omnes hæc intro prorſus ab illis
Spęctari cupimus, quibus alto in pectore Pallas
Inſidet, atque illic ſcitu pulcherrima verſat.
Principio locus & ſedes decreta metallis
Gignendis, terræ eſt imum atq; immobile viſcus
Marmoreæ in morem pateræ ſub montibus altis
Exciſum: velutiq; cauo ſub fornice clauſum,
Quo Solis radij penetrant, crebrique feruntur
Syderei innumeris etiam fulgoribus ignes,
Collectumq; coquunt humorem, ac jugibus inde
Saxa per & rimas loca cuncta vaporibus explent.
Aſt vbi continuum paſſus vapor ille calorem
Conſedit, nec jam ſecreta per antra volutus
Amplius, immenſos poſt tandem induruit annos
Hæret in expletis venis informe metallum.
Namq; liquor partes terræ diſperſus in omnes,
Et tenuis tenui mixtus, lentoque calore
Compoſitus, quondam fugiens & pinguis & vnctus
Exijt è vaſti fundo crateris ab imo,
Sulphura vbi argento feruent immiſta perenni,
Argento fluere inſigni, vitamque per æuum
Ducere, queis primis gignuntur multa duobus.
Hoc matris, patris illud enim vim continet, huius
Suſcipere, illius pars eſt præbere calorem.

Hinc fului species auri pulcerrima fulget:
Hinc nitet argenti candor, rubet ærea vena:
Ferrea nigrescit sub apertum; plumbea pallet;
Albicat at stanni facies imitata colorem
Argenti, pondusq; ferens, ni strideret, æquum.
Inprimis igitur cupidis mortalibus aurum
Quæritur ingentes inter variosq; labores,
Perq; laborantis manifesta pericula vitæ.
Namq; ferunt Indos, regio qua vergit in Arcton,
Tendere furatum cumulos, quos egerit auri
Formicarum ingens manus: at non segniter illas
Exire, & contra stare & fugientia passim
Vnguibus & rostris lacerare, & figere terga,
Aufugiat quamuis celeri gens illa camelo.
Nec minus aut scrobibus curæ, vastisq; ruinis
Hesperij impendunt, si quando è montibus aurum
Eruerint: neq; enim nunc quæ ramenta ferantur
Fulua Tago, expediam, sed quæ majoribus illi
Sustineant subjecta laboribus, atq; periclis
Innumeris, & quæ vincant opera ipsa gigantum,
Nam steriles magno primum conamine montes
Excindunt, penitusq; petunt, qua nulla dabatur
Semita, per cuneos accensis viscera lychnis.
Atq; intras nulla Phœbi sub luce cauernas
Noctes atq; dies penetrant, omniq; recessu
Explorant aditus, humerisq; excissa vicissim
Exportant, traduntq; alijs longo ordine primi
Per tenebras, donec lucem qui percipit vnus
Egerit extrema pondus ceruice receptum.
Ast illos prædura silex si forte moretur,
Qualis jam Pæno rupes sese obtulit hosti,
Dum ferus aerias in nos transcenderet alpes.
Hæc igni excoquitur tunc, & mollitur aceto:
Voluitur ac picea circum caligine fumus,
Et miseris latitans compresso spiritus ore
Obstruitur, vitamq; operæ sub fasce relinquunt:
Atq; ideo cedunt ingenti pondere ferri,
Et vacuos summæ reserant telluris hiatus,
Qua vapor inclusus cuneis exhalet apertis.
Nec mora, nec requies, quin multo fornice montem

Susti-

Sustineant totum, cum jam maiore peracta
Parte operis, cædunt extremæ fornicis arcus:
Et rimę signum præbent, quam peruigil vnus
Aerio montis residens in culmine sentit.
Hic ictu, aut clara reuocari voce repente
Cum famulis iubet artifices, ac deuolat ipse
Protinus, ingenti strepitu longoq; fragore
Mons cadit, humana nequeat qui mente referri
Conceptus, quantumq; obtusas occupet aures,
Aut incredibili quam compleat omnia flatu.
Illi naturæ gaudent spectare ruinam
Victores: neq; adhuc illinc educitur aurum,
Nec sciuere etiam tum, cum fodere, vel ante
Esse, sed vna illos ad tanta pericula duxit
Spes inuicta omneis per casus, perq; labores.
Sed quid in his tantum morer? aut quæ mira supersunt
Pretercam? nihilo cum sint his forte minora.
Est deinceps aliud fessis studiumq; labosq;:
Quo tantam expurgent immisso fonte ruinam?
Iamq; igitur summo præcelsi è vertice montis,
Qui reliquos longe superet, centesimus etsi
Separet hunc lapis, huc immissa canalibus ampla
Flumina deducunt tanto currentia tractu,
Desertas inter valles, perq; inuia saxa,
Rupibus excisis, trabibusq; inserta cauatis.
Ergo omnis vario concursu protinus vnda
In mare colligitur vastum, quo deinde recluso
Erumpit tanta vi torrens, omnia secum
Vt trahat, ac latum terræ prouoluat in æquor,
Excipitur tendens varijs hic deniq; fossis,
Quas illi passimq; cauant, sternuntq; gradatim.
Est Vlex, asperq; frutex, rorisq; marini
Persimilis, retinet crebris qui stirpibus aurum,
Propterea includunt tabulis latera omnia, & ipsis
Alte suspensis ita, per prærupta canali
In pelagus tendunt vda è tellure lacunæ:
Quod superest, ramis innectitur vlicis aurum,
Nec labor ille etiam tenuis, cum flumina tentant,
Et grauibus dites cribris agitantur harenæ,
Aut operosum æque quicquam quis proferat? vt cum

Effossis alte puteis quæcunq; latenti
Eruerint penitus fundo, tunduntq; lauantq;
Vruntq;, in tenuemq; molunt diducta farinam.
Hi quoq; iam fuerant Italis quandoq; labores
Flumina per, puteosve etiam, montisve ruinas,
Itala dum patuit priscis exercita tellus.
Cui postquam patria lege interdicta pepercit
Auri sacra fames: neq; enim exhaurire metalla
Italiæ, parca & prudens est passa vetustas.
Nec foret hac etiam regio fœcundior vlla,
Quæve magis flueret venis nunc iugiter auri,
Ipsa diu cum tot fuerit non hausta per annos,
Si non mortales inter discordia, si non
Mars eat hos inter vexans immania corda:
Sed contra ditare orbem si regibus vna
Cura sit, & populis ditato fungier orbe,
Pacis opus, qua cuncta vigent inuenta per artes
Ingenuis aptas animis quas inter haberi
Non imo dignata loco fortasse putanda est
Ipsa hæc, quæ grauidæ scrutatur viscera terræ,
Diues vbi pateat latebris auaritia cæcis.
Hac etenim reliquis preciosius arte metallum
Eruitur, meritoq; id cunctis nomine præstat.
Seu color inspicitur gratus, quo sydera fulgent,
Seu lentus facilisq; tenor, quo cedit in omnes
Partes, seu pondus rerum superabile nulli
Penditur, aut vni quoniam nil deperit auro
Igne, velut solum consumit nulla vetustas,
Ac neq; rubigo, aut ærugo conficit vlla,
Cuncta adeo firmis illic compagibus hærent,
Sulphur vbi ardoris posita pinguedine causam
Perdidit, & fluidi, quo non velut ante vaporet.
Ac longo interea decoctum tempore pura
Mundicie, & clara perfusum luce nitescit.
Atq; ita temperiem summam radicitus humor,
Et calor exequant illi, pariterq; colorem
Perspicuumq; ferunt. argento nec minus ipsi
Viuo etiam terræ partes miscentur in omneis,
Prorsus aquæ partes nullo discrimine iunctæ.
Hinc calor argenti, nec non & sulphuris vna

Perſpicua inter ſe denſet corpuſcula paruo
Multa loco, ſimul vndè color pondusq; reſultat,
Et longo conſtans illorum tempore nexus.
His è principijs poteris dignoſcere certo
Ordine, quo diſtent inter ſe queq; metalla.
Sulphura ſi fuerint lutulenta, argentaq; viua,
Principio, inficient pariter quodcunq; ſub ipſis
Gignetur, magis atq; magis quo non calor æquus
Concoquet, aut iuſto quo iam maiorve, minorve
Durarit perſtans multos coctura per annos.
Hinc variæ rerum formæ, quæ nomine quondam,
Quod ſint ſępe ſimul, Graio dixere metalla.
Singula ſeu propriam ſpeciem ſortita feruntur,
Et diuerſa alijs adeo diſtinctaq; perſtent,
Seu cunctis vnum natura ſemen inhæret,
Et genere hæc vno ſeſe ſpecieq; tuentur,
Nec diſtant alio, niſi quod felicius illud
Exijt, hoc miſere ſecum ſordentia traxit
Principia, atq; eadem conſtans non exuit vnquam,
Vtraq; cum menti ſedeat ſententia ſummis
Patronis, neq; adhuc litem diſſoluere iudex
Quiuerit incaſſum conatus, proxima veris
Intuitus neq; adhuc, tantum hic natura receſſit,
Abdidit & grauium ſeſe in penetralia rerum.
Hactenus obiectis tantæ rationibus arti
Reſponſum, læto nunc experientia vultu
Prodeat erroris expers, & neſcia falli.
Hanc quoq; ſeruitum perhibent veniſſe Promethei
Poſt famulas, quas ille polo deduxerat artes,
Atq; diu illum opera famulantis nauiter vſum:
Verum vbi conſenuit, tantum prudentibus illam
Ipſe viris fertur moriens liquiſſe volentem.
Hos itaq; hæc certo docuit faciliq; periclo
Nonnulla inter ſe immutari ex arte metalla:
Nec tantum hæc, verum fieri quandoq; per artem
Vere aurum, argentumve alijs exemptile rebus.
Eſt lapis effoſſus Syriæ pictoribus, auri
Pigmentum, vero quod & ipſi nomine dicunt,
Frangitur attritus ſpecularis more lapilli,
In ſumma oſtentans auri tellure colorem.

Hunc tu purgatum docte prius excoque multo
Igne, per anfractus longos, qui ducitur vsq;
Quo redeat flammis in se voluentibus idem.
Igne olim hoc Caij solertia principis aurum
Fecerat, Obrizon sapiens cui Græcia nomen
Præbuit è rerum inserta virtute receptum,
Seu multo quoniam purgatum redditur igni,
Seu nulla quoniam maculatum sorde renidet,
Nec pigmentum auri fuit amplius ipse, sed aurum,
Qui lapis antę auri tantum simulauerat aurum:
At ne forte nimis videamur prisca referre,
Carmine perpetuo nobis propiora canamus.
Increscunt hærentq; cadis simul vndiq; crustæ,
Alba quibus longo senuerunt tempore vina,
Has meus Euganeæ gentis Schola tum decus imo
Accipit crassas fundo, costisque vetusti
Vasis, & includit purgato fictilis ollę
In medio, atq; luto testam circumlinit omnem,
Obturatq; illi rimas, atq; obstruit ora,
Hanc deinde ardenti iubet in fornace diurno
Nocturnoq; calore coqui, qua vitrea feruet
Massa datura olim varias liquefacta figuras.
Verum vbi iam satis est ea visa caloribus vsta
Perpetuis, illam demit frangitq; repente,
Moris vt est, spectatq; simul num protinus albet,
Et teritur veteris iam fęx decocta Lyæi.
Interea, sed enim, cunctis mirabile visu
Scintillæ, conspersa polo velut aurea signa,
Innumeræ argenti miro in candore videntur.
Sed quid in alterius visis moror? inq; relatis,
Atq; aliena premens nunc per vestigia tendo?
Vidi ego qui tenues argenti rite tabellas
Spargeret & lateris contriti puluere, & vna
Huic virides æris squamas niueasq; perusti
Contundi micas salis iniungiq; iuberet,
Puluereosq; alijs grumos è rebus aceruans,
Quas vetat & ratio, nec non ars ipsa referri,
Hæc ne sordentis vulgi vilescat in vsus,
Illa vt non vlli quę sunt celanda reuelet.
Mox ita compositis angusta in pyxide lamnis

Sub-

Subijcere inclusas arcto sub fornice flammas,
Quales crediderim torrere ad tartara fontes,
Aut vbi sulphureis diros premit Aetna sub antris.
At postquam ardenti fuerant hæc cuncta camino
Tosta dies noctesq; nouem, tum demere massam
Feruentem, deq; ignis adhuc feruore rubentem
Abluere algentis roranti aspergine lymphę,
Quam simul in parteis lima diduxerat acri
Exiguas, phialę secreta in parte locabat
Artificis mire ingenium, nam desuper vndam
Fundebat, quæ mox argento excerneret aurum.
Tum viridem sensim in laticem liquere videri
Argenti vis illa prius compacta, sed imum
Vas auri seiuncta grauis ramenta petebant,
Tantus aquæ vigor est, tanta illo in puluere virtus.
Nec forte apparet alibi concordia rerum
Clarius, vt nectat quę vix iungenda videntur,
Si quis particulas commisti pulueris omnes
Computet, & varios illarum existimet vsus,
Quæ tamen hoc vnum concordi ex arte tulerunt.
Nec minus, vt rebus proprias discordia vires
Auferat, vt molli tenuari dura liquore
Viderit, atq; breuis consumi protinus horæ
Momento, & tenues effundi prorsus in vndas.
Lympharum vero species haud trahitur vna,
Namq; aliæ quęcunq; hominum tellure metallę
Erutaq; & durata manu si tangere crebris
Contingat guttis, eadem (mirabile visu)
Aut minuunt in frusta, aut in tenuem ocyus vndam
Dispergunt, liquidoq; docent assuescere fluctu.
Sed tamen vnum adeo vis hæc non inficit aurum,
Nam perstat simul incolume, & simul omnib. illinc
Sordibus ablutum confestim purius exit.
Est etiam Lymphæ illius, si credere dignum est,
Mira quidem, & nobis non immemoranda potestas,
Quæ quodcunq; semel purum & sine labe metallum
Contigit, argenti tremula sub imagine viui
Cogit in alterius speciem, formamq; resolui.
Quid quæ de veteri guttatim stillat Iacho?
Deinde fimo incoquitur putri, lentoq; calore,

Do-

Donec in ætherei ſplendoris verſa colorem
Accipit è ſummo cæleſtum corpore nomen,
Hac quoq; dura ferunt certo molleſcere ductu
Corpora, quæ Phœbi vel quæ dignata Dianæ
Nomine, mortales rebus præponere cunctis
Inſtituere, quibus precij menſura pateret.
Nec tamen, hæc quamuis ita ſint, immune putabis
Eſſe aurum, certo quin ex humore fatiſcat.
Acris aquæ hoc etiam diræ violentia rodit,
Et terit, & liquidas tenuatim vertit in vndas.
Verum hæc exiguam lucem tibi recta ſequenti
Prętulerint, veri qua cernere culmina poſſis,
Quo te diſcutiens tenebras induſtria ducit.
Sunt aliæ ex alijs quærendæ fontibus vndæ,
Iam quibus ex ſeſe, nulla vi, leniter aurum
Humeſcat, nullo alterius veniente liquoris
Auxilio, exterius propria ſoluatur in vnda.
Hoc agite, hinc vobis ſummam perquirite laudem
Diuini artifices, hæc namq; potentia cælo
Cæleſtis deſcendit aquæ, qua cuncta tuentur
Robore ſe proprio, nec non producere fœtus
Ipſa ſibi ſimiles, & in æuum extendere poſſunt
Progeniem, multos fragilem durare per annos.
Nonne vides quanto ſecum natura tenore
Conſonet? vtq; modum generandi comprobet vnum
Semper, & viuus vi nitens ſeminis, vni
Seruiat vna operi: quod & vnum nacta quieſcat?
Nec Bachi ſi tentet opus, Cerealia miſcet
Semina, nec Cereris, ſi frumentaria quęrat,
Pinguia Cecropię tractat plantaria diuæ.
Hordea cui cordi demum ſerit hordea: ne tu
Nunc aliunde pares auri primordia, in auro
Semina ſunt auri, quamuis abſtruſa recedant
Longius, & multo nobis quęrenda labore.
Nec maris immenſi reputes, aut nubis aquoſæ,
Vel liquidi fontis ſimilem: quam quærere lympham
Inſtituis, neq; enim, quod tu obſeruare memento,
Inficit illa, liquat aliquid cum ſpargitur, aut id
Humectat, proprius cui venerit, arida namq;
Pulueris hæc extra in ſpeciem ſe prodit, at imis

Vuida

Vuida contusi liquet in penetralibus auri.
His olim veteres intenti gnauiter vndis
In portum rexere ratem felicibus auris,
Ignarosq; viç medijs in fluctibus inter
Obstanteis scopulos frustra liquere natanteis,
Hinc multa expertum, nec non & multa docentem
Insula diuino Balearis munere misit
Alma virum, cuius miro velamine tectus
Ipse liquor, quo cuncta madent, iam credere multos
Impulit, vt Bacchi candens & limpidus humor
Principia ablueret secretę protinus artis.
At non ille quidem sentit, quæ dicere prima
Est facie visus, neq; tunc stillantia vina
Miscebat, cum iam præstanti lentus in vrbe
Insubrum ternos residens feliciter annos
Fecit inexhaustum pondus prędiuitis auri.
Ac socijs, quos ipse sibi coniunxerat, æquus
Diuisit tenuem diuini pulueris offam:
Cuius in immensum quota pars traduceret aurum
Iampridem quæcunq; forent infecta metalla.
Hinc quoq; cultus Arabs vitreo de fonte liquorem
Desertas inter valles, præruptaq; putum
Saxa super ducit, nemorumq; occultat in vmbra
Altorum, densis passim quæ vepribus horrent,
Ast alias tamen hic venas ostentat aperte,
Vber vbi emanat semper nec inutilis humor,
Et te dum varijs immensa per auia rebus
Detinet intentum felices præterit vndas,
Quas manibus quondam puris haurire solebat
Ipse, nec admiscens aliud, longumq; diuq;
Compositas parua leuiter fornace coquebat,
Vnde opera arcanæ naturæ occulta reclusit
Sæpius, & grates dijs immortalibus egit.
Sic alij, quos experiendo maxima rerum
Visere iam decuit summo quæsita labore,
Augustum per iter recto de tramite nunquam,
Qua prius ingressi declinauere, nec ante
Desinere optarunt, licuit quam tangere lætis
Tandem exoptatum longo post tempore finem.
Hoc opus, hanc primum tantam mortalib. artem

Inter-

Interpres rerum ostendit sanctissimus Hermes,
Nec latuit tanto duxit quos munere dignos,
Edoctos, sed iam docuit, penitusq; remotos,
Rebus ab his, tanquam non dignos, terruit omnis
Ne peterent, quæ non vnquam contingere possent,
Iamq; probos tandem accedens, vt quærere vellent
Quæ sciret, veroq; ipsus deprenderat vsu,
Admonuit paucis contentum pergere doctum
Artificem, tanquam naturæ rite sequentem
Certa solo pressis stabili vestigia signis.
Quinetiam humano docuit de corpore pelli
Ac omnes valida morbos faciliq; medela,
Seruarique diu nitido cum flore iuuentam,
Et senium placidos produci grande per annos,
Nec sanctam violare fidem, nec fallere quenquam
Ille potens sacri patitur medicaminis vsus:
Hoc sed qui poterit dijs aspirantibus vti,
Et præstare etiam quoties defecerit, ille
Plurima contemnens, & seruantissimus æqui
Hinc erit, & frugi, curasque eludet inanes,
Et dites supra gradiens, ditissimus omnis,
Pauperiem simulabit ouans, ac sæpe benignus
Proderit, & miseris latitans succurret egenis,
Innocuusq; alijs sibimet gaudebit adesse,
Et facilem ducet momenta per omnia vitam.

IOANNIS AVRELII AVGVR. Chrysopœiæ Liber II.

HActenus auriferam secretæ Palladis artem
Inuentam humana quondam virtute coegit
Credere nunc ratio, nunc experientia suasit.
Iamq; ea quid possit, quo prudens tendere pergat,
Hinc canere incipiam, dextro modo numine Phœbi
Difficiles adeo factu, dictuq; per artes
Ingrediar, verbis addens & rebus honorem.
Tuq; ades, ô cultum Musis & Apolline pectus
Ante alios olim cunctos diuine Poeta,

Quo

Quo duce secretum per iter procedere tantum
Ipse queam, vt propius Pimplei culmina cernens
Alta iugi, ne quo interea per deuia ducar.
Illuc namq; animus certa spe ductus anhelat,
Et fidit gradibus crescentis scandere famæ,
Nulla æui quam longa queat delere vetustas.
In primis niueo sparsus candore lapillus
Quæritur, aut longo contritus tempore puluis
E niueo in liquidum versus candore ruborem,
Illius infecto tenuis pars mista metallo
Inserit argenti subito, mirabile, pondus,
Et speciem, vel si argento fit proxima viuo?
Dedocet hoc fungi liquenti immobile vita.
At rubor ipso etiam puluis preciosior auro
Quodcunq; ex illis primum calefeceris igni,
Vertet in immensum pondus tibi protinus auri.
Atq; ideo artifici maius nihil esse putato,
Quam quibus è primis opus id componere possit
Noscere, quæue prius capiat circumq; laboret,
Mox vt naturæ se tum præbere ministrum
Sentiat, exemptum latebris cum nobile semen
Proferet in lucem solers, iterumq; tenebris
Reddet, & occulta seruatum pyxide claudet.
Cumq; alimenta putri sensim dabit humida massæ,
Agricola vt quandam telluri semine iacto
Spargit rore leui tantum sitientia culta.
Nec minus interea tepidum cum suggeret ignem,
Et genitalem intus vim vi subeunte fouebit:
Vt calor internus solet exteriore iuuari,
Ac stomacho prætenta manus præstare vigorem
Vt valet, vtq; ægri vires releuare caducas
Apposita exterius possunt fomenta medentum,
Nec varias specie res admisceoit, & vni
Quodcunq; obstiterit iunctum, procul inde mouebit.
O tardas adeo mentes, assuetaq; falli
Artificum vario rerum per inania ductu
Pectora, cum duris quid mollia vina metallis?
Apta epulis, atq; apta bibi suauissima vina.
Quid leuis humano missus de corpore sanguis?
Quid lapsi è rosea flaui ceruice capilli?

Oua quid? & lectæ summis in montibus herbæ
Conueniunt imis fosso sub montibus auro?
Hic tamen expressam prælis torquentibus vuam
Accipit, & phialæ postrema in parte reponit:
Cuius in extremo rostrum connectitur ore,
Hanc super ignitos cineres candente camino:
Aut super vndosum laticem feruentis aeni
Collocat, at tenuis fertur vapor intus, & hærens
Alta petit, leuiusque liquens it fusus in vndas:
Ardentemq; vocant Lympham vitæque liquorem:
Vitrea quem raris effundit fistula guttis.
Hic ergo vt multis vicibus stillauerit, vna
Collectus varios tandem seruatur in vsus,
Præcipue vero, modico lentescat vt igne,
Siue fimo incoctus nulla non arte tepenti.
Fingitur oblongo vitreum vas ductile collo:
Bina vnde, exiles velut ansæ, brachia pendent
Concaua, quæ ventrem vasis flectuntur ad imum;
Hic igitur liquor inclusus cum summa per ora
Fertur, continuo binas inclinat in aures,
Ingreditur, repetitq; iterum, quas liquerat imo
Fundo ferventeis lymphas, iterumque refertur
Ad supera, atq; leuis nusquam ve quietus eandem
Itque reditque viam toties, & mobilis idem
Ipse in se sua per vestigia confluit humor,
Donec paulatim niueam densetur in offam.
Tenuibus hæc tandem lamnis componitur auri.
Et coquitur lento forsan longoque calore.
Verum hocne an ne alio quouis ea denique pacto
Commiscent (namq; hoc haud est exquirere nostrum)
Incassum cuncta exercent, frustraq; laborant.
Nam specie diuersa simul dum iungere curant,
Altera vt impediant primo mox altera motu,
Efficiunt, vllo ne possint tempore quicquam
Edere, quod per se natura constet & vnum.
Namq; ita principio statuas cuncta esse sub vna
Re, quibus hic opus est, nihil vt quæsiueris extra,
Præcipue humorem, qui se se iugis abunde
Sufficit, atque intus seruat, dum prodeat illud,
Quod cupis, & gigni tanto conamine certas.

Quinetiam duplicem ſcito vim intrinſecus eſſe,
Et quæ ſemper agat,& quæ patiatur,vt vna
Femina,masque agitent,veluti cum pullus in ouo
Creſcit agente quidem hoc,atque hoc patiente viciſſim,
Exterius tantum miti atque fouente calore
Adiutus,neque tu quid conuenientius vllum
Exemplo hoc credas,neque quod,me iudice,ſemper
Acrius inſpectes,atque ad quod cuncta reducas.
Aſt alius puro varias de ſangine partes
Elicit,atque adeo ductas elementa vocare
Inſtituit,tanquam poſſint ea forte videri
Simplicia,aut tangi manibus,ſecreta vel vſquam
Eſſe vel includi quoquam,quin protinus omne
Has penetrent,duro quamvis adamante peractum
Id fuerit,ſimplex neque enim conſiſtere corpus
Parte poteſt orbis vaſti violenter in vlla,
Sed propria tantum gaudens in ſede quieſcit.
Sic ſæpe ex alij rebus,ſic ſæpe ſeorſum
Quatuor è tonſis ponunt elementa capillis.
At non ſic natura potens hæc ſegregat vnquam,
Sed miſcet potius ſimul,& confundit eodem
Frigida commutans calidis,humentia ſiccis,
Atque ita corrumpit ſolidum,neque diuidit vllas
In parteis,ſeruans genitalem ſeminis illi
Vim,qua corrupto corpus de corpore gignat:
Namque ex quo quicquam genitum eſt,id putruit ante.
Quid qui conatur quæſitæ longius herbæ
Inualido aufugiens argentum ſiſtere ſucco?
Idque gelat,duratque ſimul,ſed figere nulla
Arte poteſt,ictu quo molli ducere poſſit.
At non quod ſolidum faciat,vel ductile,tantum
Quærendum eſt;ſed quod videatur poſſe priorem
Auferre,atque illi defecto inducere formam
Mox aliam,& puri ſpeciem donare metalli.
Sulphura quid memorem longo deterſa labore?
Nitraque,purgatosque ſales,toſtasque Lyæi
Longæui fęces,vel quæ atramenta calenti
Accenſa effundunt guttas è vaſe rubenteis?
Hinc ſoluunt,iterantque vices,ac ſæpe reſoluunt:
Deinde lauant,iterumque terunt,mox figere tentant:

In calcem vertunt etiam, missoque vapore
In sublime ferunt tenuati corporis auram.
Compositos varia videas hinc lege caminos
Innumeros, totidemque luto lita vitrea vasa.
Quæque sibi vertit faber argentarius vsu,
Sordidiusque aliæ quicquid fabrilibus artes
Exercent curis, nostri arripuere, suisque
Insani asciuere laboribus: atque ita semper
Sulphur olent, semper faciem fuligine tincti
Horrendas atra simulant ab imagine laruas.
Nec miseram magis affirmes veraciter vllam
Artem aliam, quam quæ externis Alchemia verbis
Dicitur, obscurisque regens ambagibus errat
Auia per, miserosque trahit per iniqua sequentes,
Ac tandem eiectos in cæca Barathra relinquit.
Vt videas quandoque bonum sua prædia ciuem
Vendentem, patriasque domos, mercesque repostas,
Fornaces inter versari, ac follibus auram
Captare in tenuemque (nefas) conuertere fumum
Rem, dubias dum quærit opes insanus, auitam,
Difficilem interea coniunx mœstissima vitam
Protrahit, illacrymant nati, fit sordidus ipse
E lauto ludusque patens & fabula vulgi.
Quare agite exemptam tenebris hanc cernite lucem
Mortales, cæcisque vijs auertite gressum,
Ac prohibete nefas tantum, & depellite virus,
Infectum quo vulgus iners se posse per artem
Diuinam miscere manus putat, abdita rerum
Quæ valet & causas adeo spectare latenteis.
Hanc non impuris manibus fraudator auarus
Attingat, decoctor item, quisquisve fabrili
Arte valet, mollisve etiam, cui perdita cordi
Ocia, Mercatorve vagus, vel deditus vrbi
Ciuis, & incumbens telluri aruisque colendis:
Et qui multa animo præsertim & magna minetur,
Vel si qui similes hæc vulgo quærere sueti
Fraude mala tantum, vel habendi prorsus amore.
At sapiens, superos in primis qui colat, & qui
Noscendis penitus causis modo gaudeat, huc se
Conferat, hanc totis sectetur viribus artem.

Huic

Huic comes hærebit grauis exploratio rerum
Intima naturæ passim vestigia seruans,
Tum mora sollicitos cursus remorata sequetur:
Et visura olim stabilis patientia finem,
Mox labor, ingenuosque mouens industria gressus
Haud aberit, vitreumque feret vas scilicet vnum,
Vnum opus, atque vnam secum rem denique ducet.
Ille igitur tanto comitatu septus inibit
Longum iter, & lento peruadens omnia passu
Continue miris oculos mentemque repertis
Pascet, & assiduum fallent spectata laborem:
Donec in arcana tectos tellure recludet
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.
Eloquar? an vulgo prorsus non credita versu
Expediam primus? nec erat cum talia cœpi
Iam fari, mens ista mihi, sed compulit ordo
Integer, vt dictis etiam maiora reuelem.
Ille ergo vlterius procedens, vltima rerum
Secreta inueniet, queis se natura peractis
Oblectat, gemmasque pari confinget ab arte.
Ac nisi dicendis superessent multa metallis,
Gemmarum forsan causas, sedesque referrem
Sepositas, quibus in specubus natura beatis
Ludit, & in nulla magis hac mirabilis vsquam
Parte valet summas variando promere vires.
Perspicuæ vt tellus lymphæ commista minutim
Pura ferat gemmas, vt cæli motus, & ardor,
Sydereusque situs certam præscripserit illis
Sedem gignendis canerem, nec gemmeus vnde
Irradiet fulgor, variet color vnde, tacerem.
Duricies etiam vnde illis inuicta, nec igni
Cedens, nec ferro, vnde nitens, distinctaque miris
Interdum maculis facies, iam qualis Achaten
Æacide ornarat Musis & Apolline felix.
Vos natura parens, nulla cui motus ab arte
Prouenit ô Diuæ parua concludere gemma
Sponte nouem voluit proprijs insignibus omnes
Ornatas, mediumque simul considere Phœbum
Deposito mitem cornu citharaque canentem:
His vt testatum signis mortalibus esset,

Quo numero, & quali semper præstatis honore.
Felicem tanto dignatum munere Pyrrhum,
Et fortunatos licuit quibus ista videre.
Indomiti hinc virtus Adamantis multa referri
Debuerat, solis vt quondam Regibus esset
Cognitus, vtque vno tantum quæsitus in auro,
Vtque actus ferro durisque incudibus ictum
Respuat, atque etiam ferrum dissultet vtrinque,
Dissiliantque ipsis incudes ictibus actæ.
Vt prædura adeo vis hæc corrupta recenti
Sanguine, calfactoque hirci rumpatur & ictu
Crebro librantis grauiter per inania ferri.
Vt lapis accessu Magnes Adamantis oberrans
Ferrum declinet, vel inhærens abdicet idem,
Irritaque vt tandem faciat concepta venena,
Et pellat de mente metus Adamantina virtus,
Omnia quæ quondam fassa est vidisse vetustas
Credula, namque horum forte experientia priscis
Certior arrisit, quæ non ostendere sese
Quiuit adhuc nobis, seu non genus illud in auro
Congenitum pateat, seu sic, vt pleraque falso
Nunc alia, hoc etiam non vero nomine dicant
Artifices, ideoque ipsa re prorsus aberrent,
Quo neque quæ veteres super his scripsere fatentur
Esse, sed in dubium reuocari tradita posse
Ipsa hæc contendunt manifestis omnia signis.
Nec virides etiam fas hic transire Smaragdos
Indictos, neque enim color est iucundior vllus,
Quam quo se tellus horis genitalibus anni
Vestit, & ostentat vultu meliore virentem.
At mage nil viret his, nihil est quod compleat æque
Contuitu his oculos, satiet minus, ipsaque multo
Obscurata acies intentu protinus ipso
Aspectu viridis claret recreata Smaragdi.
Fulgurat vt picto viola Carbunculus igne
Mox etiam canerem, variusque vt fulget Iaspis.
Concolor & fuluo radiat Topatius auro.
Innumerasque alias specie, vel nomine tantum
Diuersas cœpto memorarem carmine gemmas.
Verum hæc iam satis est leuiter tetigisse vagantem,

Atque alijs monstrasse viam, qua tendere pergant,
Si quos fortè iuuat naturæ occulta subisse,
Hæc eademque palam dulci fecisse Camœna.
Nunc age materiam, tantæ quam præstitit arti
Natura, expediam, ne quis perferre labores
Incassum studeat tantos, sed grandia vitet
Detrimenta, quibus væsani sæpe tenentur
Artifices, longe primis dum rebus aberrant,
Quas capere, ac solas illos seruare decebat.
Est lucus summo secreti in vertice montis,
Fons vbi decurrit nitidis argenteus vndis
Et specus excisum tendens aperitur in antrum.
Intus habet præstans diuino numine Virgo,
Ruricolæ Glauram prisco quam nomine dicunt.
Huc densos inter vepres angustus & asper
Accliuisque ægre perducit callis euntem.
Vestibulum ante ipsum speluncæ leuis & æqua
Planicies, non ampla tamen, horrentibus vmbris
Cingitur, ac fluuij ripis & margine Tophi,
Obducta viridi musco, spissisque Corymbis,
Ingreditur vero si quis feliciter, omnem
Continuo labem humanam, mirabile dictu,
Exuit, ac pondus subito mortale relinquit,
Et purus penitusque leuis fit spiritus illi,
Quique aditus lustret cunctos, agilisque feratur
Per cuneos, quibus in medijs sedet aurea Nympha,
Aureus & circum thalamus, supraque renidet:
Quin auri tabulæ pedibus calcantur euntum,
Atque ipsa ex auro splendet conflata supellex.
Taruisiis: ne qua titubes in montibus antrum
Hoc pete, qui rebus tantis primordia quæris,
Quodque illic visum fuerit preciosius, inde
Erue, nec sumptu nimio, nec parce labori.
Non tamen aut viuum sulphur, tremulumve repones
Argentum, vel quæ vndanti delata vapore
Exit ab his primum putrisque infectaque vena.
Sed purum atque omni purgatum sorde metallum
Accipies, cuius secreta in parte recessit
Spiritus, & crassa pressus sub mole latenter
Victitat, ac solui vinclis, & carcere cæco

Emitti expectat tenues effusus in auras.
Quæque erat innato subsidens pondere moles,
Iam leuis ascensu superas contendat in oras,
Duraque mollescat, naturam imitata per artem
Eximiam, retro quæ per consueta reuerti
Imperat, vt longo sese torpore recludat
Inclusum semen vegetantis more, nec intus
Ardua constantis metuat iam vincula massæ.
Quod tibi ne mirum valeat quandoque videri,
Pullulat interdum proprij virtute vigoris
Auri perpetuum germen, ferturque sub auras,
Non secus ac summa fruticis tellure cacumen
Exit, & inde sua vi sese extollit, vt Istri
Accola felicis sæpe illud stirpibu, hęrens
Capreoli in morem nati circumdare truncos,
Implicitumque etiam saxis inuenit obesis.
Vtque agiles serpunt hederæ, lateque pererrant
Amplexæ lateres circum, pariesque fatiscit
Dirutus, ingressis rimas radicibus, atque
Frondibus, ac prætergressis latera obuia ramis:
Sic topho inseritur crescentis viuidus auri
Surculus, atque intus parteis explorat inanes,
Egrediturque illinc, & se diffundit in auras,
Aut varie illius summas complectitur oras,
Quasque tenet solide conspersas purus inaurat.
Hinc duo præcipue, quæ verset cura probati
Artificis, statuo. quid primum seligat, & quo
Selectum pacto moderetur, & aptius edat,
Quo possit modico solui lentoque calore.
Vtrumque innumeris prisci inuoluere tenebris,
Barbaraque occultis rebus coniungere verba
Haud dubij, centum statuerunt nomina, quorum
Quodcuuque incertam signaret remque modumque,
Multaque quæ lepidi quondam finxere Poetæ,
Quæque sacrorum olim veri vox nuncia Vatum
Protulit, his etiam vice sunt interpretis vsi,
Singulaque exposuere, atque insetuere libellis
Ipsa suis patefacta, velut cælantia pridem
Artis opus tantæ, cum porro vana Poetæ
Figmenta illecebris vacuas captantia mentes

Commen-

Commenti, multo fuerint diuersa loquuti.
Qui vero incomprehensum & inenarrabile munus
Diuinæ humanas aduentu prolis ad oras
Præfati, haudquaquam parua hæc sensere sub ingens
Os illud tam magna sonans mysteria Vates.
Hæc tamen, haud nullis nostri suadentibus ausi,
Vel quod eos ea vana fides tenuisse putandum est,
Vel sua quod varijs iuuit cælasse figuris.
Quin etiam huic vni, quo se mollire metalla
Inuenere modo, cunctarum nomina rerum
Imposuere, quod hæc cunctis vis insita rebus
Hæreat, incipiatq; omnes, & compleat vna.
Cuncta adeo cunctis occultauere, neq; illi
Nequicquam interdum seriem abrupere loquendo
Perpetem, & excursus interposuere vacanteis.
Ergo alte vestiga animis, & rite repertam
Materiam rebus tantis per deuia sume.
Nam non vna tibi regio dabit, aut locus vnus,
Montibus at multæ spaciantur Oreades altis,
Antra quibus cura est seruare, ingentiaque intus
Munera, nam quorum venientes sæpe remittunt
Participes, manibus puris & pectore si qui
Accessere illuc, dites vbi pectine eburno
Aurea perpetuo depectunt vellera Nymphæ,
Quæ prima heroum pubes rate sancta petiuit,
Nec timuit tantos per fluctus quærere summis
Tum ducibus ditem sub Iasone & Hercule Colchon,
Alter inauratam noto de verrice pellem,
Principium velut ostendit, quod sumere possis,
Alter, onus quantum subeas, quantumq; laborem
Impendas crassam circa molem, & rude pondus,
Edocuit: neq; enim quam debes sumere, magnum
Inuenisse adeo est, habilem sed reddere massam.
Hoc opus, hic labor est, hic exercentur inanes
Artificum curæ, varijs hic deniq; nugis
Sese ipsos, aliosq; simul frustrantur inertes.
Et nunc vrentes latices, Bacchiue liquorem,
Nunc olidas miscent lymphas, quæ menstrua & ipsi
Appellant, veluti sint, vt quæ dulcia complent
Pignora perfectis materna mensibus aluo.

Deinde coquunt lento ſpatioſi temporis igne
Aſſidue inſtantes fruſtra, longique laboris
Præmia decepti tarde ventura morantur,
Nam varias rebus formas adhibere ſerendis.
Non puduit, quæ ſic naturæ monſtra repugnant,
Hoc opere in toto præſertim, quod nihil æque
Poſtulat, ac quod ſit ſimplex, farragine nulla
Rerum alia expletum, quam quæ tellure ſub altæ
Continuo puri ſuffitu ſulphuris, atque
Comparis attactu viui conflantur in aurum.
Præparat aſt aliter alius, fortaſſe nec vnus
Eſt modus, vna modo res ipſa & pura reduci
Iam liquido videatur, & in ſe ſola relinqui.
Ars hic, ſed propius Naturam imitata, laboret,
Illic ipſa ſuum conſtans Natura tenorem,
Artificis ſed mota manu directaque ſeruet.
Namq; vbi compactum valida ſoluetur ab arte,
Expoſitumque extra venienti vi dabit vltro
Seſe opus, & certa fœcundm prole patebit:
Quod ſupereſt, ipſum ſecreta in ſede locabis,
Perpetuoq; calore, & longo tempore fotum
Exercebis, & huic ſenſim ſua pabula reddes.
Nec graue decreti ſpatium tibi temporis eſto,
Quicquid id eſt, certo nam prodit tempore quicquid
Exoritur, donec perfectum circuat orbem,
Quo ſe vitalis profert in luminis auras,
Ac veluti informis paulatim matris in aluo
Fœtus inaugeſcit, paruus dum fingitur infans,
Sic locus exceptus dextre, cui ſemina mandes
Aurea, continue producens illa fouebit,
Donec inoptatos adoleſcent edita fructus.
Tumque miniſtrabis paruum creſcentibus ignem
Principio, humentemque & corrumpentibus aptum,
Temperiemq; illis, Mariæ quæ balnea dictant,
Inter & humorem ſtatues interque calorem.
Quodque fimum falſo appellant, & balnea, tantum
Tu mitem ac proprium gignendis vſque teporem
Sufficies æquus, neque enim qui deficit, aut qui
Excedit calor, & medium ſeruare nequit: Sed
Alternat variatque vices, hic profuit vnquam

Natis,

Natis, aut certo naſcendis tempore rebus.
Materiam quoq; nec multam concludere parua
Pyxide curandum eſt: modico namq; ipſa calore
Haud poterit reſoluta ſuas expromere vires.
Id quoque non opus eſt: nam cum ſemel ipſe beati
Pulueris extiteris compos, non amplius optes.
Aut multum, aut ipſum rurſus componere, namq;
Augebis, quoties vlli tibi venerit vſu.
Illud nec parui facies, quod clara beatus
Signa dabit puluis tibi, cum manifeſtus haberi
Cœperit, & varios oſtendet rite colores.
Sed ruber in primis quamvis optabitur, album
Non tamen excipies, quin & magni quoq; pendas:
Atque atrum: namq; hic operis tibi monſtrat aperte
Principium magni, ſecretæq; hoſtia pandit
Prima viæ, ignarum fruſtra qua vulgus anhelat,
Et vaga multiuij callis diuertit in ora.
Ille iter inceptum quondam, propiusq; peractum
Iam medium, oſtendit, nec iam procul eſſe ruboris
Indicium, gaudet cum vis humana propinquum
Affore opus, quo non maius perfecerit vlla
Ars illis adiuta opibus, licet ipſa potenti
Nil non ingenio peragat, quæ ſydera cæli
Suſpicit, atq; obitus ſignorum inſpectat & ortus,
Conſcenditq; polum gradibus ſubnixa ſuperbis,
Ac maris & terræ tractus metitur, & ipſas
Innumeras prorſus numero comprendit arenas.
Cæleſtis etiam concentus voce referri
Edocet humana, fidibusq; imitata canoris
Ætherei ſeptem tentat diſcrimina cantus.
Arte etiam inuentæ Leges & ciuica iura,
Arte vrbes conſtant claræ, ſanctique ſenatus,
Arte regunt reges populos, exercitus arte
Ducitur, atq; etiam præſtans Dux imperat arte.
Ars & corporibus feſſis diuina miniſtrat
Adiumenta, quibus reparant languentia vires.
Fertilis & terræ cultus non abnuit artem,
Cum dura ac ſterilis tellus manſueſcit arando,
Et ſecreta prius creſcunt vineta ſub vlmis.
Hæc igitur, quæ nos inter verſantur vbique

Tractat, & illa etiam contemplans audet adire,
Quæ procul à nobis tanto sunt edita tractu.
Quin bene si repures, arti pene omnia certæ
Attribuit genus humanum, nec dicere quicquam,
Aut facere illius recta sine lege requirit.
Salue hominum præsens simul & gratissima cura
Ars grauium, seu te sancta de Pallade natam,
Seu famulam potius dicam sub Pallade primam,
Namq; ferunt illam proprium seruasse pudorem
Semper, eam quamvis adamarit Lemnius heros,
Ex quo disiecit patris caput ipse securi,
Prodijt vnde ferox patrio dea prædita sensu.
Salue magna parens iterum, fœcunda virorum
Atq; operum, tibi tot sacris è vatibus vnus,
Quos æquo ad tantos gressu procedere riuos
Par erat, Aonijs ausim conspergere lymphis
Tantarum causas rerum caligine tetra
Obductas, atrasq; illis detergere sordes,
Et liquida ablutas aspergine ferre nitentes
Ante oculos, ergo cum tu deprenderis arte
Eximia seriem tantam, & manifesta colorum
Signa, procul longi speres promissa laboris
Præmia, namque tibi diuino munere puluis
Præsto erit auripotens, parua qui quodq; metallum
Parte sui purum subito conuertet in aurum.
Ac veluti modicus, si forte coagula desint,
Caseus extemplo lympha resolutus & igni
Astringit plena liquidi mulctraria lactis:
Cogit & alterius lac in se vertere formam.
Sic argenta sacer puluis liquentia sistet,
Sydereaque auri specie donabit, vt omni
Præstent, & nullo prorsus superentur ab auro.
Ipse etiam augetur puluis, ne forte labores,
Neue iteres opus expletum semel, addere summam
Vim licet, vt minimus tum puluis denique viui
Immensam argenti valeat conuertere molem,
Seu leuis & nulla demum non parte solutus
Spiritus ingreditur longa in penetralia densi
Corporis & toto penitus se viscere miscet.
Seu potius longo concoctus tempore puluis,

Com-

Compressusq; diu multumq; & sæpe reductus
In sese, proprium cogat denset que vigorem.
Vtque Croci exiguus pura flos sparsus in vnda
Immodicum grato diffundit odore colorem,
Plurima sic agitans contracto in puluere virtus
Obuia percurrit liquidi loca cuncta metalli.
Seu nulla hic ratio est hominum deprehensa sagaci
Ingenio, quare vis paruo in semine tanta est.
Herculei neque enim lapidis si forte requiras,
Inuenies causam, qua ferrea vincula nectat,
Et trahat abiuncti pondus per inauia ferri.
Nec minus vnde regat nautas, & vergat ad Arcton
Spectantes parua clausum sub pyxide sydus.
Multa tegit sacro inuolucro Natura, neque vllis
Fas est scire quidem mortalibus omnia, multa
Admirare modo, nec non venerare, neque illa
Inquires, quæ sunt arcanis proxima, namque
In manibus quæ sunt hæc nos vix scire putandum,
Est procul à nobis adeo præsentia veri.
Ne tamen haud speres artem perdiscere posse
Difficilem, atque alijs grauiorem, percipe iam nunc
Quæ dicam, & post hac alta tibi mente reserua.
Quæ sciri poterunt, ea primum sola putabis
Cognoscenda tibi dehinc ordine cætera disces.
In primis etenim rerum cognoscere causas
Ne dubita: nam sæpe ferunt quærentibus illæ
Sese vltro faciles, si quem via recta reducat
Continuis ad se gradibus nec sistere detur
Ante illi quam se thalamo concludere possit,
Quo se maiestas veri veneranda receptat.
Illic quæ fuerint figendis prima metallis
Semina visuntur, quæue his coctura serendis
Diuersas adeo coniunxerit vltima formas.
Nec minus apparet ratio, qua posse metalla
Ipsa vices præbere suas, alienaque ferre
Imperia, aspicitur, nec non & gignere si qua
Ars iuuet, atque manum Naturæ porrigat almæ.
Quin etiam vt sensim madeant, & mollia perstent,
Magnum opus, & quo non credas operosius vllum
Esse aliud, nec quo magis ars se maxima iactet.

Præ-

Præterea haud aberit longe, quin cætera de te
Percipias ipso: nam vinclo iuncta tenentur
Cuncta vno, hincq; modus lenti dependitur ignis,
Et locus, atque decens lapidis mensura futuri,
Et calor optato varie sub puluere fusus,
Quoq; modo augendus, decrit si forsitan ante
Conditus, & multo durarit tempore puluis.
Omnia quæ læto passim tibi certa patebunt,
Si rerum seriem longo seruaueris vsu,
Et quandoq; probus non dedignabere forsan
His equidem dignas meritis persoluere grates,
Qui procul ignari linquens ludibria vulgi,
Nunc iter ingrederis nobis ducentibus arctum
Vsq; adeo, vt paucos capiat, paucosq; remittat
Incolumes, crebris laceros quin vepribus omnes
Id referat, nisi quos alta sub rupe relinquit
Errantes cæcis in flexibus, vnde nec ipsi
Se vnquam, mortalisve manus miserata referret,
Sed tu ne dubites, sinuosa errare per antra,
Cæca reges filo vestigia, quod tibi nuper
Ostendi, vt tutus ferres tutusque referres
Ipse pedem, quod si finem assequerere beatus
Optatum, Diuis ageretur gratia primum,
Deinde mihi merito: tibi qui præsentibus illis
Consului, verum si non contingere metam
Forte darent superi, cœptum sed sistere cursum
Esset opus, casu quo sæpe humana laborat
Conditio, at salem falsi mendacia vulgi
Exagitans, alios errantes cernere possis.
Illud sæpe etiam in primis iterumque monebo,
Ne, si rara tibi contingat gratia cælo:
(Namque aliunde sibi nemo sperauerit) vlli
Hanc vix insinues caro fidove sodali.
Ne dum alijs referes, ea ne te noscere iactes,
Quæ scieris, verum secreto in pectore seruans
Tecum habita, & tecum tantum ipsa arcana reuolue:
Nam suspecta probis ars ipsa inuisaq; multis
Inuisos etiam cultores efficit artis,
Mendaces adeo multi quacunq; vagantur,
Multaq; polliciti vane, quæ multa nec ipsi

e sci-

Resciuete, neq; est illis ea noscere promtum,
Qui recta, quæ nos ducit via, prorsus aberrant.
Multos quin etiam insignes, & cætera doctos
Vidi cuncta equidem tractare & pendere magni,
Quæcunque ignarum probat ac ignobile vulgus.
Quid? qui derident omnes, quæ maxima turba est,
Artifices, tanquam nihil hos intersit & illos,
Atque vno pariter pendunt examine cunctos.
Sunt qui sæpe petant, quænam sit causa quod vsquam
Aut vnquam tantos inter qui talia curant,
Apparet nemo, qui re miracula tanta
Comprobet; idcircò nullam, quam dicimus, artem
Esse, sed ingenteis nugas, & inania mentis
Insanæ commenta sibi manifesta videri.
Sed quis tam fragili munitus robore pectus
Non queat hæc vlli nunquam referanda tacere?
Nam quem non prohibet rerum prudentia fari,
Quæ sibi continuo, fuerint cum dicta, nocebunt?
Tutus ab insidijs qua se virtute tueri
Posset, qui præ se ferret, se condere paruo
Diuitias loculo ingentes, quibus vndiq; regum
Et regna assurgunt, & opes, opulentaque cedunt
Omnia, tanquam illis sint vnis quæq; minora.
Thesauros igitur tantos componere si quis
Iam potuit, mire sub amica silentia seruat,
Quod quoq; tu facies, neq; te desistere cœptis
Id moueat, nullos opibus quod talibus auctos
Videris, aut vulgo sese ostentare beatos.
Nec quoq; te grauia hæc aut importuna retardent
Tempora, quæ nunquam miseri sperauimus ante,
Hostis vt heu mites inuaderet has quoq; terras
Barbarus & longo seruatam tempore pacem
Perderet vsq; adeo, ne dum turbaret iniquus.
Nunc licet inuasas vrbes, direptaq; passim
Oppida, nunc turpes prædas raptusq; nefandos
Audire, & miseris iniecta incendia villis.
Naruisiam vnde suam tristis flet Musa Bononi.
Turpatos etiam cultus, violataq; fœdo
Milite templa Deum, sceleratec, insuper vsta,
Et confusa simul diuina humanaq; tantum

Bella nefas scelerumque parens discordia nectit.
Pectora quinetiam diro commota pauore,
Et concussa hominum paucis sic ante diebus
Cernere erat, veluti dirarum agitata flagellis,
Vt sibi quisq; nouas trepidaret quærere sedes,
Collectisque opibus proprijs oneratus abiret,
Atque solum linquens patrium se ferret ad vrbem
Reginam, magna quæ cingitur amphitrite,
Tanquam illo sub tuta forent tunc omnia cælo,
Quo sese quondam fugiens electa recepit
Gens Italum, vt paruis scopulis seruaret & vnda
Se modica, immensus totam cum exureret ignis
Italiam, accensus sæua pene vndique ab omni
Barbarie, & multos duraret fotus in aunos.
Quare age, quo magis hæc fortunæ subdita cernis,
Quæ bona mendaci mortales nomine iactant,
Illius aduersum violentos fulminis ictus
Præsidio hoc stabili temet munire labora:
Vt si forte metus pauidos inuaderet vnquam
Nos iterum horrendus, quem Rex hominumque deumq;
Iniustos potius conuertat iustus in hostes,
Ipse tibi atque tuis & amicis commodus adsis.
Namque vbi diuinum secrete munus habebis,
Diuitibus cunctis opulentior ipse sub ala,
Aptius, aut loculo quovis, nulloque labote
Quo te cunque pedes, quocunq; in tempore tecum
Omnia securæ gestabis commoda vitæ.
At si pax iterum nos exoptata reuiset,
Quam prope iam, si quid veri mens augurat, esse
Credimus, & nobis missum diuinitus iri,
Quo potiore queas tranquillæ munera pacis
Exercere modo? quam quo seu seria tractes,
Seu tibi sint cordi lusus, & honesta voluptas,
Vtraque tum frugi possis, tum iustus obire.
Nam neque auaricies, neque honorum insana cupido,
Nec qui perturbant reliqui mortalia corda
Affectus varieque mouent, & inaniter angunt:
Illecebris poterunt vllis te vincere, tanto
Præsidio, ac placidæ mentis munimine tutum.
Sed neque bellorum diri motus, neque pacis

Alma quies tantum moueant te quærere causas
Rerum adeo obscuras, nec opes, nec commoda quæ te
Perpetuo quocunque voles tam multa sequentur.
Verum id præcipue moueat, quod munere dignus
Hoc ipse euadas tando, quo maxima possis
Intimaque ingentum penitus primordia rerum
Noscere, quas facile haud vnquam Natura crearit,
Ni quis eam exterius iam nota adiuuerit arte.
Quæ qui scire queat, felix queat haud minus idem
Esse, nec optandum quicquam fortasse relinquat
Præterea, quod non inuentis talibus ipse
Posthabeat, lætusque velit fecisse minoris.
Mens etenim arcanis solum contenta reclusis
Gaudet pars nostri melior, nec plura requirit,
Cum sese in veri secessus intulit altos.

IOANNIS AVRELII AVGVR. CHRYsopœia Liber III.

PRotinus optatos opulenti pulueris ortus
Exequar, hanc etiam solertes sumite partem
Artifices, animoque diu versare volenti.
Maxima iam vobis grauium miracula rerum.
Ingenteisque ausus, artisque ex ordine summæ
Ignes & spacia, & numeros, & pondera dicam.
In magnis labor est, nec non par gloria, si quem
Respiciunt placido præsentes lumine Diui,
Insequiturque ardens velut inde accensa voluntas;
Ne vos difficilis rerum experientia turbet,
Neu me dicendi nouitas ingrata retardet.
Tu quoque si quid adhuc tibi, quæ prælusimus, almum
Tentarunt pectus, votis persæpe vocata
Nympha mihi, dudum sacri custodia fontis
Extremam tantorum operum ne desere curam
Hanc nostram oramus. Nec, si quæ maximus olim
Ille tuus cecinit Vates ornantia supra
Tellurem complexa foues, contemnere prorsus
Inducas animum, quæ nos imitamur, & ipsis
Illius impressis quæ nunc vestigia signis

Ponimus internæ ſcrutati viſcera terræ,
Ne velut ex alto penitus deſpecta refutes.
Quin videas ſi qua pariles ea figere ſorte
Conamur paruo vadentes grandia paſſu,
Sic eat æternum puris tibi leniter vndis
Mincius,& tenera prætexat arundine ripas.
Principio ſponsis propriæ,ſemotus ab omni
Sit cura,& vitam tranquilla per ocia ducat
Secretus,latitansque etiam,cui talia curæ.
Illi ſit non ampla quidem,ſed commoda multis
Tranctandis domus,et vulgo quæ abiuncta recedat.
Quaque locis habeat ſecreta cubicula certis:
Quo nullis aditus pateat,ni forſitan ipſe
Iuſſerit huc famulos non nil inferre miniſter,
Qui neque quid geſtent norint,nec cuius in vſum.
Hic breuis æſtiua,ſpaciantem porticus aura,
Et modica exceptum brumali tempore ſeruent
Atria,contineantque domi,nec paruulus adſit
Hortus,vbi vacuum toto ſe exerceat anno,
Et velut huic tantum ſtudioſe deditus inſtet:
Semina nunc olerum properanti ſeligat vngue:
Nunc eadem excultæ telluri condita mandet,
Mox animum,atque oculos paſcat florentibus herbis,
Huc etiam interdum dulces admittat amicos,
Diſſimuletque domi quid agat,gratoque ſodales
Detineat luſu captos,ſuauique lepore.
Intera non ille tamen ceſſare calorem
Occultum ſinat,Aurigerum ſi forte locatit
Semen,vbi proprios æui iam compleat orbes.
Aut ſi id continuoque igni, multoque labore
Abſtruſum in venis auri perquitere tentet.
Atque ideo haud ab re fuerit, quæſiſſe fidelem
Muneris egregij ſocium,longique laboris,
Interiore domus ſe qui tum parte recondat,
Inque vicem partitus onus curanda miniſtret,
Eſt etiam non illa quidem poſtrema beati
Artificis ratio,qua ſe commendet,& ipſum
Dijs opus æternis,neque enim ſine numine diuum
Hæc veniunt,neque ad hæc vlli aſpirare licebit,
Qui non rite Deos ſtuduit ſibi adeſſe precando.

Ipse ego, qui tantum hæc tenui, nunc carmine tento
Pandere, ter Musis feci pia vota, precesq;
Intendi manibus supplex, & pectore puro,
Vnde mihi insolitum cęlo aspirare fauorem,
Paulatimq; nouas in carmina surgere vires
Sentio, perq; altos collcis, atq; auia ferri
Per nemora incertus videor, ducor sed auenti
Mente tamen, quo fata ferunt, vt primus amęno
Ex Helicone sacra referam mihi fronde coronam,
Primus & Aonijs intextam floribus atam,
Quæ mihi cum fuerit teneris erecta sub annis
Et Phębo, Phębiq; choro, Genioq; potenti,
Stat maris Adriaci secreto in littore ducta
Ad culmen, placidis qua fertur Ariminus vndis,
Aut rapitur torrens vastum violentus in æquor,
Inclyta dum subter pontis monumenta vetusti
Præterit & dulces vndas permiscet amaris.
Propterea inceptas artes, operumq; labores
Prosequar indictos prius, & fumantia circum
Tecta ferar Diuum, tenues qui follibus auras
Captant, & liquido distendunt ære caminos,
Et iam cyclopum fremitus audire videmur
Cominus ingentes, cęlumq; incudibus actum
Murmurat, & longo Chalybum stridore liquentum
Insolitisq; mihi resonat mugitibus Aetna.
Seu quis sementem faciendi quæritat auri,
Seu prius argenti recte primordia poscit,
Nosse gradus primum varios ne spreuerit ignis,
Sunt plures etenim, per quos procedat, oportet.
Sed duo præcipue, naturæ est æmulus alter
Tranquillę, ast alter violentæ conuenit arti.
Nititur hic operum immensa vi trudere semen
E solido innexum miris compagibus auro,
Cum prius, vt tibi mox referabo, solueris aurum,
Reddiderisq; humens, nec non & putre, subactumq;
Vt facile id valido demum patiatur ab igne
Exhaletq; tumens, atq; in sublime feratur.
Exemptum fouet ille, nec excedentis adurit
Tum virtute caloris opus, frigere nec ante
Permittit, quam se mire componat, & ante,

Quam ſeſe propria perfectum ſponte reponat.
Hic mihi compoſita dedatur mente Miniſter,
Magna etenim refetam primum, tum plurima fando
Commodus expediam, quæ priſca & barbara turba
Subticuit, quæve ipſam etiam celaſſe volentem
Crediderim, aut verbis neſciſſe potentius vti.
Hæc ideo lingua nunc illuſtrare Latinorum
Auſus, quin etiam numeros his addere conor,
Grata magis doctas veniant vt miſſa per aures.
In primis auri laminas, ramenta've puri
Accipiens, crebris contundes ictibus, atq;
Pulueris in morem triti, aut fluuialis arenæ
Diminues, longumq; teras, quo deniq; putri
Humore ex ſeſe interius reſoluta liqueſcant.
Proderit huc etiam largos infundere rores
Seminis interdum proprij, ne forte alienum,
Vt docui ſupra, quicquam miſcere labores.
Ni quod multa queat connectere, forſitan addas
Quodve etiam ſparſum rebus communiter inſit:
Nam ſimili gaudere ſuo ſimile omne putato,
Atque etiam exterius ſimili quodcunq; iuuari,
Præſertim cum naturam natura requirat,
Atque amplexa parem contraria cuncta recuſet.
Sic quoq; non digitis, aut plectro pulſa, mouetur
Forte fidis, tanquam fidibus tunc aſſonet ictis
Ipſa quibus fuerit concorda conſona voce:
In cunctis adeo rerum concordia pollet.
Quare id ne pigeat, quodcunq; eſt, quærere compar,
Aut vbicunq; latet, ſeu montibus abditur imis,
Vel maris eruitur ſcopulis, aut fontibus hæret
In medijs, alto vel ſe producit olympo,
Seu quacunq; patet, ſeu parte abſconditur omni.
Quicquid id eſt, totove orbis ſe corpore miſcet,
Cuius præualida vi tam compacta reſoluas.
Ergo vbi iam humeſcent, anguſti vaſis in alto
Fundo compones ipſa hæc non ordine nullo,
Namque per æqua tibi maneant diſpanſa neceſſe eſt,
Vt calor ex æquo penetrans per cuncta feratur
Vnus, & ex omni compellat parte vaporem.
Nunc, quibus exceptum rebus componere poſſis

Instituam: Vas illud, vbi perferre calores
Immensos opus est aurum sic rite peractum,
Est genus indomitæ mirum telluris, Hiberus
Quam fossor vitreas Italum transmittit ad artes.
Hac etenim argilla fictis vitrarius ollis
Vitra liquat feruens, eademq; liquentia totas
Noctes atq; dies longo depurat in igne.
Hanc igitur primum creta compone tenaci.
Qua figulus currente rota surgentia profert
Vascula, & his pergit gratas inducere formas.
Est etiam Euganeis tellus in collibus atra,
Sulphurei ad fontes Aponi qua semita ducit.
Nec minus effossis puteis quandoq; sub alba
Eruitur, marmor referens persæpe vetustum.
Quas vt tu cunctas vna coniungere cures,
Est opus, atq; adeo manibus miscere subinde,
Vnam quo pariter possis inducere massam.
Inde scyphi speciem oblongi simulantia finge
Pocula, queis etiam parua circundare zona
Os summum studeas, illis aptentur vt alte
Vitrea vasa super tenues captura vapores.
Nec minor illa quidem fuerit tibi cura Camini,
Quo validum accendas ignem, multumq; diuq;
Accensum summa foueas industrius arte.
Hunc igitur duplici munitum pariete firma,
Compositoq; apte limo duc omnia circum.
Nec mihi displiceat vinclis præcinctus & ære,
Et silice intectus dura, quæ tegmine ferri
Fortior, hoc melius tanti vim perferat ignis.
Hanc quoque continuo multoq; foramine comple,
Vascula quo possis illic tam multa locare,
Quam multa est operi satis, & quam multa labori.
His ita compositis, cum primum accenderis ignem,
Æstuat is clausa rapidus fornace, feritq;
Vas recta inferius, totumq; ignescere cogit.
At proprio quondam species madefacta liquore
Aurea, quis credat? tamen hæc videre periti,
Soluitur, & spondæ paulatim vasis adhærer,
Mox petere hinc sensim vitri conuexa videtur.
Duraq; quæ quondam fuerat, & densa, grauisq;,

Mollis habet, volitatque leuis, & rara fatiſcit.
Quin niueo candore etiam fucata renidet
Principio, mox cæruleo pallore repente,
Et viola leuiter tincto perfunditur omnis,
Quæ prius aſtrorum cæliq; imitata colorem
Fulſerat, atq; auri fulua perſtabat in aura.
Non tamen indicium facient hæc vna, ſed ipſum
Illius interea licet obſeruare ſaporem,
Hæſerit os circum vix dum perceptus amaror,
Indicio eſt etiam ſonus hinc obtuſus, & aure
Deprendi haud facilis, nec non odor haud grauis, & ſi
Sulphuris extemplo paulum ſpirauerit atri.
Quid? quod & interdū liquidam ſe fundere in vndam
Ipſa videtur item, quæ ſurſum repſerit offa,
Vſque adeo non grande ſemel mutarier Aurum
Viſum eſt, & ſuperas ferri graue pondus in auras,
Hic liquor eſt, qui ſi certo ſit tempore lectus,
Bina miniſteria ex ſeſe præſtabit abunde,
Alterum, vt hinc aurum proprij quandoq; liquore
Seminis infundas, ipſum cum ſoluere primum
Cœperis, & prima ſimul id contriueris arte.
Alterum erit, quod cum hinc docte immiſcebitur humor
Forſitan aduectas Indo de littore Baccas,
Cum ſenio obductæ non nil pallere videntur,
Reſtituet quondam proprio candore niteнteis:
Aut ex arte nouas etiam, ſi forte cupido
Id facere inceſſit vnquam tibi, fingere poſſe
Perſpicuo inuenies illo puroq; liquore.
Quod ſi quando ſequens rerum pulcerrima, quoddam
Egregium meditari opus, & componere velles,
Pulcrum æque haud quicquam, nec tam mirabile poſſis
Deligere, humanam quod tunc imitere per artem,
Has adeo circum ludit Natura creandas,
Seu cum ſe ſummo pandunt in marmore Conchæ,
Vt genitalis eas anni ſtimulauerit hora,
Implenturq; leui conceptu roris hiantes,
Et grauidæ certo mox edunt tempore fœtus,
Ætheriusque illis fit candens Vnio partus.
Siue animaduertas, cur non ſe roſcidus vnam
Induat in ſpeciem ſimili conceptus ab ortu:

Namq;

Namq; vbi ros purus cupidis influxerit illis,
Conspicitur toto diffusus corpore candor.
Turbidus at fœtum prorsus sordescere cogit.
Quem rursus videas cœlo pallere minante:
Quippe illo constant, cæliq; his maior inest vis,
Quam maris, hinc variant, & pro lurore vicissim
Nubilus est illis color, aut pro luce serenus,
Dum fouet alba senis Tithoni aurora cubile.
Hinc etenim pasci tunc illas cernimus, & cum
Se tempestiue saturent, grandescere fœtus.
Comprimitur vero, si fulgurat, ipsa repente
Concha pauens, restatq; minor ieiuna timendo.
Verum si intonuit, pariter compressa pauensq;
Inflatam vento speciem, & sine corpore gignit.
Atq; hi concharum vere perhibentur abortus,
Nam cute multiplici sani constare feruntur,
Et penitus solido compleri corpore partus,
Atq; ita, quo callum repures id corporis esse,
Quod sale permulto soleant purgare petiti.
Id mirum est, cælo tantum gaudere sereno,
Sole rubere illas, candorem & perdere & ipsum
Custodire ideo mersas pelago altius, atq;
Se radij valeant vsquam contingere Phœbi.
Flauescunt tamen, & rugas traxere senecta:
Nec constat vigor ille, nisi durante iuuenta,
Quem petimus, sic his etiam longa officit ætas.
Hæret & interdum duris vetus Vnio conchis,
Quem neq; ab his valeas nisi forti auellere lima,
Quanquam omnis pariter proprio sit in æquore mollis,
Exemtus vero durescat protinus idem.
At si forte manum capientis præuidet ipsa
Concha, statim compressa operit seseq; suasq;
Intus opes, se gnara peti violenter ob illas,
Atq; ita præueniens acie proscindit acuta
Sæpe manum, & pœnas decepto sumit ab hoste.
Denique quod solers summi prudentia Vatis
Esse apibus circa regem miratur, idipsum
Obseruare ferunt Conchas, vt grandior æuo
Imperet, atq; alias pastum præcallida ducat:
Quæ si forte capi, nam hæc vrinantibus vna

Cura est, contingat, palantes protinus omnes
Includi reliquas facile est tum retibus, atque
Incolumi quo maior erat fiducia rege,
Hoc illis capto subit inconstantia maior,
Vsque adeo in cunctis ductorem amittere magnum est.
Præcipua his vero dos est, æquissimus orbis,
Candor item æthereus, tum limpidus vndiq; læuor,
Et magno pariter iustum sub corpore pondus.
Sed satis hæc, ne qua videar contendere summis
Ipse viris, merito sibi qui peperere virentem
Semper, & in nullo languentem tempore laudem,
Nec mihi certandi veniat tam vana cupido.
Tu modo, cum dabitur, collectum rite liquorem,
Nam non sæpe fluit, tantos seruabis in vsus.
Namque illo sparsus pallens prius Vnio candet,
Quin nouus efficitur, si post componere cures
Cætera, quæ cura nihilo maiore parantur,
Vt referunt, qui hæc egere & scripsere docentes.
Possem multa tibi quærentum inuenta referre
Artificum, qui dum res has scrutantur, & errant
Nunc huc nunc illuc, alienaq; sæpe secuti,
Quam peterent, miranda alias, nec cognita pridem
Inuenere, quibus fruitur nunc vita repertis.
Vt qui vitra adeo varias imitantia gemmas
Effecere prius, nec non qui nitra salesq;
Iniunxere simul lymphis & alumina primi,
Seiungique alijs Aurum docuere metallis.
Vel qui tot nobis etiam ostendere colores,
Purpureum viridemque, aut quo cælestia tecta
Interpicta micant, & crebris ignibus ardent.
Seu quem floriferi tranquillo tempore Veris
Læta maris summas spargit Galathea per vndas,
Quem facere eximia si qua cupis arte colorem?
Namque illum nobis etiam natura ministrat
Inuentum scabris in rupibus, hic tibi nulla
Proueniet de parte magis, quacunque vel arte,
Cœrula qui placidi referat Neptunia ponti,
Quam qui prætenuis flauo detergitur auro,
Hunc adeo ex sese profert & detegit vltro
Aurea Cyaneo conspirans aura colori,

Cum

Cum floret miræ in morem rubiginis aurum
Suspensum supra os ollæ candentis aceti,
Marmoreoque etiam completæ puluere primum,
Deinde fimo in putri, iugive humore repostæ.
His ergo atque alijs, quos enumerare colores
Longum esset, cuncta in tabulis simulara reponunt
Pictores, quæcunque procul propiusve videri
Contigit, vt Prisci mira expressere, neque vlli
Non eadem mire nunc & pinxere Minores,
Quos meus ingenio cunctos imitatus & arte
Iulius, effingit quicquid natura sub ipsis
Exposuit diuersa oculis, seu surgere montes
Aerios, imasque simul subsidere valles,
Collibus asque etiam introrsum protendere hiatus
Aspicias, vacuisque ipsos se fidere rimis.
Seu petere exiguo comprensos margine cures
Prospectu late campos, & florida rura,
Fluminaque immensas inter currentia terras,
Et maria, atque lacus, viridique in gramine fontis,
Quo Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Syluani
Conueniunt, cæloque illic & Sole fruuntur
Quisque suo, varijs intenti lusibus omnes.
Multaque præterea, quibus artes haud pudet vti
Ceu proprijs reliquas, si qua immiscere metallis
Pergit rite manus, vt cum spirantia quondam
Aera Myrhon, vel nunc eadem cum excudere Crispus
Certat fingendi præstans & fundere iuxta,
Multaque construere, & multa admiscere, suumque
Sufficere his ignem doctus. Nec inaniter illum
Crediderim arcanam meditatum plura per artem,
Qui genus id nuper tormenti ex ære peractum
Horrendum miseris edit mortalibus, altos
Quo murorum apices longe quatit, & graue pondus
Machina terribili iaculatur in aera bombo,
Quo tellus tremit assultans, atque oppida circum
Icta procul diro, strepitu ceu fulminis, horrent.
Quales attonita stupidi percepimus aure
Littore nunc Veneto, Pataui dum magnus ad vrbem
Rex sedet, & latos diuerso milite campos
Occupat, at contra Venetus se exercitus intra

Continet, & varijs arcet terroribus hostem.
Sed quid in hæc fando diuersi venimus? an quod
Nos & agit qui nunc vertit ferus omnia Mauors?
Pierides contra contendite: nam neq; vobis
Vnquam aberunt ausint qui talia: sed neq; munus
Ingratum est quodcunq; paro: namque hoc mihi tantum
Iussistis, quod & ipse lubens præstare laboro,
Æquus in his quamvis labor est, & gloria dispar.
Nunc age continuus calor, & secretior ignis,
Quo fouet ac reficit sese vis seminis intus
Edetur, tempusq; sacri geniale Hymenæi,
Perpetuisque almi succensa cubilia tedis
Coniugis, & veri Veneris dicentur amores.
Ergo nouem cum tu vitro deraseris auri,
Hanc Hyali paruo rursus in vase repones,
Cuius item modicum feruenti os obstrue vitro.
Tunc tibi seu lapide, excisum formare caminum
Siue luto fictum studeas, cui subdita lampas
Ardeat assiduum producens vsque teporem,
Quem super impositus deuse cinis aurea seruet
Semina, quæ fundo phialæ claudantur in imo,
Et vitreo dum vase diu conclusa coquuntur,
Ostendant prima varios in fronte colores;
Namque ipsum quoniam præ cunctis quærimus atrum
Post quater vndenos Soles cum noctibus actos,
Vnde color tota candens educitur arte,
Ex atro ad candentem alios extare necesse est,
Quos spectes medios inter contraria sensim
Apparere tibi: namque hoc natura requirit,
Quo sibi conueniat concors, atque vndique tota,
Nec nisi decursis spacijs extrema tenebris:
Omni namque dabunt tibi tot se parte videndos,
Quot trahit aduerso solis splendore colores
Iris, vbi terris cælo incuruata recumbit.
Aut quod sæpe leui motu variata videmus
Colla referre auium, quas Iuno iungere curru
Ante alias omnes volucres dignata, superbis
Centum Argi voluit prætexere lumina pennis.
Ast vbi se fusco perfuderit ipsa colore
Massa, putes proprium te suffecisse teporem,

Quo

Quo femella marem suaui complexa foueret
In gremio: ast illi sensim instillaret amorem
Fotus amans, dulcique simul langueret vterque
Connubio, & ditem proferret denique partum.
Hinc ea paulatim pullam deponere vestem
Incipit, & sese pallenti obducere palla,
Inque dies minus atque minus pallere, neque vllo
Cessare interea momento temporis vnquam
Sæpius innumero conspersa colore vicissim,
Quin albere iterum maturet fœdere tanti
Coniugij iuncto, quo iam resoluta latenter
Putruit, & vires quo nunc recreata resumit.
Hic igitur ne qua tepidum summoueris ignem,
Et genitalem intus vim vi subeunte foueto,
Ales vt assidue tepidis super incubat ouis,
Nascendisque adhibet pullis intenta vigorem.
Quem tu continue morem seruare memento,
Hanc vt, dum Phœbi circum se verterit orbis,
Plurimus exacto comprehendat tempore candor,
Hæc tibi tangenda est duranti denique meta,
Hic equus est soluendus, & hic iam terminat æquor,
Quo cursum tenuisse diu lætere laborum
Tantorum, & longum patienter multa tulisse,
Ac iam tempus adest, quo felix præmia sumas,
Debita, quæ tanto demum sudore pararis.
Accipies igitur viui de more subactum
Argenti pondus, triquetroque in vase repones,
Quo calefacta solent immissa metalla liquere.
Cumque tibi in medio vas ipsum aptaueris igni,
Cœperit & misso sursum feruescere fumo,
Pulueris exiguam perfecti proijce partem
Desuper, & tantis succendas follibus ignem.
Namque id continuo, quod tu mirere, liquescet
Argenti in speciem, quam fusam deinde canali
Augusto in gracilem videas durescere virgam,
Non tamen hic prorsus sistendum est, eia age longum
Ingresso tibi restat iter, quo pergere cura
Strenuus, & quondam felicem perfice cursum.
Nec mihi det vitio quisquam, si condita claustra
Naturæ reserare nimis, vel inutile forsan

Humano quicquam generi proferre videbor,
Cum veluti cunctos auro ditescere vellem,
Ipsum qua fieri possit ratione docere
Tentabo, abstrusum quod sic natura sub imis
Montibus occuluit, quo gens humana per omnes
Id peteret patiens atque exantlata labores,
Quove vno precijque modum summamque tenerent
Mortales, illoque foret mutatio rerum
Æquior, & varias inter commercia gentes
Apta magis. Quod si certa produxerit arte
In lucem id quisquam, vulgoque vt pergat in vsum,
Fecerit, atque ideo preciosum vt vile putetur,
Continuo exciderint reliquæ tam segniter artes,
Quantum hæc extulerit caput indefessa, neque ipse
Forte pater curis acuet mortalia corda
Amplius, inde graui passus torpere veterno
Omnia, vel potius sceleratum mox genus omnem
Iusserit humani speciem mutare decoris:
Ipsum autem, vt varijs agitauerit ante periclis
Auctorem sceleris tanti, aut detrudet ad Orcum
Fulmine, vel celsa religatum in rupe perennes
Æternum pœnas coget dare: nam quid Olympo
Ossa superpositus, nec non & Pelion Ossæ
Cœumque Iapetumque magis sæuumque Typhœa
Finxerit horrendi Iouis ira, & fulmine dignos?
Aut magis æthereis subductus sedibus ignis
Caucasea meritum volucrique & rupe Promethea
Quam, qui hac imprudens aurum inuulgauerit arte,
Dignus erit pœna simul vt multetur vtraque?
Cauerat hac princeps re forsan Claudius vna,
Flexibile vt fieret mirando examine vitrum,
Detraheret ne quid precia olim imposta metallis,
Vidit idem inferior longo post tempore Cæsar
Ipse etiam fortasse, artis cum perdere tantæ
Artifices voluit, iussitque exurere librûm
Multorum aggestum cumulum, dum forte peragrat
Milite composito Ægypti ditissima regna,
Et timet imperio Romano prouidus arte
Ex illa, & multis opibus tunc inde paratis.
Quin frustra Phaunus Pico satus, & Iouis almus

Ipse nepos, merita ferretur laude quod, olim
Primus ad Hesperios specubus deprompserit altis
Argenti late venas, primusque per ipsum
Aurum aditus tantos tellure recluserit ima,
Horum conditio si qua vilesceret arte.
Verum id non agimus: non omnibus omnia namque
Scribimus, hac tota vulgus sed parte perosi
Ludimus, & procul hinc certum est arcere profanum,
Et terrere etiam scriptis, ne attingere sensu
Speret, quæ paucis canimus prudentibus, & quæ
Non tanquam artifices, sed vt olim cætera tanquam
Scrutantes opus id naturæ, dicimus, & quæ
Vix illis pateant magna percepta labore,
Qui moniti nobis dignique ad tanta vocantur.
Præsertim cum rite volunt indicta relinqui
Nonnulla, aut dici scelus est ea quippe nefandum,
Ni penitus cæcis ambagibus inuoluantur.
Ac nonnulla etiam (quod parce nos tamen vltro
Fecimus) interdum sparguntur falsa: neque illi,
Omnia præcipue credas tibi vera referri,
Ars vbi secretos duci tentatur in vsus,
Atque vbi quo pacto sese experientia promat,
Prodimus addicti perplexæ legibus artis.
Quin vbi naturæ vires aperimus, & artem
Illius asseclam decernimus, atque vbi primum
Esse hanc, mox quæ ea sit, ostendimus, omnia passim
Vera tibi porro occurrent magis, & magis inde,
Omnia percipies, quæ sunt ducenda sub vsum:
Quam illinc, artis vbi nobis modus ipse doceri
Est visus, nostroque parens fieri documento.
Nec fuit hæc fandi tantum sententia, quantum
Hic mihi nescio quis furor incidit, vnde fauenti
Numine non trito ductarer calle sub alta
Culmina Pieridum, lætosque inuisere colles,
Et fontes haurire sacros, & carpere frondes
Sperarem, doctæ iam præmia frontis honesta,
Atque adamata mihi, & multos quæsita per annos.
Hæc nam sollicitas inhibent solatia curas,
Hic amor, hæc vacuam tenet oblectatio mentem
Gratiaque, atque vna hæc animum complexa voluptas
Explet,

Explet,& hinc totum percurrunt gaudia pectus,
Gaudia Castalidum dono concessa sororum.
Ergò hinc digrediens edico,ne quis ab igne
Amoueat,quod rexit opus,ne forte remittat
Conceptum durante diu virtute calorem:
Sed contra intendat potius,quo perferat ipsum
Tacta manus tamen artificis,ne quando mouentem
Vim sese excedat calor,at tam iugis & æquus
Perduret,quam læta illum natura sequatur.
Ergo,quin pergas,tunc te mora nulla retardet,
Desieris cum iam vlterius proferre nitorem
Sperati,& demum iam tum candoris adepti:
Sed tamen vt properes obstet patientia semper
Fida comes,quæ te pariter ne longa moretur
Ipsa dies,faciat,neque enim tibi tempore parta
Tanta breui speres,quæ si conquirere possis,
Nulla æque quærenda alia,aut optanda relinquas.
Hic itaque vlterius postquam processerit ignis,
Non vnus color,aut facies spectanda,sed ante
Quam tibi purpureus se proferat ipse videndum,
Paulatim croceo perfusus candor amictu,
Et varie immutans,totum durabit in annum,
Cum ruber ostendi mox cœperit,atque sub altam
Perspicuus florere cutim,violæque rubenti
Assimilis,iuxtaque nitens Tyrio hyacyntho.
Haud tamen hic etiam sistas,sed protinus vltra
Perge,nec à recta,qua te via ducit,aberres.
Tum tibi ne in mentem veniat,nec suadeat vllus
Vt quicquam immutes ignem,ni forte parumper
Intendas,quem ferre tamen vel tangere possis,
Cum libet,illæsus,quæ sit tibi meta,modusque
Quo nihil hoc toto seruandum tempore credas
Esse magis:namque hoc naturam imitabere tantum
Cætera,si pecces aliquid,vel forte relinquas,
Corrigere,aut rursus componere,nil prohibet,si
Recte animaduersa hæc pridem,& quæsita fuerunt.
At si desistas,quo vis intermoriatur
Ignea,continuo quæ fœtum fomite pascit,
Nil agis,& subito cum primum desinet ignis,
Cuncta ruent,quæ non vlla reparaueris arte

Amplius,

Amplius, ac frustra tentes fulcire ruinam.
Verum si contra studeas augere calorem
Impatiens, pigeatque moræ te: protinus illud
Amittes, longo quod dudum tempore quæras.
Propterea assistens operi bombycina lychnis
Nunc ipse imponas filo contorta trilici.
Nunc oleo demissa leues, eademque retorto
Profer acu, aut putres contundas forcipe fungos.
Contemplator item, cum se mutauerit aer,
Sumpserit & vires iam tempestatibus æquas,
Si media, vt par est, torrenti æstate calescet,
Et tuus hic etiam nolens augebitur ignis.
At si frigescet gelidis Aquilonibus aer,
Et tuus hic etiam nolens sedabitur ignis.
Tu vero, si frigus erit, mox addere primis
Fila tribus sapiens accingere, quæ tibi speres
Esse satis, sed si æstatis supereminet æstus,
Occurras, demasque celer quæ adiunxeris ante,
Aut latera extemplo attenua nimis ampla camini,
Et graciles illi spondas aptare labora.
Aut contra, tenuis paries vbi forte maligna
Ex sese admittet vel rimis frigora, limo
Tum latera hæc eadem crasso duc omnia circum,
Quaque potes iussum conserues arte teporem.
Nec pudeat cribro cineres agitare, neque ipsos
Ampullam circum tenues aptare tepentem
Interea, quando videas inolescere fœtum
Scilicet & densum magis affectare ruborem.
Tertia quo tandem veniat feliciter æstas.
Quæ tibi præteritos demat perfecta labores.
Nam simul ac plenum color effert purpureus se,
Cunctandum nihil est, quin puluis vase beatus
Dematur, variosque tibi seruetur in vsus,
Cætera si velis auro mutare metalla,
Seu libet affectis etiam mortalibus esse
Auxilio, & tristes illis depellere morbos.
Haud tamen exacte quisquam sic computet annos,
Vt nil diminuat numero huic, nil insuper addat.
Nam seu materies habilis quandoque reperta
Acceleret cursus, eadem non apta retardet,

Seu

Seu calor intenſus paulo minus aut magis æquam
Menſuram exuperet, variet tempusve locusve:
Hinc tibi, ſi ſpectes ratio, hinc & cauſa patebit,
In longum tanti ſpacium quæ duxerit ortus,
Fecerit aut breuius: neque enim quem ſeptimus edit
Menſis, erit fallax hominum partus. Nec & hunc, quem
Protulit vndecimus, non verum dicere poſſis,
Quanquam hæc in ſuperos ſoleant & in aſtra referri.
Sunt qui deinde tamen non paruis ignibus illum
Noctes atque dies ſeptem in fornace peruſtum
Detineant, donec magis hic denſetur, vt aiunt,
Quod tamen haud omni ſapiens ex parte probarit.
Nam facere haud quicquam ſimile huic natura videtur:
Cœperit at ſi quem, ſeruat mox vna tenorem
Semper, & incœpto quæ ſint diuerſa refutat.
Hæc tibi quo totum peragant, quem circumagis orbem
Rectius, integri, moneo, ne ſpreueris anni
Obſeruare tuis in rebus tempora paſſim.
Ac, ſi me quicquam ſtudeas audire, ſub ipſum
Ver adeo incipies, quo totus parturit orbis,
Et quo ſe cunctis aperit natura creandis,
Cuius ad arcanum componas cuncta tenorem,
Me duce, quod monui ſemper, ne calle relicto
Illius, à recta quoquam diſcedere tentes.
Vere igitur tum vitra tibi conflare iubeto,
Vere etiam formare luto, atque aptare caminos,
Cum deſæuit hyems, ac dum non impedit æſtas,
Vt quamvis validos pertractes cominus ignes,
Forſitan hic numeros quæras, & pondera rerum,
Quas tibi conſtituas, opus id quam perficis ante.
Verum ſi repetes, tria ſunt primordia tantum:
Dehinc duo, dehinc etiam, recte ſi videris, vnum
Tantum erit, & ſolo triplex conſtabit in auro.
Quin ipſa hæc vno comprehendas pondere cuncta:
Nam nihilo diſtant inter ſe iuncta, ſuumque
Quodque ſibi alterno permutat pondere pondus.
Quæ tamen exacte prorſus ſic omnia tractes,
Vt neque tam tenui numero ſubducere curent,
Ac neque tam modica perpendere lance minutim
Hi, quibus argento mire ſecernitur aurum

Inſtrumen-

Instrumenta quibus maneant, quæ templa vocantur.
Nam templi faciem præstant circumdata vitro,
Et pedis vnius modulo constructa decenti,
Quo nusquam tenui penitret vi spiritus, atque
Hic erecta bilanx præceps immotaque perstet.
Atque ideo argenti massæ, quæ continet aurum
Infusum, drachmam capiunt, quam rursus acuto
Incidunt ferro, mediamque illius in acris
Diffundunt latices partem, mox illa virentes
Particulas auri linquit resoluta per vndas,
Hæ propria nigræ ad fundum grauitate referuntur,
Quas illi excipiunt, & parua lance receptas,
Exiguo quocumque leues sint pondere, pendunt.
Subductisque ipsis, dum quod sub parte repertum est
Tunc aurum artificis miro solertia ductu
Computat, in toto reperit quæ summa resultet,
At quanquam numeris opus est vtare minutis,
Vsque adeo vel ponderibus, satis attamen vna
Tantum electa tibi fuerit tribus vncia primis
Ex illis, quam tu, vt docui sic rite gubernes:
Aut si forte duas sumis, nil amplius addas.
Nam te, quod superest, etiam nonnulla docebo,
Quæ tibi cum fuerint alta sub mente reposta,
Noris, cur modica contentus parte labores.
Hic ego non fictis, quæ sunt tractanda figuris.
Eloquar, & longis obducta ambagibus edam,
Quæ quondam artifices ipsi celasse fatentur
Consulto, tanquam veteris mandata Sibyllæ.
Extremo huic igitur prudens ne cede labori:
Nam breuis atque artis minimæ est, sed diuitis vsus.
Ergo vel in primis fuluo confunde metallo
Confecti paulum medicaminis, idque beati
Pulueris acturum præ se vim ferre videbis.
Vel grauidum puro semen cum rursus ab auro
Haud facili, & multa extrusum collegeris arte,
Qui modus ex illis, quæ pridem exegimus, extat
Expressus satis, & fari non omnia par est:
Huic tu purpurei partem mox pulueris æquam
Immisce, atque illis lentum succende calorem,
Ac geminos illas etiam simul excoque menses,

Sed hæc fuêre. Nunc quod instat, pergimus
Tuo fauenti concitati numine
Ordiri, & ea, quæ pollicebar reddere,
Vt quimus, vtque spiritus cælo potens
Afflat pusillis. Tu serena videris,
Hæc mente suppliciter precamur, qua soles
Quæ offeruntur cunque tibi, neque abnuas
Impendere mihi paululum interdum moræ,
Hæc donec intus intuens, inspexeris
An forte recta tendimus per arduum,
Quod nunc inimus hos ad ascensus, iter?
Non esse, secum dixit insanus, deum
Excorsque & impos mentis, expers consilij,
Rationis, ac pietatis omnis indigens.
At esse sapiens mente primum concipit:
Dehinc voce clamans splendida palam facit
Non esse tantum, sed potente dextera
Eum tenere, regereque, & nutu suo
Quæ cuncta fecit, temperare & omnibus
Adesse vbique, & imperare singulis.
Verum haud leue est videre quos scandat gradus;
Hæc quisquis animo versat, & tendit supra
Id, quo potest nunquam vlla vis mortalium
Conata ferri, ni superna cælitus
Spirarit aura, ac illius nisi fauor
Præsto sit, ipsa cuius hæc perquirimus
Dicenda, nullo non furore perciti.
Pauor tremorque cui comes reuerentia,
Qua non sit alia maior, hinc & hinc premunt;
Nosque admonent sic paruulos, pondus graue
Et impar humeris haud subire. Verum amor
Potens inaccessa olim facere peruia;
Cum spes fidesque prodeunt illi obuiam,
Hortatur, atque pene cogit ingredi
Orationis intimæ latens iter.
Quid ergo agam tu mi impera deus meus,
Rex vnus omnium, ac herus solus mihi.
Iubesne domine? forsitan quidem iubes:
Nam non video, vt aliunde spirari hæc queant.
Experiar igitur: tu, precor, cœptis faue,

IOANNIS AVRELII AVGVRELLI

ad Petrum Lipomanum Hieronymi F. Venetum P. Geronticon

LIBER I.

SVnt cordi Musæ nobis, sunt carmina curæ,
Cętera, quæ vacuam tenuissent gaudia mẽtem,
Omnia nunc semota, refert hæc vna voluptas,
Quicquid dulce olim sensu percepimus omni.
His ergo hanc grati secretam ponimus aram,
Hic Hederæ & Lauri, nec non & amœna vireta
Apricos inter colles, hic Myrtea sylua;
Et Veneri sacer est lucus, nec grata Lyæo
Mitis abest, pendet quæ spissis vua racemis.
In primis sternenda mihi est auro area multo:
Tum cœptæ è solido surgent Adamante columnæ,
Queis alte supra impositum consistere tectum
Instituam gemmis ornatum grandibus, atque
Æternis densi vinctum compagibus æris,
Iam quibus inter se nexis non vlla vetustas
Offuerit, quanquam validis conatibus obstet.
Stabunt in medio Diuæ, templumque tenebunt.
His ego dehinc cœtu vatum comitatus honesto,
Dona feram, non quæ vulgo consueuimus illis
Offerre, at rerum prorsus rarissima quæque
Nobilium, quales tantum seponere summi
Electas omni è numero potuere poetæ.
Tuque ades, ô gentis Lipomanæ digna propago,
Et rara iuuenis virtute ac moribus aucte
Eximiis, summa quæ cæli sede profecta
Eueniunt, rectaque solent sub mente reponi,
Tu mihi te vacuum da nunc, & pectore puro.
His ego te sacris adhiberi, & fungier opto
Quæ tibi nunc vni nobis commissa parantur.
Ergo humeris primum vestem hanc candentibus albam
Induere, & mecum tantis accingere rebus,
Assistensque mihi puris è fontibus hauri
Diuinum laticem, ac manibus cape lilia plenis,
Collectosque vna vario de cespite flores.

r His

His demum late, dum verba precantia fundo,
Ipsæ hæc Musarum dudum Phœbique sacerdos,
Sparge solum, & suaui completo cuncta vapore.
Phœbe, nouem circum quem numina sancta sororum
Semper habent, diuisque illic Pæana canendo
Æternam interdum spargunt mortalibus auram.
Vnde vigens sumit dias in carmina vires
Spiritus, & summo deducit ab æthere vatem,
Illius huic haustum fas sit sperare precanti,
Qui tibi toto animo primis famulatur ab annis.
Is tibi candentem taurum niueamque iuuencam
Constituet Musis sacrum, viridemque quotannis
Appendet templi medio sub culmine Laurum.
Atque ignem hunc vobis, quo feruens ara renidet,
Et dabit, & longa lucentem ætate fouebit.
Vos rata iam nutu facietis cuncta benigno.
Hæc precor: at tu etiam supplex in vota precesque
O iuuenis, quem mox superi ad maiora reseruant,
Insinua temet diuinis omnia quando
Rite tibi sunt acta: deus namque omine certo
Annuit, & liquidis fulsére altaria flammis.

AD LEONEM X. PONT. MAX.
Ascensus primus ad Deum.

IAm multa mecum conor, & voluo diu,
Promissa si qua parte persolui queant,
Quæ sancte quondam feceram pater tibi,
Vbi occupatas detinebam paruulo
Aures libello forsitan ineptus tuas,
Arcana quamuis ederem illic Dedalæ
Naturæ, & artis præpotentis munera.
An non inepte facere sum visus quidem?
Cum mira apud te illa fore tum considerem
Vecors, videri cui potest mirum nihil,
Humanitatis cum supragressus modum
Humana pariter cuncta paruifeceris
Statim, nec humile, imumve cogitaueris
Quicquam, supremæ sedis vt adisti gradus,
Diuûmque inisti tantus in terris vicem.

Sed

Sed hæc fuêre. Nunc quod instat, pergimus
Tuo fauenti concitati numine
Ordiri,& ea, quæ pollicebar reddere,
Vt quimus,vtque spiritus cælo potens
Afflat pusillis. Tu serena videris,
Hæc mente suppliciter precamur, qua soles
Quæ offeruntur cunque tibi,neque abnuas
Impendere mihi paululum interdum moræ,
Hæc donec intus intuens, inspexeris
An forte recta tendimus per arduum,
Quod nunc inimus hos ad ascensus, iter?
Non esse, secum dixit insanus, deum
Excorsque & impos mentis, expers consili,
Rationis,ac pietatis omnis indigens.
At esse sapiens mente primum concipit:
Dehinc voce clamans splendida palam facit
Non esse tantum,sed potente dextera
Eum tenere,regereque,& nutu suo
Quæ cuncta fecit,temperare & omnibus
Adesse vbique, & imperare singulis.
Verum haud leue est videre quos scandat gradus:
Hæc quisquis animo versat, & tendit supra
Id, quo potest nunquam vlla vis mortalium
Conata ferri,ni superna cælitus
Spirarit aura, ac illius nisi fauor
Præsto sit, ipsa cuius hæc perquirimus
Dicenda, nullo non furore perciti.
Pauor tremorque cui comes reuerentia,
Qua non sit alia maior, hinc & hinc premunt,
Nosque admonent sic paruulos,pondus graue
Et impar humeris haud subire. Verum amor
Potens inaccessa olim facere peruia,
Cum spes fidesque prodeunt illi obuiam,
Hortatur, atque pene cogit ingredi
Orationis intimæ latens iter.
Quid ergo agam tu mi impera deus meus,
Rex vnus omnium,ac herus solus mihi.
Iubesne domine? forsitan quidem iubes:
Nam non video, vt aliunde spirari hæc queant.
Experiar igitur:tu,precor,cœptis faue,

Volensque & adsis, & iubens præsis mihi:
Si nostra non superbit hæc precatio.
Testantur opera te tua, enarrant poli
Tuam per orbem indesinenter gloriam.
Est nam quis adeo, cum superna suspicit,
Vecors rudisque, qui statim non cogitet,
Ac voluat ipse sæpius secum stupens,
Quæ, quantaque videat, quibus vel orbibus
Ferantur illa, aut quas vicissitudines
Seruent ratorum consecuta temporum
Semper tenorem, legis haud casu datæ
Iussu, sed vna æquante prouidentia
Cuncta hæc benigno distributa munere.
Quis rursus orbis cæteras partes videns,
Interque versans, desinat mirarier
Terræ patentem subiacentis ambitum?
Fusumque supra continenter aera,
Terræque circum margines fusum mare?
Et quicquid hæc exornat, atque in his simul
Vitam peragit, vt omne stirpium genus
Quæcunq; se tollunt humo, & quæ vestiunt
Telluris almis æmulam gemmis cutim?
Vt multiformis ac vagans animantium
Proles per amplos sparsa tractus vndique
Terræ marisque crescit, & semper sua
Vi fertur vna, qua potest, & qua prius
Natura proprios impetus illi dedit.
Adde his liquentis lucidosque fontium
Fluxus, & altis amnium cursus vadis
Ripas amœnas inter, inter collium
Aprica, & herbis suauibus virentia
Camporum. At imas montibus subsidere
Valles, & alios erigi conuallibus
Montes ab imis limpidos sterni lacus
Subter virentum rupium cacumina.
Quis non, serena mente qui sit præditus,
Miratur? Aut cui non quoque est miraculo
Immensa marium littorumque vastitas,
Et insularum varius ac gratus situs?
Quicquidq; tandem reddit & seruat decens

Ornatus orbis omnium pulcerrimus?
Quid? si quis ipse se intus, ac extra æstimet,
Et alterum se tum esse mundum sentiat,
Opusque summi opificis ac munus sciat,
Deumque prope, id est illius ad imaginem
Et similitudinem editum se nouerit,
Diuinitatis qui capax, sapientiæ
Ac mentis æque particeps sit, dotibus
Et extet animi & corporis tantis valens,
Pro dignitate vt sedeat, vt stet, vt ambulet,
Oris venustas agilitasque totius,
Vultus vt illi gratior cunctis fiet,
Vis insit animi tanta, tanta celeritas
Mentis, vigorque tantus, & solertia,
Qua pene cuncta suggerente discutit.
Hæc si quis, inquam, serius secum putet,
Emittet illam forsitan vocem simul
Cum vate summo gentibus palam canens:
Quam magnifica sunt opera, Rex regum, tua,
Sapientia in tua creasti singula.
Quin illud etiam sentiet verum legi,
Diuina quæ sunt, cum videri non queant:
Hæc posse in his considerata conspici,
Quæ fecit ille. Nam relictus vnicus
Nobis ad illa est hic gradus, magno datus
Scandendus olim Mosi, vt ante cerneret
Quæ facta, non qui fecerat, sed cum illa, quæ
Fecisset opifex summus ac pater omnium
Immensus, incomprehensibilis, vnus potens
Efficere, quæ fecit, eademque perdere,
Vt vult: ea, inquam, cum potenter omnia
Voluisset animo prouidus vates suo,
Ex his audiuit omnium rerum vltimam
Et ipse causam primus, vt homini datum est,
Dum vita superest: hic enim faciem Dei
Dum quærit auidus inspicere, vocem audiit
Dicentis: Haud faciem videre quiueris
Meam: sed hoc te sub cauæ rupis loco
Sistam, manuque protegam, dum transeam.
At inde cum post auferam petra manum,

Videre posteriora tunc mea poteris.
Haud ergo quisquam, quæ assequi sensu nequit,
Diuina quid sint quæritans, intrinsecus
Rimetur ipsa, vasculo ne clauserit
Immensa maria, vt indicatum constitit,
Dum quærit illa maximus rerum quidem
Scrutator olim. Propter alti littora
Maris vndisona tendebat inquirens graueis
Sensus, & amplum Trinitatis ambitum
Aurelius, in his totus, ac solis vacans,
Quæ cogitabat, forte nec tum exitum
Habebat vnde inuenirct anxius,
Cum dulcis illi visus est infantulus
Parua in tenella sustinens concham manu,
Vastique lympha marmoris complens scrobem,
Quam pronus ipse fecerat sibi prius
Solis digitulis paruulisque ni[illegible]us.
Quod ille cernens: Ecquid, inquit, cogitas
Facile tantos æquoris fluctus cauo
Telluris isthoc tantulo concludere?
Cui puer: Et ipse, quid facere leuis putas?
Qui te illius, qui cuncta solus continet,
Vllo nec ipse continetur, experis
Fieri capacem, dixit, atque protinus
Nubes per altas prodiens, euanuit.
Est vnus ergo congruus nobis modus
Intelligendi, parte qua quimus, deum,
Per illa, quæ iam facta sunt: nam sensibus
Et ipsa capimus: mente deinde seu suum
Sequace: tantorum creatorem vnicum.
Sentimus intus, credimus, complectimur,
Amamus, illi caritatis vinculo
Tenemur adstricti, illiusque denique
Æterna meritis consequi confidimus.
Ascensus hic est, quo crearat primitus
Nos magnos orbis vniuersi conditor.
Vt vita præsit sensui, mentem ante eant
Sensata, visis cognitisque exordia.
Nam cum virentibus arborum terram comis
Ornasset, atque floridis herbis solum

St[illegible]

Strauisset, atque vt vberes fructus darent
Mandasset, his est vita tum primis data.
At cum vel vndas, aerave, vel aridam
Animantibus complesset, illa sensibus
Et appetitus aucta vi mox reddidit.
Cum vero solers vltimo & mirum genus
Fecisset hominum, mente quamprimum valens
Effecit illud, non eis quoquam tamen
Vsu remotis, quæ dedisset cæteris.
Quod eius etiam iussa declarant statim:
Deum, inquiunt, ex corde toto diligas.
Quod in te vita, fonte ceu, nobis fluat.
Anima ex quoque tua tota, id est, ex sensibus
Cunctis, & appetitu, vt ipsa est initium
Animalia vnde dicta sint: ex denique
Tota tua etiam mente, qua sola omnibus
Præstamus his, vbique quæ terras colunt.
Hinc ergo, per quæ viuimus, per quæ vndique
Sentimus, & per quæ creauit omnia
Summusque & vnus vniuersi conditor:
Hunc acie mentis esse aperte cernimus.
At estne forte consequenter altera
Tui sequendi & assequendi semita
Clemens, misericors, omnibus præsens Deus?
Hanc ipse nobis cognitam reddas, & hac,
Si qua est, precamur supplices, nos ducito.
Est namque quippe, & omnium potissima.
Aduersus excors ierat humanum genus
Mandata quondam, ac inquinarat omnia
Vnum futura secla commissum scelus,
Illoque cuncti sempiternis luctibus
Pœnisque eramus destinati crimine,
Cum nos tuentem maximum è cælo patrem
Immensa mouit caritatis copia.
Natumque nostra pro salute vt mitteret,
Effecit, illi tanta tum benignitas
Fuit, misericos tanta, tum clementia.
Versatus ergo est ille nobiscum diu
Hic inter homines, inter ignaros Deus
Homoque, summi patris vt testis foret,

Foretque nobis veritas, & semita
Qua tenderemus ad supernam patriam.
Testes at ipsi essemus excellentium,
Quas ille res hic egerat, nosque omnibus
Illas per orbem panderemus singuli.
Hic sanctitate puriter vitæ diu
Actæ, ferendis ille in vulgum vocibus,
Quæcunq; frugem comparant nobis bonam,
Doctrina at alius atque scriptis, mystica
Quæ sensa magnis eruunt sacrariis.
Et qui volentes sanguinem ac vitam pii
Fudère cruciatus per omnes antea
Ducti, labores inter ac angustias.
Et quisquis alto pectore hunc tandem gerit,
Amoris arcto colligatum vinculo.
Ipsumque præter expetens vnum, nihil,
Testatur eius mira, quæ fecit patris
Suoque semper prædicanda nomine.
Quorumque prorsus inscius rerum priùs
Quid ipse dicam? quid secundum prosequar?
Sic magna cuncta sunt, & excedentia
Humanitatis singulos captus simul.
An cum relictis insciis parentibus
Iam natus annos nobilis duodecim,
Inter peritos sedit in templo puer
Eos, quod esset omnibus mirum, petens
Et audiens? an quæ deinde nuptiis
Miranda fecit, vina permutans aquis?
Vel cum precanti regulo dixit, Tuus,
I, natus etiam viuit, ac illa quidem
Iam morbus hora sospitem reliquerat.
Quid hæc ad illa, quæ sequuntur, dixerim?
Hæc mira quamuis sint & ipsa maxime.
Surgit vocatus illico ægrotans senex,
Ferensque sanus lectulum perambulat.
At cæcus is, qui viderat nunquam, videt.
Ex quinque panibus, & duobus piscibus,
Iesum sequutus redditur vulgus satur.
Puella saxis verberanda publicis
Detenta summo liberatur iudice,

Pecca-

Peccaret illa ne tamen quid amplius.
Iam pene putridus excitatur mortuus,
Et inter homines, vt prius, versans sedet,
It, loquitur, audit, esurit, sitit, palam
Quæcunque viuens fecerat, rursus facit.
Verum quid infans ipse nunc ausim loqui?
Quæ nec piorum maximus cœtus virûm
Explere pleno cunctus ore quiuerit.
Hæc finis ergo: namque peccator miser
Quonam per illa pergerem loquens modo?
Quæ mortis atque passionis vltima
Tuæ fuerunt impiæ mysteria,
Nostrum redemptor omnium promptissime.
Quænam pauenti suppetent voces mihi?
Quibus feratur concitus terris tremor,
Lunæque lumen abditum, solem datas
Circum tenebras, conditos suis patres
Surresse monumentis, & in sanctam vndique
Venisse ciuitatem, & illic pluribus
Apparuisse post secutam gloriam
Tuam, subacta morte. Sed quis omnium
Oculis potius hic lacrymas dabit meis?
Vt flere possim traditam duram tibi
Necem ab nefandis impiis mortalibus,
Quorum salutis veneras huc gratia?
Dabit quis inquam, lacrymas mihi, quibus
Tuos ad imos procidens pedes fleam,
Tuos solutis lacrymis lauem pedes,
Exosculer flens, abluamque vulnera,
Inflicta sancto tam nefande corpori?
Te præter vllus non dabit, nullus mihi
Ostendet, vnde verus emanat liquor
Vitæ, nisi tu nullus, vt fleam miser,
Docebit, atque nullus, vt læter, dabit,
Te præter. Vt commissa nunc fleam mea,
Da pater, vt orem, vt seruiam soli tibi,
Complectar vt te, cætera vt nihil putem.
Concede mentem iussa seruandi tua,
Et ex iniquis exeundi semitam
Ostende, qua te sedulus solum sequar

Emancipatus vnico tantum tibi.
Vt memet abnegem ipſe,quam tollam crucem
Oſtende mi nunc,poſt modum vt læter,dabis,
Voles vt ipſe: nam voluntas maxime
Tua hic,& vſque ſiet, & per omnia
Semper,neque vlli placeat id, quod diſplicet
Tibi,neque vnquam. Tu ſalus ſolus mea,
Seruabis ergo,cum vias oſtenderis
Salutis ipſe,cum mihi præſens dabis,
Vt nocte tecum promptus,vt tecum die
Sim ſemper,vtque ſupplicem volens tibi,
Ne quo remittam temporis puncto tuum
Nomen,quod extat omnium nomen ſupra
Ardente Ieſu caritate proſequi.

QVADRAGESIMA.

ERgo animi interea ſemper pendebis? & vnde
Incipias ſemel,ignoras,componere mentem?
Ne tibi continuis tot fluctuet anxia curis.
Semper idem progreſſus iter,nunquam hæc bona longe
Seposita,& nobis adeo diſtantia cernes?
Quid differs?quid te variis ambagibus iſtis
Implicitum inuoluis magis, & magis ingeris vltro?
Non breuia attendis vitæ momenta caducæ?
Non quod & hic omnes peregre producimur? & quod
Mox alio nobis properandum? vbi ſiſtere tandem
Æternum ſit opus, penitusque recedere nulli,
Atque bonos illic factorum præmia recte
Accipere:at ſontes vitiorum pendere pœnas:
Sed non quas vulgo referunt perferre ſub imis
Manibus,æternos ignes,aut frigora dira,
Sint eadem & maiora etiam tormenta licebit:
Verum quod multo horrendum magis igne, vel omni
Iactura eſt grauius,nullas viſendus in horas
Ille opifex rerum,viſu quo ſancta fruuntur
Pectora,quæ terris valido ſe tollere nixu
Iam potuêre ſuo,ſuperumque recondere cœtu.
Forſitan,heu,dubitas operum tibi conſcius vllam
Spem fore,qua fretus valeas hæc tanta mereri.
Ne dubita:nam nulla cupit Rex damna ſuorum,

Quos

Quos quondam è nihilo, quod erat bonus ipſe piusque
Fecerat aſſimiles cunctos ſibi, deinde quod atram
Ingreſſos nebulam, recta, quam oſtenderat illis,
Errare aſpexit, duræ ludibria mortis
Pertulit omnipotens, vt eiſdem ſplendida vitæ
Lumina præferret, quibus haud errare liceret
Amplius, ac certo poſſent inſiſtere calle.
Quare age ad hunc iunctis manibus concedere ſupplex
Audeto: nam te venientem expectat, vt amplo
In gremio accipiat. Perge, & commiſſa fateri
Incipias, & te iam deliquiſſe dolentem
Pœniteat, quacunque etiam ratione modoque
Expurges, promptusque luas pro crimine pœnam,
Atque imo expreſſas penitus de pectore voces
Effundas illi, cuius tibi gratia plene
Mox aderit, teque amplectetur, & vndique cælo
Gaudia erunt, quibus haud vſquam maiora ſuperſint:
Illic namque magis gratari contigit vni
Conuerſo a vitiis superûm ad cæleſtia regna,
Quam ſi complures, quorum ſanctiſſima vita
In terris fuerit, ſupera ad conuexa ferantur.

PASCHA.

HÆc eſt illa dies, rerum quam condidit auctor:
Ite omnes mecum, linguisque animisque fauete:
Læti omnes mecum laudes & læta canendo
Carmina, ſic Regi cælorum reddite grates.
Tuque pater ſancte in primis, cui plurima ſemper
Relligio, & veræ fidei obſeruantia cordi,
Perge diem lætus ſolenni ducere pompa
Muneris immenſo plenam cæleſtis honore,
Vtque ſoles, regali ornatu & pectore puro
Proſequere, & cuncto demum hanc complectere cultu
Chriſticolas inter proceres, mediusque fideli
Concilio, ac lecto præcelſus in ordine patrum.
Sat lacrymis, triſtique datum pro tempore luctu,
Quanquam pro ſcelere haud ſatis eſt, & crimine noſtro.
Sed tamen hęc iugi defleuimus ore, precesque
Addidimus, clemens quas exaudiſſe redemptor
Creditur, & feſſis hominum iam parcere rebus,

Hunc

Hunc etiam vt miseris quondam violarit iniqua
Turba modis,tuleritque pius ludibria mille
Sensimus,hæc eadem soliti memorare quotannis.
Vidimus & cunctis,sibi quos elegerat ipse,
Discipulis ægre fugientibus, vndique sæua
Latronum rabie septum, durisque reuinctum
Nexibus, & fœde ad proceres per compita raptum
Hic illum vt vulgus væsanum riserit,vtque
Conspuerit,flagrisque afflixerit, vtque profano
Vexarit ritu diuinum corpus,abunde
Hausimus è sanctis scriptoribus, omnia largo
Interea fletu complentes,& graue mentis
Affectę toto promentes corde dolorem.
Denique sublatum cruce vidimus omnipotentem
Cunctarum auctorem rerum perferre dolores,
Et duros mortis cruciatus,quos neque quisquam
Pertulit in terris vnquam, neque sensit, & heu heu
Ne nos æternum moreremur, concidit ille
Indutus mortalem hominem, qui cuncta crearat
Æternus,semperque manens,semperque futurus
Idem,& qui nutu mouet,& quæcunque ministrat.
Hæc ita præteritis fuerint celebrata diebus,
Et ritu seruante, pio permista dolore.
Ast hodie à lacrymis hilari perfundere mentem
Lætitia est opus,& vultu præferre sereno
Gaudia,quæ nullis cedant,cum maximus ipse,
Qui se deludi passus mortalibus ægris
Occiderat cæde infanda,nunc morte subacta,
Conditione hominum superata, postibus Orci
Perfractis,victor supera ad conuexa redire
Vt voluit,subito se contulit, & Deus, atque
Verus homo,sed non adeo mortalis, vt ante
Amplius: at contra diuino totus inhærens
Qua mortalis erat,se nobis ipse videndum
Præbuit,in dubio ne quid superesset, & illa
Luce resurgentem,qua se prædixerat,omnes
Nossemus,pariterque necis vitæque potentem.
Quid nos? an non cum Domino surgemus & ipsi?
Surgamus: Primum à vitiis hic transitus esto
Ad summos apices,virtutem & religionem,

Mox

Mox ad cæleſtes ſuperos, patriamque ſupernam:
Non aliam ob cauſam ſupera de ſede profectus
Hic adiit genus humanum, quam ducere ſecum
Vt poſſet nos hinc alacres, atque ire volenteis.

AD TRYPHONEM GABRIELEM Pat. Venetum.

QVo finitis ſocii me per deſerta vagantem
Hæc loca nunc ferri? quæ iam tenebroſa ſub antra
Conſertos inter vepres, atque aſpera ſaxa
Ducunt, & vario perplexum errore viarum
Exercent, ſemperque premunt, atque vſque fatigant.
Nec veſtrûm quiſquam tanto in diſcrimine dextram
Porrigit, atque vagum fallaci in tramite ſiſtit,
Aut docet ire viam præſens, & in æqua reducit.
At qui olim multi, vel tu reuocare ſolebas
In primis me, care Tryphon, ſi forte parumper
Deuius à recta iam declinare videbar.
Orſus eram, vt paruæ poterant in carmina vires,
Ætherei ſecreta procul veſtigia cantus
Pone ſequi, afflato quos olim protulit ore
Ad cytharam vates, quem non imitabile carmen,
Atque hominum ſupra captum, cecinisse fatentur
Voce palam cuncti, qui ſacra ad limina tendunt
Veri ſecreto commoti numine Phœbi.
Atque ita ſuſpiciens, humiliſque & pronus adorans
Tentabam ſi qua ille mihi ſe forte fauori
Præberet precibus crebris oneratus, & vna
Affectu hoc noſtro motus, propriæne benigno.
Aſſenſu potius, & ſolo munere mentis.
Tandem hac ſpe tantum perſtans, tum totus in illis,
Quæ quondam is ceciniſſet, eram, nec cætera porro
Linquebam interea Legis præcepta vetuſtæ
Quin legerem grauium auctorum, verſabar & inter
Quæ mihi grata forent, atque apta ſenſibus annis,
At nunc neſcio qua tenui dulcedine captus,
Ætatis præter ſolitum iuuenilia ludo.
Ecquid permittes hæc me per inania duci?
Quæ mihi, quæ ſtudiis non conuenientia noſtris

Offen-

Offendunt etiam purgatas protinus aures.
Cur me ad concentus cessas adhibere priores?
Quos mihi nonnulla solitus iam laude probare
Subdideras celeres currenti sæpius ictus.
Cur non hortari? cur non, velut ante, monere
Instituis? vel, namque potes, me hæc ad pia cogis
Munera? quæ tibi sunt merito gratissima semper:
Vel quia Musarum tibi iam non vltima seruit,
Optatus quoties illarum ad culmina tendis:
Vel quod nostra piæ miro conamine mentis
Sacra tenes, eademque pari veneraris honore.
Imo age, nam posco, poterit quod vtrumque decere,
Tentemus, si quid forte aspirauerit ardens
Ille canor nobis, qui non diuinitus vnquam
Nil prorsus est modulatus: at æthera semper apertum
Intuitus regum regem rex ipse canebat
Atque vni laudes, vnique ferebat honorem,
Tu prior, ipse sequar, sic me nam rursus amice
Ad non missa quidem, sed ad intermissa vocabis.
Try. Quæ desolatos cœperunt gaudia patres,
Dispersos pauor horribilis quos egerat ante,
Cum quem defunctum fierant, exisse sepulcro
Viderunt miro perculsi corda stupore.
Aur. Quæ prosternatas cœperunt gaudia matres,
Vt pauidis hilari se vultu nuncius vltro
Obtulit æthereo cæli de culmine missus,
Tristia qui placidis mulceret pectora dictis.
T. Qui cum custodum est coniectus in agmina terror,
Cum tremor inuasit terras, subitoque reuulsum est,
Quod tumulo hærebat firmo, pro tegmine, saxum.
Aur. Quo strepitu fugêre mali sub tartara Manes,
Cum se præuentos senserunt lumine tanto,
Nec posse vlterius minimo sub tegmine condi.
T. At vertêre boni sensus oculosque repente
In dominum, inque ipsum rerum patremque Deumque,
Inque expectatum iam longo tempore Christum.
Aur. Quin alacres venere omnes in limina lucis
Æterni prætenta ducis vexilla sequuti:
Sontibus at meritas miseris liquere tenebras.
Sed tu desine plura: bonis nam certa parantur

Præ-

Præmia viſuris ſedes quandoque beatas,
Illi cum primum in terris liquere caducum
Et mortale ipſi pondus,vis nulla laborum
Nulla dolorum illos agitat,non vlla timoris,
Non fraudis,non vlla doli. quin dira voluptas
Innumero errorum ſemper comitata tumultu,
Et quæ mortales vexant, & inaniter angunt,
Cætera non vllis illic admota propinquant.
At ſecura quies,nulliſque exercita curis
Vita manet,prorſumque bonis non indiga noſtris.
Viuunt contenti ſolo per ſecula viſu
Omnia,nec requies illis datur vlla videndi,
Atque eſt his ea ſumma quies:hac namque beati
Perpetuoque illic æuo,& ſine fine fruuntur.
Try. Sic tua cæleſtis fauor hic incepta ſecundet,
Quo mihi tu tantum carmen ceciniſſe videris,
Aureli,ſtudia hæc atque hos ne deſere cantus.
A. Imo hæc,quæ mihi nunc modulando multa dediſti
Adiumenta Tryphon,ne tu fuge tradere rurſus.
Cum repetam : nam ſic noſtris afflabis honorem,
Quale manus addunt ebori decus,& tibi multa
In noſtrum quondam ſuperabit gratia carmen.

AD ANTONIVM VONICAM Taruiſinum.

QVo me,quo Siſides rapitis per flumina Numphæ?
Nec fluitantis equi teneo iam lora, nec ipſe
Conſilii compos valeo diſcernere,qua me
Parte regam, ſic hinc terrent maiora fluenta,
Hinc obſtat cœnoſa palus & lenta tenaxque,
Et qua quadrupedis poſſit vix vngula velli.
Hæc ego,vectoris dum vi ducebar in amnem :
Sed timor omnis erat tamen, vt ne gurgite in alto
Mergeret, atque expes ferrer quacunque ſub vndas.
Nam neque erat ſpes vlla mihi, neque certa fidelis
Auxilii ratio,ingenti ſed plena pauore
Omnia,& expoſitis paſſim manifeſta periclis.
Ac neque quem Graii quondam finxere poetæ,
Quove lyram plectrumque tenens eſt vectus Arion,
Auxilio poterat mihi tum ſe oſtendere Delphin.

Nare

Nare nec exiguis contento in flumine ripis
Immanis, qui me ſublato gutture Cetus
Deglutiret, vti vatem iam mirus Ionam
Cepit hianti ore, ac vaſto ſub ventre recondit,
Ille Dei haud parens monitis, qui iuſſerat vrbem
Hunc petere extemplo Niniuen, mandataque ferre
Horrenda, in Tharſos cum declinaret, vt ipſum
Tanquam forte Deum, cernit qui cuncta lateret,
Nauem conſcendit pauidus, ſeſeque ſub imum
Ipſe gubernaculum recipit, pauitansque recondit.
Interea magno miſceri murmure pontus
Incipit, exhorrent nautæ, timet ipſe magiſter,
Et nunc cum ſociis ſupplex in vota precatur,
Nunc tempeſtatis ſubitæ perquirere cauſam
Conatur, ſortesque iacit, ſimul orat Ionam,
Quem ſors ipſa ſuper perſederat, vt ſibi & vna
Omnibus ex æquo bene conſulat. Ille ſalubre
Conſilium dare ait, ſi ſe cuncti agmine facto
In mare præcipitem iaciant: namque vnius eſſe
Nomine cuncta ſuo, quæ nunc incommoda ferrent,
Qui non iuſſa Dei ſubito perfecerit amens.
Illi ergo, vt trepidis ſeſe ſeruare poteſtas
Offertur, rapiunt ſublimem, atque æquor in altum
Proiiciunt puppe ex alta, quem protinus amplo
Ore ingens monſtrum vorat, atque in viſcera condit.
Quid faceret? quo per latebras, & cæca per exta
Se ferat? auxilio cuius nitatur, vt inde
Exeat? aut cæli procul illinc lumina cernat?
Quod ſupereſt prorſus ſapiens mox expedit vnum
Orando ſupplex veniam petit: at Deus vltro
Imperat, ille leui ſiccaque exponitur alga
Illæſus, quanquam ipſe truci detentus in aluo
Iam triduum terna pariter cum nocte fuiſſet.
Ergo iterum populorum vrbem rerumque potentem
Iuſſus adit, profertque palam minitantia verba.
Illi continuo pauitant, ac iuſſa faceſſunt,
Et ſcelera his rite deus expurgata remittit.
Parcere ſubiectis nouit pater, & pius idem
Humano quondam generi commiſſa pepercit:
Immeritamque luit noſtro pro crimine pœnam.

Mortem

Mortem adijt, ternosq; dies iacuisse sepulcro
Sustinuit, totaq; super mox gente salutem
Attulit, atq; viam supera ad conuexa reclusit.
Huic etiam quocunq; loco, quo tempore cunq;
Magna vel, aut iam parua velis, sunt omnia curæ.
Nam quis me potuit tantis arcere periclis?
Cęlestis ni tum fauor afforet, & Deus ipse?
Tu mecum Antoni precor, isthæc Vonica vide,
Atq; eadem prudente diu cum mente voluta.
Nam dum ipse angustis agitabar talibus, ecce
Assistunt iuuenes duo protinus, inq; fluenta
Prosilit alter ouans, ripa se continet alter
Sedulus, ille feri dextra capit, & tenet aurem.
Ac mihi, Ne metuas, inquit, procedit, & vna
It mitis, prius asper equus, ripęq; propinquat.
Vnde manu exponit placidus, qui restitit ante.
Meq; ambo incolumen sicca tellure reponunt:
Deinde alacres abeunt, illis dum reddere conor
Ac superis meritas imo de pectore grates:
Hos ego non vlla memini regione videre.
Sed mihi tum primum visi, nec contigit vltra
Vidisse hos alias, quorum si forte requiris
Scire habitum, viridi florebat vterq; iuuenta.
Sed mihi qui medijs præsens hærebat in vndis,
Altior, vt qui equitem me tunc æquaret eundo,
Et latis ingens humeris incederet Heros.
Quem vero attentum ripæ de margine dixi
Expectare, manumq; vltro præbere roganti,
Hic agilis dexterq; & agendis omnibus aptus
Rebus erat, vultuq; omnem pręstabat honorem,
Quid geminos olim Pollucem & Castora iactet
Prisca ætas, multis præsentes sæpe fuisse
Auxilio? non hos etiam mihi fingere diuos
De facie atq; omni prorsus virtute liceret?
Verum hæc non adeo nos commentemur amice
Sed nostris persępe Deum succurrere rebus,
Qui pius afflictis hominum miseretur & ęgris,
Et male pro meritis nobis benefacta rependit.

AD BARTHOLOMÆVM AGOlantum Taruisinum.

TE quoq; ad has epulas inuitassemus amice,
Nouerimus ni te multis Agolante teneri,
Quæ tibi iam gustanda prius sunt nempe necesse,
Quam te isthuc conferre velis ad prandia nostra
Sic fortasse monent faciendum, vt præuia quædam,
Quę gustum exacuant, & quę sint grata voremus:
Deinde assistamus mensæ cunctando salubri.
Cœpisti propius rerum discernere causas,
Ac quo vis humana potest se ferre, laboras
Tendere, & hoc animi studio te explere beati,
Si quid in humanis tamen est quod nomine tanto
Digneris: nam quæ linguis sunt tradita vtrisq;
Iam pridem tibi nota, manent te grandia tantum
Cætera, quæ versas, quibus & iam sedulus vnis
Ipse diu incumbis, satur vt quandoq; reuersus
Expletusq; illis, veluti conuiua sagacis
Ingenij videas, epularum an forsan odorem
Gustaris tantum immunis expersq; saporis.
Sunt ea nimirum reliquis præstantia cunctis,
Quæ cupiunt, quęruntq; etiam mortalia corda.
Verum & ad hęc, & in his semper sub luce maligna
Tendimus, & varijs sic circumfusa tenebris
Incidimus, simile vt veri quandoq; repertum
Dicere, vix possis casu, ratione quod optas
Quęsisse & propria tentas indagine mentis.
Quam satius sapiens Sophiam deducere cælo
In terras dictus, qui contemplanda relinquens,
Quæ reliqui assuerant totis perquirere auentes
Viribus, edocuit spectari proxima nobis,
Virtutem amplecti, vitia insectarier, omnem
Deniq; perpetua vitam componere lege.
Sed quid is, aut vlli, quanquam meliora secuti
Sint alijs, poterunt nostris conferre? quid ipsis
Rebus inanis enim rerum contenderet vmbra?
Vna hæc, quam sequimur sapientia & vnica virtus,
Huius nunc studio addicti vacuiq; tenemur.
Hanc tu etiã cum tempus erit (licet id quoq; semper

Ex-

Extet, & haud sero nunquam incipiamus) vt illa
Quæ tam nunc auide sectaris, cœperis, inquam,
Ad plenum, amplectêre quidem & sectabere solam.
Impuleris fortasse & vt huc Cassellius alte
Conscendat tecum comes: æqualem ipse meum iam
Nunc orare Bononium adopto, vt dulcia tandem
Quæ canit, ad superum conuertat carmina laudes,
Et grauis huc tanti diuertat semita vatis.
Nam Vonica meus iampridem Antonius almam
Assiduis legem manibus versare putauit
Esse viri, qui multa alias iam legerit, & qui
Viderit expleta hæc falsis & inanibus esse.
Quanta est nostra quidem, ne quis se iactet, in vllis
Cognitio magnis? animo cum nempe capaci
Nemo adeo est, qui se, ne dum cælestia captet.
Ne fas forte ea scire, nisi cum libera prorsus
Corporeis vinclis & cæco carcere mens est:
Ast eadem nos velle licet, simul ipsa frequenti
Suspicere affectu, totaq; requirere mente.
Hinc amor ille potens, qui iam, simul atq; reliquit
In terris socias feruentes spemq; fidemq;,
Toto quo electos demum comitatur Olympo.

AD PETRVM LIPOMANVM IN obitu Claræ sororis.

A Mœna, Petre, quæ vides vagus loca
Putato vana te videre somnia,
Nec esse quippe, sed videri, & vndiq;
Per altum inane lubricumq; prospici.
Aues canoræ, & arborum leues comæ,
Et acre murmur insonansq; frondium,
Eas mouente leniter Fauonio,
Canes per æqua feruidi, fugax lepus,
Puella flore vinciens nouo caput,
Amore lætus ac vagans leui puer,
Et omne quod videris, hic alacriter
Videre, prorsus vmbra sunt perennium
Inanis, ac valentium esse perpete
In omne tempus. Ast opes, agri, domus,
Et ipsa vana sunt quoq; haud habentia

Sui quid integrum, suive quid potens,
Et vsq; firmum, & vsq; consonum sibi.
Nihilq; forma, robur, ac decor valent,
Honorq; ferre, quo diu queat fore
Vbiq; quicquid editum sub æthere
Vides, caduca cuncta sint, fluentia
Et vsq; præter id, quod alma munere
Dedit Deorum & expetenda gratia
Tibi, mihiq; cęterisq; quibus datum est
Valere mente: mens enim modo viget
Futura semper, ac humi simul graue
Reliquit ipsa pondus, ad sacras poli
Statim perennis & leuis volat domos.
Vbi fruuntur aurea pij vice
Vigoris omnis, ac salutis intimæ,
Vigor nec alter est, salus nec altera,
Bonum nec alterum, nec vlla cæteris
Beatitatis aut quietis actio
Inest, mouente sed sub orbe fluctuant
Vbiq; cuncta. firmior parum tamen
Is est hic vnus, ima qui colens, supra
Caput tuetur, idq; promptus exerit,
Grauisq; donec hic moratur, explicat
Leuisq; & altus alitis pennas modo,
Cælumq; mente, ceu solutus corpore
Petit. Sed hæc est vita perfecti nimis
Viri beata, qua frui pauci queunt,
Quamq; ille (si qua id sustinet dici) tuus
Colendus in primis sacerdos maxime
Affectat, atq; sponte spretis omnibus,
Quæ Mundus vltro viribus cunctis petit,
Vnam secutus, prorsus hanc complectitur.
Et nunc in altis montibus latens procul
A patria, amicis atq; charis omnibus
Vni vnus hærens, qua potest, vni studet
Placere, cui se dedicauit vnice.
Nunc vrbe degens percitos sontes metu
Solatur, audit, excitat, terret, monet,
Hortatur, atq; promouet miris modis
Vitijs relictis ad decens, ad fas, ad id

Quod

Quod iure miseris conuenit mortalibus.
Mox expeditos ad pios cultus trahit
Ipsos volentes, atq; ad alta dirigit
Spectanda, quæ mens sic onusta corporis
Torpore vix hallucinando suspicit.
Hæc ille. Sed nos, qui secundis sedibus
Debemur olim forsitan, vel tertijs,
Parere sanctis legibus compellimur,
Seruare mores, abstinere fraudibus,
Vacare cupiditate, inani gloria,
Iraq;, cunctis deniq; actionibus
Prodesse multis, & nocere nemini;
Sese tueri, ne labemur, ne vagos
Variosq; cursus incidamus noxios,
Quos nostra nobis semper huc infirmitas
Apportat, aut quos ille nobis ingerit
Humanitatis persecutor impius.
Horum ipse conscius opifex rerum Deus
Multos acerba morte quondam sustulit,
Multosq; rursus forsitan (quæ est illius
Immensa & infinita prouidentia)
Extinguet ante, quam iuuenta illuxerit
Illis serena, ne mala his contagio
Contaminati prorsus orbis ingruat,
Labemq; moris improbi secum trahant.
Lugent parentes inde chara pignora
Abrepta varijs & dolendis casibus.
Suos amores coniuges viros, suas
Viri vicissim coniuges tenellulas
Fletuq;, lacrymisq; ac pijs vlulatibus
Diesq; noctesq; expetunt, quærunt, vocant
Frustra miselli. Tu sororem sæpius
Adhuc requiris, ante quæ diem cadens
Desideria sui reliquit plurima
Tibi, parenti, coniugi, cunctis suis,
Virtute, forma, moribus sanctissimis,
Quales decebant nobili exortam domo.
Sunt hæc dolenda, sunt pijs affectibus
Hæc prosequenda: non enim duro sumus
Nec sentiente procreati robore:

Natura at extat insitus nobis dolor,
Dolere fas est omnium cunctis vicem
Charissimorum, ac perpeti luctum diu,
Quoad doloris iusta vis resederit.
Est finis, vbi te in sinum receperis,
Ac cogitaris, esse iam receptui
Tandem canendum, nostra ne si commodis
Eius feramus ante, videamur parum
Sentire quid nos deceat, & sanctissimæ
Exire iussos charitatis terminos.
Hanc vos videre, hanc alloqui, hanc viua frui
Velletis omnes, coniugi prolem dare.
Hanc, charam, opibus vti suis, honoribus
Fungi paratis vtriusq; splendida
Virtute. Sunt humana quippe hæc omnia,
Et expetenda, & omnium gratissima.
Sed est, quod illa forte ad hæc fari queat,
Voluisse sese hæc, & cupisse consequi,
Dum vita staret, donec in terris diu
Quærendo, quod non assequi quisquam potest,
Ipsa elaboraret, neq; hæc magni tamen
Nunc adeo facere vel probare, vt anxie
Terra mariq;, sedulo, domi, foris,
Vt sit, petantur omnibus periculis,
Ac digna tanto sint honore deniq;,
Errore mentis quantus his vanæ datur:
Quæ si parentur, non minus molestiæ
Profecto, quam iucunditatis afferant.
Secumq; multo sic melius actum putat,
Quam si iuuentam protulisset longius.
Vidisset, inquit, multa quæ mortalibus
Acerba casus, vel voluntas attulit
Maligna sæpe, vel potestas acrior,
Quam ferre possit æqua virtus vllius
Vnquam vicissim, sic laboribus labor
Connexus alter alteri superuenit
Semper, nec vlla concitis semel quies
Datur laborum vel malorum fluctibus.
Pluraq; alia quoq;, maxime vero omnium
Priuata, publica, vniuersaq; incommoda,

Ini-

Iniqua patriæ quæ tulerunt tempora,
Sensisset. At nunc cælitum vacans choris,
Interq; diuas ambulans felicius,
Quibus beata perfruatur gaudiis
Vix suspicari possumus, ne dicere
Id audeamus his minutis versibus,
Hoc præter vnum, quod venusto nomine
Iam clara, nunc re sidus it clarum polo.

AD M. HIERONYMVM Vidam, P. Cremonensem.

ESse ferunt collem Phœbo Musisq; dicatum,
Quo cuncti pariter certant contendere vates,
Atq; sacrum approperāt illuc haurire liquorem
Perpetuamq; virere putant in vertice Laurum,
Vnde queant caput optata vincire corona.
Cernere propterea est nonnullos montis ad imam
Radicem se ferre, & sub radice moranteis
Conterere hic æui partem melioris, vt alta
Qui spectare procul contenti culmina, si quid
Diuini laticis valeant contingere summo
Tantum ore, aut ramis felicibus arboris almæ
Sorte aliqua frondeis vllas legisse cadentes.
Sunt etiam, vt referunt, & qui reptare laborant
At mediæ septum magno conamine rupis,
Intra quod pauci sic admittuntur, vt vnus
Hisce locis, alterue queat satis esse videri.
Quid qui infra positos ausus contemnere, sese
Tollit, & in summo scandentem vertice sistit?
Atq; inter lauros, atq; ipsa ad limina fontis
Constituit Musis aram Phœboq; sacerdos,
Affaturq; illic diuos, auditq; videtq;
Felix? ô mihi si saltem in conualle propinqua
Versari detur, quid fortunatius optem?
Atq; id nunc operam do, quo me demere vulgo
Assuescam, mediterq; procul diuina tueri.
Namq; vltra proferre pedem tardante senecta
Haud ausim, satis est quoniam, si non pede claudo
Inferimur lutulenta atq; in salebrosa viarum.
Quam multi è priscis etiam venere volentes,

Tu vero, cui Seriades se ostendere Nymphę
Dignatæ quacunq; duces comitesq; dedere,
Perge, iuuetq; iugi iam peruenisse sub alta
Culmina, dum vires, ac dum pręstante iuuenta,
Vida, potes quemcunq; & adire, & ferre laborem.
Namq; illic quodcunq; agitas, animoq; reuoluis,
Pręsto erit, & tibi se manifesto in lumine pandet,
Ni penitus vanę modo me lusere puellę
Pierides, miris è nexibus extricantes,
Cum tibi eas docta fingentes serica vidi
Fila manu properare, atq; internectere, queis se
Implicet, atq; volens pergat circundare bombyx.
Quin oriturum etiam vatem committere alendum
Formandumq; tibi vidi illas omine certo,
Cum ter te attonitum duxere altaria circum,
Atq; eadem ternis etiam cinxere choreis,
Actutumq; tribus fulserunt omnia flammis.
Præterea ludos belli simulacra cientes
Edocuere modo quo grate dicere posses.
Tum veros Martis strepitus, & signa, tubasq;
Audire, atq; videre, interq; horrentia ferri
Agmina concessere, ac pleno ferre per orbem
Æquato quondam certamine prælia cantu.
Quare age perpetuum primaq; ab origine carmen
Audacter, quod mente diu iam concipis, ede.
Vt scelus infandum gens ausa est impia quondam
Cunctarum aduersus rerum patremq; Deumq;,
Optima quem toties adeo mandata docentem
Audierant auidi, videre & mira frequenter
Ac passim peragentem, & non mortalia quoquam
Præstantem, at prorsus præ se diuina ferentem.
Namq; palam hauserumt oculis atq; auribus ipsi,
Vt primum in terris vagitus protulit infans
Maximus, esse Deum, qui nos inuiseret alto
Demissus cælo, cum supra vilia tecta,
Sub quibus in paruis iacuit pręsepibus ille,
Videre insolitum radijs fulgentibus astrum.
Cęlestesq; etiam supra sensere canentes.
Et flexis illum genibus venerantia bruta,
Ac reges pariter diuerso ex orbe secutos
Side-

Sideris exorti cursus, & dona ferentes.
Cætera quid memorem tota sanctissima vita
Acta illi, confessa Deum & testantia solum?
Hæc te namq; manent, hæc te tua submonet ipsa
Religio, cultusq; Dei, & prestantia vitę
Ordiri, atq; super fauet his tibi conscius æther,
Æternumq; parat ventura in secula nomen.
Ipse autem, si quid me fors ea gratia tangit,
Exiguam tantorum operum vel sumere partem
Conabor totis ornandam viribus, aut si
Inualidi nequeant humeri iam pondera ferre
In promptos saltem affectus, & debita mentis
Munera descendens, lacrymis mox cuncta replebo
Quo mihi cunq; dabunt sese per carmina vires,
Ad fixas clauis plantas, ad pectus apertum,
Ad caput impressis confossum sentibus almum.

Geronticon Finis.

TRACTATVS D. THOMÆ DE AQVINO ORDINIS PRÆDICATORVM, DE LAPIDE Philosophico, & primo de Corporibus supercælestibus.

CAPVT I

ARISTOTELES in primo meteororum ait, quod pulcrum & laudabile sit inuestigare causam incentionis causarum, Sapientes enim videntes effectum rerum scrutantur causas. Nos autem videmus corpora cœlestia agere in elementa, & ex potentia materiæ vnius elementi, vtpote ex materia aquæ, educere formam aeris & ignis. Omne enim agens natura, agit vt sibi simele educat, vt ignis agit in lignum & educit ignem, & loquor hic de agentibus naturalibus principalibus. Videntur enim Corpora supercęlestia non sine elementi siue elementalis formæ materia esse, & maxime quia ad sensum videmus sphæram planetarum simplicioris fore naturæ,

quam ipsi planetæ, & planetas crassiora esse corpora & compositiora. Sed ad euidentiam istius veritatis, non secundum quod probaui de influentijs rerum naturalium. Et hoc optime Rogerius exponit. Omne agens naturale per similitudinem suam agit, immittendo similitudinem illam in passum, quæ quidem similitudo non est diuersa ab agente in specie, vtpote si stuppa ponatur iuxta ignem, ita quod non iungatur igni, ignis sicut alia agentia multiplicabit speciem suam per medium, quæ species multiplicabitur, & recipietur in stuppa per actionem ignis naturalem continuam & aptitudinem passibilitatis stuppæ, vigorabitur in ea species quousque sit in completo actu ignis, propter quod patet, quod similitudo ignis non erat diuersa ab igne in specie. Sed quędam res sunt valde actiuæ sua actione specifica, ita quod possunt educere per similitudinem suam, conformando & multiplicando similia omnino sicut ignis. Alia vero sunt, quæ non possunt sibi simile omnino actu educere in subiectum specie sicut homo. Non enim homo posset similitudinē quæ est in medio tantum conformare quod fiat in actu homo, quia homo alijs actionibus est occupatus. Vnde secundum quod probat Rogerius in libro de Influentijs, si homo haberęt ita fortem actionem in similitudinem suam, sicut ignis, non est dubium quin illa species fieret verus homo, vnde non potest dici, quod illa similitudo hominis sit omnino non homo, quia ipse ponit eam sub specie. Cum ergo corpora cœlestia agant in elementis, agunt per similitudinem suam. Cum ergo educant aliquid eis simile, & quasi eiusdem speciei, igitur cum educant ab elemento elementum, & elementis res elementatas, sequitur de necessitate quod habeant ipsi aliquid de elementis. Et vt plenius videas, cogita hoc in sole, qui educit ignem à corpore vrinalis pleni aquæ & a corpore crystallo sphærico. Vnde scire debes, quod licet agens secundum quod probatum est in libro de Influentijs, multiplicat similitudinem suam per lineam perpendicularem rectam & fortissimam, sicut patet in stuppa & igne, quæ primo iunguntur in puncto illius lineæ consideratæ perpendiculariter. Cum enim vrinale plenum aquæ vel crystallus ponitur ad solem, radij solares qui sunt eorum similitudo, sicut patet si apponatur speculum, quod videbitur ibi sol multiplicari per lineam perpendicularem re-

rectam, quæ transiens totum corpus non frangitur in aqua, propter fortitudinem suæ actionis, & per lineas rectas non perpendiculares, aut quæ franguntur in corpore vrinalis, fiunt obliquæ in aqua & transeunt ad aliam partem, & coadunantur in puncto lineæ perpendicularis. Et ille pūctus fit combustibilis, vt si apponatur stuppa statim accendatur, vt patet hic. Propter quod similitudo solis vel radius solis confirmatur, per continuam actionem solis efficitur ignis. Ergo sol habet in se naturam igneam, hoc autem in speculis comburentibus. Pono enim fieri speculum talis compositionis, depositionis, & formæ de chalibe politissimo, quod tota vna linea fiat combustibilis, ita quod appositum villæ vel ciuitati vel loco alicui comburat eum incessanter. Sic dicit Athan in libro de Speculis comburētibus. Propter quod manifestum est, solem & alia corpora supercælestia non sine elementali materia esse, nec propter hoc corruptibilia, nec grauia nec leuia. Vnde distinguendum est de elementis, quia quædam sunt purissima, simplicia, non habentia virtutem transmutatiuam vnum in reliquum, quia materia eorum contenta est sua forma, & ista elementa possunt esse corpora supercælestia: Nam ponimus ad literam aquam super firmamentum, & cælum aqueum siue crystallinum. Similiter possimus dicere de alijs elementis, & ab istis elementis, corpora supercælestia esse composita per virtutem diuinam aut intelligentiæ regentis ipsam. Ab elementis istis non potest generari grauitas aut leuitas, vt dicatur terra illa grauis vel ponderosa, quia solum inest terræ illi crassæ & ponderosæ, & quasi elementariæ. Generantur tamen colores in corporibus supercælestibus ab ipsis elementis. Cum enim corpora supercælestia quasi sint deaurata, quasi ex hoc scintillantur ex radio percutiente ipsa, sicut scutum deauratum scintillat cum percutitur à sole. Sic ponit Astrologus credendo causam de scintillatione stellarum. Et quia talis color siue deauratio habet generari. Sic Isaac probat & Rogerius in libro de Sensu, ex aliquibus qualitatibus elementalibus, oportet in ipsis naturam elementalem fore. Sed quia illa elementa purissima sunt in suis naturis, & nonnullis accidentibus immixta, oportet quod in ipsis corporibus sunt corporaliter vel proportionaliter, quod nunquam possint à reliquo superari. Nec de hoc mireris, quia ego per artificium

natu-

natura cooperante ſeparaui à quibusdam corporibus inferiorib⁹ quatuor elemẽta, ita vt ſingula haberem ad partem, ſcilicet aquam, ignem & terram, & quælibet de per ſe depuraui accidentibus in quantum potui quadam operatione ſecreta, tandem depurata coniunxi, & venit mihi quædam admirabiles res, quæ à nullo iſtorum etiam inferiorum elemẽtorum ſubiugatur. Nam ſi ſemper ſtaret ad ignem, nunquam combureretur, & nunquam transmutaretur. Non ergo mireris, ſi corpora ſupercæleſtia incorruptibilia ſunt, quantumcunque ſunt ab elementis cõfecta. Non igitur dubium, naturam illam dictam multum participare corporis cæleſtis. Vnde dicit Hermogenes qui triplex fuit in Philoſophia, De eo aere terra cum ad perfectionem perueniſſem, fuit mihi gaudium, quale nunquam fuit, videnti quintam eſſentiam ſine elementali materia, vt infra dicemus. Plus habet de potentia pugillus ignis, quam centum aeris forte, propter quod vnus pugillus ignis forte intrabit mille terræ. Pondera autem iſtorum elementorum quomodo haberent ſe in mixta ignoramus. Per artificium tamen natura cooperante vidi, quod cum ſeparaſſem quatuor elementa à corporibus quibusdam, & quodlibet de per ſe depuraſſem, in coniunctione ipſorum ponebam æquale pondus aeris, aquæ & terræ. De igne vero ponebam, ſextam decimam partem, & licet iſta confectio ſit ex elementis compoſita, tamen habet magis naturam igneam quam alterius elementi. Nam proiecta vna parte ſuper mille argenti viui, ſenſimus quod coagulabant ipſum, & rubrum efficiebãt, propter quod merito apparet illam naturam habere aliquid de natura corporum cæleſtium, nam in transmutatione habet ſe quaſi per modum formæ vel agentis potentiſſimi.

De corporibus inferioribus, & de eſſe & eſſentia Mineralium, & primo de Lapidibus.

CAPVT II.

NVnc vero de corporibus inferioribus tractandum eſt. Sed quoniam hęc diuiduntur in mineralibus, plantis, & animalibus, ideo de eſſe & eſſentia Mineralium pertractemus. Mineralia diuiduntur in lapides & metalla: Eſſe ergo eſt eadẽ ratione in iſtis ſicut in alijs creaturis, excepto ꝙ eſſe eſſentiæ educitur in iſtis ad actũ ſuppoſiti, & plures trãsmu-

mutationes quam in elementis vel corporibus ſupercæleſtibus, nam materia eorum eſt plurimis formis compoſita: Materia autẽ lapidũ eſt aqua, & immixta & groſſa, ſiue habens multum de terreitate vel parum ſecundum puritatem lapidis. Vnde ſecundum quod dicit Ariſtoteles in libro Meteororum (alij tamen capitulum putant eſſe Auicennæ) terra pura lapis non fit, ſed potius terra aquea, ſicut videmus generari lapides in fluminibus, ſalem ex aqua ſalſa, quæ habet multũ de terreſtreitate, & lapidem per calorem ſolis & ignis. Et autem materia lapidis aqua groſſa, agens autem calor & frigus congelans eam aquam, & eſſentiam lapidis in actum deducens. Natura enim lapidis reperitur in plantis, in animalibus, quos quidem lapides non ſine magna virtute conſideres: Alij namque ipſorum congelantur in animalibus virtute caliditatis, & in multis alijs virtuoſis lapidibus credens virtuoſiores eſſe lapides, qui procedunt ex animalibus, quã alios. Alij vero congelantur virtute minerali cooperante natura. Nam ſicut dicit Ariſtoteles, quidam faciunt quandam aquam ex duabus aquis confectam, quam lac virginis appellant, & coagulant ipſum in lapidem. Ita autem dicitur fieri ex lithargyrio diſſoluto in aceto & aqua ſalis Alkali, cũ quęlibet aquarum iſtarum ſit valde clara, ambę coniunctæ fiunt immediate quodam affectu minerali vna aqua ſpiſſa & alba ſicut lac. Cum iſta ergo imbibunt quod coagulare volunt in lapidem & coagulatur, vtpote ſi calx argenti vel alterius corporis huiuſmodi aqua imbuatur, poſtea in Kimia ad lentum ignem ponatur, fiet lapis, habet enim illud lac naturam coagulandi calces in lapides. Videmus etiam ex ſanguine, ouo, & capillo & cerebro & alijs partibus animalium fieri lapides mirabilis efficacię & virtutis. Verbi gratia de ſanguine: accipiebatur ſanguis humanus, & putrifiebat in fimo calido; poſtea ponebatur in deſtillatorio, & deſtillabatur aqua candida, ad modum lactis, poſtea augmentabatur ignis, & oleum deſtillabatur, poſtea fæces quę remanebant in deſtillatorio rectificabantur vt albifieret vt nix, & affundebamus eius oleum, & fiebat lapis clarus & rubeus mirabilis efficacię & virtutis, vt valeret fluxu ſanguinis ſtringere, & multas infirmitates expellere. A plantis etiam extraximus aquas, ſic videlicet, cõburebamus plantas in furno calcinationis, præterea conuertebamus calcem in aquam, & deſtillabamus & coagula-

gulabamus, & fiet lapis ille optimæ virtutis & efficaciæ secũdum virtutem plantæ, & diuersitatem. Quidam etiam faciunt lapides per artificium, vt omnino videantur in omni probatione lapidum, lapidibus similes naturalibus, vtpote faciunt hyacinthum similem hyacintho naturali, & saphirum similem alij, qui quidem modus generalis est. Dicunt enim quod omnium lapidum pretiosorum materia est crystallus, qui est aqua parum habens terrestreitatis coagulata per actionem fortioris frigoris. Molunt enim crystallum super marmor, & imbibunt quibusdam aquis acutis, clarissimis dissoluentibus sua acuitate multoties molendo & desiccando, vt fiant quasi vna natura, postea ponunt eam confectionem sub fimo calido, & ibi ad tempus conuertitur in aquam, quam aquam destillant, vt clarificetur. & partes subtiliantur. Postea habent aliam aquam rubeam confectam ex vrina puerorũ & vitriolo calcinato rubeo. Similiter multoties destillant & coniungunt ambas aquas secundum pondera, & ponunt in fimo vt melius coniungantur, & simul destillant, & postea ad lẽtum ignem in Kymia congelant, & fit lapis omnino similis Hyacintho: & quãdo volũt facere Saphirum, habent secundam aquã factam cũ vrina & Azielmo [al. Azurino] & sic de alijs secundum diuersitatem colorum, ex quibus omnibus patet naturam lapidum esse aquam: Agens autem in illam naturam esse calorem vel frigus, vt sit scilicet calor tenuis, vel frigus intensissimũ, quæ educunt ab ista materia formam lapidis in aquam suppositam vel sepultam. In lapidibus autem tria videmus sicut in alijs rebus, scilicet substantiam, virtutem, & operationem. Habemus iudicare de virtutibus per operationes secretas efficacissimas & occultas in quibusdam lapidibus, sicut sunt operationes naturæ & corporũ supercælestium. Non enim est dubium quin habeant aliquid de virtute occulta corporum supercælestium, & si de virtute aliquid & substantia habent, & non dicunt quod de substantia stellarum sint compositi, sed dicunt quod habent aliquid supra virtutes istorum quatuor elemẽtorum, vt aliqui lapides participant aliquid de natura stellarum, siue corporum supercælestium, secundum quod tetigi in tractatu de corporibus supercælestibus. Quia separaui à quibusdam corporibus quatuor elementa, depuraui, & depurata coniunxi, venit mihi lapis tantæ efficaciæ & virtutis,

tutis, vt esset natura mirabilis, contra quem non habent potestatē elementa grossa inferiora, de quo Hermogenes (quē Aristoteles vocat patrem, qui triplex fuit in philosophia, & perfectus omnino quoad substantiam scientiarum & virtutis earum & operationis earum) dicit, fuit mihi gaudium quale nunquam fuerat, videnti quintam essentiam sine elementali natura de virtutibus inferioribus. Propter quod euidenter apparet, quod aliqui lapides aliquid habent de quinta essentia, & plene & manifeste est notum, ratio est operantis hanc hodiernam artem.

De esse & essentia metallorum, & primo de eorum esse & essentia seu compositione naturali & esse suppositi.

CAP. III.

Esse suppositi metallorum educitur à materia sui planetæ & naturarum, similiter & per artificium. Ergo cum sint septē metalla, quodlibet metallum educitur à suo planeta, videlicet Aurum à Sole, & vocatur Sol, Argentum à Luna, Ferrum à Marte, Argentum viuum à Mercurio, Stannum à Ioue, Plumbum à Saturno, Cuprum & æs à Venere, & nominibus suorum planetarum nuncupantur.

De Materia Substantiali.

Materia substantialis omnium metallorum est argentum viuum, vnde in aliquibus metallis est coagulatum debili congelatione, in aliquibus forti. Ita fit gradus in metallis secundum gradus actionis planetarum & sulphuris omnino puri congelati Argenti viui, & illa metalla in quibus parum congelatum vel terrestre, habent se per modum materiæ, & in potentia per comparationem seu oppositionem ad alia metalla, vt puta plumbum est argentum viuum terrestre parum congelatum, ex subtili sulphure & pauco, & quia actio sui planetæ est distans & debilis, habet se in potentia ad stannum, ad cuprum, ad ferrum, ad argentum, ad aurum. Stannum vero est argentum viuum clarum coagulatum parum à sulphure grosso & non puro, propter quod se habet in potentia ad cuprum, ferrum, argentum, & aurum. Ferrum vero est argentum viuum grossum

ſum terreſtre, ex ſulphure terreſtri valde groſſo, ex actione ſui planetę fortiter coagulatum, & ideo ſe habet in potentia ad cuprum, argentum, & aurum. Cuprum autem eſt coagulatum ex ſulphure multo & argento viuo mediocriter groſſo, cooperante ſuo planeta, propterea ſe habet in potentia ad argentum & aurum. Argentum quoque eſt ex ſulphure albo, claro, ſubtili, non adurente, & ex argento viuo ſubtili coagulato limpido & claro, cooperante ſuo planeta Luna, & ideo ſolum ſe habet in potentia ad aurum. Aurum vero eſt perfectius omnibus metallis, & fit ex ſulphure rubeo, claro, ſubtili, non adurente, & ex argento viuo ſubtili & claro, cooperante ſole fortiter congelato, ita vt etiam à ſulphure cremari non poſſit, à quo omnia alia metalla cremantur. Patet ergo quod ex omnibus hijs metallis poteſt fieri aurum, & ex omnibus præter aurum poteſt fieri argentum, & hoc patet in mineris argenti & auri, à quibus etiam alia metalla extrahuntur, & ibi reperiuntur coniũcta cum Marchaſita auri & argenti. Ex quo nulli dubium eſt, quod ſi permitterentur in actione naturæ ad tempus in aurum & argetum conuerterentur. Vtrum autem cum ex alijs metallis fit aurum, deſtruantur ſubſtantiales formæ aliorum metallorum, & quomodo hoc fiat, tractabimus in tractatu de eſſe & eſſentia rerum ſenſibilium, ibi tractabitur generaliter quod ſit veritas.

De eſſe & transmutatione metallorum, & primo de ea quæ fit per artificium:

CAP. IV.

TRansmutatio etiam metallorum fit & per artificium, vt eſſe vnius metalli in eſſe alterius transmutetur: Sane poteſt illa potentia deduci in actum, quanquã Ariſtoteles vel Auicenna dicant, Sciant artifices Alchemiæ nunquã ſpecies vere transmutari poſſe, ſed poſtea ſequi, niſi fiat reductio in primam materiam: Materia autem prima ſecundum quod dictum eſt omnium metallorum propinqua eſt argentum viuum, ſed materia remota eſt aqua. Sed cum hęc reductio ſit multum coniuncta naturæ, imo quaſi vtilis natura per artificium adiuuatur, & ex hoc difficilis, & ex huiuſmodi difficultate multi ſtulti facti ſunt, per hanc ſcientiam expendentes iuuentutem ſuam, & facultates in vanum,

fedu-

seducentes postea reges & principes, & hoc adeo vt reges desperanda de veritate huius scientiæ, eam non perquirant nec scire appetant, tot enim libri erronei totque fatuitates, totque operationum diuersitates ab istis ignorantibus scriptæ sunt, vt cum omnia tua operando per ipsa expenderis, de scientia desperando effectum minime consequaris. Ego vero omnia considerans, & quomodo reges habuerant operationes subtiles, & vix aut nunquam potuerũt ad perfectionem peruenire, credidi hanc scientiam nihil fore: Sed ad me reuersus, consideraui libros Aristotelis seu Auicennæ in secretis secretorum, & inueni eos vacuos ratione; quantumcumque factum siue scientiam confuse & in ænigmate aliqualiter declarant. Consideraui libros contradicentium eis, & inueni eorum alienationes similes: consideraui & principia naturalia; & inueni per ipsa posse fieri. Vidi namque argentum viuum penetrare & transire alia metalla; vt si contingas æs argento viuo mixto cum aliquanto de sanguine & argilla, penetrabit eum exterius & interius, & efficiet ipsum album, quamuis ille color non duret. Iam ergo argentum viuum habet mixtionem cum corporibus & penetrationem. Consideraui ergo quid si retineretur ne euolaret; & esset fixæ dispositionis cum corporibus, & faceret quod cuprum & alia corpora, non comburentur ab alijs, quæ comburunt cuprum & non comburunt argentum, quod esset prout argentum & haberet potestatem talem. Sublimaui igitur argentum viuum multotiens, ita vt efficeretur fixæ dispositionis, vt scilicet non euolaret ab igne, quod sublimatum dissolui in aquã, vt fieret reductio in primam materiam, & ex prædicta aqua calcem argenti & arsenicum sublimatum fixum multotiens imbui, quod totum dissolui similiter in fimo equino calido, quo dissoluto congelaui, & euenit mihi lapis clarus sicut crystallus habens naturam scindendi seu tundendi, penetrandi, & in corporibus retinendi, ita quod si parum huius super multum æris proieceris, statim ab eo educet formam argenti puri, quo nullum melius reperitur. Accipiebam autem vt in aurum eum conuertetem, rubedinem sulphuris nostri, bulliendo ipsum in aqua acuta super lentum ignem, quæ aqua efficiebatur rubea, quam destillabam per alembicum, & manebat in fundo cucurbitæ rubedo sulphuris pura, quam congelabam cum dicto lapide albo, ita quod efficiebatur rubeus, & parũ huiusmodi

ſuper multum æris proiectum efficiebat aurum puriſſimum. Iſte tamen modus quem ego pono, generalis eſt & occultus, nec pono eum propter hoc, vt aliquis incipiat operari, niſi forte eſſet multum perfectus in modis ſublimationum, deſtillationum, & congelationum, nec non in formis vaſorum, & in quantitate & qualitate ignium. Vidi etiam apud Bealgar ſublimatum, quantumcumque non fixum ſuper cuprum proiectum dealbat ipſum multum, in tantum, quod ſi medietatem puri argenti admiſceas, habebis bonum argentum, ſed tamen non purum, nam ab igne non exit album. Hoc idem facit Auripigmentum ſublimatum, ſed iſte modus dictus eſt transmutare vnum metallum in aliud.

De eſſe & procuratione noui Solis & Lunæ per virtutem ſulphuris extracti à lapide minerali.

CAPVT V.

Est tamen alius modus nobilior transmutandi, ſcilicet argentum viuum in aurum vel argentum, per virtutem ſulphuris rubei & albi, clariſſimi ſimplicis non adurentis: ſecundum quod dicit Ariſtoteles in ſecretis ſecretorum, vbi ponit modum valde generalem & confuſe, nam illud eſt abſconditum ſapientibus, & dixit ad Alexandrum, Diuina prouidentia iuuet te ad celandum propoſitum, & ad implendum arcanum, propter quod obſcure tractabo, nominando res aliquas à quibus educitur talis natura ita potens & nobilis. Librum enim iſtum non edidi propter vulgares, ſed propter perfectos. Hortor autem ne aliquis præſumat incipere opus, propter hæc quæ dicenda ſunt, niſi ſit multum peritus & expertus in principijs naturalibus, & multum diſcretus in modis deſtillationis, diſſolutionis, & congelationis, & in ignibus maxime. Neſcit homo qui velit hoc propter auaritiam præparare, ſed cum diſcretione & diligentia agere. Eſt ergo quidam lapis mineralis à quo educitur huiuſmodi virtus, ſcilicet ſulphuris albi vel rubei clari, quod non aduritur, & educitur per ſeparationem quatuor elementorum, & depurationem & coniunctionem ipſorum.

De operis mineralis enumeratione.

Iggitur in nomine Domini accipite de eo libram vnam, & tritura fortiter ſuper marmor, & imbue cum libra vna & media puriſſimi olei oliuarum communis philoſophorum.

vt fiat ſicut paſta, quam paſtam pone in ſartagine phyſica ſuper ignem, & totum diſſoluetur, & cum videris ſpumam rubeam aſcendentem, depone ab igne, quouſque deſcendat, ſemper mouendo cum ſpatula ferrea; & cum deſcenderit, iterum pone ſuper ignem, & hoc toties iterando quousque fiat ſpiſſum ſicut mel. Poſtea proijce ſuper marmor, & cito congelabitur, & fiet ad modum fruſti carnis, aut ſicut hepar bene decoctum; quod incide ad modum vnguis tui, in fruſta, & habeas tantundem de oleo tartari quintæ eſſentiæ, & vna pone ad ignem in ſartagine ſua, & ferueat ibi quaſi duabus horis. Poſtea pone in amphora vitrea lutata luto ſapientiæ, & ſtet ſic ſuper ignem lentum tribus diebus & tribus noctibus. Poſtea pone amphoram cum medicina in aqua frigida per tres alios dies, tunc confectionem incide ad modum vnguis tui, & pone in cucurbita vitrea, & ſuperpone alembicum, & deſtilla aquam albam ad modum lactis; & hoc eſt vere lac virginis: cum aqua deſtillata fuerit, augmēta ignem, & in aliam amphoram extrahe. Et accipe aerem, & erit ſicut aer purus pulcerrimus, quia in ſe continet ignem; & tunc remanebit terra in fundo cucurbitæ nigra, quam calcina in furno calcinationis, quouſque fiet alba ſicut nix; tunc redeas ad aquam quam deſtilla ſepties, quouſque lamina cuprea ignita extincta ter, intus & extra dealbetur penitus. Hoc idem fac de aere, hoc eſt de ſecunda aqua, in tertia enim deſtillatione inuenies oleum, & totam tincturam ſiue ignem in fundo cucurbitæ. Ideo reduc ſecundo & tertio, & ſerua oleum: deinde accipe ignem in fundo, qui eſt quaſi ſanguis niger & mollis, quem ſerua & deſtilla & reuerſa, & examina cum lamina ſicut feciſti de aqua, & ecce nunc habes modum ſeparandi elementa quatuor. Sed modum coniungendi fere omnes ignorant. Accipe ergo terram, & ſuper tabulam mundiſſimam vitream vel marmoream tritura, & da ei ad bibendum de aqua ſua quantum ipſa eſt in pondere, quouſque fiat ſicut paſta, pone in alembico, & deſtilla cum igne ſuo, & ex ea aqua quæ deſtillatur, iterum illud quod in fundo cucurbitæ inuenies imbibe, quouſque ſuam aquam totam imbibe- rit: poſtea iterum da ei aerem quantum eſt ad bibendum, eundem ordinem ſeruando ſicut cum aqua, & eueniet tibi lapis cryſtallinus, de quo ſi parum proieceris ſuper multū argenti viui, conuertet eum in verum argentū, & iſta eſt vis ſulphu-

ris albi non vrentis,& completur tribus,scilicet terra,aqua,& aere. Si autem acceperis septimam decimam partem ignis,& commiscueris cum hijs destillando & imbibendo sicut dictũ est,eueniet tibi lapis rubeus,clarus, simplex,non adurens, de quo si parum super multum Mercurij proieceris, conuertet eum in putissimum solem obrisum. Iste ergo est modus de lapide minerali, vt dictum est.

De Lapide minerali animali, & plantali huius sexta diuisionis vel tractatus.

CAPVT VI.

EST & alius lapis, qui secundum Aristotelem est lapis & nõ lapis. Est etenim mineralis,vegetabilis & animalis rationalis,qui reperitur in omni loco & in omni tempore, & apud omnem hominem,quem debes putrefacere sub fimo,& putrefactum pone in cucurbita cum suo alembico, & extrahe elementa,eo modo quo supra,& coniunge, & eueniet tibi lapis minoris efficaciæ & virtutis quam superior. Et non mereris quia dixi tibi quod putrefiat sub fimo equino calido, sic debet artifex attentare, vt si panem frumenti sub eo ad nouem dies posuerit,efficietur vera caro admixta sanguine, propter quod credo Deum potius elegisse panem frumenti, vt in corpus substantiaretur,quam quicquam aliud,& forte ab isto possunt educi quatuor elementa, & fieri aliquod bonũ opus. Ex omnibus ergo dictis patet,ex quibus est compositum, esse actuale suppositum mineralium, & quomodo non educitur per naturam solum,sed etiam per artificium. Benedictus Deus qui talem dedit hominibus potestatẽ, vt imitator naturæ existens,species naturales commutare possit, & quod natura pigra hoc multis temporibus operatur. Ecce alij modi sunt transmutandi metalla quæ ponuntur in libris Rasis, Archelai,& in libro septimo præceptorum, & in multis alijs libris Alchemicis.

De modo operandi per spiritus.

CAPVT VII.

EST etiam modus operandi per spiritus, ad quem sciendum,nota quod quatuor sunt spiritus, & dicuntur spiritus,quia euolant ab igne,& habent naturam quatuor elementorum,& sunt hi. Sulphur quod habet naturã igneam, Sal

Sal Armoniacum, Argentum viuum, quod habet ſpiritum aqueum, qui vocatur alio nomine ſeruus fugitiuus, Auripigmentum ſeu arſenicum, quod habet ſpiritum terreum. Quidam operantur per vnum iſtorum ſublimando eum, & in aquam conuertendo, & deſtillando, & congelando, & ſupra cuprum proijciendo, & conuertit eum vt dicunt. Quidam vero operantur per duo iſtorum, quidam per tria, quidam vero per omnia quatuor, ſcilicet quemlibet iſtorum ſublimando per ſe multoties, quouſque ſit fixum, poſtea quodlibet per ſe deſtillando, diſſoluendo in aquam cum aquis acute diſſoluentibus multoties imbibendo, & iterum ſimul aquas omnes iungendo, & iterum ſimul deſtillando & congelando, habet lapidem album cryſtallinum, de quo ſi parum proieceris ſuper aliquod metallorum, in veram lunam transmutaret. Et tunc quiddm dicunt quod ibi ſunt quatuor elementa, & depurata: Quidam alij vno ſpiritu & cum corporibus, & quantumcumque hunc modum non probauerim, naturalis tamen videtur, & vereor & credo quod omnibus quaſi ignotus ſit, licet Auicenna in epiſtola ſua ad patrem directa, hunc modum aliquantulum tangat. Ego vero cum locum ac tempus habebo, hunc modum probabo.

De aßignatione fermentorum Saturni & aliorum.

CAPVT VIII.

ACcipiantur ergo duæ partes Saturni ſi opus fuit ad Solem, & ſi ad Lunam, Iouis, & tertia pars Mercurij, & fiet Amalgama, fiet enim quidam lapis frangibilis quem multotiens ſuper marmor tritura, & imbibendo aceto acerrimo & aqua ſalis communis optime præparati, viciſſim imbibendo & deſiccando, quouſque maximam in ſe contineat aquarum ſubſtantiam, tunc ex aqua aluminis iſtius lamini imbibe quouſque fiat ſicut paſta mollis & pone ad diſſoluendum, & diſſoluetur totum in aqua, quam aquam deſtilla ter vel quater, & congela, & habebis lapidem, qui conuertet ad Lunam Iouem.

De assignatione reductionis ad Iouem, siue de modo operandi ad Solem.

CAPVT IX.

AD Solem vero recipe vitriolum depuratum, & calcinatum rubeum, & dissolue in vrina puerorum, & destilla totum, & hoc toties fac, quousq; aqua sit valde rubea: tunc istam aquam coniunge cum supradicta aqua antequam congeletur, & ambas aquas sub fimo aliquibus diebus pone, vt melius incorporentur, & ambas simul destilla, & congela, & habebis lapidem rubeum similem hyacintho, de quo si vnā partem super septem partes Mercurij proieceris, vel Saturni purgati & firmi, in Solem obrisum, habet enim quasi naturā fermenti. Reperientur etiam in libris aliæ operationes multę quasi infinitæ confusæ, quæ homines deducunt ad errorem, & ad suorum sine vtilitate amissionem, & maxime in præparationib. de quibus prolixum esset narrare. Ego autem non cupiditate lucri, sed vt viderē oculata fide mirabiles effectus naturæ, & causas eorum, non solum generales, sed etiam speciales & immediatissimas, non solum accidentales, sed etiam essentiales conspicerem, istorum multa probaui, & in separatione elementorum à corporibus. Quod quidem opus est verum & perfectum, tamen tantum laborem & fœtorem, ac etiam mei corporis imperfectionem sum perpessus, vt disponerem hoc opus nullo modo nisi necessitate coactus iterum attentare: De mineralibus hæc dicta sufficiant.

TRACTATVS D. THOMÆ DE AQVINO datus fratri Reinaldo, in arte Alchemiæ.

TVIS rogationibus assiduis, carissime frater, superatus tractatum breuem de arte nostra, certas regulas, operationes leues & efficaces & tincturas verissimas continentem, propono tibi præpingere in octo capitula partium, volens te in tribus habere precatum: Primo quod non cures multum de verbis Philosophorum modernorum & antiquorum in hac scientia loquentium, quoniam in capacitate intellectus & in demonstratione experimentali, tota ars Alchemica sedem sibi constituit. Philosophi vero cælare volentes scientiæ veritatem, quasi omnia figuratiue locuti sunt. Secundo

cundo noli pluralitates rerum appreciare, nec compositiones diuersarum specierum, nam natura nunquam nisi sibi simile producit, quamvis ex equo & asino mulus generetur productione imperfecta, sicut quidam scientiam imitantes, ex pluribus quandam multiplicationem producunt. Tertio ne sis garrulus, sed pone ori tuo custodiam, & vt filius sapientum, margaritas ante porcos non proijcies. Cum Deo tuo pacem habendo finem ordinatum in opere tuo semper in mente prę, fige. Credas pro certo, quod si dictas regulas mihi à D. Alberto traditas, ante oculos habueris, non oportebit te Reges & Magnates quærere, sed Reges & Magnates omnem honorem tibi impendent. Suspectus enim omnis in hac arte seruiens Regibus & Prælatis, cum ipse non solum ijs subuenire potest, verum omnibus indigentibus gradatim, quod autem gratis accepit, pro precio nulli in æternum præstare debet. Sint ergo regulæ præfatæ in corde tuo secreto signaculo indubitabiliter signatæ & sigillatæ, nam in superiori libro vulgaribus tradito, philosophice locutus sum, tibi autē & filio secretissimo apertius de tua taciturnitate confisus scripsi.

De operatione.

CAPVT II.

QVoniam secundum Auicennam in epistola ad Assam Regem: Nos quærimus substantiam veram & vnam facere ex pluribus coactam fixam, quæ super ignem posita ipsum sustineat, quæ erit penetratiua & ingressiua, tingens Mercurium & alia corpora verissima tinctura cum pondere debito, cuius tincturæ nobilitas mundi thesaurum excedit vniuersum. Nam vna res nostra facit esse tria, tria duo, duo vnum finaliter existunt. Quomodo tandem fit substantia vna vt dicit Auicenna, habere oportet patientiam, moram, & instrumentum. Patientiam, quia secundum Gebrum festinantia à diabolo est: Ideo qui patientiam nō habet, ab operatione manum suspendat. Mora est etiam necessaria, quia omnis actio naturalis, quam sequitur ars nostra, suū habet modum & tempus determinatum. Instrumenta vero sunt necessaria, non tamen multa prout in sequentibus patebit, quoniā opus nostrum in vna re, vno vase, vna via, secundum Hermetem, & vna operatione perficitur. Quæ quidem medicina licet sit ex pluribus aggregata, est tamen vna sola materia, nulla alia extranea indigēs, nisi fermēto albo vel rubeo. quare est pu

ra naturalis in nullo nunquam alio opere posita, ex quo in regimine operis, diuersi colores secundum tempora apparebunt. In primis etiam diebus oportet mane surgere, & videre si vinea floruit, in subsequentibus coruinum transmutatum in solitudine cæci, & multiplices colores, in quibus omnibus intensus color albus est spectandus, quo habito, expectemus sine quocunq; errore Regem nostrum, elixir vel puluerem sine tactu simplicē, qui lapis habet tot nomina quot sunt res in mundo: sed vt breuiter me expediam, materia nostra siue magnesia est argentum viuum nostrum Minerale, vrina puerorum duodecim annorū debite præparata, quæ statim venit de vena, & nunquam fuit in aliquo opere magno quod scripsi vulgaribus, notaui terram Hispanicam vel antimonium, non tamen hic nota argentum viuum commune, quo aliqui multiplicatores vtuntur & sophistæ, ex quo si aliquid fit, dicitur solum multiplicatio, modicū tamen tingit respectu magisterij, quamvis dabit largas expensas, & si placebit laborare in illo, inuenies in illo veritatem, sed requirit longam digestionem. Sequere ergo Diuum Albertum Magnum magistrum meum, & labora cum argento viuo minerali, & ipsum est operis nostri perfectiuū adustionis, saluificatiuum & fusionis effectiuum, cum enim figitur, est tinctura albedinis vel rubedinis vberrimæ refectionis, fulgidi splendoris, & non recedit à commixto quod est amicabile metallis, & medium coniungendi tincturas, quoniam commiscetur cum eis in profundum ingrediens & penetrans naturaliter, quod est adhæret eis.

De Mercurij compositione & eius separatione.

CAPVT III.

ET quamvis ex Mercurio nostro solo opus nostrum perficitur, indiget tamen fermento rubeo, vel albo, miscetur ergo facilius cum Sole & Luna, & fit vnum cum eo, cum ista duo corpora magis participent suam naturam, ergo sunt alijs perfectiora. Ratio est, quia corpora sunt maioris perfectionis, quæ plus de Mercurio continent. Sol ergo & Luna plus de eo continentes commiscētur ad rubeum & album, figuntur in igne stando, quoniam ipse Mercurius solus est ille qui perficit opus, & in illo inuenimus omnia quibus ad opus nostrum indigemus, cui nihil extraneum debet adiungi.

iungi, Sol & Luna sibi non sunt extranea, quoniam ipsa rediguntur in operis inceptione in suam primam naturam, id est Mercurium, quare ab illo sumpserunt suam originem. Quidam autem nituntur ex solo Mercurio, vel simplici Magnesia complere opus suũ, lauantes eum in aceto acerrimo, coquentes in oleo, sublimando, assando, calcinando, destillando, quintam essentiam extrahendo, cum elementis, & alijs infinitis martyrizationibus ipsum Mercurium torquentes, & suis operationibus credentes aliquid magni ex eis inueniri, finaliter modicum lucrum inueniunt. Sed crede mihi, fili, quod totum magisterium nostrum sit solum in regimine ignis ex capacitate industriæ. Nos. n. nihil operamur, sed virtus ignis bene recti lapidem nostrum operatur modico labore, & paucis expensis, puta quod lapis noster cũ fuerit in suam primam naturam, scilicet in primam aquã vel lac virginis vel caudam draconis semel solutus, tunc ipse lapis seipsum calcinat, sublimat, destillat, reducit, lauat, congelat, & virtuti ignis proportionati, seipsum perficit in vnico vase sine alterius manuali operatione. Agnosce ergo fili, quomodo philosophi de manualibus operationibus figuratiue locuti sunt, vt ergo securus sis de Mercurij nostri purgatione, vera docebo operatione Mercurium nostrum commune leuissime præparari. Recipe ergo Mercurium mineralem, siue terrã Hispanicam, Antimonium nostrũ, vel terram nigrã oculosam, quæ omnia idem sunt non inferiora sui generis, & qui prius in nullo opere sit positus, libras quinque & viginti ad plus, & fac ipsum transire per pannum lineum spissum tribus vicibus, deinde fac ipsum transire per corium leporis, & vltimo fac ipsum transire per pannum lineum spissum, & hæc est lotio vera, & attende si aliquid remanet in corio de eius grossitie, seu aliqua spissitudo sordiciei vel fętus, tunc ipse Mercurius non valet pro opere nostro. Sin autem nihil appareat tibi bonus est. Nota quod cum isto Mercurio, nullo sibi addito, potest vtrumque opus perfici.

De modo Amalgamandi CAPVT IV.

QVoniam ex solo Mercurio nullo extraneo addito opus nostrum perficitur, ideo de modo componendi Amalgama breuiter dictum est. Quidam vero hic male intelligunt philosophos, quia credunt ex solo ipso Mercurio sine sorore vel compari eius, opus perficere. Ego autem tibi dico secure,

quod cum Mercurio & cōpari eius labores, & Mercurio nihil extranei addas, & scias quod aurū & argentum non sunt extranea Mercurio, imo vicinius participant suā naturam, quā alia quævis corpora. Ideo reducta in suam primam naturam, dicuntur sorores & compares Mercurij, ex sua compositione & simul fixione, lac virginis emanabit, si locum istum clare intellexeris. Et si cum Mercurio nulla re extranea addita operatus fueris, consequeris optatum.

De compositione Solis & Mercurij.

CAPVT V.

RECipe solis depurati communis, id est, in igne calefacti, qa fermentum rubedinis est, vncias duas, & incide in frustra parua, cum forcipe addito Mercurio vncias decē & quatuor, & fac Mercurium fumigare in tegula, & solue meū Solem & moue cū baculo ligneo, donec Sol bene soluatur & misceatur & tunc totum funde in aquam clarā, & in vna scutella vitrea vel lapidea, & laua sæpius tergendo & mutando tā diu, quod nigredo tota ab aqua recedat, tunc si aduertere vis, vox turturis audita est in terra nostra, qua mundata fac amalgama per corium transire superius bene legatum, exprimendo totum amalgama absq; vncijs duabus, & remanebunt in corio vnciç decem & quatuor, & illæ quatuordecim vnciæ sunt res aptę ad nostram operationem: & attende quod debet esse nec magis nec minus quam vnciæ duæ totius materię in corio remanētis. Si esset plus diminue, si esset minus, adde. Et istas duas vncias expressas, quæ dicuntur lac virginis, reserua ad secundā operationem. Ponatur ergo materia de corio in vitrum, & vitra in furnellum superius descriptū, & lampade accēsa infra, ita continue ardendo nocte dieq; quod nunquā extinguatur, & flamma semel inclusum recto tramite percutiat, non tamē ollam tangat omnib. partibus furnelli bene lutatis similiter. Si autem post mensem vel duos inspicere volueris flores viui & colores principales, puta nigrum, albū, citrinum, & rubeū, tunc sine aliqua operatione manuum tuarum regimine solius ignis manifestum erit absconditum, & absconditum manifestum fit. Quare materia nostra seipsam ad perfectum elixir perducit, vertendo se in puluerem subtilissimum, qui dicitur terra mortua, vel homo mortuus in sepulcro, vel magnesia fixiēs, quod spiritus in eo occultatus est in sepulcro, & ani-

ma

ma quasi recessit. Permitte ergo stare tunc a principio vsq; ad sex & viginti septimanas, & grossum tunc factum est gracile, leue pōderosum, asperū molle, & dulce amarū, conuersione naturarum, virtute ignis occulte completa. Cum ergo videris pulueres tuos exsiccatos, & si probam & expensas desideras, tingent: postea docebo vnam vel duas partes, quoniam vna pars operis nostri solum septē tinget Mercurij bene purgati.

De amalgamatione ad album.

CAPVT VI.

EOdem modo processus fit ad album, id est lunam, hoc est fermentum albedinis, cum septem partibus Mercurij purgati miscueris, in eodem modo sicut & rubeum fecisti procedas. Nam in omni opere albo nihil intrat nisi album, & in omni opere rubeo, nil nisi rubeum intrare debet: ex eadē enim aqua nostra fit rubeum & album, diuerso tamen fermēto addito, & tempore supradicto elapso, potest tingere ad album super Mercurium, sicut ad rubeum fecisti. Nota tamen quod Argentum foliatum in ista materia est magis vtile, quam argentum massale, quia habet in se mixturam quarundam fæcium Mercurij, & debet amalgamari cum Mercurio frigido, & non calido. Alioquin hoc operando maxime errant, soluentes amalgama in aqua forti ad ipsum purgandū, & si volunt respicere naturam cōpositionis aquæ fortis, ipsa per hoc magis destruitur. Aliqui volunt etiam laborare cum sole vel luna minerali, secundum regulas huius libri, & errant, dicētes quod sol nullam habeat humiditatē, & calidus in manifesto, & ideo optimus, imo quinta essentia extrahitur subtili ignis ingenio in vase circulationis, quod diciturPellicanus ab illo. Sol autem mineralis & luna habent secum permixtum tantā fæcis immunditiem, quod eorum purificatio ad nostrum valens, non esset opus mulierum & lusus puerorum, sed potius labores fortissimi viri senioris, soluendo, calcinando, & alijs operationibus magnæ artis insistendo.

De secunda & tertia operatione.

CAPVT VII.

FInito primo isto opere ad secundam practicā procedamus. Vbi corpus primi operis nostri cū cauda draconis, id est lacte virginis, additis Mercurio nouo septem partibus super materia remanente, secundum pondus puluerum, Mercurio dico puri-

purificato & mundificato, fac transire per corium, & retinere septē partes corius, laua & impone vitro & furnello, vt in primo opere fecisti, p totum regendo tali tēpore vel circa, quousq; videris pulueres iterū factos, q iterum excipe vel extrahe, & si vis tinge, & sti pulueres sunt multo subtiliores primis, quare magis digesti sunt, eo quod vna pars tingit septies septē in Elixir. Tunc procedas ad tertiam practicam, sicut in prima & secunda operatione fecisti, & pone super pondus puluerem secundi operis Mercurij purgati partes septem, & pone in corio, ita quod septem partes in totum remaneant vt prius. Et iterum coque, & fac pulueres, qui quidē pulueres subtilissimi sunt, quorum vncia vna tingit partes septies quadraginta nouem, quæ sunt trecentæ & quadraginta tres partes, & hoc super Mercurio. Ratio est, quia quāto plus digeritur medicina nostra, tanto subtilior efficitur, & quanto subtilior erit, tanto penetrabilior, & quanto penetrabilior, tanto plus ingrediendo tingit. Pro fine huius notandum, quod si non habes argentum viuum minerale, secure poteris laborare cum Mercurio communi, quia quamvis non tantum valeat, sicut iste, dat tamen largas expensas.

De modo operandi in materia seu Mercurio.

CAPVT VIII.

CVm autē tingere vis Mercurium. Recipe tegulam aurifabrorum, & line interius modicum cum seuo, & pone in eā secundum proportionē Medicinæ super lentissimū ignem, & cum Mercurius ceperit fumigare, pijce intus medicinam tuā in cera munda clausam, vel in papyro, & habeas carbonē ignitum fortē & latum pparatum ad hoc, & pone super os tegulę, & da fortem ignem, & cum totum liquefactum fuerit, proijce in cannam cum seuo linitam, & habebis solē vel lunam finissimam, secundum fermenti additionem. Si autem medicinā tuam multiplicare volueris, in fimo equino hoc fac, sicut te oretenus docui, vt scis, quod tibi non scribo, quoniam peccatum esset hoc secretum viris secularib. reuelare, qui magis hanc scientiam, pter vanitatem, quam propter debitum finē & Dei honorem quærunt, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen. Verum opus illud quod vulgaribus stylo satis Physico cōscripsi, à D. Alberto semel pro semper laborare vidi de Antimonio, & de terra Hispanica tibi nota. Sed q a magis lucri & temporis indebita expēsio, cōsului tibi leuius operandum,

dum, illud breue opus conscripsi, in quo nullus error modicæ expẽsæ, leuitas operis, breuitas temporis, & finis vere desideratus. Ex quo tu & oẽs tui sine falso percipietis. Noli ergo te charissime, cum maiori opere occupare, quia propter salutis, & Christi prædicationis officium, & lucrando tempus magis debes attendere diuitijs spiritualibus, quam lucris temporalibus inhiare.

Explicit tractatus D. Thomæ de Aquino, de multiplicatione artis editus & datus fratri & soc o suo fratri Reinaldo pro thesauro secretissimo.

LIBER LVCIS IOANNIS DE RVPEscissa fratris ordinum Minorum.

CAPVT PRIMVM.

PRimo consideraui futura tempora, quæ prædicta sunt à Christo in Euangelio, scilicet de tribulationibus tempore Antichristi, sub quo Romana ecclesia flagellabitur, & per tyrannos omnibus suis diuitijs spoliabitur. Et quamvis ecclesia Dei tunc sic fuerit desolata & confusa, à Christo tamen de tantis tribulationibus liberabitur. Quamobrem ad liberandum populum electum Dei, cui datum est cognoscere ministerium Dei, & magisterium veritatis, sine multiloquio volo dicere opus magni lapidis Philosophorum, tam ad album quam ad rubeum, & hoc est cõtra consuetudinẽ philosophorum, qui ante nos fuerũt, qui propter malitiam & inuidiam, artem istam proprijs filijs cælauerunt. Et intẽtio mea est prodesse bonis sanctæ Romanæ ecclesiæ, & aperte breuiter narrare totam eius veritatem.

De materia lapidis nostri. CAPVT II.

MAteria lapidis est vna & eadem res, vilis precij, quæ vbiq; reperitur in aqua viscosa, quæ dicitur Mercurius, & quoniã dicunt quod reperitur in vilibus locis, multi brutaliũ hominũ qui non intelligunt secundum intentionẽ Philosophorum, istum lapidem in stercoribus quæsiuerũt. Et scias fili mi, quod materia præparatur remouendo terreitatem quam habet Mercurius, & apponendo ei sulphur Philosophorum, quod nõ est sulphur vulgare, imo sulphur nostrũ est inuisibile, & ego suo nomine proprio nominabo, quod est vitriolum

Roma-

Romanum, quod quidam philosophorum vocant magnesiam, & hæ duæ operationes sic fiunt.

De prædicta operatione. CAPVT III.

RECipe Salpetræ, vitrioli Romani ana lib. j. id est libra vna de quolibet tritorũ & mixtorũ, desicca in patella aurea ad ignem lentum, semper mouendo vt humiditas recedat. Deinde recipe libram vnam argenti viui, de minera, non de plumbo, & in aluta inuolutum experge super materiam vitri & salispetræ, calidam aliquantum, quia per poros seminatur, & moue materiam cum baculo, vt bene misceatur, ita quod nihil appareat de Mercurio, & pone in vase ad sublimãdũ super leni igne, si materia bene fuerit desiccata ore clauso: sit autem aperto, donec humiditas recesserit, quod cognosces cum lamina vel gladio polito super foramen, & posteà fortifica ignem per duodecim horas, & in fine fac fortiorem, vt opus bene sublimetur, & vase in frigidato extrahe ipsum, & sic inuenies Mercurium sublimatum album sicut niuem, & sic sublima ipsum Mercurium ter cum ipsius fæcibus, & semel sine fæcibus, & sic in ipsa operatione fecisti duo, scilicet purgasti Mercurium à terreitate & nigredine sua, & humiditate quam habebat, & congelasti, & fecisti illum album sicut niuem, fecisti illum aptum ad molendum & commiscendũ, & aptum ad digerendum in stufa sicca, & aptum ad conuertendum ipsum in aquam, vt inferius dicemus. Posuisti intra ipsum sulphur inuisibile, quod est tinctura rubedinis, & est spiritus vitrioli Romani, & cum ipso fit magnum adminiculum, quoniam cum habeat ipse spiritus naturam tingendi in rubeum & ad congelandum Mercurium in substantia, & facit ipsum album sicut niuem. Et hoc est illud quod magni philosophi scripserunt, quod lapis noster fit ex Mercurio & sulphure præparatis & separatis, & de hoc opere & substantia dicit Magister Arnoldus in tractu suo parabolice, nisi granũ frumenti in terram cadens mortuum fuerit, & cętera. Intelligens pro grano mortuo in terra, Mercurium mortuum cũ salpetro & vitriolo Romano, & cum sulphure, & ibi mortificatur, & ibi sublimatur cum igne, & sic multũ fructus adfert, & hic est lapis maior omnes, quem philosophi quęsiuerũt, & inuentum abscõderunt. Signũ autem est, quod spirit⁹ vitrioli sit incorporat⁹ Mercurio, & ꝙ Mercuri⁹ sublimatus dimittat multas fæces in fundo vasis, & ascendit spiritus vitrioli ꝓpter

ascen-

ascensus ingenium. Recipe acetum, & in eo extingue ferrum quater, postea mitte ibi dictum Mercurium sublimatum, & subtilissime calcinatum, & ibi dimitte vsque ad alium diē, & postea destilla prædictum acetum per filtrum bis aut ter, donec sit clarum, postea mitte in patella terrea vitreata ad lenitū ignem, & faciet quandam cappam nigram desuper materiā illam, tunc illam nigredinem amoue, & fac ignē donec acetū inde penitus exeat, & remanebit spirit⁹ vitrioli in fundo vasis, in calore albo suauissimo, & sic habebis Mercuriū seorsim, & ex alia parte pdictum sulphur inuisibile. Quamobrē à nobis ostensum est, quod argentū viuū sublimatum portat secum spiritum, & cōmouet sulphur lapidis inuisibilis, & dicitur tinctura rubedinis. Et scias quod de Mercurio siue vitriolo non poteris extrahere siue separare spiritū supradictū Mercurij, & sic est præparatum & non fixum: Quare sic est necesse, vt extrahas ab ipso Mercurio quintam essentiam sic.

De secunda operatione, quæ est, Reductio Mercurii sublimati in quintam essentiam.

CAPVT IV.

SEcunda vero operatio est ipsius Mercurii sublimati, qui est albus vt nix: extrahe ab eo spiritum suum, qui à quibusdam magis quinta essentia seu terra foliorū & terra foliata dicitur, & iste spiritus est incorruptibilis, paulum minus vt cælum, quamvis spiritus non sit fixus, imo sit volatilis, & sic necesse est. Extrahitur autem & separatur quinta essentia, sc. spiritus Mercurij, hoc modo. Recipe libram vnam salispetræ, & tantundem vitrioli Romani, & fac aquam fortem vt scis: & tere Mercuriū pręfatū subtilissime, & dissolue ipsum in dicta aqua forti, super cineres calidos, in viola vitrea bene clausa, p duodecim horas, & si Mercuri⁹ noster dissoluitur, mitte in dicta aquā cū Mercurio dicto nō dissoluto, sc. septimā partē pōderis aquæ pdictæ de sale armoniaco trito. Et hoc est quoddam magnū secretū in hac arte, ibi pone cor tuū, suppone alembicum cœcū vesicæ, & destilla illum, & videbis ascendere per latera vesicæ spiritum Mercurij seu animā albiorem niue. Secūdo fortifica ignē, donec Mercuri⁹ plenarie accendat, postea frange vas, & extrahe quintā essentiā seu spiritū Mercurij, & inuenies species nigras cōbustas in fundo vasis, à spiritu Mercurii separatas, & in hac operatione fecisti duo. Primo separasti spiritum album Mercurij, qui erat terreus, corruptibilis, & imper-

imperfectus & totum illud terreũ cõbussit aqua fortis, & est quasi impossibile, ꝙ de re alba instar niuis extrahatur & separetur talis res terrestris & nigra. Secundo imbisti dictum spiritum Mercurij de spiritu vitrioli, qui est in dicta aqua forti. Et hoc est illud quod dicit Magister Arnoldus, bibat quantũ potest bibere per duodecim horas, eo quod Mercurius dissolutus in aqua vitrioli, plus bibat ex spiritu vitrioli, sulphure inuisibili, & dissolutio fit in duodecim horis. Secundo fac aquã nouam fortem vt prius, & in ea iterum solue quintam essentiã prædictam, & sublima, vt postrema vice fecisti, & remanebũt fæces nigrę in fundo vasis, sed non tantum vt prius: & iterum tertio fac aquam fortem vt prius, & dissolue quod fuit sublimatum & tertia vice post destillationem & sublimationem, inuenies fæces quasi paucas parum nigras, & tunc habebis quintam essentiam perfectam, quæ dicitur humiditas coniuncta quinta, nec potest alterari, nec igne perpetuo cõburi, & fundetur in igne vt cera, & nunquam facit fæcem, nec potest comburi aliqua aqua calcinatiua, & habebis ex libra vnã unc. j. & non plus nec minus, & tunc habes totam materiam lapidis secundo separatam, incorruptibilem, volatilem, albã, albiorem niue, & ista est secunda operatio.

De tertia operatione, in qua præparatur quinta essentia dicta, & soluitur in aquam.

CAPVT V.

TErtia operatio hæc est, Recipe dictum spiritum Mercurij seu essentiam quintam perfecte separatam, & mole subtilissime eam super lapidem vitreum, & commisce cũ vna parte ipsius duas partes sulphuris viui inuisibilis, & pone in vna tazza vitrea in furno physico, in stufa sicca ad digerendum, hoc est calcinandũ in cinerib. ad ignem carbonum, per octo vel duodecim dies, vel amplius, & ibi decoquitur, vt possit per seipsum in aquam dissolui, quia aliter non dissolueretur, nec opus posset fieri perfectum.

De quarta operatione, in qua destillatur quinta essentia reducta in aquam.

CAPVT VI.

QVarta operatio est, vt recipiat Mercurium, vel dictã quintam essentiam cum vase suo, simul post digestionem in stufa sicca Physica, & pone in balneo Mariæ, & ibi dimittatur, donec totum in aquã dissoluatur, & stet cum capite alẽbici, & ascen-

ascendit ab ea stilla roris madij [al. madidi] quæ dicitur aqua lucida, vitæ lacryma, lac virginis, purissimi materia lapidis, vltima præparatione vel separatione perfecta, gusta ad linguã acetosa, volatilis nõ fixa, incorruptibilis fere, per digestionem in puluerẽ reducibilis; quæ à Phebro fuit cognita, & Hermes pater filiorum inuenit, Rosarius intellexit, ab Auicenna non ignorata, Magister Arnoldus de Villanoua eã dictauit, & Magister Raymundus Lullius pariter. Qui quidẽ Arnoldus dicit, quod optet vt filius hominis ascendat à terra in aerẽ, & ascẽdat in cruce alembici vt Crystallus, & ꝓpterea dicit Arnoldus, quod vult ascendere in crucem, quando dicit, oportet filium hominis exaltari in crucem, id est in aerem, quod est in alembicum; & cõpleta hac dissolutione, tunc habes tuam materiã perfectam, & si vnam guttã ꝓiecceris super laminam candentem, dealbabit eam intus & extra. Et ita vidisti quod lapidis materia est vna res, nõ simplex sed cõposita, ex spiritu scilicet Mercurij & spiritu vitrioli Romani. Quoniam spiritus dicitur sulphur inuisibile, non vulgi sed philosophorum, qui est tinctura intrinseca rubedinis, quamvis alba videatur, experimẽto tamen rubea est, & propter hoc Mercurius indiget sulphure albo vitrioli. Ipsa igitur destillatione seu dissolutione completa, inuenies in fundo vasis elementa duo commixta, scilicet, elementum aeris & ignis incombustibilia, nam remanet materia grossa combustibilis, & extraxisti ab ea elementum aquæ animatum anima spirituali, & tunc est sufficiens materia ad album specialiter, & conueniens ad rubeum, & si vis separare alia tria elementa ab inuicem, operaberis per hunc modum. Recipe illas fæces, tere, & pone ad digerendũ in stufa sicca, vt prius fecisti, postea pone in balneo ad dissoluendum & destillandum vt prius cum igne fortissimo, & quod ascendit per ignem balnei, est elementum aeris in colore, id est in tactu olei albissimi. Recipe ipsum & serua, & postea transfer vas ad ignem sublimationis in cinere, & da ignem bonum & ascendet per alembicum ignis rubicundus, in calore olei rubri. Recipe ipsum & serua ad partem, & ita habes à Mercurio sublimato quatuor elementa ab inuicem separata. Primo elementum aquæ scilicet lac virginis ante vltimam materiam dissolutione in balneo destillatã in quarta operatione: Secũdo elementum aeris, scilicet oleum resplendens albissimum, in balneo destillatũ, facta vltima dissolutione: Tertio oleum

u ignis

ignis rubeum, scilicet oleum destillatum ad ignem extra balneum: Quarto oleum seu elementum terræ habes in fundo vrinalis nigerrimum vt carbo, quod vt nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & cõculcetur ab hominibus. Intellexistin' hoc totum? Nescio quomodo clarius dici possit, scilicet de ista quarta operatione.

De quinta operatione quæ est præparatio materiæ seu lactis virginis ad album, per eius reductionem in puluerem.

CAPVT VII.

HÆc operatio est quomodo præparetur ad albũ, & quomodo lac virginis digeratur, & redigatur virtute ignis in puluerem tam subtilem, vt non sentiatur per actum. Recipe igitur cum benedictione Iesu Christi, & aliqui philosophi dixerunt, quod capiatur animal cum toto suo sanguine & dicitur animal, quia crescit quando sublimatur, & quia habet animam sanguineam, videlicet spiritum vitrioli inuisibilẽ supradictum, & pone in ampulla cum fundo rotundo, igneas ei collum & strangula, id est stringe ipsum cum forcipibus, ita vt nihil possit exire, & pone laminam inter ignem & amphoram, quæ bene sit præparata, hoc est perforata, ne lac virginis destruatur ab igne, & pone in furno philosophorum, ita quòd habeat ignem ab omni parte ęqualem, ne lac euolet per ignẽ inæqualem, & est magnum ministerium dare ignem temperate, ne opus destruatur, & tot carbones accensi ardeant, ita tamen vt manus hominis teneri valeat infra latera furni, & vas in quo est materia lactis virginalis fulgentis, & continuabis ignem, donec videris materiam denigrari, & gaude, quia tunc principium digestionis habes, & continua ignẽ donec omnes colores transierint, & videbis materiam aliquantulum dealbari, & cum videris materiam optime dealbatam, lapidem habes perfectum ad album.

De sexta operatione, rubificatione scilicet lapidis albi. CAPVT VIII.

OPeratio sexta lapidis donec lapidem iam cõpletum ab albo perfici ad rubeum, nihil penitus addito vel remoto. Sic extrahe de vase prædicto, quod vocatur ouũ Philosophorum, & Magister Arnoldus dicit, quod lapis noster est reclusus in ipso vase, vt Christus in sepulcro. Et accipe tunc partem vnam istius pulueris, & serua eum ad partẽ, cum quo poteris conuertere omnia metalla imperfecta in verã lunam,

& a-

& aliam partem claude in vase supradicto vt prius & fortifica ignem, vt Magister Arnoldus ait, qui dicit, quod postquam lapis peruenit ad perfectam albedinem, non metuit pœnas ignis, quoniam non est in eo periculum aliquod si dederis ignem fortem, quoniam sic est ei necesse. Cuius causa est qui si per ignem lentum digeritur, ad album non potest decoqui sulphur inuisibile absonsum vitrioli, scilicet spiritus latēs sub albedine lapidis, sed digeritur spiritus Mercurij in illo igne ad album, quapropter necesse est ignem augeri, vt attingat profundius, & digerat tincturam rubedinis, sulphuris vitrioli latentis, & faciat ipsum exterius per vigorationem ignis, & sic per vim ignis vertitur in rubeum, nihil ei aliud addendo, & sic ascendit de sepulcro clauso rex maximus, & resurrexit à mortuis, cum corona in capite fulgentissima, vt dicit Magister Arnoldus, Sed nota quod in duobus vasis, scilicet tale opus lapidis potest fieri & operari ad album, & ad rubeum, cum vno igne & vno furno, nisi quod vas ad album extrahas albedine induta, & vas ad rubeū notabiliter aucto vt dixi, & nota quod aliqui solum hoc operantur opus de lacte virgineo, & elemento igneo, & aerio non curant, & est opus eorum solummodo per nobilissimum lac virgineum. Aliqui commiscent tria elementa simul, vnum pondus ignis, quatuor pondera aeris, octo pondera lactis virginis, & hic modus est fortior ad rubeum, debilior ad album, & istis tribus modis potest fieri simul in vno vase de solo lacte virgineo ad rubeum. Et in alio vase, ex tribus elementis, vno furno & vno igne. Et videbis si probabis diuersis modis magna miracula, quæ collata sunt ab altissimo Deo, & de hoc opere nūquam fuit antè me alius qui ita clare loqueretur veritatem. Etenim magni Philosophi quibus hoc secretum ac magisterium fuit reuelatum coniurati fuerunt horribili maledictione Dei, vt nulli hominū hoc opus diuinum modo aliquo declararent, ne hoc secretum ad manus prauorū hominum deueniret. Sed ego non curo taliū maledictionem: quare istud secretum non reuelo hominib. nequam, sed reuelo ecclesiæ Dei, & perfectis Christianis, & Deum timentibus, vt succurrant pauperibus, & præcipue euangelicis, & ecclesijs, vt viduas, pupillas, & orphanos visitet in necessitatibus & tribulationibus, & hæc est sexta operatio.

De septima operatione, quæ est de proiectione.

CAPVT IX.

SEptima pars huius operis est de practica virtutis elixiris scilicet medicinæ perfectæ, & virtus istius elixeris ad album est quod conuertit Mercurium, Iouem, Saturnum, Martem, & Venerem, in veram Lunam: & virtus medicinæ perfectæ ad rubeum est, quod prædicta corpora & lunam conuertit in solem, & sic fit. Pone Mercurium in crucibulo, & calefac ipsum tam diu quod Mercurius quasi bulliat & fumet, postea proijce super ipsum sic bullientem Medicinam albam, vel rubeam vt vis, & da ei ignem fortem, ac si velles fundere lunam & habita competenti decoctione, extrahe ipsum, & si haberet colorem multum, vel si esset frangibile, tunc est perfecta medicina, & tunc proijce super alium Mercurium quousque color & malleatio tibi placeat, & super quot pondera cadat, experientia te docebit, quoniam aliquando cadet super multa pondera, aliquando supra pauca, sicut vnus modus operationis transibit alium, & prout est Magister artis. Super plumbũ & stannum; proijcitur medicina fusa, & augetur ignis vt supra. Super lationem, ferrũ, & chalybem proijcitur taliter. Primo sup laminas igneas proijcitur puluis, & ponderatur ad recoquendũ, aut illa corpora fundũtur, & medicina proijcitur in ipsa fusa, & hæc corpora purgatione præcedenti nõ indigent, quia medicina est quasi ignis inferni, virtualiter consumens omnem imperfectionem cunctorum corporum, & conuertit ea in suã naturam, quod est eis bonum & finis vltimus. Et aliqui Philosophi quando volunt operari ad lunam, proijciunt medicinã super æs aut ferrum, & quando est ad solem, proijciunt medicinam super solem purissimum fusum, & iste sol medicinatus est medicina, ad conuertendum æs vel lunam in solem. Potest autem medicina dissolui in balneo, & congelari ad ignem iteratis vicibus, & sic augetur virtus in infinitum.

De octaua operatione, in qua tractatur de magisterio furni, & calcinatione Mercurij, Solis, & Lunæ.

CAPVT X.

OCtaua operatio huius artis continet magisteriũ furni calcinationis Mercurij, Solis, & Lunæ, & sic fit. Recipe lutum sapientiæ, scilicet cretam, stercus equi, & papyrum carminatum, & confice insimul, & fac furnum magnum

vel

vel paruum, ficut vis, qui habeat portas, vt fit latus illius vnius palmi circumcirca, & fac ei auriculas feu fpiracula, per quæ fumus exeat, & non furfum afcendat, & poftea accipe vnam laminam ferream fortē, & adapta eam fuper caput dicti furni qui eft rotundus, hoc modo, quod non claudatur totum os furni, fed dimittatur circa ipfum aliquod fpiraculum paruum vnde calor poffit exire, & fuper ipfam laminam aptabis aliquantos gotos, videlicet quantos volueris, & omnis hiatus habeat fuum ouum phyficum, vbi ponatur lapis ad digerendum, & in circuitu laminæ, fiut quatuor laminæ adhuc vt teneant laminam aliquantulum a longe à lateribus furni, & fic facies fieri vnam ollam æream vel ferreā, aut de terra rotundam, & ita fit cooperculum furni, quod poffet eleuari, & poni fecundum quod erit neceffe ad videndum materiam: & nota quod dicta olla cuiufcunq; materię fit, debet effe lutata intus & extra, ad hoc vt melius teneat calorem, & dicto cooperculo facies vnam portam, per quam poffis intromittere manū ad calorem furni, ficut prædictum eft, fed caue quod nō tangat vas, quoniam eft valde calidum & venenofum. Item nota quod quando pofuifti materiam intus, tu debes lutare portarum [al. parietum] iuncturas cum luto fapientiæ, & panno lini, & hoc vt calor non refpiret, & non afcendant fumi. Et hoc dicitur ftufa ficca, in qua potes ponere omnes fpiritus & medicinas, ad operandum feu digerendum, ad hoc vt in balneo poffint diffolui in aquam. Et ifte vocatur furnus Phyficus, quia illa lamina facit afcendere calorem diametraliter: fimiliter fac, quod latus laminæ non afcendat ad caput ollæ, ne ignis reuerberet ad vafa ex medio aerem fupra ciathos & tripodem, & fac quod ignis ei fit ab omni parte, maior enim ignis afcendit per tria foramina, quam per vnum, & fic poteris ignes augere vel diminuere, fecūdum quod tibi videbitur. Nota quod fuper tripodem vbi hiatus eft in lamina, potes aptare vnam fcutellam terream, & infra fcutellam vnum tripodem, & ibi ponere ouum philofophicum, & fubponere aliam fcutellam, & ita conuenit duas fcutellas leuare vel erigere in aere, vt non tangat latera fcutellarum, &c.

De nona operatione, circa ordinem proiectionis facienda.

CAPVT XI.

OPeratio nona eft, cum volueris facere proiectionem, fic facies. Recipe centū partes Mercurij cū fale & aceto loti,

& pone in crucibulo super ignem: Cum autem cœperit feruere, pone vnam partem huius elixiris dicto modo præparati, super centum partes illius Mercurij abluti, & fiet totum medicina super alium Mercuriũ ablutum. Deinde proijce partem vnam illius medicinæ coagulatę super centũ partes Mercurij abluti in crucibulo fermentis ad ignem, & adhuc totum fiet medicina. Postea pone partem vnam istius medicinæ vltimo congelatæ, super centum partes istius Mercurij abluti, & fiet totum aurum vel argentum in omni iudicio optimum, secundum quod fuit paratum elixir ad album vel rubeum. In nomine Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus & gloriosus in sæcula sæculorum, AMEN.


SEQVITVR DESCRIPTIO ET FORMA FVRNI PHYSICI.


FVRNVS *iste totus altus erit pedes tres & medium, latus autem sesquipedem inclusiue, & diuisus, vt sequitur.*

Primum furnus ita componetur, vt spatium qua cineres per cratem ferream defluant, altũ sit pedem vnum. A crate ferrea ad meditullium vsq; spatiũ vbi focus instruitur, altum erit digitos nouem. Altitudine itaque habita duorum pedum minus digitis tribus, collocanda est in medio tabula testacea vel ferrea, in cuius medio foramen rotundum sit, diametrum quatuor digitorum habens, qua feruor ignis in superiorem partem, vbi operatio fit, ascendere possit. Deinde supra foramen illud tria opercula exemptilia, paulo quam tabulæ intermediæ foramen latiora erunt, quemadmodum notatum est litera A. Quodlibet vero operculum etiam rotundum foramen habebit diuersum. In primo foramen erit digitorum trium, in secundo duorum, in tertio denique vnius. vt subinde vno pro altero vti liceat, prout calor ignis mutationem operculorum exiget.

Spatium vbi operatio fit, à tabula nimirum intermedia ad supremum vsq; tegmen, altum erit pedem vnum & tres digitos. In isto autem spatio tabulæ intermediæ tripes testaceus aut ferreus directe supra foramen imponitur. quemadmodum notatur litera B. qui tripes in superiore parte latus erit digitos tres & medium, altus vero sex digitos, cui vitrũ impones, quod materiã omnem ad operatione m destinatam contineat.

Supra





Supra

Supra istud spatium in quo operatio fit, operculũ siue tegmen furni testaceum collocabitur, in formã dimidiæ sphæræ siue disci tornatum, profunditate digitorum sex, quod ad latitudine furni accommodatum sit. Istud autem tegmen supra in medio rotundum foramen habebit vnius digiti, qua calor ignis, num vehementior num remissior, explorandus sit.

Vtuntur quidam in tripode signato litera B. globo fisso, cuius medietates sibi mutuo respondeant, vti litera B in margine notatum est. Globus iste latus erit in medio digitos septem, vbi instrumentum quoddam aut vasculum includitur testaceũ, quod Chimici Ouum appellant Habes ergo perspicuam descriptionem & expressam effigiem artificii huius furni Chemici.

CLAVICVLA RAYMVNDI LVLLII MAioricani, quæ & apertorium dicitur, in qua omnia quæ in opere Alchemiæ requiruntur, aperte declarantur.

NOs appellauimus opus hoc nostrum Clauiculam, quia sine hoc præsenti libro nullus potest intelligere, quæ scripsimus in nostris alijs libris, in quibus totam artem compleuimus, licet verbis obscurioribus pro ignorantibus. Scripsi multos libros & prolixos sub sectionibus & dijs obscuris, vt in nostro testamento apparet, vbi de principijs naturalibus egimus, vbi omnia sunt posita, quæ ad artem faciunt, tamen sub martello in primo textu Philosophiæ. Item in nostro cap. de arg. viuo Philosophorum, & in 2. parte test. de exuberatione minerarum physicatum, & in nostro libro de quinta essentia 1. de 5. essentia auri & arg deinde in alijs libris a me factis, vbi tota est ars completa. Sed Secretum occultauimus pro posse. Cæterum quia sine hoc secreto nullus potest ingredi mineras philosophorum, neque aliquid facere quod ipsi possit prodesse, quare iuuante altissimo cui placuit hoc secretum nobis reuelare, sine vlla fictione artem totam declarabo. Et ideo cauete hoc secretum reuelare improbis; sed vestris amicis intimis, quamvis nulli dare debetis, cum sit Dei donum, qui hoc dabit cui volet. Quod qui habebit, sempiternum habebit thesaurum. Cognoscite igitur per perfecta, imperfecta emendare. Sol est pater omnium metallorum, & Luna mater, quamvis Luna claritatem recipiat à Sole. Ex istis duobus

totum pendet magisterium. Sed quia metalla transmutari non possunt teste Auicenna, in mineralibus, nisi reducantur in primam materiam, quod verum est. Quod nisi reduceres in argentum viuum, non vulgare, hoc est non volatile, sed fixum, vulgare vero est volatile, & planum frigiditate phlegmatica, & propterea indiget reduci per argentum viuum fixum, magis calidum & siccum, in contrarijs qualitatibus ac argentum viuum vulgare. Quare vobis consulo, ô amici mei, quod non operemini nisi circa Solem, & Lunam reducendo eos in primam materiam, sulphur, & argentum viuum nostrum. Iccirco filij, habeatis vti hac materia venerabili, & vobis iuro & promitto, quod nisi sumpseritis argẽtum viuum istorum duorum, vos tenditis ad practicam tanquam cœci sine oculis ac sensu. Quare filij rogo ambuletis in luce, oculis apertis, & non tanquam cœci cadatis in foueam perditionis.

De differentia argenti viui vulgaris, & argenti viui Physici.

CAPVT PRIMVM.

NOs dicimus quod argentum viuum vulgare, non potest esse argentum viuum philosophorum, quocumque artificio præparetur, quia vulgarę non potest in igne detineri, nisi per aliud argentum viuum corporeum, quod sit calidum & siccum, & magis digestum. Propterea dico nostrum physicum magis fixæ esse calidiorisque naturæ vulgari. Et ideo, quia argentum viuum nostrum corporale, est conuersum in argenrum viuum currens non tingens digitos, & quando commixtum vulgari iunguntur, & amplexantur se vinculo amoris absque eo quod nunquam separentur ab inuicem, veluti aqua mixta cum aqua, quia ita est naturæ placitum. Argentum vero viuum nostrum ingreditur & commiscetur actualiter alteri vulgari, desiccando suam humiditatem phlegmaticam, & tollendo frigiditatem ex corpore denigrans tanquam carbonem, quod postea in puluerem conuertit. Nota igitur quod argentum viuum non potest eas operationes prętare, quales nostrum physicum, quod in omnibus suis qualitatibus habet calorem naturæ veri temperamenti, & propterea vulgare vertit in suam naturam temperatam: quin etiam alquid aliud facit, nam post suam transmutationem, conuertit in purum metallum, hoc est, in Solem aut Lunam, prout

prout est extensum, aut de Sole & Luna, vt ostenditur in secunda parte nostræ practicæ. Præterea aliquid maius habet, mutat enim & conuertit vulgarem Mercurium in medicinam, quæ transmutare potest imperfecta metalla in perfecta. Præterea vulgarem in verum Solem & Lunam, meliorem quam de minera. Nota rursum quod vncia nostri Mercurij physici centum marcas facere potest, & vsque in infinitũ cum argento viuo vulgari, sine eo quod minera vnquam deficiat. Præterea aliud volo vos scire, quo Mercurius nõ recte misceatur neque perfecte cum corporibus, nam spiritus non potest misceri cum corporibus perfecte, nisi reducta fuerint in speciem naturæ. Et idcirco cum voles miscere Mercurium aut Solem in Lunam vulgi, sunt reducenda illa corpora in speciem naturæ, quod vocatur argentum viuum vulgare, per vinculum amoris naturalis, & tunc masculus iungitur femellæ. Quia argentum viuum est calidum & siccum actu, argentum viuum vulgare est frigidum & humidum passiue sicut femella, quæ continetur in suis domicilijs, cum calore temperato vsque ad eclipsim. Suntque nigra facta vt carbones, quod est secretum nostræ veræ dissolutionis, & ex hoc tandem vere connectuntur inter se ita quod nunquam separentur ab inuicem, fiuntque puluis albissimus, qui sunt masculi & feminæ generati vero amoris vinculo. Hi tamen liberi multiplicabunt suas species in infinitum, nam de vna vncia huius pulueris, tu facies Soles infinitos, reduces in Lunam meliorem omni metallo de minera.

Extractio Mercurij à corpore perfecto.

CAPVT II.

Rec. vnc. j. calcis Lunæ appellatæ, calcinetur modo quo dicitur in fine nostri magisterij operis, quæ quidem calx teratur super porfidum in puluerem subtilem quem puluerem imbibétis bis, ter, quater in die, cum optimo oleo tartari, facto eo modo quo dicetur in fine nostri, desiccando solem quousque dicta calx absorbuerit de dicto oleo 4. aut 5. partes, plusquam fuit ipsa calx, terendo semper super porfidum, vt dictum est, & in fine bene desiccetur calx, vt bene possit in puluerem redigi. Et quando fuerit bene puluerizata, ponatur in metreto cum collo longo. Ponatis de nostro menstruali fœtenti, facto de duabus partibus vitrioli rubei, & vna salis petræ, & prædictum mẽstruum prius destilletur sepies,

pties, & bene rectificetur, separando fæces terrestres in tantum, quod prædictum menstruale sit totum essentiale. Deinde lutetur bene metretum, & ponatur ad ignem cinerum, cum paruo igne carbonum, quousque videtis materiam bullire & dissolui. Deinde sic supra cineres destilla, donec amiserit menstruum, & materia fuerit frigida totaliter. Et cum frigidum fuerit, vas aperiatur, & materia, quæ frigida est, ponatur in alio vase bene mundo, cum sua cappa bene lutata ad furnum supra cineres, & luto bene desiccato, fiat ignis paulatim in principio, quousque totam recipiatis aquam ipsius. Postea augeatur ignis, quousque materia bene fuerit desiccata, & spiritus fœtentes sint ad cappam, & in receptorio iam exaltati. Et dum tale signum videbis apparere, dimittatur vas infrigidari, ignem minuendo. Et post refrigerationem vasis extrahatur materia, & in puluerem subtilissimum redigatur super porfidum: ita quod puluis sit impalpabilis, qui ponatur in vase terreo bene cocto, & bene vitreato. Et post ponatur super dictum puluerem de aqua communi bulliente, mouendo semper cum baculo mundo materiam, vsque materia fuerit spissa sicut sinapi. Et moue dictam salsam cum baculo, quousque videas apparere grana Mercurij è corpore, & quod vobis appareat quantitas magna prædicti Mercurij viui, secundum quod posueris de corpore perfecto, id est de Luna, & dum habueris magnam quantitatem, interim proijce desuper aquam bullientem: & tandem mouendo, quoad tota materia resoluatur in materiam similem argento viuo vulgari, tollantur terrestreitates cum aqua frigida, & desiccetur per pannum; postea transeat per corium, & videbis mirabilia.

De multiplicatione argenti ☿iui nostri.

CAPVT III.

IN nomine Domini, Amen. Rec. Lunę puræ tres grossos, in laminas tenues, & faciatis amalgama cum grossis 4. argent. viui vulgi bene loti. Et quando Amalgama fuerit factũ, tunc ponatur in paruo metreto, cum collo longo vnius pedis & semis. Deinde Rec. argen. viuũ nostrum prius extractũ & reseruatũ à corpore lunari, & ponatur super amalgama de corpore & argento viuo vulgi factũ, perlutetur optime vas optimo luto, & dimittatur siccari. Hoc facto, moueatur vas quam optime vt amalgama possit permisceri, & quod argent. viuũ permiscea-

miſceatur cum corpore. Deinde repone veſtrum vas in quo materia eſt,in furnello,ad ignem paruum carbonum,& huius ignis calor non excedat calórem Solis, quando Sol eſt in ſigno Leonis:quia alius calor excedens deſtrueret veſtram materiam,& fieret fuga vnius ab altero, & cõtinuetur talis ignis, quouſque materia fuerit nigra ad modum carbonum,& ſpiſſa ad modum pultis, & continuetur ignis iſtius gradus, quouſque materia mutetur in colorem griſeum fuſcum.& ita griſeo apparente,tunc vno puncto augeatur ignis, & fiat 2 gradus, quouſque materia incipiat dealbari, ad colorem nimis albiſſimum.Poſt fiat ignis vſque ad 3. gradum, continuando quouſque materia fuerit alba plusquam nix,& conuertatur in puros pulueres albiores cineri. Et tunc vos habetis calcem viuam philoſophorum, & ſuam mineram ſulphuream,quam tantum occultarunt Philoſophi.

Proprietas calcis prædictæ.

CAPVT IV.

CONuertit iſta calx Mercuriũ vulgi in puluerẽ albiſſimum in infinitum,qui poteſt reduci in arg.verum,cum aliquo de corpore Lunæ.

Multiplicatio huius prædictæ calcis.

CAPVT V.

REc.vas cum materia vbi pones vncias duas argenti viui vulgi bene abluti & deſiccati,poſtea vaſe bene lutato,repone vbi prius erat, gubernando & miniſtrando illi ignem 1.2.& 3.gradus, vt ſupra, quoad materia reducta ſit in puluerem albiſſimum,& ita potes multiplicare in infinitum.

Reductio calcis viuæ in Lunam veram.

CAPVT VI.

HAbita ergo magna quantitate calcis viuę ſeu noſtrę mineræ,Accipe vnũ crucibulum non tectum, in quo pone vnciam vnam Lunæ puræ, & ipſa fuſa pone deſuper vncias quatuor pulueris tui in pilulas, pilulæ ſint ad pondus quartæ partis vnciæ, & iſtæ ponantur viciſſim ſuper Lunam fuſam,ſemper continuando ignem fortem, quouſque omnes pilulæ ſint proiectæ & fuſæ ſimul cum Luna,& in fine fac ignẽ fortem,quouſque totũ bene incorporetur: poſtea proijciatur in ca-

in canali,& habebis vncias 5.argenti puri, plusquam naturalis,& ita poteris tuam mineiam physicam multiplicare ad beneplacitum.

De nostro magno opere ad album & ad rubeum.

CAPVT VII.

Reducite calcem vestram viuam, vt de Luna antea dictum est, in argentũ viuũ, quod nostrum est secretum. Rec. igitur 4. vncias calcis nostræ, & reduc. in argen. viuũ vt fecisti de Luna. De quo arg. viuo habeas ad minus 3. vncias, & pone in paruo metreto de collo longo, vt antea fecisti. Postea amalgama de vncia vna veri Solis cum tribus vnc. arg. vi. vulgi, & superpone arg. viu Lunam mouendo fortiter manibus tuis, vt misceantur simul omnia. Post vas bene lutatum pone, vt supra furnellum, faciendo ignem 1. 2 & 3. gradus. In primo gradu materia nigrescet vt carbo, quod tunc dicitur eclipsis Solis & Lunæ. Et erit commixtio vera, vnde generatur filius sulphur, quod plenum est sanguine temperato. Post apparitionem eius caloris, continua ignem secũdi gradus, quoad materia fuerit grisea. Tunc continua ignem tertij gradus, quoad materia appareat albissima. Post auge ignem ad gradũ quartum, continuando vt materia rubea appareat, vt cinabrium, & fiant cineres rubei. Hanc calcem reducere potes in Solem finissimum, vt de Luna supra dictum est.

De modo transmutandi prædictum minerale in medicinam, transmutantem omnem speciem metallorum in verum Solem vel Lunam, etiam argentum viuum vulgi in meliorem omni metallo de minera.

CAPVT VIII.

IN prima solutione vnum pondus supra C. in 2. supra M. & multiplicatur proiectio, dissoluendo, congelando, sublimando, & fixando nostram materiam, quæ potest multiplicari sic in infinitum quantitate & virtute. Rec. igitur de nostra minera alba, & dissolue in nostro menstruali fœtenti, quod in nostro test vocatur acetum nostrum album, in eo capite vbi diximus: Accipe de bono vino bene sicco, in quo pones Lunæ i i est aquæ viridis, & C. id est salispetræ, verũ ne erretis,

tis,pone 4.vnc. de nostra calce viua in menstruali vt dissoluatur,& statim dissoluetur in aqua viridi. Item in 13. vnc. eiusdem menstrualis fœtentis,dissoluetis vnc. 4.argent.viu.[vulgi bene loti, & vbi dissolutum fuerit arg. viu. coniunge ambas dissolutiones simul,& vas bene clausum pone in digestione in fimo equino 30.dies,quibus exactis, fac destillare in balneo, quoad habebis omnia.Deinde Rec.in alio, vt inde oleum extrahatur in igne carbonum, tunc materia residens erit nigra. Quam pone in furnello super cineres ad destillandum per duas horas. Post refrigerationem aperi vas, & pone aquam destillatam per balneum super.Laua bene. Destilla menstruum per balneum, omnemque aquam, quæ ascendere potest, & oleum per cineres vt supra fecisti. Et hoc faciendo toties reiterabis,quousque materia remaneat sicut carbo,nigra in fundo vasis.Fili doctrinæ habebis tunc caput corui,quod philosophi tantum inuestigarunt,sine quo in magisterio nihil fit. Idcirco fili,mente teneas diuinam cœnam Domini nostri Iesu Christi,qui mortuus fuit,sepultus & tumulatus, & luce tertia resurrexit,in terram permanentem. Fili mente teneas, quod nullum ens potest vita perpetuari,nisi prius mortuum fuerit. Rec.igitur tuum corpus nigrum, & calcina in eodem vase per tres dies, & post mitte refrigerari, & aperiendo vas inuenies terram spongiosam, & mortuam, quam seruabis, quoad oporteat facere coniunctionem corporis cum anima. Rec. aquam,quę per balneum est destillata,& destilla sæpius,quoad sit depurata & reducta in materiam crystallinam. Imbibe igitur tuum corpus, quod est terra nigra, de sua aqua propria, paulatim rorando & coquendo, quoad corpus sit album factum,& multum splendens.Et tunc aqua est illi infusa,quę viuificat & clarificat. Tunc da ignem vehementem in eodem vase suo lutato,ac si velles sublimare Mercurium vulgi per 12. horas.Aperi vas frigefactum, & reperies sublimatam materiam tuam albam,quam vocamus terrã sigillatam. Nostrum corpus exaltatum & positum in magna dignitate, sulphur nostrum, nostrum argentum viuum, nostrum arsenicum,vbi seruare debes nostrum aurum,quod est nostrum fermentum, & nostra calx viua, & inter se gignit filium ignis qui est amor philosophorum.

Multipli-

Multiplicatio prædicti sulphuris.

CAPVT IX.

POne illam tuam materiam in metreto forti, supra quam pone amalgama factum de nostra calce viua, quæ facta est in nostra prima practica, quam reducebamus in argentum. Fieri autem debet de tribus partibus argen. viui vulgi, & vna parte nostræ calcis, misceatur simul, vt supra; & pone super ignem cinerum & videbis materiam moueri, tunc auge ignem, & in 4. horis fiet albissima sulphurea, quæ cum fixa fuerit, coagulabit & fixabit omne argen. viu. vncia vna super 100. in medicinam veram, & rursus in mille, & vsque in infinitum.

Fixatio prædicti sulphuris multiplicati.

CAPVT X.

CApiatur sulphur iam multiplicatum, deponatur in mêtreto, & ponatur oleum super, quod seruatum fuerat in separatione elementorum, & ponatur vsque sit mollis. Post super cineres ponatur ad fusionem, dando ignem primi gradus 2. & 3. ad albedinem vsque. Tunc frange vas, & inuenies laminam crystallinam albam. De qua pone super laminam calidam, & si fluat sine fumo, proijce vnum pondus super 1000. Mercurii de prædicta, & totum conuertetur in argentum. Et si medicina non fuerit fluens & fusibilis, depone eandem in crucibulo, dando de oleo guttatim, quoad fluat vt cera, & tunc medicina vestra erit perfecta super 1000. & poterit multiplicari in infinitum.

Reductio medicinæ albæ in Elixir rubeum.

CAPVT XI.

ACcipe igitur in nomine quatuor vncias de lamina prædicta, & dissolue in aqua seruata de lapide. Et cum dissoluta fuerit, pone in balneo ad fermentandum per 9. dies, & capias duo pondera de nostra calce rubea, & proijce in prædictû vas, & fermêtetur per 9 dies, post destilletur in alembico in balneo, post super cineres, dando ignem primi gradus, quousque materia fiat nigra; quæ est nostra secunda dissolutio, & nostra secunda Eclipsis, quam fecit Solem cum Luna, quod est signum veræ dissolutionis, & coniunctionis masculi

sculi cum femella. Post auge ignem vsque ad 2. gradum, ad citrinitatem materiæ. Deinde fortificetur ignis quarti gradus, donec materia fuerit fusa sicut cera, in colore hiacynthi, & est materia alta & regalis medicina, quæ prompte curat omnes infirmitates corporis ægri, & conuertit omne metallum in aurum purum melius naturali. Et nos reddamus gratias Saluatori glorioso, qui in gloria cælorum regnat trinus & vnus in æternum & vltra.

Recapitulatio totius magisterii sub forma breui.

CAPVT XII.

OMnia quæ tractauimus in hoc libro, didicimus esse vera, & testificamur, & cum oculis nostris vidimus, manibus palpauimus, tetigimus & fecimus, & huius recapitulatio totum nostrum magisterium cum breui sermone & sine fictione complectitur. Nos igitur mandamus lapidem, quem nominamus, vt subtilies eum tam per ingenium naturæ, quam artis, & reducas in arg. viuum, & huic argento viuo addatur corpus album, quod est eiusdem naturæ, & decoquatur, quousque veniat ad veram præparationem mineræ. Et illa minera multiplicetur ad tuum velle. Et iterato prædicta materia reducatur in argentum viuum, & dissolue in nostro menstruali, vsque quo lapis fiat volatilis, ab omnibus suis elementis diuisus. Et vltimo quod perfecte purgetur, vsque ad vltimam perfectionem, tam corpus quam anima, quæ possit fieri bona coniunctio corporis cum spiritu, de calore naturali temperato. Et lapis efficiatur minera, & continuetur ignis, vsque in puluerem reducatur album, quem vocamus sulphur & argentum viuum philosophorum, & tunc vigore ignis fixum siue volatile. In tantum quod volatile euelet à suis terris grossis, & ascendit in altum candidior niue, & fundalia proiiciantur, quia nihil valent. Tunc rec. sulphur nostrum oleum prædictum, & multiplicabis cum suo dicto alembico, quousque denuo reducatur in puluerem album cãdidiorem niue, & fixentur pulueres, multiplicati ingenio tam naturæ quam practicæ, decoquẽdo cum aqua, donec omnia maneant in examine ignis fluentia vt cera sine fumo. Et addenda est aqua primæ solutionis, qua solutione facta, addatur aliquod citrinũ, quod est aurũ per modũ coniunctionis, cum destillatione totius animæ. Post detur ignis 1. 2. 3. & 4.

gradus, donec mutetur in colore Hyacinthi veri, & fixi fluentis ac fundentis. De quo si proiicias vnum pondus super 1000. Mercur. vulgi, mutabitur in aurum finissimum.

Calcinatio Lunæ pro opere.

CAP. XIII.

REc. vnciam Lunæ finæ de copella & argenti viui vncias tres, & fiat amalgama, & primo calefiat argentum foliatum in crucibulo, deinde proiiciatur argentum viuum mouendo cum baculo, & calefiat vtrumque bene. Deinde ponatur in aceto cum sale, simul terendo in mortario ligneo, & simul cum pistillo, abluendo & auferendo immunditiam, sic faciendo quousque demum amalgametur. Deinde lauetur cum aqua communi calida & clara, postea transeat per pannum lineum mundum, & quod remanet in panno habens naturam corporis, iterum addatur cum tribus partibus salis, & vna corporis, bene terendo & lauando, & coletur & calcinetur per 12. horas. Iterum tere cum sale reiterando ter, & addendo sal nouum. Iterum puluerisetur, donec sit puluis impalpabilis, & cum aqua calida lauetur, donec recesserit tota salsedo. Deinde destilletur per filtrum de cottono, & desiccetur vestra calx, & erit calx alba, & reponatur ad horam necessitatis, ne frigiditas tangat eum.

Ad faciendum oleum de Tartaro.

CAP. XIV.

REc. bonum tartarum relucens in fractura, calcinetur in reuerbero per decem horas, postea puluerisetur, & ponatur super marmor, ad dissoluendum in loco frigido, ibi dissoluetur in oleum liquidum. Et quando totus fuerit dissolutus, destilletur per filtrum de cottono, & seruetur nitide pro imbibitione vestræ calcis.

Menstruale fœtens, pro dissolutione calcis nostræ imbibita, cum oleo tartari, vt reducatur in argentum viuum.

CAPVT XV.

REc. vitrioli lib. ij. salis pet. lib. 1. cinabrii vnc. iij. Rubificetur vitriolum, & puluerisetur, post pone sal pe. & cinabrium, & tere omnia simul, postea ponas in vasis aptis ad de-

ad destillãdum bene lutatis. Destilletur lento igne primum, vt est opus, vt norunt qui id egererunt. Hæc aqua destilletur sæpius, proiiciẽdo fæces quæ remanent in fundo cucurbitæ, & sic erit optimum vestrum menstruum sic destillatum.

Aliud menstruum pro lapide dissoluendo.

CAP. XVI.

REc. vitrioli Ro. rubicundi lib. iij. salispe. lib. j. cinabrii vnc. iij. omnia illa simul terantur super marmor. Deinde ponantur in grosso & forti metreto, & ponatur aquæ vitæ rectificatæ septies, & ponatur in fimo equino per dies 15. vase bene sigillato. Deinde ponatur ad destillandum igne lento, totam aquam in receptorio. Postea augeatur ignis vsque ad rubedinem cappæ. Deinde fortificetur ignis vsque ad albedinem cappæ, postea refrigescat vas, & auferatur receptorium, & optime sigilletur cum cera, & seruetur ad necessitatem. Nota quod menstruum debet septies rectificari per destillationem, fæces semper abiiciendo, antequam ponatur in opere.



OPERVM MINERALIVM M. IOANNIS ISAACI HOLLANDI, SIVE DE LAPIDE Philoſophico,

LIBER PRIMVS.

NVNC Filium meum docere volo primum modum in Alchemia inuentum, omnia metalla, quæ mortua & impura ſunt, ad verum Solem & Lunam reducendi: ſcietq; filius meus hanc rationem in Alchemia primum ordinem vocari: quia prima eſt, quæ in rerum natura inuenta fuit, ad imperfecta metalla perficienda.

Opus primi ordinis.

CAP. I.

In opere primi ordinis Saturnum ſumendum docet, ac quomodo is parandus.

Salis pars 1. & Saturni ana.



RIMVM recipe Saturni ℔. 12. eum in cineres mouendo redige in oblongo vaſe luteo, ita vt exiguo cribro transmittere poſſis: tum ablue prædictos cineres Saturni, aqua munda pura, donec aqua pura defluat: quo ſicca tuum Saturnum igni puſillo, donec puluereſcat. Deinde ſumito ſal populare ſiue non decoctum; proiice in aquam frigidam, ac quicquid in aqua frigida reſolui nequit, abiicito, prorſus enim inutile: Sal vero reſolutum in eam ſiccitatem congela, vt puluereſcat. Accipito tum partem illius ſalis & Saturni tantundem, ſimulque ſuper lapide cum acri aceto ex vino confecto conterito: tum lento igni ſiccato vt puluereſcat: Deinde in vas calcinatorium luteum ita coctum, vt ignem ferre poſſit, immittito, factum in hunc modum.



Calcinandum 12. dies & noctes.

Lutabis id forti operculo, ponesque in fornace calcinatoria calcinandum per dies noctesque 12. ſinesque hoc pacto modice candere, ita vt Sal non liqueſcat: vas vero adeo firmum eſſe debet, vt prædicto duodecim dierum ſpacio nec ſindatur, nec



nec rumpatur: quibus exactis exime, ac salsedine abluta, calcem moue, & idencidem residere sine, rursusque superinfunde, moue & sine residere, donec aqua pura defluat, gustumque salis non amplius retineat: tum calces tuas terendo super lapide cum aqua munda tam tenues effice, vt iis penicillo pingui queat: tum denuo laua calces aqua pura calida toties, donec aqua tua pura defluat: deinde exsiccabis in sartagine ad lentum ignem, donec in puluerem redigantur. Hoc facto calces in aceto destillato soluendas pones in cantharo lapideo mundo, aut vitreo: ac si non omnino resoluantur iterum calcinandas pones cum sale, vt supra dictu est per tres dies, ac facito vt supra: quibus exactis iterum soluendas pones in aceto, ac breui soluentur. Tum congela aut acetum decola, ac remanet tibi puluis subtilis, qui in aquam non resoluetur, tumque Saturnum tuum paratum habes.

Calcinandum vt prius tres dies.

Saturnus paratus.

CAP. II.

NVnc scies, mi fili, tibi sumendam esse Lunam Cupellatam puram, eamque in laminas tenues rediges, ac calcinabis cum sale communi preparato, vt supra, per tres dies, quibus exactis Sal aqua calida ablues, quodque non est calcinatum denuo calcinandum, vt prius, pones, donec omnino in calces fuerit redactum, tum calces aqua communi calida lauabis, & à sale repurgabis, donec aqua pura defluat: tum exiccabis calces ac soluendas in aceto destillato pones, ac singulis octo diebus acetum effundes, recensque denuo infundes, donec omne solutum fuerit: ac si omne resolui nequeat, sale rursum calcinabis, vt supra, per diem ac noctem, salque elues, & calces exsiccabis, ac pones soluendas in aceto destillato, donec omnino solutæ fuerint: tum congelato, ac Luna tua facile soluetur in aqua communi destillata: ac si non omnis resoluatur in aqua communi destillata, ignefiant calces, vt prius dictum, & resolue iterum in aceto, ac denuo congela, ac facile in aqua communi destillata soluetur, atque Luna tua parata erit.

ij. Sumendam Lunā & quomodo paranda

Singulis 8 diebus acetum recens infundendum.

Luna parata.

CAP. III.

TVm vero sumes album lapidem tibi notum, eoque in subtilem puluerem conterēdo redacto, recipe alumen

iij. Sumēdum esse album la-

pidem, ac quomodo is parandus.

Vas sublimatorium infra latū.

Ignis minuendus cum spiritus combustibilis sublimatur.

per diem integrum calcinatum igni pusillo, vt tantummodo candescat, nec amplius: tum recipe Sal commune præparatum vt supra, etiam partem aluminis calcinati, contere simul cum aceto destillato in densam pultem: tum in vas sublimatorium infra latum impone, alembico magno & amplo superimposito, luta receptaculum ad rostrum, eique exiguum ignem adde, vt humiditas absumatur, qua destillata sublimabitur in alembico subtilissimus spiritus combustibilis; quod cum videbis ignem minues, tamque exiguum efficies, vt soli media æstate lucenti, calore sit similis, ac tamdiu in eo calore retinebis, donec certus eris nullam humiditatem amplius superesse: tum ignem insigniter minues: humiditate enim destillata, & subtili spiritū destillante, nisi ignem minueres, subtiles illi spiritus vna cum aqua destillarent in receptaculum: idcirco per diem vnum ad pusillum ignem habeto, donec certus eris nullam humiditatem restare: tumque augeatur ignis per gradus, ita vt valide sublimare incipias, sublimaque ad horas 24. igni mediocriter vehementi, ita vt materia vna cum olla sublimatoria infra candeat ad horas 2. tum finito vt frigescat, & alembico sublato, exime id quod sublimatum est: fæces remoue; an vero nihil præter fæces remanserit super carbone ardente, aut lamina ærea aut ferrea candente probabis.

CAP. IV.

TVm denuo sublimabis id quod semel sublimatum est, per materam recentem, facies vero modis omnibus vt supra: istamque sublimationem tertio iterabis, semper per materiā recentem: postremo sublimabis per se, id est sine vlla alia materia, donec nihil amplius remaneat: tum lapis purus est. Primum enim ab omni suo sulphure combustibili repurgatus est, ita vt non amplius sit igni consumptibilis: est etiam perpurgatus à sua terrestritatē, quæ ingressum prohibebat: nam terrestritas illa & sulphur combustibile vtraque cum fæcibus relictæ sunt. Sulphur combustibile vrebat prius corpus eius cum igni admoueretur, ac terrestritas ingressum prohibebat, vt in metalla ingredi nequiret: ab his duobus iam separatus & liber est, vti dictum.

CAP.

CAP. V.

IAm etiam ſciet filius meus lapidem iſtum adhuc materiam in ſe habere, quæ fixationem eius adimit: quamdiu enim materiam eam in ſe habet, non poterit hic lapis vllo tempore fixari. Et in hoc multi decipiuntur, qui hanc materiam non nouere. Quærat vero filius meus quæ ſit iſta materia? Habeat itaque filius meus pro magno arcano, huic lapidi tam albo quam rubro, ineſſe quendam ſpiritum ſubtiliſſimum tam fugacem ac ſubtilem, vt lapis nunquam fixari poſſet, quamuis vel 1000. annos in igni eſſet: cum enim fixabitur ſiue cum fermento, ſiue cum aliquo corpore, tam puſillus ei ignis adhibendus erit, vt nihil prorſus ſurſum ſublimetur, alioqui fixum non fiet cum fermento aut corpore, atque ita denuo identidem agglutinandum eſſet, quomodo vllo tempore id fixari queat? Habet vero lapis iſte ſubtiles illos ſpiritus, quorum nihil aſcendere poteſt. Itaque ſubtilis ſpiritus à lapide ſeparandus eſt, ſicuti rudis illa terreſtritas, ſiue materia terrea ingreſſum prohibens. Ita 2. iſtæ materiæ à lapide ſeparandæ erunt, antequam lapis cum vllo fermento aut corpore fixari poſſit.

Lapidi inſunt ſpiritus quidã ſubtiles.

Lapis partim fixus eſt, partim non fixus.

Lapis à 3. ſuperfluitatibus mundificandus eſt videlicet à ſulphure combuſtibili, à terreſtritate ingreſſum prohibẽte & à ſpiritu ſubtili fixationem impedien te.

Medius ſpiritus eſt ſumendus aut materia, quæ ſemper medio loco reperitur, eſtque is ſpiritus, quem quærimus, qui eſt inter fixum non fixum. Nam ſi eam materiam crucibulo vitreo indideris, ipſa prius liqueſcet quam euolare incipiat: nec cito volabit, ſed ad modum ceræ pure ac ſenſim ab igni aſcendentis. Ita materia lapidis temperata eſt inter fixum & non fixum, cum ei adempta eſt eius ſuperfluitas, id eſt, primũ Sulphur combuſtibile, deinde eius terreſtritas ingreſſum prohibens aut adimens, eiusque ſubtiles ſpiritus combuſtibiles fixationem lapidi tollentes. Et in hoc errant omnes Alchemiſtæ, eo quod lapidem non nouerunt, neque naturam eius, ac ſuperfluitatem ei non adimunt: hoc eſt, quia ſuperflua eius non tollunt, nec poſſunt temperata inter fixum ac non fixum ſeruare: eſtque hoc maximum in hac arte ſecretum. Quocirca diſce lapidem, eiusque naturam noſſe, & non errabis.

Superflua à lapide remouenda, temperata autem in eo ſeruanda ſunt.

Quomodo ſpiritus ſubtiliſſimus à medio ſeparetur.

CAP. VI.

NVnc ſumet filius meus lapidem, cum ſimul omnis aſcẽdit, ita vt nihil remaneat, ac ollæ vitreæ aut lapideæ indet, & alẽbico ſuperaddito, ponet ſuper fornace ſubli-

mationis,receptaculo ad rostrum probe lutato, perpusillum ignem addet,paulo calidiorem quã Sol æstate media,eumq; calorem seruabit ad horas 10. deinde augeatur ignis paulatim modice per gradus ad horas 12. post augebis adhuc ignẽ insigniter per gradus ad horas 12. ita vt olla fere in fundo candeat, ita tamen vt vix percipiatur vtrum fundus candeat necne, sicque retine per horam vnam aut duas in eo calore: tum sinas frigefieri:ac tum ablato alembico, subtilis spiritus ascenderit in superiorem partem alembici, aut circa marginem eiusdem: hunc deme subtiliter, estque spiritus iste ad nullam rem vtilis, præterquam ad corrodendum in ferro aut chalybe,&c. Et materia lapidis,quæ omnibus naturis assimilatur,est & in medio,ad collum ollæ sublimata non tam alte ascendit,quam subtiles illi spiritus combustibiles. Nam materia lapidis non potest, neque valet ad eam altitudinem ascendere, ad quam spiritus ille subtilis ascendit: habet enim materia lapidis aliquas partes fixas in sua natura, quæ volatiles illas partes retinent,vt tã alte ascendere nequeant, quam subtiles illi intemperati spiritus, quibus nullæ partes fixæ sunt permistæ. Nobilem vero materiam lapidis exime ac serua,est enim verus ille lapis,quem nobis Deus omnipotens gratis donauit, estque ad opus nostrum paratus: est enim in omnibus suis æqualis ad operandum,idque in omnibus operibus Philosophorum. Pone enim lapidem istum in crucibulo vitreo ad ignem, liquescet ad modum ceræ, prius quam sit ascensurus,tumque sensim ascendet, vt cera, aut aliud quippiam quod per ignem ascendit:idque efficiunt partes eius fixæ,quas in se habet,hæ retinent apud se partes illas volatiles, adeo vt cum ipso liquescere debeant, antequam ascendant: atque ita ascendant etiam partes illæ fixæ interdum vna: partes enim volatiles lapidis sunt maiores quam fixæ, idcirco partes volatiles partim secum attollunt partes fixas vi ignis. Scito hoc, mi fili, notitiam huius lapidis opus tuum ad exitum felicem perducturam,ope Dei Optimi Maximi,ignorantia vero lapidis multos errores parit.

CAP. VII.

TEnebis item nunc,mi fili, te impurum corpus tibi præparasse. 1. Saturnum, & animam. 1. Lunam, quam ei infundes aut indes, & lapidẽ qui spiritus est,qui animã & cor-

& corpus continet, vt nullo vnquam tempore ſeparentur: quique hoc medium non intelligit, is nullo vnquam tempore in arte noſtra quicquam proferet.

CAP. VIII.

Quomodo materiæ præparatæ ſint miſcendę.

SCies præterea fili mi, tibi ſumendas 10. ℔. Saturni præparati ac ℔. 1. Lunæ præparatæ, quæ efficiunt 11. ℔. ſimul, tum ſumes pro 12. de ſpiritu tuo præparato, ac probe ſimul miſcebis, tum teres ſuper lapide cum aqua communi, ita vt pictor penicillo pingere ea materia poſſit, tum humiditatem euapora ſuper balneo, donec puluereſcat,



tumque pone in ampla olla vitrea aut lapidea facta in hunc modum, ollam vero ſuper æquali lapide leuigabis, eique operculum etiam leuigatum impones, eique pondere plumbeo ſuperimpoſito, in fornace Philoſophorum collocabis, in teſta cum cineribus, tribus concauitatibus fornaci ſuperimpoſitis, ita vt tam ſuperne quam inferne calorem recipiat: ac quicquid agas exiguum ignem adde primum ad ſex hebdomadas, quibus exactis ignem gradatim augebis, donec magnum ignem ferre poſſit, idque ſæpius proba eximendo parum laminæ impoſitum, vt videas num fixum ſit: ſi nondum eſt fixum ſtare ſinito, cumque fixum euaſiſſe vides, exime drachmam, inde crucibulo vitreo, ignique impoſito, ſinasque candere 4. partem horæ, tum vero ſinas frigefieri, ac appendas, vt videas an pondus tuum habeas, ſi non habes, iterum impone donec fixum fiat. Tum habes bonam Lunam in omnibus probis, eaque Luna exiguo labore ad bonum Solem reduci poſſet. Atque hoc modo Iupiter ad Lunam reducitur, vt hic de Saturno traditum, & ſi ponas Solem fermenti loco, fiet Sol ex Saturno: ſed in opere Iouis nihil præter Lunam efficere poſſis. Eſtque hic liber primi ordinis de Ioue & Saturno ad Lunam & Solem reducendis: ſi vero Saturnum ad Solem voles reducere, lapis ruber erit præparandus, ſicuti de albo traditum eſt, ſumendusque Sol in ſuo eſſe, ſaltem vt in calces redigatur.

Opus ſecundi ordinis. CAP. IX.

IAm tenebit filius meus eſſe preterea aliud opus ſecundi ordinis, idque eſt ad medicinam parandam in metalla mundificata proiiciendam, quæ iam viuificata ſunt.

Prædictis materiis quomodo vtendum.

Primum para Saturnum ſicuti à me edoctus es, ac deinde tuum fermẽtum, vt viciſſim te docui in opere primi ordinis, lapidemque itidem præpara vt edoctus es. Tum ſume quatuor partes fermenti, 2. partes tui ſpiritus præparati, contrere ſubtiliter ſuper lapide duro cum aqua communi deſtillata, ita vt penicillo iis pingi queat: quo facto iterum ſiccabis in vaſe vitreo, in quo operari vis, aut ſuper balneo, pelui cum arena ſuperimpoſita in phialam vitream immiſſum: exſiccabis vero donec puluereſcat; deinde in tale vitrum immittes, in ſuperiore parte leuigatum ſuper æquali lapide, vitreo leuigato operculo impoſito, cui pondus plumbi ſuperimpones, ac in fornace ſecreta collocabis, in cuius ſuperiore & inferiore parte æqualis ſit calor. Adhibebis vero initio ignem puſillum continue ad 12. dies & noctes lampade, deinde ignem augebis paululum per gradus, prout ignem aut calorem poſſe ferre videris. Id vero hoc modo perſpicere aut animaduertere poteris.



Sume aliquantulum tuæ materiæ inſtrumento argenteo, laminæque argenteæ impone, qua carbonibus ardentibus ſuperimpoſita, ſines interdum calorem magis magiſque augeri: tum facile videbis quam calidum poſſis efficere: materiam autem quam ex vitro ſumes pondera prius quam laminæ imponas, cumque eam à lamina remoues, rurſum pondera, ſi forte quid impuri abierit: ita noſſe poteris, numquid ſis perditurus nec ne, & ſecundum id ignem augere poteris, ac quicquid agas nunquam ignem augeas, quin prius aliquid eximas, ponderes, ac laminæ argenteæ imponas, vti prius dictum eſt: & quin videas quem calorem ferre poſſit, antequam aſcendat: ita facile in igni errare non poteris, eſtque hoc ſecretum tam magnum quam eſt in arte. Nam ſi tantum adderes ignem vt ſublimaret, aut ſpiritus exiret ex fermento, ac ſupra fermentum ſeſe locaret, quamuis ſurſum non ſublimaret, rurſum tibi eximendum eſſet ac denuo conterendum: quomodo enim lapis vna cum fermento fixari poſſet, cum tibi inuicem permiſta non eſſent, id omnino foret impoſſibile. Itaque nihil aliud hic nobis curandum eſt, quam vt ignem ita regamus, ne ſpiritus è fermento ſublimet neue exeat, ac ſeſe ſupra fermentum locet, aut præterea ne

ſuperne

ſuperne talem illi adhibeas calorem, vt ſpiritus per fermentum exeat, infraque in fundo vitri ſeſe reponat. Itaque hoc pacto ignis regendus, vt in ſuperiore ac inferiore parte fornacis ſit æqualis calor. Valde falleretis ſi maiorem in ſuperiore quam in inferiore parte fornacis calorem excitares, ita vt ſpiritus per fermentum infra ſubſideret, & tum inde aliquid ad probandum ſumeres. Quocirca fac, vt ſupra edoctus es, videlicet vt probes & ponderes: nam ſi eximeres & probares, non autem ponderares; cum de tuo fermento ſumeres, ex quo ſpiritus eſſet ſublimatus infra ſuprave, plenum pondus repereres: tum fixum eſſe reputares, verum falleretis: Spiritus enim infra in fundo iaceret, & fermentum ſuper Spiritum, nihilq; probaſſes aliud quam ſolum fermentum. Quare accurate proſpice vti ignem ita regas, vt calor infra & ſupra, & in lateribus ſit æque magnus: & quicquid agas potius minorem quam maiorem ignem adhibeas: ita falli nõ poteris, ac tametſi tempore multo longiore opus erit antequam fixabitur, tamen multo certius eſt. Itaque ſapias, mi fili, tibique in igni ſtruendo caueas, ne de integro iterum tibi ſit incipiendum, perinde ac ſi igni admotum non fuiſſet. In tota enim arte nihil magis hac fixatione curandum eſt. Spiritus enim ac fermentum coniuncta & coadunata manere debent, ſi alioqui tandem fixarentur. Nam quomodo duo vnum fierent, cum vnum alteri ſe ſubtrahit; cumque a ſe inuicem ſeparantur? Itaque, mi fili, prudenter vide, vt ignem tuum ita modereris, ne ſpiritum, animam & corpus à ſe inuicem fuges igni vehementiore, ſed ſemper exiguum ignem ſtrue, vt coniuncta maneant, vt anima & corpus vtraque vnum eſſe poſſint. Hanc lectionem ſæpius relege, animoque imprime, ignis enim negligentia multa opera perduntur: nam orationis dominicæ ſpacio fit vt ignis negligatur, ita vt rurſum de integro ſit incipiendum. Item nunc, fili mi, aliquoties aliquid eximes, vt prædictum eſt, ac deſpicis quem calorem ferre poſſit, addesque talem calorem per gradus, donec fixum ſit, ac flammam ferre poſſit eo temporis ſpacio, quod decies aut duodecies oratio dominica recitari poſſet: tum ſi nihil in pondere amittis, fixum eſt, ac tum illi adhuc quintam partem ſpirituum appone, hoc eſt euacua vitrum, materiamque tuam pondera, ac ſume pro 4. part. materiæ vnam partem ſpiritus, quæ efficiunt ſimul 5. partes: tum

Præſtat errare in paucitate quã in vehementia ignis.

Nota, orationis dominicæ ſpacio ignem poſſe negligi, ita vt ab integro incipiendum ſit: quare iſta ſæpius relegenda & retinenda.

optime miſcebis inter ſe, ſuper lapide conterens, vti antea doctum eſt: quo facto ſiccabis rurſumque ſuo vitro indes, iterumque impones, vt prius, ignemque vt prius, admouebis, &c. Ac vbi denuo fixum fuerit, ſume iterum quintam partem ſpirituum, vt prius, pro 4. partibus materiæ, impone vt prius, hocque tamdiu facito, donec materia liqueſcat inſtar ceræ. Id vero hoc pacto probabis. ℞. æs mundificatum, radas atque belle polias, ei paululum tuæ materiæ impone, igniq; ſiue carbonibus immitte, ſi materia liqueſcit, ac ſeipſam diffundit ſuper lamina candente, locusque vbi materia iacet albus eſt, medicina tua ſecundi ordinis perfecta eſt. Age gratias Deo, &c.

Proba perfectionis.

Proiectio. CAP. X.

SVmes item, mi fili, Venerem puram mundificatam, eiusq; 4. partes liquefacies ſuper vna parte Lunæ, cumque liquitur ac optime fluit, iniice dimidiam partem tuæ medicinæ, ſinasque ſimul fluere octauam partem horæ, tum reſtingue, effunde, habesque bonam Lunam in omnibus probis: ſique nimium tuæ medicinæ inieceris, tota maſſa frangibilis erit, itaque liquefacito, vt prius, adde plus Veneris, facitoque id tamdiu, donec maſſa tua malleabilis eſt, tum habes veram menſuram virtutemque tuæ medicinæ, ſicque in omni medicina probandum eſt.

Tertium opus medicinæ 3. ordinis.
CAP. XI.

Diſcrimen operis ſecundi & tertii ordinis.

SCies item nunc, fili mi, eſſe præterea aliud opus aut medicinam, eſtque opus tertii ordinis: nulla autem eſt differentia inter opus ſecundi & tertii ordinis, quam ea ſola, quod tertium ſubtilius & fortius paratur, ſecundusque ordo nullam facit proiectionem præterquam in metalla mundificata, ſed tertius proiectionem facit in metalla impura. Vnde Albertus Philoſophus ait: *Noſtra medicina rubiginem metallis demit, æternamq; tincturam dat, quam in æternum ſeruant.*

CAP. XII.

SCies vero deinceps, mi fili, hoc ſecretum. Cum voles parare medicinam tertii ordinis, facies modis omnibus, vt in 2. doctum eſt, præterquam quod cum ſpiritus cum fermento fixus eſt; ipſumque inflammaueris per octauam partem horæ

horæ, ac in tuo pondere nihil amittis, certusque es tuum ſpiritum cum fermēto fixum eſſe, exime materiam ex vitro, ac calcinandam pone in fornace ſapientum, in qua calcinatur, in vaſe patente, aut in fornace, in qua ſpiritus calcinantur, qui cum reſolui nequeunt, calcinandi ſunt in fornace ad eam rem conſtructa, in qua plus caloris in ſuperiore quam in inferiore parte ſit. Spiritus enim quos diſſoluere velimus, in vaſe patente calcinandi ſunt, ac in tali fornace hæc materia calcinanda eſt: tum vero hanc materiam ſumes ex vaſe vitreo, ac immittes in vas vitreum latum ac planum ad modum planæ ſartaginis luteæ ſine manubrio factum plano fundo, huic materiam tuam indes menſuram pollicis denſam, aut paulo amplius, fornacique impone, primum ignem puſillum addendo, & paulatim maiorem, ita vt materia ſit inter candere & non candere: atque hoc pacto ad ignem relinque per quatuor dies & noctes: quibus exactis exime, ac pone ſoluendam cum aceto deſtillato, in balneo, & quoque triduo acetum effunde, ac ſemper denuo acetum recens infunde, ſingulis diebus ter quaterve miſce: ac ſi quid eſſet quod in aceto ſolui nollet, id ipſum rurſum calcinabis, vt ſupra, continue per horas 24. tum eximes, iterumque diſſoluendum pones in aceto deſtillato, vt ſupra, idq; facito tamdiu, donec omne ſolutum fuerit: quo facto iterum congelabis, vt puluereſcat, rurſusque calcinandum pones ad horas 21. ad Spiritum ab aceto repellendum. Tum exemptam materiam tuam appendes quam grauis ſit. His ſic ſe habentibus ſumes quintam partem ſpiritus ad tuam materiam fixam, videlicet quatuor partes materiæ fixæ, vnamque ſpiritus, miſcebis, ac probe inter ſe conteres, vti in opere ſecundi ordinis traditum eſt, ſuper balneo ſiccabis, iterumque impones, vt vnum fiat cum alio fixatum, vt in opere ſecundi ordinis doctum eſt. Cumque iterum fixum eſt, rurſum calcinandum pone, tumque iterum diſſoluendum & congelandum, ac tum rurſus calcinandum, ad ſpiritum aceti extrahendum, tumque iterum commiſcendum cum ſpiritu, atque denuo tum fixandum tamdiu donec tua materia non ſeſe amplius calcinari ſinat, ſed liqueſcat inſtar ceræ, tum medicina tua tertii ordinis perfecta erit. Age gratias Deo tuamque fac proiectionem in metalla imperfecta animam habentia.

Ad La-

Ad Lapidem ex Luna sola parandum.

Natura eorum omnium cognoscenda est, quæ sub circulo Lunari existunt.

DEinceps, mi fili, docere te volo compositionem Lapidis Veterum, ac primum quomodo ad eam peruenies: Studebis autem, mi fili, in hac arte sedulo, & acuta mente comprehendes veterum dicta, debesque etiam discere naturam omnium rerum, & quomodo in rebus omnibus operetur, ac præcipue quicquid circulo Lunari subiacet, cursumque eius: & quando Luna primum cursum in Orbe cœperit, & vnde. Præterea tibi tenendum, vnde metalla in fodinis suam originem ducant, vnde primum crescant & augeantur, & quomodo, & ad quid natura metallorum reduci amet, seque reduxisset, ni natura fuisset impedita per res alias, vt id perficere nequiuerit. Resque impedimenti nosse debes, scire etiam (si alioqui operarius in arte esse vis) quibus in operibus naturam non imitabere, aut in quibus eam imitari debes. Idque tibi dico sciendum esse, aut tibi opus aggrediendum non suadeo. Quique hoc ignorant, procul ab arte absunt, sine fundamento aut radice, cui cogitata aut sensa animi eorum possint inniti: ac ob id nesciunt recte an secus faciant. Nisi vero essentiam & naturam eorum noris, principium, augmentationem ac defectus, quare natura eo peruenire non possit, ac si interiora eorum non noueris, nihil in arte nostra efficies. Quare sedulo stude antequam ad opus accedas, sique æger aut infirma valetudine sis, ne incipias, opus enim, vbi semel inceptum fuerit, intermitti minime potest. Etiam acumine ingenii præstare debes, nam subtiliter hic est operandum.

Ars chemica inimica pauperib.

Qui præterea huic operi manus admouere vult, nihil aliud exercere potest: ex auaritia item minime istud aggrediendum est, finem enim expectare non posses, semper enim auari de lucro cogitant: sique pauper fueris, etiam persequi non poteris, ars enim ista inimica pauperibus, sumptus magnus est, opusque pauca materia fieri nequit, tempusque longum est, ac nisi te tantis opibus instructum esse noris, vt in duos annos, sumptus, vasa, vitra aliaque vtensilia parare possis tibi & sociis, ne cœperis, opus enim solus exequi non potes: atque itidem multum materiæ tibi habendum est, ex qua opus tuum conficias: nam vt id perficias, ad minimum ℥ ℔. materiæ habere debes, ac ab initio paratam, vt si quid

tibi

tibi in opere desit, satis materiæ tibi esse possit, ad opus corrigendum. Nunc, mi fili, cum te his rebus prædictis probe instructum sentis, ac teipsum idoneum ad opus nostrum faciendum, ipsumq; ad finem perducendum, ita vt nihil desit, vti prædictum, ac notitiam omnium rerum habes, metallorumque naturam nosti, cognoscenda etiam materia est, ex qua opus hoc præstantissimum fieri debeat.

CAP. XIV.

NOsti præterea ex Mercurio & sulphure omnia metalla crescere mixtione eorundem, tam munda, quam immunda, constat etiam, ex nulla alia re in rerum natura metalla gigni posse, quam ex his duabus. Quare planum est in nostrum lapidem nullas res peregrinas ingredi, quæ ex his duabus originem primam non duxerint. Errant omnes, qui lapidem præsumunt extrahere ex pilis, ouis, sanguine, animantibus, aut ex vllo quatuor spirituum, & qui ex lotio, aut ex Mercurio, aut ex Sulphure, quæ corpora non fuere, suntque hæc omnia deliramenta & somnia hominum naturam ignorantium. Alij amalgamant Solem, Lunam, & Mercurium purificatum, ponuntque ea coquenda, cumque iam multo tempore coxerint, nanciscuntur rubrum pulverem, vt lateritium, ac cum iam probare cupiunt, an fixus sit Mercurius, in fumum abit, secumque optimam corporis partem rapit, atque id, quod fixum est, remanet in materiam aridam, quæ liquefieri nequit, adeo igne exiccatum est. Sunt & alij, qui lapidem volunt elicere ex Sole & Luna, quasi putarent, se posse extrahere lapidem rubrum aut album ex his perfectis corporibus, quæ dura & solida sunt, quare id nobis quoque impossibibile. Noster enim ignis naturalis hæc corpora minime lædit, nihilq; in ea posset, quamvis lapis inde educi posset: dura sunt & fixa, nihilque peregrinum ad nostrum lapidem addi potest, tantummodo ei detrahenda, quæ in eo superflua sunt, ac ipse subtilis, & plus quam subtilis efficiendus, atque ea sunt dura illa, ac fixa corpora, quæ si reducerentur eo, vt lapis inde elici posset, essent defixanda, ex ijsque spiritus efficiendi, si quid ex ijs produci queat: Ita planum fit, lapidem nostrum ex duris fixis corporibus extrahi non posse.

Error multorum sophistarum lapidem ex alijs rebus extrahere cupientium.

Quærat vero nunc filius meus, vnde lapis noster sit extrahendus? Sciat autem filius meus, Sapientes quæsiuisse

quiddam

quidam in mineralibus, in quo Mercurius purus putusq; esset, ac sulphur incombustibile, quod etiam purũ mundumq; esset: & vbi illa duo sic permista essent, quodq; pro sua proportione, & sic simul congelata, vt separari non possent, amboque volatilia & spiritualia essent: inde suum lapidem elicuerunt. Iamque tibi dico aperte, nulla circuitione vsus, materiam, ex qua lapidem fabricabis, & conficies, si quidem mente & ratione præditus es, vt verba mea & rationes capere, & intelligere possis, omniaque metalla nosti, quæ in fodinis crescunt, ac naturam eorum: nosti iam materiam, ex qua lapidem elicies, nosti etiam me tibi hic manifeste materiam demonstrasse, ac nominasse sub alijs verbis.

CAPVT XV.

Vnã duntaxat esse rationem ad rubeum & album lapidem.

* Alias, non esse nisi vnã materiam.

SCiet pro certo filius meus, * non esse plures vna rationes ad rubrum, & ad album lapidem. Fuerunt autem olim, qui hunc lapidem elicere non possent, quam ex duobus luminaribus, id est, ex prædicta materia, cumque iam lapidem eduxissent, efficiebant primum lapidem ad album, nullum fermentum album adhibentes, ac magno labore lapidem produxere: deinde efficiebant præterea eundem ad rubrum, nullo fermento rubro adhibito, magnoque labore produxere, longo tempore, magna subtilitate. Lapis enim ita effectus miram faciebat proiectionem, & infinitam. Lapidem etiam aliter conficere non nouerant, quam ex vtraq; materia ad rubrum & album, sine vllo fermento: Itaque in suis secretis libris scripserunt, Lapidem confici non posse, quam ex vtraque illa materia, tam ad rubrum, quam ad album. In quo verum scripsere: sed lapis ad rubrum non potest confici, nisi fermentum addas, materiaque ad album adesse debet: Similiter lapis ad album extrahi non potest, nisi fermento adhibito, materiaque ad rubrum adesse debet. Hi fuere primi, qui materiam ad conficiendum lapidem inuenerunt.

CAP. XVI.

POstea autem alij Philosophi extitere, qui penitius rem inspexere, esse videlicet duplicem materiam à Deo creatam, vnam ad rubrum, alteram ad album, ac vlterius progressi, videre Deum duo creasse lumina ad orbem illustrandum; vnum interdiu, alterũ noctu, quemadmodũ oculis cernimus. Luna de nocte lucet, vt Sol de die, alter sine alterius

admi-

adminiculo. Dicunt præterea Solem & Lunam vtraque interdiu lucere ita vt sese inuicem non impediant: verum cum vtraque lucerent, esse lumen clarius. Tum amplius quam primi cogitabant, Deus 2. materias largitus est, vnam ad rubrum, alteram ad album lapidem, sicuti interdiu Solem, ac noctu Lunam dedit, & vterque illustrat orbem sine ope alterius, illustrant etiam mundum cum ambo lucent, neuterq; alterum impedit. Ita rubram materiam solam sumebant, atque ex ea lapidem conflabant albæ adminiculo, sicuti in opere manifesto docebitur: deinde albam materiam sumebāt, & ex ea lapidem eliciebant album, absque ope materiæ rubræ, aut sulphuris combustibilis. Verum lapidi albo fermentum argenti puri dabant. Ita lapidis albi compositionem inuenerunt sine ope rubri, verum fermentum argenti illi dare cogebātur: sed non tam subtilis est, neque talem facit proiectionem, qualem albus ille lapis, quē primi Philosophi producebant, qui ex vtraq; illa materia fuerat extractus: verum opus posterius multo minoris laboris est, temporis breuioris, sumptus minoris, nulliusque periculi. Ita scies mi fili, & intelliges confici posse lapidem album solum sine rubro, verum fermentum argenti illi largiendum est. Ruber vero lapis sine adminiculo albi cōfici non potest, sicuti ante in præfatione doctum est: hęc secreta memoriæ manda. Scies præterea, mi fili, multas esse sectas Philosophorum, & vnaquæque harum peculiares habuit operationes: omnes vero vnam sumpsere materiam ex qua lapidem conflarunt. Sunt breues & longæ viæ, verum quo subtilius lapidem confeceris plusque mundificaueris, eo maiorem proiectionem est facturus. Alius Philosophorum reduxit ad 10. alius ad 20. atque ita deinceps altius prout bene operari, lapidemque suum rite purgare nouerant: imo etiam ad 100000. &c. idque ex vna eademque materia.

Hoc pacto disces, mi fili, admodum subtiliter lapidem è materia extrahere, cumque ipsum eduxeris, magna diligentia purgabis, mundabisque magna subtilitate: tumque summa diligentia eum subtilem ac plus quam subtilem efficies, ac ita poteris ipsum perducere ad magnas vires. Nūnc præfationem sæpius relege, vt hæc probe intelligas, prius quam ad opus accedas: neue instar insani ad magisterium artis nostræ decurras, verum cordate quodque ex ordine in-

cipe: neq; duo vel tria ſimul incipias, neq; probes nunc hoc, nũc illud, ſed cõſtãs in opere permaneas, neque animũ alijs rebus applices, nec magnis nec paruis, niſi ijs ſolis quæ ad opus tuum pertinent: & interdum aliquid faciens libellum ſume, in eoque ſcribe quicquid agis, quantumuis opus ſit exiguum, ſcribe itidem omnia ſigna, colores ac mutationes, tempuſque quo fiunt, caloremque quem adhibes.

Finis præfationis.

CAP. XVII.

Opificiũ Philoſophorum pergit docere.

IAm filium meum opificium Philoſophorum docere volo, hi multiplex habuere opificium, quiſque pro vt libebat, ac prout breuiter aut diu operari voluere. Filius meus eligat opus tam breue aut longum quam velit, annus aut eo amplius inſumetur, ita rationem tuam ineas. atque hoc opus pauca materia aggredi non potes: debes ad minimum 4 aut 5 ℔ habere materiæ, ſi alioqui opus ſufficiens foret. Nam pauperum opus non eſt, niſi forte lapis gratis a Deo conceſſus haberi poſſet, tum alij ſumptus faciendi nõ eſſent, præterquam vaſorum, carbonum, & alimenti, donec lapidem præparaſſemus. Ac duo lapides quos Deus gratis donauit in albo & rubro dimidia parte temporis tantũ opus habent, quam materia quę ſumenda erit, præparationum cauſa, & antequam ad ſublimationem ventum ſit, lapis gratis nobis donatus iam fere ad fixationem perductus eſt. Lapidem vero cum acquirere non poſſimus, quia in locis illis nõ ſumus vbi duo iſti lapides creſcunt: materiæ his lapidibus ſimiles nobis ſumendæ ſunt, eiuſque naturæ, ſi alioquí opus noſtrum præparare velimus, idque eſt magni ſumptus, multique temporis. Itaque Recipe minimum 4 ℔ ad lapidẽ album, materiamque quam noſti, ſique non noſti coram tibi dicam, dixi etiam tibi atque etiam ſcripſi in libro vegetabili, quem mihi remiſiſti. Si ergo exempli gratia breue opus ad album ſuſcipis, ſume primum & purga materiam in ſua eſſentia exiſtentem, ac tam purã effice quam potes: tumque reſolue in eius aqua alba, cumq; omne ſimul reſolutum fuerit, ita vt nullæ fæces in fundo reliquæ ſint: alẽbico vitro tuo impoſito ſuper quo ipsũ reſoluiſti, pone ſuper fornace in quodã balneo, receptaculũq; ad roſtrũ luta, ꝓbe, ac luto ſicco, ignẽ ſub balneo ſtrue, deſtilla ſenſim tepido balneo, ita vt com-

Quæ & quantum materiæ ſumẽdum ad album lapidem.

Materia hæc purganda.

Soluenda in eius aqua alba.

commode manum in eo tenere possis, destilla inquam, donec omnis materia tua exiccata fuerit, ac omnis humiditas exudarit, tum materiam resoluere poteris cum aqua tua alba, hoc modo: Sines vitrum tuum in balneo, sicuti est, eritq; foramen supra in alembico cui infundibulum impones, ac per ipsum aquam tuam infundes, donec ad 3. aut 4. pollices aut latitudinem manus emineat, non eo corrumpere poterit, alembicum probe obtura suo vitro leuigato, destilla vt prius, cumque materia tua sicca est, rursus eam humecta, rursum destilla, idque septies itera, tũ sine vt frigescat & materiam exime, nã probe tota putrificata est, idq; multo minori temporis spatio confici potest, quam si prius putrefaceres, & tum destillares, iuxta vulgarem doctrinam Philosophorum. Istud æquæ bonum est, imo melius.

Aqua alba balneo tepido destillanda à materia vsq; ad siccitatem.

Hæc aqua denuo ad materiam affundenda, & rursum materia soluẽda, ideoq; opus est galea perforata, vt subito aqua effundi possit. Id opus septies repetendum.

Post materia frigefacta, eximenda ex suo vase, & erit perfecte putrefacta.

CAP. XVIII.

His ita se habentibus, receptaculum magnum sumes, cui infundibulo vitreo superimposito, ac receptaculo, repones in testa cum cribratis cineribus, super fornace in qua ignis vehemens accendi possit: tum vitrum, cui inest materia tua, sume, superinfunde aquam communem destillatam, ac omnis 2. aut 3. horarum spatio resoluetur in aquam liquidam: tum in magnum illud receptaculum infundes, quod est super fornace in testa cum cineribus, ac olla vitrea ex qua materiam euacuasti probe abluta, omnem materiam simul confundes in magnum receptaculum: tũ habe 5. aut 6. quartarios aquæ destillatæ, eamque simul funde in magnum receptaculum super materiam solutam, donec 2. partes magni receptaculi impleantur. Quo facto, ignem fornaci subijce, eumque aliquoties auge per gradus, donec materia cum aqua in vitro calefiat, ac vitrum supra patere sinas, ita non rumpetur, ac relinquas hoc pacto ad ignem modice bullire ad semihoram, ac deinde sponte refrigerari. His factis, relinque vitrum super fornace per 3. dies naturales, ac materia tua in fundo residebit, tum paululum in

Quid præterea faciendum.

Lapis hic in aqua communi destillata soluẽdus.

Solutio in amplo vase infundenda. & addẽdæ 4. vel 5. mẽsuræ aquæ cõmunis destillatæ. Et simul totũ super cineres leniter bulliendum spatio semihoræ, ac post aqua frigefacta cum sua materia in vase relinquenda erit per 3. dies integros. Ac tota materia residebit in fundo.

Inde per filtrationē & inclinationē tota aqua elicienda est, vt lapis omni careat acredine aquæ suæ solutiuæ.

in alteram partem inclina, laneumq; funiculum inde 8. aut 10. fila spissum, suspende alteram extremitatem ex alio vitro infra aut iuxta fornacem locato, ac filtra, donec materia fere sicca est, infunde rursus aquam communem destillatam ac sinas bullire, faciens in omnibus vt prius per 4. vices, eritque materia tua probe lota & repurgata à sua aqua alba: omnes vero aquas quas ad hunc modum eduxeris, seruabis vnamquamque separatim, & in balneum euapora, omnesque tuas aquas albas denuo accipies, eruntque tam bonæ quam prius, serua in aliud tempus ad vsum, &c.

CAP. XIX.

Exiccatio lapidis per euaporationem.

ITem euacua iam tuam materiam ex magno illo vitro, ac in 2 aut 3 amplas pateras vitreas mitte; pone super cineribus tepidis, exicca vt puluerescat, aut super pelui cum arena super balneo locata, ita nullos spiritus subtiles inuisibiles amittes.

CAP. XX.

Solutio lapidis in aceto destillato per balneum tepidum.

ITem præterea habe acre acetum destillatum ex vino, probe rectificatum, ita vt nihil remaneat, ac tuam materiam in magnum receptaculum immitte, pone in balneo, ei materiam inde; bona quantitate illius aceti destillati superinfusa. Tum vitrum tuum supra operias vitro leuigato, ignem strue sub balneo, calorem adde qualis est sanguinis humani aut vrinæ. Sed ne sinas aquam balnei magis feruere, retineas hoc pacto die ac nocte in eo calore, ac tua materia aliquoties resoluetur: Id vero hoc pacto noscees, cum acetum erit colore cęruleo tendente ad viridem, is primus color est qui se in opere ostendit, id signum scribe, bonum enim est signum, quod videlicet materia tua probe sit putrefacta ac mortua in putrefactione in sua aqua alba, & quod omnino mortua sit, quodque nullo vnquā tempore in corpus redigetur, estque bonum signū. Nā simul atq; in opere vlli colores apparent, certi sumus nostrā materiā mortificatam esse, eiusque interius extra tendere, putrefactionemque bonam fuisse. His factis, magnum vitrum paratum habe, in hoc acetum coloratum infunde declinatione sensim, tum ilico probe obtura, pone in balneo tepido, ac denuo acetum recens funde super materiam, faciens vt supra, hocque iterabis,

Signū solutionis color cæruleus in aceto.

Solutum per declinationem separandū à nō soluto.

Solutum seruādum in balneo tepido.

bis, donec omnis materia soluta fuerit, ita vt nullæ fæces supersint: verum caue ne inter diffundendum refrigescere sinas. Sumere poteris infundibulum vitreum, ac vitrum super fornace sinere, atque ita transfundere: & retine tum omnem tuam materiam ita resolutam in aceto calore commodo, in balneo, nimiru vt stabat ad soluendum: retine hoc pacto 20 aut 22 dies. Interea materia tua tã volatilis ac spiritualis fiet, vt eam vel ad oleum, vel ad lapidẽ valeas reducere, ad alterum horum vtrum vis. Nam spiritualis est effecta quæ antea corporalis fuerat.

Omne solutum seruandũ tepidũ cum suo aceto per 20. aut 22. dies, vt materia euadat volatilis.

CAP. XXI

Hic Luna apta est ad destillandam per alembicum in oleum, atque etiam in lapides crystallinos fusibiles reducendam, tum vero alembico vitro imposito, ac aceto destillato per balneum, materiam tam siccam, quam potes redde, aut minimum quasi siccam ita vt eam in pateras vitreas possis transfundere; tum materiam tuam sicca in pelui cum arena super balneo locata, ita nullos spiritus amittes, cumque materia sicca est & subtilis, sume paululum ex ea, immitte in ampullulam, superfunde aquam communem destillatã ita mundificatam, vt nihil remaneat, ita aqua rectificata esse debet: tum pone in testula cum cineribus super fornace, ac vide an materia solui velut in aqua communi destillata; tum recte est: sin minus, iterum in aceto soluenda est, vt prius; sed si in aqua communi soluatur, sume materiam tuam omnem, pone in balneo, ac sine ibidem donec omnis resoluta fuerit in aquam liquidam, calorem accommodum adde qualem ferre possit. Si quid vero in fundo infra remaneret, quod solui nollet, effunde superne id quod solutum est in balneum calidum: nam solutum refrigescere minime potest, donec coagulaueris, atque etiã postquã coagulaueris, semper calidum serua in loco arido, materia enim frigefieri opus non habet. Super id vero quod in fundo vitri remãsit acetum destillatum funde, atque ita rursum in aceto sinas, cumque solutum fuerit, rursus acetum destilla, ac superinfunde rursus aquam communem, resolue quod resolui vult, ac si omne resolui respuat, fac modis omnibus, vt prædictum est, donec omne in aqua communi soluatur, ac in aquam liquidam, ita vt nullæ fæces in fundo

Abstractio aceti per destillationem vsq; ad plenã siccitatem

Solutio lapidis in aqua communi.

Si solui nõ potest in aqua communi reiterãda est solutio per acetũ, idque toties donec omnis materia in aqua communi soluta nullas post se relinquit fæces.

vitri ponantur. Tum tua materia ex sua natura perducta est, id est in aquam simplicem, ita vt nihil adiunctum sit, cumque ita se habet, dixere Philosophi de lapide, Pauperes ipsum habent æque ac diuites, ac reperitur in mari & fluuijs & in locis omnibus, ac verum dixere, iam enim est aqua vulgaris quæ vbique reperitur. His peractis congela, aquamque è balneo destilla, vsque in eam siccitatem vt puluerescat: tum Philosophi terram nuncuparunt, remque vilem, quodque in latrinis ac puteis, super montes, in montibus, omnibusque locis reperiatur dixere, ac vere. Iam enim terra effecta est quæ nulli amplius valet quam quæuis alia, præterquam soli Philosopho. Nam qui lapidem conficere non norit, ei nihilo plus valet quam quæuis alia terra: nam nec iam, nec vllo tempore potest corpus fieri. Quare iam res vilis est quæ vbique facile reperitur.

Cõgelatio lapidis per abstractionem aquæ cõmunis vsque ad plenam siccitatem, & relinquetur terra mortua nulli nisi Philosopho vtilis.

CAP. XXII.

Iam vero, mi fili, noris materiam tuam paratã esse ad lapidem conficiendum: tamdiu laborasti antequam hæc materia subtilis & spiritualis effecta est, ita vt eam sublimare possis: Si vero lapidem posses acquirere quem nobis Dominus gratis largitus est, eum non opus esset ita præparare: sed statim sumeres ac intangibiliter puluerizares, eiusque immunditiem ablueres aqua communi, donec aqua inde pura & liquida deflueret: tum siccares iterum, ac paratus esset vt sublimandum poneres: quare opus eius breuius. Verum quia hanc materiam ignoramus, nec acquirere possumus, alia sumenda & paranda est, vt prædictum est, meliorque & subtilior reddenda quam & ex lapide quem nobis gratis Deus donauit. Nunc, mi fili, nihil aliud faciendum restat, quam vt soluas, ac rursum congeles in aceto rectificato toties & tamdiu, donec amplius nolit congelare, concrescatq; in oleũ: hoc vero oleum serua in ampulla vitrea in fornace secreta donec omnino fixum sit, ac penetret candentem laminam æream, vt laminæ similes fiant puræ lunæ: ac si tum etiamnum perfectiorem vis reddere, suo ipsius spiritui immerge, & fixa suo ipsius spiritu, ac facito proiectionem ad album. Sique filius meus hunc lapidem conficere vult ad album, poterit materiam sublimandam ponere in hunc modum.


Reductio lapidis in oleum ꝑ solutionẽ & cõgelationem in aceto.

Fixatio lapidis.

Imbitio lapidis cum suo spiritu, Mercurio videlicet, qui in siccando ascẽdebat, ꝑ vt latius de sale metallorum.

Reductio lapidis ad perfectiorem virtutẽ per sublimationem.

Su-



Sume ollam firmam amplam vitream, quæ infra latum habeat fundum, eique materiam tuam inde, vt coram tibi facile dicam, ac ollæ magnum impone alembicum cum amplo rostro, receptaculumq; ei luto affixum.

Erit autem inferior olla vitrea admodum humilis, plana & admodum lata in inferiore parte, vt hæc figura tibi demonstrat, huic tuas materias præparatas inde, & alembico superaddito, luto probe obtura, & fornaci sublimationis impone, cum testa cinerum, luto receptaculum rostro adglutina, ac luto sicco, paratus es ad sublimandum. Qua de re quidam Philosophus sic ait: Terra est infimus mundus, & aqua, quæ sursum ascendit, habet in se animam: nec sunt plura quã 2 cognita, 2 in aperto, & duo in secreto, vt etiam in elementis palam est, terra & aqua sunt nota, eaque videri & tangi possunt: ignis vero & aer sunt in abdito; ita etiam se res habet in nostro lapide: 3 videntur manifesto, & 2 cernuntur obscure. Quomodo igitur videri possunt? Quemadmodum apparet in aspectu sub nigredine albedinem latere, ac post rubedinem quæ sub albedine latebat. Illa 2 primum erant in intellectu, at nunc sunt in aspectu.

Mi fili, quomodo intelligenda sunt abdita Philosophorum dicta? Dixere, in prima reductione, ea est quam solutionem vocarunt, estque fundamentum artis. Qua de re Rasis ait: Nisi corpus resoluas, frustra laboras: corpora enim ad tales aquas sunt reducenda, quales sunt ex quibus primum originem duxere, id est, in aquam vulgarem. Hanc vero solutionem vulgus non capit. Estque hæc prima eius reductio in suam essentiam, &c. Prima operatio.

Alius Philosophus ait: Nisi ex crassitudine aquæ terra efficiatur, in nostra arte operam ludis, &c. 2. Operatio.

Tertium opus est purificatio aut mundificatio: *Morienus* inquit: Quando hæc terra cum terra putrefit, & attenuatur, 3. Operatio.

tumque purificatur, statim omnis nostra ars ope diuina perficitur.

Geber ait: detrahe ei humiditatem suam, ac ad sublimationem statim perducito, & ex eo spiritum trahe quem in eo reperies, qui *Hermetis* auis appellatur. Et de hac *Morienus* ait: remanebit tibi terra calcinata & arena. De qua idē præterea *Morienus*: Ne contemne cineres in inferiori loco, nam sunt resplendentes. Quare ex cineribus etiamnum cineres resplendentes extrahe, & in ijs pretiosum adamantem reperies, inquit *Morienus*.

Reditus ad opus.

CAP. XXIII.

Sublimatio lapidis per suos gradus igni, donec quicquid volatile à fæcibus sublimatū fit.

Fæces soluendæ in aceto, vt quod non est sublimatum eliciatur ex fæcib⁹ sublimationis quę terra est lapidis.

Sublimatū, eius spiritus aut elemētum aquæ.

Vtrumq; separatū seruandū donec denuo vnienda sint.

NVnc, mi fili, ad opus nostrum redeamus: ignem fornaci subijcies, primum pusillum ac paulatim maiorem per grad⁹, donec materiam tuam sublimare videas: tum serua ignem in eo calore, quandiu ascendit, sed potius auge ignem paululum quam refrigesceret, & quamdiu vides ascendere, hoc pacto relinque modice igni prædicto, cumque ipse ascensus incipit minui, ignem auge, prout videbis opus esse: Hoc vero per alembicum vitreum videre poteris. Sic relinquito nocte dieque, semper ignem augmentans, prout videbis opus esse: cumque cernes non amplius sublimare; ignem tuum auge gradatim, donec olla tua vitrea infra candeat: eo statu retine candentem ad horas 2. aut donec cernes, non amplius ascendere: tum sinas sponte frigesieri, & alembico ablato, euacua, & in pyxide vitrea repone, fęcesque ex olla vitrea exime, & mitte in magnum vitrum, ac acetum vehemens ex vino confectum destillatum superfunde, ac in tepido balneo colloca, ac per dies octo soluendum relinquito. Tum acetum effunde in vas vitreum, ac coagulandum pone super balneum in pelui cum arena donec siccum sit.

Scies item, mi fili, quando materias pones sublimandas, eas esse miscendas cum huiusmodi materia quæ talis naturę sit, vt paratam materiam tuam conseruet à liquefactione. Adeo enim subtilem materiam tuam reddidisti, vt etiam ad pusillum ignem liquesceret instar butyri. Quare materia per quam materiam lapidis sublimabis ita paranda est, vt materiam tuā minime polluat: ac vt huius materiæ nihil ascendat, vtque nullo igni destrui possit, quamlibet magnum ei sub-

ſubijcias: debet præterea ita parata eſſe, vt ex materia vitrum confici non poſſit, neque ex ea ſal extrahi: debet etiam ita præparari vt nulla re diſſolui poſſit, vtque nullas fæces de ſe mittat: para item vt intangibilis ſit: ſique, fili mi, talem materiam non habeas, materiam tuam præparatam ſublimare non poteris. Quocirca huiuſmodi materiam para, alioqui in arte nihil præſtabis. Dicam tibi coram quomodo eam pa-rabis: cumque materiam tuam ſublimandam pones, primo ponderabis materiam per quam ſublimare vis, pondusque tuum memoriæ mandabis, etiam materiam ponderabis ex qua tuum lapidem vis extrahere, pondusque ſcribes, ita non falleris.

Terra lapidis ponderanda, & eius ſpiritus aut ſublimatũ e terra.

Itaque, mi fili, cum ſpiritũ è materia eduxeris, omne quod in olla reperies ſoluendum pones, ac ſolues corpus ex materia ex qua ſpiritum ſublimaſti. Hoc quidem confitenter facere poteris: materia enim tua per quam ſublimaſti non ſoluetur: quare nihil amplius ſolues quam corpus illud aut terram cum fæcibus ex qua ſpiritum tuum ſoluendo eduxiſti: quare vbi ſiccum fuerit pondera quod ex fæcibus ſoluendo eduxiſti; tumque etiam ſpiritum tuum quem ſublimaſti põdera: ita ſcire poteris an omnẽ tuam materiam habeas: poſt omnes etiam fæces exime atque etiam pondera, ita manifeſto ſcire poteris quomodo res ſe habeat, quidque tibi deſit, an omne ſit eductum nec ne; ſedulo aduerte, nihilque ſcribere pigeat, ita ſemper quid feceris tibi conſtare poterit, & ſi quid de opere dubites imaginari ex ſiniſtro euentu poteris, qui id acciderit, ac emenda vbicumque poteris.

CAP. XXIV.

Noris præterea, mi fili, te materiam ex qua ſpiritum tuum extrahes tam ſubtilem poſſe facere, tamque ſpiritualem primum in eius aqua alba, in qua poſita eſt in putrefactione, ac deinde in ſolutione in aceto, vt in ſubimatione tota aſcendat, ita vt nihil præter fæces relinquat. Quare materiam in aceto ſolues, facta ſublimatione, ac ſolues terram aut fæces ex materia per quam ſublimaris, ita facile videbis an omnis materia lapidis ſurſum ſublimarit nec ne. In materia enim per quã ſublimaſti non ſoluitur aliud, quã quod in ea remanſit ex materia lapidis quæ ex ea ſublimata fuerit: ac facito vt prædictum eſt.

CAP. XXV.

Sublimatio lapidis per se sine fæcibus adiunctis idq; igne lentiore.

SEruabis item, mi fili, in vase vitreo id quod ex ea materia soluisti per quam sublimasti: tum id quod sursum sublimasti sume, ac denuo pone sublimandum primum igni pusillo, gradatim augendo, donec omne sursum sublimatũ fuerit, quod sublimari possit.

Fæces in hac sublimatione relictę adiungendæ terræ lapidis supra dictæ.

Præterea, mi fili, solum sublimabis ita vt nihil adsit aut permixtum sit, fæces vero remanentes adde huic quod tibi seruare iussi, quod cum aceto educebas, ac sublimationem muta toties donec omne ascendat, ita vt nihil remaneat: tum satis est: tum habes Mercurium illum ex quo Philosophi lapidem suum extrahunt, tum habes sulphur incombustibile, tum habes lapidem ad album: ac Sapientes vocarunt istum spiritum aquam, ac rem albam, & arsenicum, multaque nomina ei imposuere, vt sulphur, lac virginis.

Hęc sublimatio toties reiteranda donec lapis nullas post se relinquat fæces. Et sublimatum illud purum loco Mercurij Philosophorum erit: Et etiam sulphur incombustile.

CAP. XXVI.

Terra omnis supra dictarum sublimationũ reuerberanda ad albedinẽ niuis.

ITem nunc sumes F.M. omnem illam terram & fæces quas in prima sublimatione seruasti, cum aceto eductas, vna cum alijs fæcibus omnibus, quas in alijs sublimationibus reliquisti, eas omnes simul sumes ac pones reuerberandas, donec tam albæ fiant quam nix, tum sinas refrigescere: ex fornace deprome, inque vitro repone, colloca in balneo, atque acetum acre destillatum superfunde probe rectificatum: balneum vero mediocriter accende, ac tuum acetum subuiride fiet: tũ sine refrigescere, & effunde inclinatione in aliud vitrũ, obtura ac depone, ac rursum aliud acetũ infunde, & in balneo denuo colloca, vt prius, ac vbi acetum rursum colorem amiserit, iterum declinatione effunde, priorique aceto adde, atq; id ipsum itera toties, donec acetũ tuum non amplius colore a rebus inficiatur. Tum fæces sicca atque iterũ pone calcinandas per horas 24. tũ refrigerari sine, ex fornace extrahe, pone denuo in vitro, colloca rursum in balneo, acetũ denuo superfunde, pone soluẽdas vt prius, faciens modis omnibus, vt prius. Erit autẽ infundendũ & effundendũ, fęcesque calcinandæ, donec acetũ tuum nõ amplius colore tinga-

Solutio terræ reuerberatæ in balneo per acetũ.

Terra soluta post euaporationẽ denuo reuerberãda spatio 24. horarũ iterũque soluẽda, vt sup.

tingatur. Itaque paulùlum in crucibulum vitreum euacua, tum cineribus calidis impone, ac vide an ita omnino euaporet: tum terram omnino ex fæcibus remouisti: quo facto acetum tuum coagula, ac puluis albus egregius tibi restabit, eum pones iterum calcinandum in fornace reuerberatoria per horas 24 calore modico, ita vt solùmmodo candescat, nec intentiore, ne liquescat, tum sinas refrigescere, ex fornace depromas, pone soluendum in aceto rectificato, modis omnibus vt supra, soluesq; ac rursum congelabis, ac deinde calcinabis toties, donec nullas amplius fæces reperis in fundo vitri tui: ac cum iam omne simul solutum est, ita vt nullæ fæces remaneant, rursum cõgela, ac remanebit tibi insignis resplendens clara terra, corpusque tui lapidis. Estque hoc illud quod Morienus ait. Ne sperne cineres in inferiore statu: & iterum: cineres ex cineribus extrahe, ac in ijs pulcerrimum adamantem reperies.

Hæc reuerberatio & solutio toties repetenda, donec terra in solutione nullas relinquat fæces. Ac post vltimã solutiõnẽ & euaporationẽ relinquetur pulcerrima & splendẽs terra.

CAP. XXVII.

NVnc scias, fili mi, magnum secretum, quod videlicet sumes 3 partes aquæ, vt Philosophi dixere, Spiritum enim aquam nuncupant, ac partem terræ tuæ præparatæ aut corporis, nimirum quod sumes & ponderabis omnem terram tuam aut corpus, quod sit eius pondus, tum sumes ter tantundem de tuo spiritu, quantum terræ tuæ pondus est.

Ad vnam partẽ terræ iungendæ 3. partes spiritus sublimati supra dicti.

CAP. XXVIII.

NOn multum item terræ aut corporis retinebis ex 4 ℔. materiæ quas imposuisti, sed quamuis parum sit satis tamen habebis, vt ea opus tuum perficias quamlibet paulùlum sit. Terra enim tantæ virtutis est, quamlibet pusillum eius sit.

CAP. XXIX

CVmque, mi fili, terram aut corpus ad eum modum cõtriueris, miscebis ea probe inter se, id est, terram cum spiritu sicce super lapide, aut poteris soluere ac permiscere duas illas materias simul, ac tum congelare donec siccæ sint, adeo vt puluerescant, &c. Verum non est necesse, sed misce sicce super mensa vitrea, ac probe permistas, simul sublimandas pone primũ igni pusillo, ac paulatim maiore per gradus, ac sublima quicquid sublimari vult, cũq; ampli⁹ sublima-

Sublimatio spiritus cũ terra per suos gradus ignis.

limari reſpuit, refrigerari ſine. Tum alembico ablato, quod ſublimatum eſt euacua in pyxidem vitream, ac prudenter ſerua. Tum quod in olla infra remanſit, exime, ac rurſum pondera, & tum demum noſſe poteris quantum de tua terra & corpore ſurſum ſublimarit. Tum ſumas rurſum ter tantum de tuo ſpiritu, quantum ponderis retinuiſti de terra tua, permiſce ea probe inter ſe, vt prius; pone rurſum ſublimanda, vt ante, donec non aſcendat amplius, tum ſinas refrigeſcere: deme alembicum & adde primo in pyxide vitrea, ac ſerua, &c. Eam vero ſublimationem iterabis toties donec totum corpus tuum ſurſum ſublimatum fuerit: ita inferius effeciſti, ſicut ſuperius, vt Philoſophi loquuntur. &c.

Quod ſublimatum ſeparatim ſeruandū. Relicta terra ponderāda & ei rurſus adiungēdæ 3. partes ſpiritus recentis, rurſumq; ſublimandū, vt ſup. Hęc ſublimatio toties reiteranda donec omnis terra à ſuo ſpiritu ſublimata fuerit.

CAP. XXX.

MAgna item quantitas materiæ habenda eſt, ac ab initio præparanda ob eam cauſam. Quia opus hoc vna cum ſpiritu faciendum eſt, ac minimum debet terra omnis ſimul cum ſpiritu attrahi, ac poſtea cum ſpiritu incerari ſæpe & multis vicibus, antequam lapis velit liquidus fieri & ſubtilis, ad quod magna copia ſpiritus opus eſt, &c.

CAP. XXXI.

Fermētatio lapidis coniuncti cum ſua terra.

IAm vero tempus eſt vt corpori quod vna cum ſuo ſpiritu præparatum eſt, anima aut ſpiritus indatur, idque eſt fermentum. *Arnoldus* de *Villa noua* ait hac de re: Cum ſpiritus vna cum corpore præparatus eſt, animam illi inde, vt poſſit à morte reſurgere in vnum corpus, vt in æternum viuere poſſit, tum omnes hoſtes eius pacem cum eo inibunt.

CAP. XXXII

Pro fermento ſumēda Luna. Ad Lunā calcinandam. Calcinatio Lunæ cum ſale cōmuni.

ITem cum iam corpus aut terram ſurſum ſublimaſti, ac ſimul ſeruas in pyxide vitrea: fermentum tibi parandum eſt, quod illi addes in hunc modum: Sumes puram Lunam cupellatam, flando probe a plumbo repurgatam in crucibulo, tum in laminas ducito, ac pone ſtratum ſuper ſtratum in crucibulo cum ſale communi bene præparato, pone calcinandum modice ne liqueſcat ad 3 dies continue: tum exime, ac ſal aqua calida elue; ac ſi quid non calcinatum ſuperſit, rurſus id impone vt prius: tum puluerem tuum ſicca ſuper igni puſillo: tum ſume bis tantum ſalis præparati cumque puluere tuo miſce: ac iterum pone calcinandum in crucibu-

lo probe lutato ad 3 dies in igni pusillo, ne sal liquescat, donec subrubicundo colore candeat, ita vt tantúmodo appareat candere, nec amplius. Tribus illis diebus exactis sinas refrigescere, aqua calida ablue, puluerem tuum sicca, ac pone iterum calcinandum; id itera toties, donec videris puluerem tuum sale nitidum ac purum fieri ex calcinatione, ac nullam vides nigredinem, sed nitidus, candidus & purus crucibulo aperto, iacet, tumque satis calcinatum erit. His factis puluerem aqua calida laua, lotum exicca ad ignem pusillum, ac puluis tuus probe ab omnibns sordibus, & superflua humiditate repurgatus erit. Post puluerem vitro magno immissum, in balneo colloca, ac superfuso aceto ex vino confecto destillato, ac probe rectificato, pusillum vitrum ori impone, calore commodo addito, cumque acetum colore cæruleo ad viridem tendente imbuitur, relinquito etiamnum per 5 aut 6 dies in balneo, ac refrigescere sine: ac tum acetum desuper effunde declinatione in aliud vitrum, obtura, sepone, rursum acetum recens super Lunam tuam funde, ac in balneo repone. Hoc facito toties donec vides acetum tuum non amplius colorem recipere, aut Lunam tuam omnino solutam, ita vt nullæ fæces in fundo relinquãtur, confundendo semper acetum coloratum, ac si quid in fundo remaneat quod solui renuat, hoc sume ac crucibulo inde pone calcinandum per horas 24 candore naturali, sinasque crucibulum supra patere, sed præstaret immitti in plana patella, ac in fornace reuerberatoria calcinari, hanc in balneo pone, solue vt prius, atque hoc itera toties, donec omne solutum erit. Hoc facto omne acetum coloratum destilla, ac puluerem tuum probe sicca super pelui cum cineribus stante super balneum. Tum puluerem tuum patellæ immmitte aut 2 vel 3 prout multum habes, pone in fornace reuerberatoria, sine candere modice per horam vel horam cum semisse continue, aut si diutissime per horas 2. Tum refrigescere sinas, ex fornace eximas, sinas denuo resolui in balneo modis omnibus, vt prius, sed nunc statim soluetur: atque hæc solutio fit propter eius inferiores fæces, nimirum si luna adhuc vllas fæces [illegible] haberet, hæ tum infra in vitro manerent, ac sol[illegible] cõrgelo, ac fæces tuas sicca, & pone de[illegible] reuerberatoria in patella, ac sine puluere il[illegible] horam aut circiter, si qui forte spiritus ace-

Hæc calcinatio toties reiteranda donec Luna cum suo sale alba ex calcinatione redeat.

Luna calcinata soluenda in aceto.

Luna soluta & aceto euaporato denuo calcinãda spatio 24. horarum.

Iterum soluenda in aceto.

Tertio calcinãda Luna spatio 2. horarũ, aut potius reuerberanda.

3. Soluenda in aceto & post euaporãtionẽ aceti vltimo reuerberanda spatio dimidiæ horæ, vt omnis aceti acredo exeat: erit; fermentum perfecte mundatum.

aceti Lunæ tuæ remansissent, per quos auolaret: nam apud lapidem nostrum nihil peregrinum esse potest. Nunc fermẽtum tuum paratum habes ad lapidem tuum conficiendum, habes puluerem album candore niuali, eumq; impalpabilem, estque extrinsecus mundus, nullaque amplius immunditiies in eo reperitur. Hermes hac de re sic ait: Spiritus in corpus non ingredietur, neque se cum eo permiscebit, quamdiu vlla immunditiies in eo reperitur, &c. aut cum eo manebit.


CAP. XXXIII.

Æquales partes sumẽdæ fermenti & lapidis qui cum sua terra vnitus est, simul terẽda in tabula vitrea. Fermentum & lapis coniũcta in vase imponẽda sigillo Hermetis signato. Collocatio lapidis in fornace fixatoria.





IAm vero, mi fili, sumes spiritum cum terra aut corpore quæ simul sublimasti, & põderabis, aut bilanci impone, ac Lunam preparatam in altera parte bilancis pone, æqua pondus vtriusque, nam vtraque eiusdem põderis esse debent, videlicet fermentum & spiritus vna cum terra aut corpore, tum permisce inter se in mẽsa vitrea, ac in huiuscemodi vitrum conijce, ac comprime iuxta extremitatem ad rotunditatem ventris vbi est gracilimum: tum pone in testa cum cineribus cribratis mensuram dimidij pedis sub cineribus, testam in tali fornace colloca, quæ infra & supra æque caleat, quæ fornax fixatoria dicitur, collumque per fornacem extrude, ita vt vitrum sæpe circumrotari possit, tam interdiu quam noctu.

CAP. XXXIV.



SCies, mihi fili, te materiam istam lapidis posse ponere super fornace in testa cum cineribus in tali forma vitri aut paulo breuioris, ac probe obturabis firmo luto, & pones testam illam cum cineribus penitius in fornace, vt tantum latitudine manus ex fornace emineat, ei vitrum tuum impone tam profunde, quam materia in vitro eminet, tum habe operculum è terra coctum, quod supra fornaci quadret, quod imponere ac deponere queas, vt colores tui lapidis videre possis, atq; vbi





vbi omne ſublimatum fuerit inferiorem partem vitri ſupra pone; eſtque hæc figura fornacis, vt ſupra: Hanc, mi fili, lampadibus accendes, ac modico calore, initio qualis eſt ſolis in Martio, ac ſingulis 8. diebus, augebitur ignis, cumque ſurſum ſublimatum fuerit inferiorem partem vitri cui materia ineſt ſurſum pones, ſinesque iterum ſublimare, atque ita inuertere debes, donec omne ſimul fixum eſt.

Vaſis reuolutio, ita vt id quod ſuperius inferius ponatur.

Hæc reuolutio toties repetenda, donec lapis cum ſuo fermento fixetur.

CAP. XXXV.

AC cum fili mi colores in opere ſeſe manifeſtantes cernere vis, operculum fornacis deme, atque denuo ſuperimpone. Et quoties lapis colorem mutat, ignē paululum augebis, donec omne infra maneat, ac ſimul omne fixum ſit. Omnes vere mutationes ac colores ſcribes, tempusque inter vnumquodque intercedens annotabis, ac fixationis tempus. Et quicquid agas, ne magnum ignem ſtrue, donec omne fixum ſit, & ad album colorem perductum.

Obſeruatio colorum.

Et ſi operari vis in fornace cæca, vt prius dictum eſt, adde ei ignem die nocteque, vt manum tenere poſſis non eximendo, inter vas & parietes fornacis, vnius vero diei & noctis ſpatio vitrum vel vigeſies inuertendum eſt: idque adminiſtrandũ eſt, donec omne ſimul fixum ſit: aut poteris materiam tuam indere ouo vitreo, ac ſuſpendere in fornace ſecreta per 40 dies, prædicto calore, quibus exactis frange, ac vide an materia tua fixa ſit: ſin minus, pone denuo in fornace ſecreta 20 dies, tum probe fixa erit. Ita lapidem tuum 3 modis fixare poteris. Sed ſuadeo tibi, vt ponas in fornace cum operculo, ac videas lapidis mutationes, ac colores eius, atq; omne eius regimẽ, quia primum eſt quod operaris, vt omne & videas ac ſcribas.

Exactum ignis regimen.

Spatium temporis quo lapis fixãdus, nempe 40 dierũ, aut ad ſummum 60.

Item cum lapis tuus iam fixus eſt, tum paratus eſt: ac ſcias, mi fili, multos magnum laborem in hac arte ſumpſiſſe, qui hactenus quidem progreſſi ſunt, vt intelligerent, quam materiam ſumerent ad hunc lapidem, eumque ex ea eduxere, & ſubtilem fecere, vt prædictum, ac fermentũ ſuum probe pur-

be purgarunt & pararunt: atque opus conglutinarunt ac fixere, omnes viderunt tincturas quas lapidem ostendere cõuenit, & prudenter fixarunt: quo facto se satis fecisse putabant, iuxta doctrinam Philosophorum: ac tum proiectionem facere volebant, sed frustra: Lapis enim nullam faciebat proiectionem: opusque deseruere, artem impossibilem esse dictitantes: & vere quod ad ipsos; naturam enim non intelligebant; non cognoscebant fermentum nondum esse volatile, nec fuisse: non intelligunt verba veterum, cum inquiunt: Noster lapis constat ex corpore, anima & spiritu, ac ista sunt & erunt vna essentia, ac quid inseparabile. Itaque fermẽtum etiam volatile ac fugax esse debet æque ac corpus & spiritus fuere. Atq; opus deserunt cum fixum est, animaduertere nequeunt materiam fixam aut lapidẽ iterum fugacẽ effici debere, fermenti causa quod in ea locabitur. Quamuis spiritus cum corpore sit fixus, non sunt tamen cum fermento congregata: fermentum enim nondum volatile fuit, & tam diu nõ sunt vere congregata: nullis scriptis aut verbis crede: nam qui tibi aliud dicturus est, te fallet: fermentum cum spiritu & corpore, aut terra interire debet: alioqui operam ludis: ac in ascẽdendo fit subtile magnęque virtutis, & corpori suo vnitur. Quare Sapientes fermentum animam appellauere, cum dicunt, spiritus attrahit animam in superiora, ac iterum in inferiora descendit. Natura sequẽda est, eritne corpus glorificatum durans in diem nouissimum in ęternũ, nisi omnino subtile sit, atque ita vt nũquam moriatur: manebitque anima tam rudis in statu suo primo, sicut in corpore in terris erat? Fieri nõ potest, debet esse tam volatilis & spiritualis quam spiritus. Nosque aliud petimus quam Deus Omnipotens in sua ordinatione fecit, aliud itidem petimus quam natura nos docet, quare decipimur. Veteres vero naturam sunt sequuti, quantum poterant: quare ad bonum finem operis peruenere, ac voti compotes sunt effecti.

Lapis fixus iã iterum volatilis reddendus vt eiusdem qualitatis euadat cum fermento.

Sapientes fermẽtum vocarunt animam.

CAP. XXXVI.

Natura imitanda, vt lapis volatilis fiat.

NVnc, mi fili, etiam naturam sequere, quantum potes, vt ad optatum finem itidem peruenire possis, ita fiet vt te nullius laboris pæniteat, vt lapidem fixum denuo volatilem reddas.

Item

Item cum terram tuam aut corpus, aut fermentum, aut quidvis aliud fixum, vis volatile efficere, sumes 3. partes volatilis vnamque fixi, vna permiscebis, ad sublimationem pones igni mediocri, vt prius te docui, cum terram cum spiritu sublimatione subueheres: & quando spiritus aut partes volatiles plures sunt quam fixæ, partes volatiles attrahunt secū sursum partes fixas, ac cum tum partes fixæ puræ & mūdæ sunt, & volatiles etiam puræ & mundæ, cumq; vnius naturæ sunt vt hæc 2. simul permanere cupiunt, tantoque facilius volatile illud fixum ad se trahit, inque suam naturam conuertit. Vbi vero sursum sublimaris, quod tum tibi remanet, nec ascendit, ponderare poteris, ac tum facile ter tantum spiritus sumere, quam fixi remansit, ac pone rursum sublimandum vt prius: idque itera donec omne simul sublimaris: atque ita facito cum tua fixa materia aut lapide, fermentumque eius cum ipso attrahe, ita vnius naturæ fiunt: nam si fermentum cum spiritu & corpore non fuissent omnino simul sublimata, non essent vnius naturæ, etiamsi simul fixata essent. Cumque hæc simul omnino sublimata fuerint, nullo vnquam tempore separari queunt, & inter ascendendum millies subtiliora redduntur quam prius fuerant.

Lapidis fixi vna pars cum 3. spiritus supra dictis sublimanda, donec totus euadat volatilis, addēdo semper post sublimationē relictæ parti fixæ 3. partes spiritus volatilis & ita fermentum etiā volatile fiet.

Corpus cū spiritu & anima vna sursum sublimare debent, vt vnius fiāt naturæ.

Simul sublimata & vnita 1000 subtilora redduntur quā prius.

CAP. XXXVII.

Cumq;, mi fili, vnum cum alio sursum sublimasti, tum iterum omnes istas materias in vitro fixatorio pones fixandas, vt ante doctum est, ac tum rectificatio fiet. Tunc vero omnes colores sese ostendunt, qui cogitari in rerum natura possint: quos sequetur cauda pauonis, ac tum incipient colores paulatim minui, ac peruenient tandem interdum ad album colorem, tum gaudeas: Lapis enim tuus iam fixus est.

Altera lapidis supra dicti fixatio, vbi diuersi apparebunt colores.

CAP. XXXVIII.

Nunc scias, mi fili, multos præterea fuisse qui hoc opus aggressi sunt, qui adhuc acutiores fuere primis, lapidem que suum perduxere quo prius dictum est, ac gaudebant, se vere lapidem habere existimantes, ac ipsum proijciebant super Mercurium ac super Iouem, sed nihil proficiebant: Lapis enim eorum neque soluere neque ingredi volebat, ac artē contemnebant, dicentes esse impossibilē: sed si verba Veterū intellexissent, vbi dicunt: Humecta mundū infimū rore dant, lapisq; fixus sit. Impedimenta incerationis cum remedio.

Quando colores sese osten-

Maiali, donec ferat albos, luteos ac rubros flores. Dicunt itidem: Nutri regē suo ipsius lacte, donec adoleuerit. Item: Perfundatur terra clara ac munda aqua Paradisi, atque ea aqua rursum ascendet in cælum, atque iterum descendet ac terram irrorabit, ita vt fertilis sit futura, ac variorū colorum flosculos proferat, quorū odore rex gloriæ confortabitur, ita vt à morte sit resurrecturus ac reuicturus vna cum vxore, mansurusque rex in æternum.

Inceratio lapidis fixi. Sumendæ 3. partes lapidis fixi & vna pars spiritus eius volatilis & simul fixādæ: post fixionem idē opus repetendū è côuerso semp cum 3. partibus fixis & vna volatili: idq; toties donec lapis in lamina Veneris candenti fluat, eam que tingat.

Ita, mi fili, cum lapis tuus fixus est, ex igni eximes, ac ponderabis quam grauis sit, tum capies pro 3. partibus tui lapidis vnam spiritus, ac simul mistas pones in vitro fixatorio, atq; vna illa pars spiritus fixabitur cum lapide, ac facile id fiet. Meministi eorum quæ ante te docui: Cum fixum quid volatile vis efficere, sūmes pro vna parte fixa 3. partes tui spiritus, atque ita partes volatiles attrahunt fixas: & è contrario, vt volatile quid fixum efficias, 3. partes fixæ retinebunt apud se vnam volatilem, & fixabunt: cumque iam vnius complexionis, ac naturæ fuerint, & ad extremam puritatem & subtilitatem perductæ, statim sese inuicem in fundo complectuntur.

Cum iam hanc partem fixasti illi alteram partem addes, semper 3 fixas pro vna volatili sumens. Idque tamdiu & toties iterabis, donec lapis tuus fluat super candente lamina Veneris, eamque penetrat, vt oleum corium siccum penetrat. Tum exulta, lapidem enim Philosophorum vere confecisti.

CAP. XXXIX.

Ex hoc integro processu considerari potest quātitas materiæ præparandæ pro lapide perficiendo.

NVnc, mi fili, ipsemet animaduertere potes, quantum materiæ initio sit ponendum, ad omne opus vniuersum perficiendum, vide quantum spiritus desideretur: nam primum magna pars cum terra fixanda est: tumque spiritus qui apud terram fixati sunt, vna cum spiritu attrahendi sunt, semper 3. partes spiritus pro vna parte fixa sumendo, ac deinde fermentum cum materia vniuerso, cum fixa simul fixata sunt. Hæc etiam iterum omnia subtilia effici debent, ac semper 3. partes spiritus pro vna fixa sumendæ sunt, donec omne tuum fixum volatile sit effectum, atque ita deinceps. Vbi vero iam omne volatile erit, tum omne illud fixatur, cumque omne fixum fuerit, cum spiritu incerandum est toties & multis vicibus, donec lapis tuus fluat vt cera aut butyrum, ac omnia illa opera spiritu fieri debent.

Et

Et quamvis dixi de 4. ℔ materiæ, forte vel 7. aut 8. ℔. opus esset, antequam opus ad finem perduceretur: ac si in opere essemus spiritusque deessent, tum opus esset intermittendum; donec materia recens posita ac parata esset, vt prius, idq; longum esset: quare tantum materiæ initio sume, quantum sufficere tibi possit.

CAP. XL.

Scies item, mi fili, materiam tuam non esse nimis fusibilem efficiendam: facies enim proiectionem tuam super Iouem: nam hoc est corpus Lunæ proximum, omniumque imperfectorum corpus purissimum, crudum est ac praue coctum in fodina, quare stridet, cum in eo mordetur, estque plenum albedinis. Quocirca proiectionem fac in Iouem, nam in eo medicina hæc nihil aliud habet quod agat, quam vt percoquat, ac ad suam naturam perducat; tum est multo melior & albior quam Luna ex fodinis, veniens. Quare semper fac proiectionem super Iouem ad album, & ad rubrum super Venerem: nam si proiectionem ad album faceres super Venerem, id multa medicina constaret, ac multo amplius quam super Iouem, est cum is albus ex sese.

Lapis non est nimium fusibilis reddendus vt super Iouem proiici possit.

CAP. XLI.

Scies adhæc, mi fili, tibi præparandum esse lapidem pro metallo super quod ipsum vis projcere. Medicinam enim quam super Venerem vis iacere non tam fusibilem efficere debes, quam si in Saturnum aut Mercurium velles iacere aut Iouem. Potes medicinam tuam tam fusibilem facere quam vis, nam quo plus spiritus cum ea fixaueris, eo fusibilior fit, ac facile tantum spiritus cum ea fixares, vt ad extremū limosum puluerem retineres, ita vt facilius solueretur quam butyrum in sole. Quare caue tibi, mi fili, ne eam tam liquidam facias. Nam si velles proiectionem facere super Mercurium, faceres proiectionem tuam fusibiliorem, quam cum eam vis facere super Iouem: materia enim liquescere deberet antequam tuus Mercurius incipiat ascendere. id vero super Iouem non est necesse. Et quicquid agas, vide vt corpus tuum mortuum primū viuifices, animamque ei indas, antequam Medicinam super id iacias, alioqui medicina tua proiectionem nullam faceret, tametsi præstantissimam medicinam haberes, quæ vnquam in orbe fuit.

Si super Venerem proiici debet minus fusibilis lapis oportet vt sit, quam qui super Saturnum. aut Mercurium proiicitur.

CAP. XLII.

Corpus viuificandum necessario antequam super id proiectio fieri possit.

SCies, mi fili, æque necessario mortuo corpori vitam esse infundendam antequam super id proiectio fieri possit, quã necessario fermentum in medicina ponendum est, idque pro secreto habe. *Morienus* ait: Nostrum orialchalcum non est vulgare orichalcum, nam viuit, animamque habet.

CAP. XLIII.

ITem præterea scies, mi fili si proiectionem vis facere ad rubrum super Venerem, materiam semper igni pusillo sublimabis & fixabis, quamvis tempus illud longum sit; nam cum igni pusillo laboratur, materia melius suam humiditatem retinet, & quia Venus est admodum sicca, medicina humidior esse debet, quam si eam in Saturnum proijceres, ac Venus ægre fluit propter siccitatem eius. Cum vero proiectionem vis facere in corpora quæ facile & cito liquescunt, vt in Iouem & Saturnum: materia tua lapidis igni vehementi sublimanda est, nam tum humiditas in sese consumitur: ac cum proiectionem tuam vis facere super Mercurium aut Lunam, sublima materiam tuam super igni mediocri: nam hæc duo durant cum medicina, donec omnis eorum humiditas in rubedinem conuersa est, tum se ipsa ponunt in regulum, vt Sol aut Luna super testa faciunt. Ita, fili mi, Medicinam tuam parabis, prout metalla sunt super quæ proiectionem facere velis.

CAP. XLIV.

ITem præterea si proiectionem facere vis super Venerem & metallum impurum: sume 50. aut 60. ℔ Saturni aut Veneris, easque calcinato, ac ab omni impuritate laua, ac tum in vnum corpus coagmenta: tum soluito iterum, ac animam indito, & viuifica: quo facto, Medicinam super ea proijce, non quod opus sit metalla impura purgare antequam proiectionem super ea facias: Nam habet quidem medicina tua virtutem transferendi metalla omnia impura in Solem & Lunam, sed purgata calcinatione, ablutione, amittunt suam impuritatem ac siccitatẽ, & sensim liquescunt, repurgantur à sulphure combustibili, ita vt medicina tua longius sese extendat, quã si metalla in sua impuritate essent. Exempli gratia: Tua medicina valet 1000. non purgata: & metallis iam purgatis facile progredietur ad 10000: ita labor bene compensatur.

CAP.

CAP. XLV.

Item ad Venerem calcinandam vas terreum magnum quadratum sume, factum ex terra firma quæ non finditur, in hunc modum, erit operculum ei aptatum, quod probe quadret, ipsumque occludat: tum ære rubro sumpto, in frusta quadrata id seca eius magnitudinis, vt in vase iacere possint: tum omnia illa frusta igni candere facias ac rursum in vrina veteri extingue. Idque quater itera candefaciens & extinguens semper in recenti vrina veteri. Tum laua in aqua munda, ac panno lineo exterge nitide in Sole: tum Venus tua ad calcinandum parata est. Tum recipe arsenicum album bis terue sublimatum, tere super lapide cum acri vini aceto destillato, vsque ad pultis crassioris consistentiam, vt si ea velis pingere, & hac pulte laminas tuas inunge, ac pone siccandas in Sole, aut in balneo sicco, tum iterum inunge, rursum sicca, atque hoc tertio itera, ac vbique inunge, cumque postrema vice siccæ fuerint, sal commune accipe, semel solutum & congelatum, ac eo fundum vasis insterne, donec ad mensuram digiti emineat, ac super hoc stratum laminarum colloca: deinde rursus stratum salis, atque ita ex ordine perge, donec vas tuum plenum fuerit, tum fornaci impone, ac ignem tepidum subijce eo calore qualis est Solis in Martio: ac sinas humiditatem probe euaporare per 2. aut 3. dies continue: tum luta operculum super vas terreum luto firmo, ita vt nihil expirare possit: quo facto probe siccare sine, ne findatur: tum pone vas in fornace calcinatoria: ac primum igni pusillo addito per horas 12. ne vas candeat, tum ignẽ paulatim augebis p gradus: ita vt vas 6. aut 8. horas post omnino cãdeat: sic retine ad horas 12 in ea calida flamma, tum sinas refrigescere: mox vas confringe, ac sal omne calido igni soluendo deme: ac si non omne calcinatum fuerit, facito vt prius, pone denuo calcinandum, vt ante, ita vt nec inflammare nec vrina extinguere opus habeas: cumque omne calcinatum fuerit, sale probe abluto, calces illas in mortario ferreo contunde, ac cribro transmitte; quo facto iterum laua aqua dulci, donec aqua nitide defluat, tũ sicca in patella super fornace, rursumq; tunde



Quomodo Venus calcinanda.

tunde in morario ferreo,& cribro cribra. Post calces super lapide cum melle contere, permiscens parum aquæ donec tam exiguæ sint, vt pictorijs pingere queat: tum aqua calida iterum laua, donec aqua munda defluat: tum denuo calces sicca, vt supra in patella super fornace, ita Venus tua munda ac pura est: Tum sume Sal alcali, & Sal vitri vtrumque tundendo in puluerem redactum, ac misce inter prædictas calces: tũ habe sacculum lineum in hunc modum factum, cum prædicta materia imple quam fortissime potes ligno impacta, ac probe obturatum, eius extremum fortiter religa, tum luta sacculum luto cum pilis cõfecto,



quod non findatur, luta circumquaque, sine siccari, iterum luta, & rursum sine siccari, idq; itera, donec ad 3. digitos emineat: atque vbi materia probe sicca fuerit, foramen in altera parte ad latus terebra, ac in furno venti pone, vt extremitas perforata pede dimidio inferius iaceat quam altera: sub foramine vero magnum crucibulum loca, & ignẽ strue sub sacco lutato carbonibus quercinis, ac liquefacias, ita vt omne in crucibulum defluat, tum sine refrigescere: deinde iterum liquefacito, tum paratũ est: & ad 10. ℔. illius Veneris adde Lunæ cupellatæ ℔. 1. solue simul, ac viuum est ad albam tuam medicinam superijciendum. Sique Venerem ad rubram medicinam parare vis, sume loco arsenici albi, bonũ arsenicum rubrum aut croceũ bis terve sublimatum, ac eo laminas tuas inunge, ac facito vt supra dimidio vitriolo & dimidio sale, strato super strato, atque ita deinceps vt supra.

Scies autem, mi fili, hanc calcinationem summopere non esse necessariam, adeo quasi medicina ad album aut rubrum in Venere, alioqui virtutem non esset habitura ad eam in Lunam aut Solem reducendam. Nam vires quidem habet etiamsi ad eum modum non calcinetur, verum non tam alte tingit, quam cum Venus ita præparata est, ita vt tum medicina tua facile decies millies altiorem proiectionem faciat, quam si in Venerem non præparatam proijceres, cui sulphur combustibile etiamnum inest, cum pluribus alijs fæcibus: estque etiam multo iucundius proiectionem facere in metallum purum quam in impurum: nam super impurum debet medicina ipsum prius purgare, quam transmutationem

possit

possit facere, ac proijce flaccam ex metallo, ac flaccam illam fluere super metallum facito: ac eam interdum baculo eximes & ex crucibulo eijcies, idque persequeris donec nullæ amplius flaccæ neque sordes vllæ super metallum fluant.

Nunc sciendum est, quod semper flaccæ cum eas detrahis ex crucibulo aliquid probi metalli secum sumunt, quod illis forte adhæret, idque inutile est, omnibus vero flaccis omnino demtis, medicina perfectam suam vim exerit, transmutationem faciendo: ac metallum fluet nitidum ac clarum vt gemma absque flaccis, & statuet se denique in regulum, atque ita proiectio facta est. Tum sinas refrigescere & extinguas: hic labor non est necessarius cum Venus ante parata & purificata est.

Ad lapidem ad rubrum ex solo Sole conficiendum.

CAP. XLVI.

NVnc docere volo lapidem ad rubrum, estque maius secretum plusque temporis ac laboris exigit: subtilior esse debet quam lapis ad album: Ruber melius ac diutius rectificandus: corpus enim firmum ac compactum habet atque fixius. Quare longiore tempore opus est antequam partes eius a se inuicem separari possint, ad ipsum aperiendum, & ad subtiles spiritus ex eo extrahendos, aut saltem partem subtiliorem.

CAP. XLVII.

ITaque, mi fili, rubrum lapidem accipies, ac in rubra eius aqua solues, ac præcipitabis, ac eius aquam rubram abluesaqua nubium, & siccabis ad Solem aut ignem pusillum. Tum pones in fornace reuerberatoria calcinandum per 12. aut 16. dies: cauebis autem ne lapidem fluere facias. Quare modicam illi flammam da: tum exime ac iterum in aquam solue: quo facto, in putrefactione ponito, id est balneo calido, atq; in eo per octiduum relinquito: tum aquam illam rursum in balneo tepido destilla. Quibus factis, Solem exime, ac

Lapis ruber quomodo parandus.

ac huiusmodi vitro immitte. Tum magnum receptaculum



in 2 partis secabis per medium, in hunc modum atque huic hoc paruū vitrum immittito chytrapodi aut tripodi vitreo impositum; ac receptaculum denuo firmiter luto adglutina: ac pone hoc vitrum in arena aut cineribus, & alembico superimposito, ac receptaculo lutato, vbi lutum siccum fuerit, fornaci impone in arena illa vel cineribus tam alte vt cineres ad 3 digitos emineant super



paruum vitrum, quod cum Sole in receptaculo est, estque fabrefactum figura tali. His ita se habētibus, ignem sub fornace strue primum pusillū & paulatim maiorem, donec magnum receptaculū incandeat: atque hoc pacto ad ignem relinquas per dies 5, ac tum sinas vt sponte refrigescat: mox vbi refrixerit, exime, ac vitrum, cui Sol inest, in vase luteo pone huiusmodi quod ignem ferat, modo vitrum ad huc integrum fuerit. Nam vitra sæpe finduntur cum materia sicca fit: quare in magnis ponuntur receptaculis vt Sol in ea decidat, nec perdatur: verum si integrum adhuc fuerit in eo vase luteo po-



nito in hunc modum facto, cui hoc paruum vitrum impones: ac probe lutabis ac alio vitro quod illi quadret obturabis; sin exiguum vitrum fissum fuerit, solem in aliud quod ignem ferre possit immittito, ac tum in illo vase luteo pone, atque operi: lutabis, luto quod ignem ferre possit, quo probe siccato, in fornace calcinatoria colloca, ac primo ignem pusillum strue, quem paulatim augebis donec vas luteum candeat, ac sinas in eo candore ad dies noctesque 12: quo refrigerato Solem tuum rubrum instar sanguinis reperies, neque adeo candefacies vt Sol tuus liquescat, sed candore modico sines candere. Tenebis pro magno secreto, cum Sol est extra naturam propriam ipsum rubere in morem sanguinis, vel sanguinis draconis: ac si Sol adhuc integer esset cum confringeres nondum incorporatus esset: tū iterum soluendus esset in eius aqua rubra, ac faciendum vt supra, id iterando donec rubeat: tamq; eius color subtrahi potest in aceto destillato soluendo in hunc modum. Recipe Solem

lem incorporatum, contere super lapide cum acri vini aceto, ac pone in magno receptaculo, superfunde acetum, donec duæ partes impleãtur, ac pone in balneo, ac calefacito vt oportet, atque in eo calido balneo fine, donec acetum rubrũ fiat vt sanguis: tum desuper acetum effunde in aliud vitrum mundum, atque alio aceto superfuso stare fine, &c. Hoc fac toties donec acetum non amplius coloretur, ac satis est, tum acetum è terra solis destilla, calxque alba tibi remanebit in fundo instar niuis: verum etiamnũ eius aqua sicca restat, ea nondum educta est, sed solus color: nihilominus in colore terra est, atq; eius terræ siccæ pars, atq; ignis eius cum colore permistus .i. partes eius subtiles & crassæ infra permansere. Itaque materia Solis à se inuicem non potest separari: sed subtilia à crassis separari possunt: verum materiæ natura est in vtrisq; partibus tam crassis quam subtilibus.

CAP. XLVIII.

ITEM tum album illum puluerem exime ac reuerberandũ pone in igne temperato, donec omnino intumeat instar spongiæ, tum sine vt refrigescat, exime ac soluendum pone in aceto destillato, & pone in balneo, ac facile soluetur: tũ desuper effunde: nã in fundo aliquas fæces reperies quæ inciderunt cum reuerberaretur, ac si forte quid Solis inesset, pone iterum reuerberandum etiamnum 2 dies, atque iterum soluendum pone, tum facile videre poteris num quid soluatur nec ne, confunde simul omne quod solutum est atq; acetum alembico destilla, ac materia albissima & limpidissima tibi in fundo remanebit, & partes illæ crassæ iam subtiles sunt effectæ, serua in vase vitreo ad vsum. Tum omne acetum coloratum sume quod ex crassis partibus eduxisti, acetũ destilla, ac remanebit tibi in fundo puluis ruber, vt sanguis draconis, eum puluerem pone sublimandum per se, nihil aliud addens, totus albus sublimabit, ac si quæ fæces remanent, poteris illas postea sublimare, verũ id non erit operæpretium. Itaq; exime & abijce, atq; iterum sublima donec nihil amplius remaneat tum satis est, sume, bene serua. Tum partes crassas appende sublimatas, tere super lapide, vt in lapide albo te docui, & cum omne fixum fuerit, tum iterum quartã partem appone ei quod sublimasti, ac rursum fixandam pone: atque hoc tandiu persequere, donec omne à te sublimatum fixaris: tũ mediocrẽ calorẽ adhibe, donec peruenias ad

Quid prędicto puluere sit agendum.

album colorē resplendentē instar oculorum pisciū, aut gemmarum Orientalium, tum habes lapidē ad album. Tum vero ignem insigniter augebis, donec viridem colorem videas, verum non magis viridem quam croceum. Quo viso ignem auge, donec peruenias ad colorem cinericium, vt si esset color latericius: tum ignem auge donec ad ruberum colorem peruenias. Tum lapis perfectus est, ac inter quemlibet colorem hic à nobis descriptam secundum quem ignis est augendus, colores varij sese ostendent, ita vt miraberis: nam antequam ad perfectam rubedinem peruenias, omnes colores cernes, qui in rerū natura cogitari possūt, vt multis in locis docetur.

CAP. XLIX.

SCies, mi fili, Solem etiam resolui eo modo, quo doctum est in opere lapidis albi, sed plus temporis exigit, sæpiusq; deduci debet, atque identidem aqua recens iterum superfundi, magis quam in opere albo. Atque ita resoluitur etiam Sol, vt hic docetur, nempe in hunc modum.

Prædictis quo pacto vtendum. Item postquā tincturā ex Sole eduxeris, vt in opere ostensum est, ac lapidem album perfeceris, tincturam omnem sublimare poteris, vt in opere doctum est, ac tum 3. partes lapidis albi ponere, partemque huius tincturæ vnam, quam philosophi sulphur rubrū appellarunt, ac miscere inter se, ac fixanda ponere: donec tantum pondus rubri sulphuris vna fixaris, quantum tui lapidis albi prius. Tum ignem insigniter augeas in modum supra doctum donec ad perfectam rubedinem peruenias.

Ac noris, mi fili, hanc optimam esse operandi rationē, quę in orbe reperiatur, vt lapis albus conficiatur primum atque ex Luna extrahatur; ac tum sulphure rubro lapis albus inceretur, donec æquet pondus albi lapidis, quale erat antequam rubro sulphure incerari inciperet. Ac si lapis albus aut ruber aliquoties tam fusibiles nollent fieri, vt super Mercurium cōijci possent: nam is lapis qui super Mercurium conjicitur, fusibilis esse debet, vt butyrum, alioqui Mercurius euolaret, antequam lapis solueretur. Albus vero tam fusibilis effici non potest, quicquid etiam agatur. Medicina autem quæ Mercurium in Solem aut Lunam transferet, liquescere ad modum butyri debet, albusque tam fusibilis reddi nequit, ac ruber multo minus, longe enim maiore calore opus habet, si alioqui rubedo proferri debeat.

CAP.

CAP. L.

QVæras vero iam, mi fili, quo pacto medicina acquiratur, quæ Mercurium in verum Solem aut Lunam trásferat, videtur enim impossibile per rationes prædictas.

Scies, mi fili, pro magno secreto in arte, medicinam ad album aut rubrum, qui initio in aceto aut aqua communi dissolutus fuit, qui post suam perfectionem semper soluitur in aceto aut aqua communi aut vino: nam cum lapis albus aut ruber est perfectus facile 1000. subtilior est, quã erat ante perfectionẽ, cum in aceto solueretur. Quo enim res nobilior est, ac natura subtilior, eo facilius soluitur: nullæ enim partes crassæ insunt nec fæces, nec siccitas, quæ separantur per solutionem in aceto. Nam partes crassæ & fæces ac superfluæ partes siccæ quæ nisi vnum sunt, eæ sunt quæ impediunt quominus ad solutionem perducatur. Ac lapis albus & ruber nihil horum in se habent: sed sunt solubiles præ omnibus, quæ in rerum natura sunt, in vtrisque, id est, in feruenti siccitate, & in humiditate frigida. Nam in ijs nullæ sunt partes, quæ liquefactionem impedire possint: ac in toto orbe non est natura tam perfecta quã noster lapis albus ac ruber. Quare nihil est in rerum natura quod in vtroq; soluatur, id est, in feruenti siccitate & frigida humiditate, vt noster lapis. Magnum secretum artis Chemicæ.

CAP. LI.

ITaque, mi fili, hoc pro magno secreto in arte habe, nosse lapidem nostrum in natura interiore, ac scito nullam medicinam nec ad album nec ad rubrum parari posse ad opus tam fusibilem, vt Mercuriũ super ignem retinere possit, quin subuolaret, antequam medicina liquescere possit.

Præterea scito quando medicinam ad album aut rubrum pararis, ita vt proiectionem facias in metalla dura, ac in mollia corpora, ac tum cuperes proiectionem facere in Mercurium ad artem probandam: sume partem tuæ medicinæ ad album aut ad rubrum quam parasti, eam solues in acri aceto destillato, ita rectificato, vt nihil prorsus post se relinquat: eã congela denuo, ac solue toties identidem in aceto recenti, vt fusibilis fiat instar butyri: tum soluere desine, ac proijce in Mercurium, ac proiectionem secundum artem facito; solueres toties & congelares, vt concresceret in oleum, quod amplius congelare nollet. In omnibus enim vegetabilibus, aut animalibus non est tam solubilis spes, quam in vino est,

ac aqua vitę calida est ac sicca, cum nullũ phlegma amplius adest. Proba: ponas enim sal, aut sal armoniacum, aut sal alcali, quæ cuncta sua natura soluuntur: in aqua vitæ tametsi iacerent vsque ad diem nouissimum non soluerentur, ac in destillatione partes crassæ remansere cum fæcibus, ac omne quod ascendit per alembicum; quare acetum destillatum est pars media vini quæ nobis seruit in arte nostra: quemadmodum materia media nobis seruit, quæ est in materia, ac nulla alia, atque scias hoc esse maximum in hac arte secretum: partes enim mediæ aceti tantæ virtutis sunt, vt sit incredibile magna sua subtilitate. Nam admodum subtile & penetrabile efficitur omne cui miscentur. Quare lapidem millies subtiliorem reddunt, quam ante fuerat & penetrabiliorem, ac partes aceti subtiles permiscent se cum lapide: sunt enim vnius naturæ, ac vtraque munda sunt & subtilia, ac permiscentur inter se, vt aqua cum aqua: estque medicina eius naturæ vt omne cum quo permiscetur fixum reddat, atque etiam naturæ suæ in qua est: atque hoc pacto fixantur partes subtiles in lapide, ac efficiuntur in lapide vna natura, atque lapidem tam fusibilem efficiunt, quam artifex cupit; prout lapidem sæpe soluit in aceto ac congelat, atque prout multi vel pauci spiritus in aceto remanēt, fit medicina fusibilior. Quare filiũ meum docui, quo pacto lapidem suum tam fusibilem possit efficere, vt eo Mercurium ad Solem aut Lunā perducere possit: estq; magnum secretum paucis notum: Lectionem hanc sedulo perlege: quæ virtus aceto insit, ac quid materia media aceti effici possit.

CAP. LII.

Sciet item, filius meus, Soli inclusam esse tam mirabilem naturam tincturæ, vt sit incredibile. Nam habe medicinam, aut rubrum lapidem ex Sole factum, qui magnam proiectionem faciat, exempli causa, ex vno in 1000 proiice super Lunam, ac omnis ea Luna conuertetur in Solem, atq; altiorem ac pulcriorem habebit tincturam quam genuinus Sol ex fodinis veniens: vnde vna pars tantam tincturam dat quanta ex vno in 1000, tamen pro certo ita se res habet. Scito Deum nullam perfectiorem creaturam creasse quam Solem, cumque Sol ad suam altissimam perfectionem perducitur, tum tam perfectus est, vt in mundo perfectior substantia non sit, ac pro magna perfectione quā habet, omne perfectũ redditur

ditur cum quo miscetur in vnum corpus, ac idipsum etiam extreme perfectum ac consummatum efficitur.

CAP. LIII.

SCiat filius meus, omne quod Deus creauit habere in se 4 elementa, vt in libro vegetabili bene docetur, ac quamuis materia extrinsecus alba sit, è contrario eadem materia intus rubra est. At lapis ruber eam habet naturã, vt omne cui miscetur ad suam naturam perducat. Quare lapis ruber albedinem Lunæ intus ponit ad rubedinem foris, ac Lunam reducit ad suam ipsius naturam. Quemadmodum quotidie videre est in omnibus terra nascentibus, vt malis, pyris, prunis, cerasis, floribus, ac pluribus alijs fructibus cum pendent in arboribus, ac matura sunt, vide quam insignem rubrũ colorem nanciscantur, ex splendore solis recta in ipsa splendentis. Intuere malũ quam rubeat ad alteram partẽ qua Sol in ipsum splenduit, ac quomodo Solis calor rubedinem pomi foras eduxit. Quocirca, mi fili, ne mireris, Vnam partem lapidis posse 1000. partes Lunæ ad suam naturam reducere. Atque etiam cum Sol est extra naturam suam perductus, ita vt sit exutus corpore, adeo vt amplius corpus fieri nequeat, tam ruber est quam sanguis ater, vel vt sanguis Draconis vel hirci exiccatus, estque tam plenus coloris vt scribi non possit: nam cum est solutus ac iterum coagulatus, pondus grani triticei facile 10. lota vini albi colore imbueret: tam abundans color Soli inest: Itaque ne mireris. Omne quod Deus creauit habere in se 4. elementa.

Ad Solem corpore exuendum.

CAP. LIV.

IAm Solem in folia tenuia redige, quasi eo inaurare velis: tum sume sulphuris viui partes 4. salis armoniaci vnã, Mercurij sublimati etiam partẽ 1. Contere subtiliter super lapide cum oleo terebinthinæ, ita vt eo pingi possit, ac ea pulte laminas iniunge: pone in crucibulo stratum super stratum, donec crucibulum plenum sit, ac tum in igne è carbonibus, vehementer ardenti pone, ac sine optime incandere, eo temporis spacio quo decies aut duodecies oratio dominica recitari posset, tum exime, vt frigescat sine. Quo facto cõtunde subtiliter in mortario, contere super lapide cũ melle cum fauo, ac aqua gummi. Tum laua in patetis vitreis aqua communi destillata, ac identidem cum aurum in fundo resedit, effunde desuper declinatione aut per filtrum. Hocque itera toties donec Quomodo Sol corpore exuendus.

donec aqua munda & limpida defluat. Tum puluerem tuum exicca ad Solem aut lentum ignem, ac tum Solem in planis platellis reuerberandum pone, primo igne pusillo, post maiore, ita tamen ne Sol liquescat: retine in eo calore 21. dies, ac in fornace camerata 44. dies, aut tamdiu donec in morem spongiæ intumeat. Tum exime, ac in aceto destillato pone: & si quid nolit resolui, pone cum prius bene siccatum est, reuerberandum, vt ante dictum, ad 6. aut 8. dies, tum solue vt prius in aceto, ac si ne tum quidem omne solui velit, pone iterum reuerberandum vt prius: idque itera toties, donec omnis tuus Sol in aceto soluitur: & si quid remaneat non solutum in fundo aceti, tolle, nam ex interioribus eius fæcibus esse potest. Istud soluere ac congelare itera toties semper in aceto recenti, donec amplius congelare nolit, ac concrescat in oleum rubrum, instar atri sanguinis, tum satis est; diligenter serua in vase vitreo firmo. Sume laminam Lunæ puræ, candefacito ac extingue in eo oleo, ac fit purus Sol. Inde crucibulo Mercurium amalgamatum cum decima parte Solis, ac ita incendas vt incipiat ascendere, tum destilla oleũ super Mercurium amalgamatum, ac ignem adde vt fluat, vt Luna aut Sol fluunt super testa, donec se regulus statuat tam clarũ quã Speculum; tum extingue, ac lætus exime, gratiasq; DEO age.

Item si F. M. vult hoc oleum rubrum reducere ad rubrum lapidem, sumat Mercurium ex Luna eductum viuum, eumque sublimet per vitriolum Romanum præparatum, & à terrestritate sua repurgatum, soluendo & congelando in aqua communi destillata, ita vt mundum & clarum resideat, huius sume 4. partes pro 1. parte Mercurij ex luna educti, contere simul subtilissime super lapide cum aceto destillato: ac simul sublimanda colloca in vase vitreo, aut lapideo, alembico superimposito ac receptaculo ad rostrum lutato: cumque omne sursum sublimatum fuerit, exime, ac iterum contere id quod sublimatum est, cum vitriolo recenti, pone denuo sublimandum vt prius: eamque sublimationem octies aut decies repete, semper recenti vitriolo: aut donec Mercurius totus croceus conspicitur: tum denuo solum ac per se sublima, eamq; sublimationem toties iterabis, donec nihil amplius remaneat: tum satis est sublimatũ. Sume hunc Mercurium, contere super lapide cũ oleo tuo Solis, ad pultis admodum densæ consistentiam. Quare tantũ Mercurij ex Luna habe

habe, vt oleum tuum in eo imbibi possit: debet ferre tā densum esse quam pasta aut paulo desius; tum vasi vitreo inde ac tripodi impone, & vniformem ac continuum calorem da 40. dies ac noctes; atque interea temporis corpus e[illegible] in modum ceræ liquescens. ac præstans rubra medicina penetrans, ad omnia metalla ad verum Solem reducenda, atq; etiam altam proiectionem faciet. Et si hanc rubram medicinam in dura massa habere vis, sume crucibulum vitreū ex forti vitro Venetico conflatum, ac ei medicinam tuam inde, impone igni, ac liquescet vt cera, tum crucibulū illud ab igni remoue, atq; sine vt frigescat, in durā massam coibit ac cōcrescet: aut inunge fusorium sæuo, aut calcē pone eiq; infunde, exime, ac cū proiectionem vis facere, aliquid abscinde, pulueriza, ac sup metallum conijce quod vis transmutare. Nunc te, mi fili, secretum artis docui: quare gratias Deo Omnipotēti age, quod ad eam cognitionem perueneris.

De lapide ex vtroq; lumine.

CAP. LVI.

ITem nunc te docere volo conficere lapidem Philosophorū ex duobus luminibus, vt Philosophi veteres atq; eorū posteri confecere suis manibus, sine obscuritate verborū, opificiū eius ac vires, atq; trāslationē ex sua natura in primā essentiā. Nulla enim res ex sua propria natura transferri potest, quam Natura in sua extrema operatione operata est, vt in istis duobus luminibus fecit. Quamvis .n. hæc duo lumina in fodinis vsq; ad diem iudicij iacuissent, ex quibus prodiere, Natura nihil amplius in ijs operata fuisset. Natura enim in ijs extremam suam virtutem operata fuerat. Ac si hæc 2. coniunctim ex sua natura in meliorem aut peiorē volumus reducere; iterum nobis retrocedēdum est, atq; id quod natura operata est, retexendum, atque in eandem formam reducendum, in qua erat cum natura in eo operari inciperet, cumque ad eam formam perductum est, naturam arte sequi quantum possumus debemus: atque interdum natura ipsa superanda est: videlicet inseparādo & rectificādo, soluēdo & coagulādo, calcinatione & mūdificatione, ac cōiunctione, inceratione, ac variā attenuatione, atq; alijs operib. q̄ Natura efficere non potest. Natura .n. ad huiusmodi opera nō mouetur. Quare metalla in formā aliam ac meliorē q̄ natura fecit, aut potest, transferimus. Præterea tenebis quo pacto Lunæ sulphur combustibile

Cōfectio lapidis Philosop. ex duobus luminib.

Natura sequenda, atq; etiā interdum superāda est.

bile adimes. Luna enim corpus imperfectum est, frigidum, humidum, & crassum, ac in se multum humiditatis cum nigredine habet: estque admodum terrea & crassa, ac muliebris ob frigiditatem suam. Atque ob id Luna difficilius quam Sol ascendit. Itaque in primis nigredinem ac sulphur combustibile debes adimere, alioqui errabis.

Lunæ inprimis nigredo, & sulphur combustibile adimendum.

CAP. LVII.

Quomodo Lunæ nigredo, sulphur combustibile nec non humiditas superflua adimi possit.

SVmes itaque Lunæ quantum voles, ac super testam purgabis ac reflabis, atque tundes in tenues laminas instar calculorum. Tum sume arsenicum sublimatum, materiam mediam extreme præparatam, sicuti in opere eius doctū est: tum contere minutim super lapide cum aceto destillato, in pultem: ea laminas tuas Lunæ illine, ac sicca in Sole aut ad ignem, aut in stupha tua sicca; tum in crucibulo alterum super altero colloca, donec crucibulum impleatur. Tum crucibulum solide luto obtura, atque in fornace calcinandum pone igni lento, vt Luna non liquescat 12. horas continue, tum sinas frigefieri. Tum in mortario ferreo contunde, aut abrade id quod calcinatum est: ac si nondum omnino calcinatum fuerit, iterum vt prius calcinādum pone, donec Luna tua calcinata fuerit. Tum super lapidem cum aqua communi destillata contere. Tum sumtis pateris vitreis omnem ei nigredinem ablue aqua communi destillata, donec in fundo paterarum vitrearum album puluerem retineas, atq; aqua tam pura defluat, quam infusa est: tum satis est. Atque opus infundendi atque effundendi est huiusmodi. Cum Luna contrita est, in 2. aut 3. pateras vitreas immitte, ac super id aquam destillatam funde, & moue, ac eam Lunam contritam probe cum aqua permisce: ac nobilissimū & grauissimum eius subsidet: tum nigredinem atque immunditiem superne effunde in magnum vas terreum plumbatum, ac tum denuo aquam mundam destillatam super puluerem Lunæ tuæ funde, ac moue, & permisce iterum cum aqua, ac sine denuo subsidere: ac tum iterum aquam nigram & immundam superne diffunde, atque adde priori in testa terrea. Idq; opificium itera tamdiu donec nullam amplius nigredinem aut immunditiem pulu is Lunæ tuæ de se mittat: Sed ipsa in fundo pateræ vitreæ resideat, in morem niuis candida. Tum in Sole aut igni pusillo siccabis, ac in pyxide vitrea seruabis, donec ego te vlterius docebo. Tum aquam illam omnē quæ testæ terreæ inest quam

Calcinandum per horas 12. igni lento, vt Luna non liquescat.

Luna calcinata coterenda.

Nigredo abluenda.

Quomodo fundendum & effundendum.

quam à Luna tua abluisti, euapora. Tum sume fæces in ea remanentes, ac in testa cum plumbo colloca: cumq; fluit, pone fæces paulatim super testam, donec fæces omnes in plumbo super testam omnino imbibitæ fuerint: tum fluat in testa, & Luna tua in regulum remanebit. In fecibus enim de Luna tua inerat, quam aqua proluisti. Ita nihil Lunæ tuæ in proluendo amittis præter eius sordes. Scies item te Lunam tuam tenuissime limare posse, ac sumere in marcam limaturæ Lunæ tuæ vnciam arsenici præparati medio spiritu eius mundato, atq; inter 2. crucibulos côcludes, vbi cum arsenico probe miscueris: ac per horas 12. aut 16. continue calcinandam pone. Quibus exactis exime, contere super lapidem, atque modis omnibus, vt prius dictum est, ablue. Item tum puluere ac Lunam tuam quam lauasti, sume, ac pone sublimanda in olla vitea, ad spiritum arsenici inde sublimandum. Atque ollam cui Luna inest, modice calefacies, ita vt Luna non liquescat; candefacito vt tantummodo rubeat, vt vix videri possit vtrum candeat, nec ne. Atque ita retine ad horas 24. aut 32. tum sine frigefieri. Tum puluerem Lunæ tuæ exime, ac pone calcinandum in fornace, in qua spiritus calcinantur, ad dies 12. Ac talem calorem adhibe, vt non candeat. Et 12. illis diebus exactis, sinas modice candere colore puniceo, vt non liquescat. Atque ita etiamnum habe ad ignem ad dies tres, in eodem calore. Tum finito vt frigescat. Ac Luna tua ab ægritudinibus suis liberata est. Luna enim, sicuti reliqua metalla imperfecta duobus morbis est obnoxia: sed duo morbi non ita interiora Lunæ penetrant, vti morbi reliquorum 4. metallorum imperfectorum. Nam reliquorum metallorũ imperfectorum profundissima, & interiora radicis occupauere: Sed 2. morbi Lunæ, vt sulphur combustibile, quod Lunæ adimit quominus in cæmento stare possit, nec antimonium transire, nec colores retineat: ac sulphur immundum, nigrum, incombustibile foris tantummodo Lunæ adhæret, nec interiora radicis eius penetrat. Hoc pacto sulphur combustibile tolli potest, vti hic doctũ est, verum à reliquis 4. metallis non tam facile quam à Luna. Alter morbus quo Luna detinetur, est frigiditas, atque intemperata humiditas, quæ itidem Lunæ foris tantummodo adhæret, non penetrat interiora radicis Lunæ. Ac proinde 2. isti morbi facile à Luna repelli possunt, quod de reliquis fieri non potest. Primus morbus

Omnis aqua à Luna abluta euaporáda.

Alius modus purgandi Lunam.

Luna 2. morbis obnoxia.

Prior morbus Lunæ sulphur côbustile.

bus Lunæ videlicet ſulphur combuſtibile calcinatione arſenici à Luna tollitur, atque ablutione, vt ſupra. Scies item, arſenicum in ſua craſſitudine exiſtens omnia corpora adurere & conſumere, vt etiam faciunt auripigmentum & ſulphur, quæ omnia 3. eiuſdem naturæ ſunt, vt corpora adurant & calcinent, ac deſtruant, cum quibus permiſcentur. Cumque arſenicum & auripigmentum liberata atque mundata ſunt à ſua immunditie, & terreſtritate, atque à ſpiribus crudis, atq; partibus non fixis, & inde ſpiritum medium ſumis: ac eo ſpiritu ſulphur omne combuſtibile abigis ex metallis, cum ea ſæpe illo calcinas, lauas, teris, mundas & liquefacis, ac denuo eo calcinas: atque id iterans tam ſæpe & toties donec à ſuo ſulphure combuſtibili liberentur. Lunæ vero non niſi ſemel id fieri debet, quia foris tantum Lunæ adhæret. Ita arſenicum aut auripigmentum ſimile eſt Theriacæ: nam materia vnde confecta eſt homines veneficari ac enecari poſſunt: eſt enim venenum: cumque venenum illud in Theriaca præparatum eſt, omne aliud venenum ab hominibus veneficatis repellit: idem arſenicum & auripigmentum etiam faciunt, &c. Alter Lunæ morbus eſt ſuperflua frigiditas & humiditas, quæ Lunæ foris itidem adhærent, atq; à Luna tolluntur calcinando in fornace in qua ſpiritus calcinantur. Atq; hoc pacto Luna ad temperaturam reducitur ad lapidem ex ea extrahendum: verum etiamnum ex partibus craſſis & fixis cõſtat, ac muliebris eſt. Idcirco *Mortenus* ait: *Niſi corpus imperfectum mundes, operam in noſtra arte, & magiſterio ludis.*

Alter Lunæ morb. ſuperflua frigiditas, & humiditas.

CAP. LVIII.

Item Solem in ſubtilem puluerem præparabis, vt in opere de Sole doctum eſt, ad eundem modum. Tum ſume Solis & Lunæ ita præparatæ pondus ana, contere ac probe inter ſe miſce cum aqua communi deſtillata, donec ijs pingi poſſit. Tum in Sole ſicca, aut ad ignem puſillum. Et pone reuerberanda in fornace reuerberatoria in exiguis patellis planis, donec intumeſcant in morem ſpongiæ. Tum ſine frigefieri; exime, ac ſoluenda pone in aceto deſtillato, in balneo, modis omnibus, vt in opere de Sole doctum eſt: tum acetum deſtillatum deſtilla, donec materia congelata fuerit, ac tum denuo ſolue. Iſtud ſoluere ac congelare tamdiu itera, donec nullæ amplius fæces remaneant. Tum verbum illud *Dantini* Philoſopho-

Sol præparatus, vt ſupra doctum, miſcendus cũ Luna prędicta.

Quamdiu ſoluendũ ac congelandum.

ſophi perficitur: *Quod in eo incluſum eſt, reclude; quod ſiccum eſt, humecta; quod humidum eſt, exicca: tum frigiditatem Lunæ quære, ac caliditatem Solis reperies: ac caliditatē Solis quære, ac frigiditatem Lunæ reperies.*

CAP. LIX.

ITem nunc materia ad lapidem extrahendū parata eſt. Scies itaque materiam Solis fere omnem ſimul aſcenſuram, ac rapturam ſecum ſurſum omnes partes ſubtiles Lunæ: ac Lunæ nihil aut parum aſcendit, quam partes eius ſubtiles. Maxima pars Lunæ eſt rudis, frigida, ac muliebris, ac in fundo remanet. Verum Sol ſolus in ſuis partibus ſubtilis ac virilis eſt: ac Sole reſerato, omne ſimul aſcendit ob magnam ſubtilitatem eius: ſicut Luna infra in fundo remanet, nec vult aſcēdere ob craſſitiem. Ita contrarium iſtis duobus corporibus ineſt, vnius corruptio, alterius nutritio eſt. Quare vtraque ſimul in opere neceſſaria, vt probe noſti. Adhæc materiam iſtam ſublimandam pone modis omnibus vt in opere albo & rubro doctum eſt. Ac tibi ab aere cauere debes, cum vaſa tua aperis, cumque ſpiritū eximis, aer enim te necaret. Quare vaſa tua vt probe frigeſcant ſinito, antequam effringas. Ac ſi forte accideret, vt ſpiritus tuum lutum penetrarent in ſublimatione, aut alembicum ſindeteur aut rimas ageret, aut olla vitrea, caue tibi ab eo aere, ilico enim te necaret. Nam aer eius inuiſibiliter aſcendit ob magnam ſubtilitatem eius, ac quo ſubtiliorem reddis, eo feruentior ac venenoſior fit. Deus enim nec feruentiorem nec ſubtiliorem ſpiritum condidit inter omnes res minerales, quam ſpiritum Solis, nec ſubtiliorem nec fugaciorem ſpiritum Solis. Si Sol in ſuis partibus apertus eſſet, vt Luna eſt, aut alia metalla, aut 4. elementa quæ in Sole ſunt inter ſe eſſent contraria, Sol facilius ab igni aſcenderet, quam vllus ſpiritus mineralis. Sed elementa adeo æqualiter in Sole temperata ſunt, ac tam mūda ac pura, vt nec iam, nec vllo vnquam tempore ſeparari poſſint. Quare cū Sol reſeratus eſt, omne ſimul ſurſum ſubuolat, ita vt nihil quicquā relinquat, niſi forte quid aliud ei eſſet permixtum aliarum rerum metallicarū. Nam cū Sole facile aliud corpus metallicum, aut aliqua res metallica colliquatur. Omne enim ex mineris veniens, libenter ſeſe cū Sole cōiungit, cumq; illo amicū eſt. Nā Sol Rex & Dominus eſt.

Materia ex qua lapis ſit eliciendus, parata eſt.

Materia iſta ſublimanda.

Quare qui ex ſolo Sole opus vult conficere, cauere debet, ne Solem vſque adeo aperiat aut reſeret, vt ſicut fermentum preparatus ſit, alioqui vnum cum altero omne ſimul aſcenderet. Quod ſi accideret fermētum ei pulueris crudi, ſolis, ponendum eſſet, ſi alioqui lapidem perficeres: verum id non foret ex vſu tuo, fermentum crudum ponere. Verum ſi ita tibi contingeret, vt Sol tuus omnis ſimul aſcenderet, magis ex vſu tuo eſſet lapidem ālbum ex Luna perficere ad album, atq; adeo non fuſibilem efficere, ac incerare tum ipſum cum ſpiritu Solis: ita duplex commodum ac lucrum tibi eſſet. Lapidem enim album ad virtutem Solis perducebas, ac ſpiritum tnum cum anima in virtutem propriam; qua de re in alio opere docebitur. Quæras itaque: exiſtimaueram Solem omnino fixum fuiſſe. Nam ſuper quartale manet abſque diminutione, atque etiam in cæmēto, ac antimonio & in igni. Quamvis enim Sol ſemper in igni iaceret: Sol in igni nō crematur: ac ſi Sol ſub terra vſque ad finem mundi iaceret, minime corrumperetur, aut putrefieret. Nullis rebus quæ in orbe ſunt, Sol corrumpi poteſt. Sol enim ſimplex eſt, atque omnes partes eius, atq; elementa ſibi inuicem contraria non ſunt: atque oleum eius ac ſal ita cum 4. elementis coniuncta ſunt: & Mercurius eius, ac ſulphur cum oleo ac ſale eius adeo firmiter in vnum permiſta ſunt cum 4. elemētis commixtione tali, vt eiuſdem naturæ ſint: atque vtrobique partes æquales ſunt: ita vt Sol vna res tantum ſit; ac vna res ſola, quæ ex nullis alijs rebus amplius eſt, nullis rebus à ſe inuicem ſeparari poteſt. Talis eſt Sol, nam non niſi vna res eſt.

Nulla re Sol corrumpi poteſt.

CAP. LX.

Item aduerſus odorem aut aerem lapidis cum ipſum ſublimas, duos oculos vitreos ante oculos alliga, ac latum corium ante os & nares, cui corio duplex panniculus laneus ſit inſertus, ac ſuper eum pannum laneum lata ſpongia, atque eam ante os & nares alliga: in ea reſpirare poteris: atque tibi ab aere caue, inuiſibiliter enim aſcendit. Ac lapidem toties iterum atque iterum ſublimabis, donec nullas amplius fæces poſt ſe relinquat, ſitque mundus, candidus inſtar niuis, ac clarus inſtar cryſtalli. Tum lapis mūdus ac purus eſt: ac Mercurium ac ſulphur Philoſophorū paraſti in ſua virtute & ſubtilitate. Omnes vero fæces ſimul ſerua quæ in ſublimatione remanſere. Nam iterū reuerberādæ ſunt. Idq; quod remanet quod

Lapis toties ſublimandus, donec nullas fæces poſt ſe relinquat, ac inſtar niuis ſit candidus, ac clarus inſtar cryſtalli.

Oēs fæces q̄ in ſublimatione remāſere ſeruandæ. Iterum reuerberandæ.

quod fæces appellauimus, corpus Lunæ est, ꝙ etiamnũ in fęcibus sepultũ iacet: nondum.n. multum Lunæ ascendit, corp⁹ & fermentum nostri lapidis. Ita corpus è fæcibus cum aceto destillato solue, quicquid ex eo solui velit. Tunc congela, tum pone reuerberandum ad horas 24. igne leni, vt vere colore rubicundo cãdeat, nec amplius: sine frigesieri. Tunc exime atq; iterum in aceto destillato solue. Tum denuo cõgela: Tũ pone rursum reuerberandum ad horas 5. aut 6. vt vere candeat nec amplius: sine frigefieri, exime, ac denuo in aqua cõmuni solue, rursum congela. Post candefacito vt vere rubeat 5. aut 6 orationum dominicarum spatio. Tum rursum exime, ac denuo solue in aqua cõmuni toties destillata, vt nihil remaneat. Hoc vero soluere toties iterabis, donec nullas amplius fæces relinquas, sed aqua inde tam clara defluat, vt in ea nihil amplius videri possit, quam si in ea nihil solutũ fuisset. Tum denuo congela donec pene omnis humiditas destillata fuerit: tum sinas frigefieri. Frigefactum vero inter se magnis frustis lapillaret, longitudine ac spissitudine digitorũ, lucidis instar crystalli pellucidi, albis in morẽ niuis. Tũ frustula euapora, donec puluisculus fiant instar niuis candidus. Hoc vero opificium administrandũ est omne in pateris vitreis, ad id paratis, super balneo bulliente stantib. vasisq; duplici panno lineo tectis, ne quid pulueris aut sordium inuolet. Opus enim nostrũ mundũ ac extreme purum esse debet. Ac tum terra pretiosa, & corpus & fermentũ paratum est, ad animam & spiritum in ijs recipiendum, & magna amicitia, ac magno desiderio amplectendum, vt in æternum simul maneant in magna cõcordia & pace: ita vt posthac nullo vnquam tempore separentur: ac in æternũ magna subtilitate ac virtute regnabunt. Ac corpus animam propriã ac spiritum accipere desiderat: atq; anima cum spiritu cupit descendere ac requiescere in ꝓprio corpore. Alterum enim sine altero esse non potest. Et cum inter se, vt decet, copulata fuerint: tam firmũ amoris vinculũ inter ipsa est, ita vt omnino coeant, ac alterũ cum altero permisceantur, vt eiusdẽ naturæ fiant, ac res vna. Estq; tum res simplex sicuti cælum invincibile: atq; ita est quinta essentia ad omnes morbos sanandos in momento.

Corp⁹ soluendum cum aceto. Cõgelandum & reuerberandum. Iterum soluẽdum in aceto. Denuo reuerberandũ ad horas 5 aut 6. Rursum soluẽdum in aqua cõmuni, & congelandum. Iterum soluẽdum in aqua cõmuni. Rursum congelandum.

CAP. LXI.

Scies vero deinceps pro magno secreto: multas esse vias ad lapidem conficiendum: verum vna via est difficilior, magis

Multę viæ sunt ad lapidem cõficiẽdum.

gis laboriosa, & prolixior alia. nec etiam eandem vim in proiectione habent. Lapis enim ex rudi fermento conflatus non haberet eam virtutem nec vim, quam lapis esset habiturus, cui corpus extreme paratum esset. Ita prout subtiliter operaris, proiectionem facies. Ac lapis ex Sole & Luna est educendus, ex vtrisque. Rubicundus vir adsit oportet, ac femella candida, si alioqui vera coniunctio ac vera & perfecta mixtio sit futura. Calidus enim rubeus vir operari debet in frigidam candidam mulierem, si fructus inde nasceretur, aut perfecta temperatura fieret. Res enim quæ ex sua propria natura per omnes partes æque calida atque æque frigida est, aut humida aut sicca est, in ea simplex temperatura inest. Sed tãtum vna natura est. Rem illam nõ potes corrigere: aut exaltare ex suo simplici statu in meliorem. Potes quidem rem illam mundiorem, clariorem, & subtiliorem efficere quam est, vt sit nobilior & perfectior quam est. Sed res illa manet res eadem: nã partes eius separare non potes. Quemodmodum ab aqua pura nihil præter aquam purã separare potes. At si aqua sordes aut fæces in se habeat, eas inde arte extrahere potes, ac mundam reddere; ac tum quidem paulo melior quam prius fuerat. Interim manet aqua, ac nihil aliud ex ea efficere potes. Ita fere res habet cum Sole & Luna, quando ijs per se operaris, est Sol, manet Sol, est Luna, & manet Luna, nisi quod spiritualem efficis. Potes suo ipsius corpore suum ipsius spiritum fixare, ita vt aliquam proiectionẽ in metalla mundificata in tertio ordine faciat: sed lapis Philosophorum non est. Simplex medicina tertij ordinis est, nec quicquam amplius.

Pro subtilitate pieictio fit lapidis.

Lapis ex Sole & Luna educẽdus, & qua re.

CAP. LXII.

Ex quibus reb. lapis conficiẽdus.

Lapis conficiendus ex reb. quæ separari à se inuicem possunt: atque ex duabus naturis constare debet, ex frigida & calida, graui & leui, alba & rubra, ex densa & gracili, ex mare & femina: atq; vt vna natura in aliam operetur: quod densum gracile sit effectum, & gracile densum, quod leue, graue, quod calidum, frigidum effectum: humidum exiccatum & siccum humectatũ. Ita vna natura in aliam operatur: & ad extremum omnia hæc in simplicem naturam perducta. Atq; vnumquodq; ante meliore statu erat, ac meliore & altiore forma, aut in aliam essentiam conuersum. Cumque tum ad extrem ũomnia in vnum cõfluunt, in simplicẽ essentiam, res perfecta est, quemadmodum est cælũ inuincibile, quod simplex

Confert lapidem cum cęlo.

plex est. Sed si terra humiditate opus habeat: cælum eam abunde largitur: ac si terra siccitate opus habeat, cælũ itidẽ abunde suppeditat. Atq; ita etiam de calido & frigido sese res habet. Nã quod in hac parte terræ deest, cęlũ abunde suppeditare potest. Cælum tñ nec calidum nec frigidũ, nec humidum nec siccum. Corpus est simplex, perfectũ in sua extrema perfectione, in qua in æternũ manebit. Ac in ipso omnis perfectio inclusa est, & proprietates oẽs: ita vt quicquid terrę, herbis, arboribus, pecudibus, animalibus, hominibus hic opus est, cęlũ id omne hic abunde suppeditet, magna sua perfectione, quam Deus ei infudit, diuina sua ordinatiõe, ac mirãda perfectione.

CAP. LXIII.

Itaque in hunc modum lapidem nosse disces extra medicinam tertij ordinis. Lapis enim noster eandem proiectionẽ habere debet, quam Deus cælo inuincibili infudit & cõcessit. Itaq; debemus etiam lapidi nostro infundere easdẽ proprietates, philosophica nostra medicina, eandem vt vim & proprietatem habeat, in simplici corpore existens. Cumq; omnes easdem proprietates ac vim habet, tum noster lapis est: & quãdiu eas non habet, lapis noster non est. Ita te docui quomodo & vnde lapis sit parandus, & quibus proprietatibus, antequã nomen lapidis philosophorum accipiet, &c.

Lapis eandem proiectionẽ habere debet quam cælum inuincibile.

CAP. LIV.

Item nunc sumes corpus, aũt terram aut fermentum, aut quocunq; nomine appellabitur, ac ponderabis quam graue sit, ac in libellum tuum referes, ac huiusmodi vitro indes. Tũ vero 8. partes fermenti accipe, id est, si habes 8. vncias fermenti, vnciam 1. tui spiritus sublimati pondera, atq; etiam exiguo vitro inde, ac aquam destillatã superfunde, atque etiam aquam destillatam fermento superfunde. Imponas vero singulis vitris, exiguum vitrum leuigatum quod ori quadret: ac pone vtrumque vitrum in calido balneo, ac statim vtrumque in aqua nitida soluetur. Quo facto, aquas ambas confunde, atque agita ac moue, ac probe inter se misce. Facile enim inter se miscentur: cupiunt enim altera alterius ingressum. Anima cum spiritu in proprium corpus ingredi cupit, Maritus propriam coniugem expetit: ac coniunx proprium maritum. Terra sicca & frigida, aquam calidam & humidam appetit. Ita alterum alterius amplexum expetit, ac ingressum vsque ad fundum ac interiora radicis eorum,

Corpus aut terra aut fermentum sumendũ ac ponderandum.

Ita hic perfecta mixtio. Atq; etiam perfectior mixtio non est vlla quam aquę cum aqua. Nullum hic est interstitium, continuo sine mora alterum in alterum ingreditur. Cupiunt enim vtraque, alterum amplecti alterum ob magnam munditiem quam vtraque habent. Itaq; vtraq; in aquam niticam reducito, ac permisce aquas inter se, vti dictum est, ac tum alembicum vitro impone, & receptaculum ad rostrum pone in baineo: ac humiditatem balneo distilla ad eam siccitatem vt puluerescat. Tum exime, ac fixandum pone in fornace secreta, modis omnibus vt in opere albo doctum est: ac calorem adhibe ad eundem modum, vt in opere albo doctum est. Ac breui temporis spatio omnem materiam nigram conspicies. Tum scias veram coniunctionem accidisse, ac sub nigredine albedinem latere. Et scies, nisi nigredo sese in opere ostenderet, nullam mixtionem, nec coniunctionem fore; nec vnquam alterum cum altero fixari posset. Ac vbi nulla nigredo sese ostendit, ibi nulla fixatio inter animam, spiritum & corpus accidit. Nullum enim medium est, quod ea simul teneat: quod medium est Sal illud Sapientum, quod animam, spiritum & corpus continet, atque alterum in alterum vt ingrediatur, facit. Sal illud etiamnum in interiore parte corporis iacet. Spiritus enim animam è corpore non eduxit. Atque vbi spiritus animam è corpore non educit, ibi sal naturæ manet in interiore parte mixturæ reconditum: estque sal medium illud quod spiritum & corpus & animam continet. Ac sal illud tum in interiore parte mixturæ sepultum iacet. Quomodo igitur Sal illud se cum illis permisceret, cum ex interioribus mixturæ nō educitur cum spiritu, ac secum sal subuehit, quomodo tum sal illud partem cum spiritu haberet? Sal enim hoc animam in se habet. Idcirco Veteres sal illud, sal animatum dixere: animam enim in se continet. Ideo mediator est inter corpus, animam, & spiritum. Nam cum ipsis partem habere debet. Sua enim acrimonia spiritum, corpus atque animam continere debet, atq; vt alterum in alterū ingrediatur, efficere. Itaque cum sal istud cum spiritu è corpore non educitur, ac sal secum subuehit quod in se animam habet: atq; ita nullam partem cū spiritu habet: nam in profundiore parte corporis remanet. Ita sal vna cum spiritu è corpore educendum est, in se animam habens: ac spiritus secū subuehere debet, ac fieri vnum cum eo:

Humiditas balneo destillanda, in eam siccitatem vt puluerescat.

Fixādum eodē modo vt in opere albo, atque calor eodē modo adhibend⁹.

Medium Sal Sapientum dicitur.

Cur Veteres sal illud sal animatum vocarint.

fia-

si alioqui mediator sit futurus inter spiritum & corpus. Hoc enim sal animam in se habet: corpus vero absqe anima sua viuere nequit, nec anima sine spiritu esse. Itaque sal vnum esse debet cu spiritu, ac spiritus vnū esse cū sale. Quare sal illud intermediū est inter ea, si alioq simul sint mansura. Ac *Arnoldus de Villa noua* ait: *hoc Sal mirabile esse.* Atque hac ratione predicta planum est, nullam fixationem in rerum natura posse fieri, quæ ad extremum perfecta permāsura sit, vbi hoc sal è corpore cum spiritu non educitur, vti prius dictum est.

CAPVT LXVI.

Itaque omnes illi errant qui vllas amalgamationes faciunt cum Sole & Mercurio, aut cum Luna & Mercuriō, ac fixandas ponunt, ac vnum cum altero fixare volunt. Nequaquam fixabunt, nec iam nec vnquam. Nam sal illud in profundissimo solis ac Lunæ iacet: idque apud se animam Solis & Lunæ habet: nec potest vlla materia quæ in rerum natura sit ex interioribus Solis & Lunæ educi, quam suo ipsius spiritu, ac non alienis spiritibus. Idque non potest in Sole & Luna nec iam, nec vllo tempore fieri. Nam Sol & Luna ita aperiri & reserari debent, vt spiritum suum ex se emittant, ac spiritus sal attrahet animam in se ferens, ex interioribus Solis ac Lunæ, ac secum in cælum subuehet, ac vna natura cum eo fiet. Cum igitur iam corpus mundum ac purum est, ac spiritus cum sale in se animam ferente, anima itidem munda & pura existente: ac tum iterum conflantur iuxta corpus suum proprium idque mundum, vera coniunctio fit, ac nigrescit. Ac vbi hæc materia non est, ibi nulla nigredo sese proferet: ac vbi vera coniunctio non est, ibi nigredo sese non ostendit. Ita planum fit, omnes amalgationes, omnes fixationes cynabrij, aut alia ficta insana opera omnia falsa ac fraudulenta esse, quamvis speciosa videantur, per rationes prius à me doctas. Itaque omnes falsas opiniones vita, ac perpende sedulo quod te docui: vt in philosophia illuminari possis: ac intelligas sermonem quo veteres semper in libris suis vtuntur.

Omnes illos errare qui amalgamationes faciūt cum Sole & Mercurio, aut cū Luna & Mercurio, ac quare.

Vbi vera cōiunctio non est, ibi nigredo se non ostendit.

CAPVT LXVI.

Lapis noster ex vna re educendus est ac nō ex pluribus: nec quicquam peregrinum ei adhiberi debet, nec minori nec maiori quantitate. Verum animam ei extrahas, ac superflua ei tollas, ac mūdes: & corpus præpares, ac statim animam denuo illi infunde, & in secula victurus est, &c.

CAP. LXVII.

Regimen ignis perſequendum ab vno colore in alium.

ITaque nigredine conſpecta, certus ſis veram coniunctionem factam eſſe: atque ignem perſequere ab vno colore in alium, qualiſcumque tandem color ſit, vt in opere albo dictum eſt. Cumque id vides, aliquid exime, ac pondera, ac ſuper lamina candente an fixum ſit, proba, & ignem ferre poſſit. Itaque exime ac calcinandum pone candore modico ad horas 24. in fornace reuerberatoria, aut in fornace camerata. Tum ſinas frigefieri. Frigefactum, pondera, quantum ſit eius pondus: ac tum ſoluendum pone, modis omnibus, vt ante dictum eſt. Cumque vtraque in aquam claram ſoluta fuerint, vtramque aquam ſimul miſce, vt prius doctum eſt. Deſtilla humiditatem ex balneo, vt prædictum, pone denuo fixandum in fornace ſecretã, modis omnibus, vt ſupra doctum eſt, &c.

CAP. LXVIII.

Solutione ſpiritus ac corporis iam dicta opus multo ſubtilius ac fortius euadit.

SCies item pro ſecreto ſolutionem iſtam ſpiritus ac corporis non eſſe neceſſariam, ſed opus multo ſubtilius ac fortius euadit. Dico lapidem poſt ſuam perfectionem, in vnaquaque ſolutione & congelatione centum in ſua proiectione lucrifacere. Atque etiam certius eſt, vt fermentum & ſpiritus vtraque in aquam nitidam ſoluantur, quam ſi ſicca inter ſe permiſcerentur. Quæ enim melior ac certior mixtio quam aquæ cum aqua? vt prædictum eſt.

CAP. LXIX.

Nulla melior & certior mixtio quã aquæ cum aqua.

Frequenti calcinatione opus admodum ſubtile fit.

SCIES præterea cum ſpiritus cum fermento fixus eſt, etiam opus non eſſe, vt tum calcines & ſoluas: Sed vnaquaque calcinatione & ſolutione te mille lucrifacturum in proiectione. Opus enim adeo ſubtile frequenti calcinatione cum ſolutione, euadit, vt ſit incredibile. Ac propterea te doceo vt fermenti partes 8. atque 1. ſpiritus ſumas, quia ſæpe opus fixabis, & ſæpe calcinabis, ſolues & congelabis: opuſque adeo ſubtile euadet, quam fieri poteſt in fundo, vt poſt ad altiorem proiectionem perueniat. Sumi poſſent 4. partes fermenti & quinta pars ſpiritus, ac ſimul permiſceri. Sed tum toties calcinare non poſſes nec ſoluere, nec congelare. Opus enim nimis fuſibile fieret. Ita vt ſæpe calcinare, ſoluere & coagulare non poſſes, quia nimis facile fuſibile tibi inter manus fieret, ita vt nullam flammam ferre poſſet. Quare ſi opus altũ vis efficere ac ſubtile, multas partes fermenti, ac paucas ſpiritus ſumito, ita opus tuum ſæpe calcinare, ſoluere & coagulare pote-

Fermenti 8. partes ac 1. ſpiritus cur ſumenda.

poteris. Ac siue multas, siue paucas partes spiritus fermento apponas, tempus æque longum est. Nam si parum spiritus fermento apponas, opus facilius fixabitur: ac si multum spiritus fermento addideris, stabit diutius antequam fixabitur. Proinde facito modis omnibus, vt ante dictum est, in 8. partes fermenti vnam spiritus sumendo, ac solue, permisce simul, congela & fixa, calcina, ac tum solue ac misce modis omnibus, vti supra dictum est, donec materia adeo fusibilis fiat, vt iam sese non amplius candefieri aut calcinari permittat. Tum desine, ac spiritum ei da, donec ad perfectam albedinem peruenias. Item vbi perueneris ad perfectam albedinem, procedes atque operaberis, augmentatione ignis per gradus, donec ad perfectam rubedinem peruenies, ac facies per omnia, vt te in opere de Sole docui. Tum demum gaudeas, vbi ad perfectam rubedinem perueneris.

CAPVT LXX.

Item ad lapidem tuum multiplicandum in virtute & viribus eius, ac non in magnitudine eius. Sed exaltabit se in sua nobilitate ac subtilitate: ita vt iam faciat 10000 in sua proiectione. Cumq; tum multiplicatus est, ac subtilis effectus, atq; exaltatur ad magnas vires & potentiã, facile 100000. facit in proiectione. Ac si lapidẽ istum ter multiplicares ac subtilẽ faceres in virtute & potentia, proiectio eius infinita esset, ob magnã subtilitatem quã tum lapis esset habiturus. Imo lapidẽ toties multiplicare posses, ita vt nunquam ad finẽ proiectionis eius peruenires; ob magnã eius subtilitatem ac virtutem quã nancisceretur. Sed facile tam sæpe ipsum multiplicares, vt nullis vitris continere posses, recederet ac abiret, adeo subtilis lapis fieret, vt cum soluere velles, vitrũ penetraret inuisibiliter, ac vitrũ integrũ maneret: ac lapis vitrũ in speciem & colorẽ Rubini conuerteret. Vitrum enim liquandũ pone lapide cõfecto, ac de lapide proijce tantũ ponderis super vitrũ, quantũ sumeres si Iouẽ in Solẽ velles conuertere: lapis vitrũ liquefactũ conuertet in colorẽ, qualis ipsius est, in speciem & colorẽ inquam pretiosi Rubini. Ac retine ita liquefactũ in eo crucibulo ad semihoram, ita materia durescet, adeo vt neque iam nec vllo vnquam tempore liquescat: eritque eadem duritie, eodemque colore cum pretioso Rubino sine maculis. Fuitque magna disceptatio inter Veteres, dicentes: vitrum illud ita coloratum vti dictum lapide, melius & naturalius esse Quomodo lapis sit multiplicãdus.

Rubinis

Rubinis naturalibus: ficuti reperis in libro de lapidibus quem Hermes Philofophus compofuit: ait enim: In quamcumque rem lapis nofter proijciatur quæ liquefieri poteft, quæ metallum non eft, fitque res illa vnius naturæ, eam conuerfurus eft in fe, quantum fieri poteft: fed non eodem gradu quo ipfe eft: fed eo gradu qui naturæ poffibilis fit. Quemadmodum dominus Deus hominem fui fimilem condidit in fecula, ac eadem libertate, ac in pluribus alijs partibus, quæ hoc loco fcribere nimis longum foret, materiam enim noftram nihil attingit. Itaque dico lapidem eas res folas in fui fimiles conuertere, quæ metalla non funt, quæque vnius funt naturæ. Nihil autem in rerum natura quod vnius naturæ fit reperitur, quam cryftallus, aut vitrum, aut lapides preciofi. Illa enim ex rebus compofitis non funt, fed ex re vna. Nam ex vitro aut cryftallo nihil aliud confici poteft, quam ex vitro vitrum, nec ex cryftallo quam cryftallum: fed coloribus imbui poteft quibuscumque. Nam album vitrum cryftallinum fefe habet inftar elegantis tabulæ complanatæ, in qua quidlibet fcribere posfis: pari modo quolibet colore album vitrum cryftallinum imbui poteft: ac quo color nobilior, ac pulcrior ac fubtilior eft, eo vitrum nobilius ac præftantius eft. Ita etiam eft in lapide, cum præftantiffimum fuum colorem vitro cryftallino, aut cryftallo infudit: ac fui fimile efficit, colore, pulcritudine, verum non eodem gradu & potentia, in qua lapis eft. Nam vitrum illud nullam habet vim conuertendi rem vllam, aut proiectionem faciendi. Verum eft nobiliffimum, pulcerrimum & lucidiffimum quod in rerum natura fit: imo melius auro, quia natura nobiliffima ei infufa eft, quæ fub circulo cælefti fit. Itaque veteres in hoc conueniunt: vitrum hoc ita conuerfum effe tali gradu, vt nunquam liquari poffit, nec igni comburi: eftque tam nobile & præftans ac præftantius Rubinis Orientalibus per rationem prædictam. Qui itaque fumeret lapidem, ac vitrum cryftallinum forti crucibulo inderet: cumq; iam liquefactũ effe, de lapide fuper ipfum proijceret, donec color bene placeret. Nam lapis imbiberetur in vitro liquefacto, vt oleum in corio ficco: cumq; iam color tibi arrideret, nihil amplius inijceres: ac fineres tum vna cum lapide fluere, donec fe conftitueret in Regulum, ac durus & pellucidus fieret. Id enim vna ex operationibus, viribus ac virtutib. lapidis noftri eft, ꝙ res omnes cum quibus fefe mifcet, liquidas

con-

conuertat in non liquidas. Omnes res duras, molles efficit: ac omnia corpora mollia, dura: ac quicquid combuſtibile, incõbuſtibile. Cumq; iſtam proiectionem non haberet, nomen lapidis accipere non meretur. Tum ſolũmodo medicina ſecundi ordinis foret, nec quicquam amplius. Lapis omnes eaſdem proprietates in ſe habere debet, quas cælum inuincibile habet. Nam quicquid hic in terra deeſt, cælum abunde ſuppeditare poteſt: non tamen eius naturæ eſt, cuius illud eſt quod nobis hic ſuppeditat. Ita ſe res etiam habet cum lapide noſtro. Omnia corpora ſicca humectat, ac omnia corpora humida exiccat: omnia corpora frigida calefacit, ac omnia corpora calida frigefacit, omnia corpora immunda mundificat. Atque etiamnum multo plura facit, quam hic explicare poſſumus. Tamen noſter lapis non eſt naturæ vllius harum rerum, quarum prius hic mentionem fecimus: quemadmodum cælum inuincibile facit: ſed omnis potentia ei à Magiſtro arte diuina impreſſa eſt, atque ignis adminiculo, ita vt potentiam & virtutem ſit nactus: de quo gratiæ Deo agendæ.

Lapis omnis eaſdem proprietates in ſe habere debet quas cælum inuincibile.

CAPVT LXXI.

IAm ſi forte tales Rubinos conflare velis, facito vti dictum eſt: cumq; frigefacti fuerint exime, ac diſſeca, atq; exacue ſuper mola ſuper qua lapides pretioſi exacuuntur, magnos aut paruos, prout libet, ac belle expolias. Ac habes præſtantes Rubinos ſine maculis cor hominum exhilarantes, atq; hero victoriam conciliantes, &c. Ac vim iſtam receperunt ex virtute lapidis in ſeſe operante. Ideo dico: Tam ſæpe lapidem multiplicares, vt tam ſubtilis eſſet, cum denuo ſolueres in illa rubra aqua ardente, vt vitrũ inuiſibiliter penetraret, ipſumq; amitteres, ac vitrum integrũ maneret, ſed rubrum ac pellucidũ fieret in morem rubini, ac durũ ac incombuſtibile, vt dictum eſt: ac nobili tuo lapide priuareris: atq; tam ſpiritualis fieret, vt ad extremum nullis vaſis vitreis quibuslibet quamvis 10. pedes ſpiſſis, contineri poſſet: isque ea penetraret ob magnam ſubtilitatem multiplicationis eius, ac magnam potentiam. Itaq; lapidem ſume, ipſumque in hunc modum multiplica.

Quomodo tales Rubini ſint conflandi.

CAPVT LXXII.

ITem confice aquam fortem ex vitriolo clarificato, ac à fæcibus præparato, & ſalnitro ana. Ex his aquam fortem deſtilla ſecundum artem. Tum caput mortuum ex olla vitrea ſume, ac tenuiter puluerizato: tum contere ſuper lapide: tum in

aqua communi destillata impone, atq; omne sal extrahi finito: tum per filtrum deprome, vt mundum à fæcibus habeas: congela denuo: cumque congelatum est, puluerem impalpabilem inde confice, eumque puluerem ollę vitreę immitte: atque ibi aquam illam fortem denuo super puluerem funde, quam inde destillasti, ac pone iterum destillandum, ac destilla quicquid destillare vult. Tum caput mortuum iterum exime, atque in puluerem contunde, vt prius; ac modis omnibus vt supra, facito. Hocque opus itera tamdiu, donec sal omne cum aqua forti omnino destillaueris. Tum aquam præstantem habes rubram lucentem de nocte, instar ignis lucidi. Tum aquam illam sumptam in balneo rectifica, identidem destillãdo ac denuo superinfundendo: ita vt ad extremum omne destillatum ex balneo habeas. Tum aqua tua pretiosa præparata est, in qua lapidem tuum multiplicabis & aperies. Item lapidem tuum sume, atque in ea aqua solue, ac statim soluetur, ac in tepido balneo pone, ac alembico superimposito, ac receptaculo ad rostrum vbique probe lutato, balneum calidum tene: ac cum aqua fortis transierit, puluerem proba candenti laminæ impositum, ac vide an subuolet, vt alijs locis dictum est. Tum denuo aquam illam superfunde, atque iterum firmiter luta, ac denuo destilla vt prius, donec non amplius stillet. Tum iterum pusillum pulueris proba, ac vide an paulo magis auolet: ac si nihilo magis auolet quam prius, rursum aquam fortem superfunde, ac alembicum superimpone, ac receptaculum iuxta, luta vbiq; probe, ac rursum tepido balneo destilla. Idque facito modis omnibus vt prius doctum est. Atque hoc opificium itera tamdiu, donec omne simul à candenti lamina subuolet: tum satis apertum est, tum vero sublimandum pone modis omnibus vt prius. Istamque sublimationem ter quaterve iterabis semper nullis fæcibus additis: tũ satis est. Tum exiguam particulam eius quod sursum sublimatum est sume, ac fixandam pone in fornace, in qua spiritus calcinatur, in tali vitro quale hic appositum est: atque exiguo vitro leuigato ori imposito: primum pusillum calorem adhibe: atque aliquoties per gradus ignem auge, vt in opere doctũ est. Cumq; fixum est, pondera quantum sit pondus eius quod fixatum est: ac tum pro 3. partibus fixis, vnam spiritus sume, ac rursum fixandum pone, vt prius doctum

Aqua pręstans rubra lucẽs de nocte.



doctum est: atque ita facito donec omne quod sublimatū fuerat, fixum sit. Ac facile fixabitur. Fixum enim in omnibus suis partibus fuit. Ac partes aliæ quæ primæ parti adduntur, facilius quam prima fixantur: vna enim pars aliā fixat. Ac in multiplicatione nulla nigredo interuenit: nec vlli colores orbis sese ostendunt: nec albedo vlla. Nec in sublimatione quicquā se præter rubedinem ostendit: nec in fixatione sese color alius præter proprium manifestat, is est egregia rubedo. Lapis enim nullum colorem alium præter rubedinem habet. Est enim tātummodo vna substantia, simplex materia, vt est cælum inuincibile. Scies item quamvis sublimaretur, non fixitate sua priuaretur, & cum lapis confectus ac paratus est in extrema virtute eius, tum lapis iterum aliter ex sua essentia in aliam fabricando mutari non potest. Nam si lapis ex sua essentia extrahi posset in aliam essentiam aut naturam, aut si mutari posset: lapis Philosophorum non esset, nec simplex esset: nec corpus glorificatum. Non, non. Sermonem meum rite intellige. Lapis in nullam aliam naturam aut essentiam mutari potest, postquam perfectus est. Est enim tantum vna res: idque in suo gradu intellige.

In multiplicationē nulli colores sese ostēdunt.

CAP. LXXIII.

NVnc quærat aliquis: an lapis nulla ratione mutari potest? Qui ante fixus erat atq; ignem ferebat: ac doces me vt ipsum denuo volatilem efficiam, ita vt sublimem. An non igitur reductus est ex fixa eius corporea natura, in pure spiritualem naturam? Recte dicis ignē ipsum primum tulisse: ac post volatilem factum: vtrumque verum est. Idcirco ex natura sua non est reductus in naturam aliam: ita esse debet: ac ni ita esset, nullam proiectionem faceret. Id enim quod proiectionē facit, debet esse spiritus, anima, & corpus æque fortes ac potētes: ac si talis non esset: sed corpus fortius esset quam spiritus, aut spiritus potentior quam corpus: tum in eo contraria natura esset: tum res vna nō esset. Lapis noster est corpus, anima & spiritus, atque hæc 3. vnum sunt in simplici essentia inseparabiliter: æqualia magnitudine, viribus & potentia: vnum ab altero separatum nō est: nam vna est essentia, vna natura simplex, alterum sicut alterum est. Tamen tria sunt, spiritus, anima & corpus, sunt in vnum vt intelligimus. Verba mea funditus intellige, ac lapidem nosse disce, cuiusnam naturæ esse debeat.

Quæstio eiusquē solutio.

CAP. LXX.

Lapis noster neque fixus neq; volatilis est.

SCies item pro magno secreto lapidem nostrum neque fixum neq; volatilem esse. Est simul spiritus & corpus, vtraque spiritum & corpus in sua natura habere debet, vtraque æque valida, vt prius rationibus tibi demonstrauimus.

Cur videatur fixus, ignemque ferat.

Ac quod videatur esse fixus, ignemque ferre, id fit ob soliditatem, ita vt partes lapidis tam in vnum compactæ sint, vt nulla res in rerum natura tam arcte in vnum compressa sit, quam est noster lapis. In orbe enim non est tam subtilis ac munda res, quam noster lapis. Ac quo res aliqua subtilior ac purior, eo partes subtiles ac puræ firmius coeunt, ac comprimuntur in vnum, ac grauioris sunt ponderis. Amant enim se inuicem, adeo vt in vnum comprimantur, ita vt difficulter separari queant. Vide præstantiam eius ignem expectare: ac ignis partes eius separare nequit, quia adeo firmiter in vnum compactum est: & tamen purus spiritus est: nam multo facilius volat postquam apertum est, quam vlli ex spiritibus: Idque ob magnam subtilitatem ac puritatem quam habet in sua natura. Non resistet igitur lapis noster melius & fortius igni? nam ex corpore simul & spiritu est: ac corpus tam subtile est: imo subtilius erat quam spiritus. Ac iam corpus & spiritus vnum sunt in vna essentia ac vna natura. Quanto fortius noster lapis igni resistere poterit, quàm aurum quod etiamnum est vt à natura formatum est, estque purus spiritus, ac igni resistit: debet itaque lapis decies millies fortius igni resistere, quam aurum. Cumque iam lapis noster apertus est ac reseratus aqua nostra ardenti, quæ partes eius compactas separat: atque vt attollantur atque inflentur facit in morem spongiæ. Si aurum ascendit igni pusillo facilius quam vllus spiritus ob subtilitatem quam illi natura concessit: quanto facilius ac velocius noster lapis ascendet ab igni exiguo calore quam aurum? Lapis enim noster extremam subtilitatē habet omnem, quam illi natura dare potest. Atque artifex ei extremam virtutem ac subtilitatem infudit, subtilitate ea quæ dari ipsi potest. Ita vt centies millies subtilior sit quam aurum. Itaque lapis noster facilius ascendere quam aurum debet: quia multo subtilior est. Ac cum ei partes eius denuo coniunctæ sunt minori proportione, ita vt partes simul comprimantur, ita vt iterum in vnum coactæ sint: quod fixationem appellamus: lapis denuo ignem expectabit, vt prius fecit: ac millies fortius igni,

igni, quam prius resistet. Multo enim iam subtilior quam prius est. Nam quo sæpius lapis aperitur ac sublimatur, ac rursum simul cogitur, ita vt denuo in vnum comprimatur, quod fixationem vocamus: eo firmius cohærescit, ita vt partes subtiles ob magnam subtilitatem tam firmiter in vnum cogantur, vt centies millies melius igni resistat quam prius, &c.

CAP. LXXV.

Scies item, cum lapidem multiplicas ac attollis in altitudine ac viribus, in natura sua non mutatur: non fit niger, nec quoslibet colores de se mittit: sed in propria sua essentia permanet, ac in sua ipsius natura, in qua prius fuerat. Nam ad extremum perductus est, ita vt simplex essentia factus sit, ac natura simplex. Ac natura ipsum non potest vlla ratione mutare, nec vlla arte, quæ in orbe sit. Verum ipsum subtiliorem potes reddere quam sit: sed in propria essentia sua permanet, ac in propria natura in qua est, &c.

Lapis non mutatur, sed in propria essentia permanet, & quare.

CAP. LXXVI.

Itaque lapidem tam sæpe aperire ac reserare potes, vti prius dictum est: ac postea sublimare: ac post partibus exiguis denuo compingere, ita vt partes eius denuo in vnum cohærescant: quod nos fixationem appellamus. Fixare quidem nuncupamus: sed fixare non est: est tantummodo condensatio, ita vt omnes eius partes subtiles rursum in vnum cogantur, arcte simul, ita vt prius fuerant, ita vt denuo ignem expectet: ita vt rursum proiectionem facere eo possimus, vt prius faciebamus. Ita lapidem tuum facile ter quaterve multiplicare poteris, nec sæpius. Nimis enim subtilis fieret, adeo vt inuisibiliter tibi elaberetur, cum in aquam perductus esset, ob magnam subtilitatem eius, vt te supra docui. Itaque lapidem tuum attollere potes in supremum eius gradum adeo, vt hic infra circulum Lunæ materiam tam nobilem & subtilem, quam lapis est, non sit reperire. Nam cum iam ita sublatus est, vt magis attolli non possit, nec subtilior effici: nulla materia terrestris lapidem superare potest, nec nobilitate, nec subtilitate, nec pulchritudine, nec potentia, nec viribus, nec mirificis influentiis & virtutibus, quæ in eo inclusæ sunt, cum ad supremum eius gradum est perductus, quemadmodum in proiectione demonstrabitur, &c.

Condensatio lapidis quæ improprie fixatio.

CAP. LXXVII.

Quomodo veteres ante inuẽtas aquas fortes lapidem suũ confecerint.

SCies deinceps veteres Philosophos lapidem suum ad eum modum conficere solitos, vt prius doctum est, antequam ars aquarum fortium esset reperta. Nam ad illud vsque tempus corpora erant aperienda lente, videlicet calcinando, reuerberando, soluendo in acri nostro aceto, ac congelando, donec noster lapis spiritualis esset: ac tum vlterius operabãtur, vt prius doctum est. Cumq; iam lapis omnino perfectus esset, nondum veram artem lapidem suum multiplicandi habebant in virtute propria: sed paulatim in quantum vt ipsum pro perfectione eius conarentur subtilẽ efficere, soluendo in nostro aceto acerrimo, ac congelando, donec in clarum oleum permaneret: cumque oleum denuo durum in massam cupiebant efficere: Solem præparatum sumebant, videlicet corpore exutum ac rubrum in morem sanguinis, ac cum eo oleum suum permiscebant semel soluendo & congelando: ac tum in fornace secreta ponebant, calore temperato, donec conuerteretur in obscuram massam rubram instar sanguinis draconis, quæ iam ob solutionem & congelationem frequentem multo subtilior quam prius erat. Id posteri animaduertentes acumen mentis exacuerunt, ac aquam fortem adinuenere, quæ viam illis multum abbreuiauit. Aquam enim fortem cõfecere, vt prius dictum est, in qua vtrumque corpus terere poterant ac molere, vtriusq; partem vnam sumentes, postquam mundata essent; ac tum aquas miscebant, atque ita regebant vt mixtio sine fæcibus esset pellucida & clara. Ac facile tum lapidem suum spiritualem efficiebant: atque tum porro lapidem suum ad extremam perfectionem perducebant: quem tum eadem aqua forti prædicta probe rectificatum, subtilem efficere ac multiplicare in propria virtute vti libebat, poterant: idque modis omnibus, vt prius recte doctum est. Ita aqua fortis magnum adminiculum est ad opus abbreuiandum, & ad altiorem prefectionem lapidis perducendum.

Posteri aquas fortes adinuenere.

CAP. LXXVIII.


Quomodo spiritus viri rubri in corpus mulieris candidæ infundendus.

DEinceps breuiter te instituere cupio, quo pacto spiritum viri rubri in corpus mulieris candidæ infundere poteris. Estq; nobile ac delectabile opus, aut via in arte, vt audies. Sume igitur primum Lunam super testam aut cupellam sicce purgatam, ac probe à plumbo reflatam: solue in e-

in eius aqua alba, eam præcipita, ac ſal aquæ ablue, ac reuerberandam pone, vt probe intumeſcere poſſit, ac tum in aceto rectificato ſolue, quicquid ſolui velit, omnesque ſolutiones in vnum congrega. Ac quicquid ſolui reſpuit, iterum reuerberandum pone: & tum ſolue vt ſupra. Atque ita perſequere donec omne ſolutum fuerit in aceto. Tum aceto per deſtillationem ſeparato ſolue in aqua communi rectificata omne quod ſolui vult: ac denuo congrega omnes ſolutiones in vnum: ac quicquid non ſoluitur, exicca, ac in aceto ſolue, ac ſi ne ibi quidem omne ſolui velit, iterum paululum reuerberare debes, ac in aceto facile ſoluetur. Et vt melius in aqua ſolui poſſet, non foret inutile, ſi ita pauliſper ſtaret fermentans in aceto. Tum acetum per deſtillationem ſepara, ac ſoluendum in aqua communi pone: idque perſequere, donec omne ſolutum fuerit in aquam claram. Tum id deſtilla: ac Lunam parumper calcinandam pone, vt ſpiritus aceti inde ſimul omnes aſcendere poſſint. Tum ſolue iterum in aqua communi, & ſi quid eſt quod ſolui nolit, id denuo præpara ſoluendo in aqua communi, ac calcinatione, donec omne in aqua communi ſoluatur, ita vt nullæ fæces, aut ſpiritus aceti apud id remaneant. Tum aquam ſicce deſtilla. Ac Luna tua iam mediocriter ad opus hoc parata eſt: aqua enim fuit. Corpus hoc album ſerua in pyxide vitrea, in tua ſtupha ſicca, ita vt aridum maneat, donec eo tibi opus ſit, &c.

CAP. LXXIX.

Item ſume Solem probe mundificatum in cæmento Regali, ac ſolue in eius aqua rubra, ac præcipitabis, bulliendo in magna quantitate aquæ communis probe rectificatæ: ac calcem probe à ſale ablue aqua prædicta. Sinas ſicceſcere, ac tum aperiendum ponas calcinationibus in fornace camerata dies ſedecim, aut reuerberatoria duodecim dies, lenta flamma. Tum pone in eius aqua rubra rectificata ſoluendum in balneo, ac ibi dies 88. ſinas putrefieri. Poſt aquã illam deſtilla, idq; quod in fundo remanet, crucibulo vitreo ſupra leuigato inde: eumq; exiguo rotundo & plano, ac ęqualiter leuigato, ac pone in magno receptaculo per medium ſecto, vt hic videre potes ſuper vitreo puſillo tripode, partẽ ſuperiorem amputatã: *Quid Sole agendum mundificato in cæmento regali.*



denuo ſuperimpone,ac alembicum receptaculo ei addito,omnibus probe lutatis : atque ita in fornace pone cum arena aut cineribus,tam profunde, vt materia facile duos aut tres digitos latos cineribus tecta ſit. Ignem puſillum primum adde,atque aliquoties vehementiorem, donec magnum receptaculum modice candeat : ac in candore retine octo dies continue. Sinas ſua ſponte frigeſieri,ac paruum vitrum exime : ac ſi integrum eſt : dies octo ibi remanere ſinito : ſin ruptum eſt, alteri vitro inde quale prius erat : atque in forti



vaſe terreo pone in hunc modum facto, quaſi eſſent 2. crucibuli : leuiga vt in vnum quadrent. Huic paruum illud vitrum impone probe lutatum : ac crucibulos itidem ſolide luto obtura : ac cum lutum ſiccum eſt, omnia ſimul in fornace calcinatoria pone, ac per gradus ignem ſtrue, donec vas illud terreum candeat, ita vt Sol tuus non liqueſcat : atque in eo candore retine duodecim dies continue : tum ſponte ſinas frigeſieri : tum exime, ac Solem tuum rubrum inſtar ſanguinis reperies : idque indicio eſt, omnino exutum corpore eſſe. Ac ſi ruber non eſſet, ſed croceus aut intermedius, tum denuo ſoluendus eſſet in eius aqua rubra rectificata, ac porro faciendum, vt hic doctum eſt : id perſequens donec ad plenum corpore ſit exutus, ac ruber inſtar ſanguinis. Tum in rubra eius aqua forti rectificata pone,ad plene purificandum, donec omnino ſit volatilis. Tum præcipita, a ſale probe repurga : Solue in aceto,& in aqua communi rectificata congela, & calcina modice in fornace, in qua ſpiritus calcinantur,ad ſpiritum aceti inde ſeparandum, ita vt nihil propriæ humiditatis natiuæ amittas. Poſt ſecundum artem ſublima,vt alibi ſatis dictum eſt : ac ſublimationem denuo itera, donec nihil omnino remaneat : tum ſpiritus probe paratus eſt. Atque eo incera corpus illud Lunæ, donec ad perfectam albedinem peruenias, qualis eſt oculorum piſcium. Ac tum albedinem porro ad rubedinem perducas, vt prius doctum eſt : ac ſi libet multiplica vim eius aut potentiam,aut facito liquidum, vt prius in albo, atque etiam in rubro ſatis declaratum eſt, &c.

Rubedo Solis in morem ſanguinis, quid ſignificet.

De pro-

De proiectione lapidis. CAP. LXXX.

DEinceps docebo te, qui & quo pacto lapide tuo vteris ac metallis iunges ad transmutandum in Solem aut in Lunam. Scies itaque pro magno secreto, te nullam proiectionem in vllum metallum posse facere, quin prius ad id præparari debeat, ad hunc modum. Si proiectionem in Iouem vis facere, liquabis ipsum in crucibulo, ac pones super ℔. Iouis vnciam puræ Lunæ, ac simul colliquabis, ac lapidem tuum album superiicies: ac tum Iupiter in veram Lunam transmutabitur, multum aut parum, prout lapis tuus subtilis est effectus, vt iam melius explicabitur. Ac si rubro tuo lapide operari vis, ipsum super Lunam proiicies, ei nihil facere debes, quam vt eam liquefacias, ac tum rubrum tuum lapidem superiicias, ac Luna tua verus fiet Sol, melior eo qui ex mineris adfertur. Ac ante omnia scies, cum proiectionem facere vis, album tuum lapidem solummodo super Iouem proiicias, ac in nullum aliud metallum. Iupiter enim metallum Lunæ proximum est. Iupiter enim crudum & incoctum est corpus, ac lapis nihil aliud facere opus habet, quam Iouem percoquere, vt alibi doctum est. Ac alia metalla facile etiam transmutaret in Lunam, sed sunt immundiora Ioue, ac proiectio tum tam alta non foret. Atque etiam deberet lapis diutius in igni fluere cum metallis impuris, antequam sese in Regulum constituerent, quam Iupiter, &c.

Quomodo proiectio sit instituenda.

Metallum præparandum, antequam proiectio in id fieri possit.

Albus lapis tantummodo super lunam proiiciatur, ac quare.

CAP. LXXXI.

ADhæc proiectionem tuam facies rubro lapide super Lunam, id est metallum omnium purissimum, super quod proiectio fieri possit. Atque etiam nulla proiectio fieri potest rubro lapide, quã super lunã. Nam si ipsum super Saturnum aut reliqua metalla proiiceres, nullam super ea proiectionem faceret. Lapis enim ruber nihil præter Solem efficit. Ac scies à primo gradu ad tertium perueniri non posse, nisi secundo præterito. Ita metalla imperfecta primum ad Lunam forent reducenda, ac tum ad Solem. Nullum enim metallum ad Solem peruenire potest, quin prius Luna sit. Imo Sol prius Luna fuit, antequam sol factus sit. Natura prius inde Lunam generare debebat, antequam ad Solem perducere posset. Ita isthinc ad locum 100. millia. distantem perueniri non potest, nisi iter intermedium transeas: ex vno

Rubro lapide proiectio facienda super lunam ac quare.

extremo in alterum transiri non poteſt, niſi per medium transeas. Verum lapidem in quodlibet metallum proiice, ac Luna fit, ſiquidem metallum tuum viuificas, ac animam ei indis. Vt Morienus ait: *Metallum noſtrum non eſt vulgare metallum, viuit, animamque habet.* Itaque lapidem tuum noſſe diſce, quid ſit. Nam eo nullæ res impoſſibiles fieri poſſunt. Nam rubro lapide Sol confici non poteſt, niſi prius Luna ſit. Nam ſupra naturam operari nõ poſſumus, quoad gradum. Natura enim non poteſt peruenire à primo gradu ad tertium, niſi transeat per ſecundum, qui inter vtrumque medius eſt: de quo in libro Vegetabili ac animali, multis in locis docebitur, &c.

CAP. LXXXII.

Modus proiectionis tenendus.

ADhęc modum proiiciendi noſces. Nam ſi lapidem proiiceres ſuper Lunam aut Iouem tam crudum, quam factus eſt, aut ex vaſe deſumitur: materia lapidis ingredi metallum nollet, quamuis ei metallo animam indidiſſes, aut tametſi viuum corpus foret, ſicuti Luna eſt: Lapis ſe cum eo permiſcere nollet: quia tam ſubtilis, ac in vnum compactus eſt: quamuis etiam puluis eſſet. Metallum enim craſſum eſt ac liquefactum, ac ſi lapidem ſuper id proiiceres, lapis liqueſceret ac conſiſteret ſuper metallum, ac ſeſe ſuper illud ſpargeret: ac metallum retineret, quominus fluere poſſet: metallum etiam defenderet, ne ſulphur eius combuſtibile ſubuolare poſſet: nec ignis metallum illud exurere poſſet auxilio ſulphuris eius combuſtibilis. Ita lapis metallum defenderet. Nam ſuper id iaceret, quemadmodum oleum liquefactum ſuper aquam fluitat. Sed lapis ſeſe permiſcere nollet cum metallo, quemadmodum oleum ſe cũ aqua permiſcere reſpuit: quamlibet oleum & aqua etiam confundantur: cum iterum quieſcit, oleum denuo ſupernatat, atque oleum cuſtodit, quominus alienæ humiditates in eam perueniant.

Omnibus aquis quidam ſpiritus ineſt ſubtilior, quo amiſſo aquæ fœtebunt.

Atque etiam oleum aquam ſeruat, quominus vllus aer inde exſpirare poſſit, nec ſpiritus ſubtilis vllus, Omnibus enim aquis quidam ſpiritus ſubtilior ineſt. Nam ſinas aquam retectam ſtare quatuor aut quinque dies, aqua illa ſtatim fœtebit, cum ſpiritum ſuum amiſit. Verum cum oleo tecta eſt, quamuis aqua per annos 10. ſub oleo ſtaret, non fœteret: ita oleum aquam illam ab omnibus corruptionibus tueretur, atque ſpiritum aquæ ſeruaret, quominus auolaret. Qui fit

quæ-

quæras, vt oleum ſe cum aqua non permiſceat, ac ſemper ſupernatet? Oleum enim aqua grauius eſt: quomodo igitur ſupernatet? Quotidie enim leue ſemper ſupernatare cernimus.

Quæſtio eiusque ſolutio.

CAP. LXXXIII.

INprimis & ante omnia ſcies, oleum nullam partem communem cum aqua habere, quamuis vnum corpus cum aqua fuerit: tamen nullam cum oleo partem habet. Nam quinta eſſentia, quam oleum retinet in ſemine aut in re alia, ex qua oleum extunditur aut deſtillatur, abiit. Nam cum quinta eſſentia receſſit ab vlla re, in qua aqua, ignis, aer, terra oleum ac ſal ſimul tenentur: cum iam quinta eſſentia abiit, omnia pariter ſeparentur neceſſe eſt alia ab aliis: nec poſt amplius ſimul coire volent, antequam glorificata ſint. Itaq; oleum cum aqua permiſceri renuit, quamuis cum aqua vnũ corpus fuerit quinta eſſentia colligatum. Ac oleum ſemper ſupernatat, tamen aqua grauius eſt. Noſtine qui fiat? Oleum multo ſubtilius eſt quam aqua, quamuis oleum multas partes craſſas habeat in ſe, atque etiam ſal armoniacum: atque partes olei firmiter in vnum compreſſæ ſint, ita vt ſeparari nolit. Atque aqua eſt elementum ſolidum, ac valde apertum, ob craſſitudinem quæ ei ineſt: oleum vero ſubtile eſt atque igneum, ac firmiter in vnum compreſſum eſt: ac omnis ardor tendit ſurſum, atque omnis ſubtilitas tendit ſurſum: atq; etiam partes firmæ ſeparari nolunt à ſe inuicem, ita vt aquas ſpiſſas nolit penetrare ad mergendum. Ita vt oleum neceſſario ſupernatare debeat. Ita quoque ſe res habet cum noſtro lapide, is etiam ſuper metalla natat, vt oleum ſuper aquam. Nam lapis nondum partem habet cum metallis, quamuis metallum fuerit: metallo grauius eſt: idque eſt, quod ſit ſubtilior ac firmius in vnum compactus: ac metallum ſtat liquefactum, eſtque valde ſolidum, vt aqua: ac lapis non eſt naturę metalli, eſt enim iam quinta eſſentia: ideo ſe cum eo permiſcere non vult, nec ingredi. Atque ita ſupernatat ob firmas illas partes, quæ ſeparari nolunt: ac lapis etiam ingredi non vult, atque ita neceſſario ſupernatare debet, ita vt in metallum ingredi nolit. Scies Hermetem dicere: *Lapis noſter partem habere debet cum corpore & ſpiritu, atq; cum anima, antequam proiectionem faciet.*

Cur oleũ quamuis aqua grauius ſit, tamen ſupernatet.

CAP. LXXXIV.

Scies porro lapidem nostrum partem habere cum corpore & anima & spiritu. Sed partes in lapide sunt tali perfectione, ac tali spirituali substantia vnitæ, ac in vnum coactæ, vt se cum nullis crassis, imperfectis, impuris partibus permiscere nolint, nisi per medium, quod medium spirituali substantiæ coniunctum esse debet, siue albus siue ruber sit. Nam nulla congregatio fieri potest in rebus vllis, quæ sibi inuicem contrariæ sint, quam per intermedium, quod res contrarias alteram in alteram ingredi facit: ac sese inuicem complecti, ac simul manere, qua de re multis in locis te docui. Ita etiam hic in proiectione res habet. Lapis in metalla nigra, sordida, immunda, & imperfecta ingredi non vult, sine medio. Nam nigra impura metalla imprimis lapidi contraria sunt. Quomodo igitur res illæ duæ contrariæ coirent, vna in alteram sine medio? Profecto minime nec iam nec vllo vnquam tempore. Medium adsit oportet, per quod medium, alterum alterum penetrabit. Iam quodnam erit illud medium, per quod 2. illæ res dissimiles coibunt? Medium illud corpus viuum sit oportet & vnum cum mortuo, impuro, ac fœtenti corpore. Ac idem illud corpus viuum vnum esse debet in vno corpore, cum lapide albo & rubro. Ac cum iam hæc 2. mortua fœtentia metalla in sese habent purum illud viuum corpus, quod vnum cum illis est, vt sunt anima & corpus: ac lapis siue albus siue ruber in ea proiicitur etiam in se habens idem illud corpus viuum, ac tum conueniunt, quodq; suum in suam naturam trahit, ita vt ibi coniunctio fiat, atq; vnum in alterum ingrediatur. Ita vt lapis ad eum modum congregatus secum omnem corruptionem expellat: ac perfectum viuum corpus efficit, aut melius ac perfectius quam ex fodinis veniat.

Nulla coniunctio rerum cõtrariarum fieri potest, nisi per medium.

CAP. LXXXV.

Nunc te docere volo, quo pacto lapidem tuum siue albus siue ruber sit parabis ac probabis, ad copulandum cum metallis, & in ea ingrediendum. Sumes itaque lapidis tui rubri partem 1. atque huic mille partes puri Solis addes, idque in tenues laminas tundes: tum sume viuum sulphur, ac tere super lapide in densam pultem oleo, atque eo laminas tuas inunge, & sine siccescere: tum iterum inunge, ac tertio, sine identidem iterum siccescere. Tum viuis carboni-

Quo pacto lapis tam albus quã ruber sepa randus ad coniungẽdum cum metallis.

bonibus impone, ac calcinari sine. Tum contunde in pulue-rem, ac puluerem laua aqua communi destillata, donec aqua tua nitida à puluere defluat. Tum puluerem super lapide contere cum melle cum fauo aut aqua gummi, ac tam tenuiter contere, ac si eo pinguendum esset. Tum denuo vasis vitreis inde: ac ablue aqua communi calida destillata, sine puluerem subsidere: aquam superne diffunde: moue ac sine subsidere, rursus diffunde: idque itera donec aqua illa tam clara à puluere defluat, quam eam superfundis. Tum puluerem tuum exicca super pusillum ignem aut ad solem. Tum Sol tuus paratus est, &c. Tum sumes mille partes huius pulueris Solis, ac partem primi lapidis eius, ac lapidem subtiliter pulueriza, ac immisce pulueri Solis tui præparati: ac tum habe crucibulum, quod multum ac vehementem ignem ferre possit: atque huic crucibulo aliud crucibulum apta, ac super lapide leuiga, ita vt alterum alteri quadret, aut alterum alteri includatur, quasi esset operculum. Tum huic puluerem tuum inde, ac crucibula alterum super alterum luta firmiter, ac foris circunda forti luto spissitudine trium aut quatuor digitorum: ac sinas lutum probe siccessere. Tum crucibulum pone in furno venti, ac primum ignem pusillum adhibe; aliquoties magis magisque calidiorem, tamdiu donec crucibulum tuum probe incandeat. Tum ignem tuum insigniter augebis, donec certus sis materiam tuam in crucibulo liquescere. Tum retine crucibulum dies tres in vno calore: ita vt materia tua liquescens maneat: ac post sua sponte frigesieri sinas: ac effringe crucibulum tuum: ac reperis insignem duram massam: estque frangibilis quasi vitrum esset, ita vt puluerizare possis. Ac cum iam proiectionem facere vis, proiice partem I. huius massæ subtiliter puluerizatæ in mille partes metalli proximi animam habentis ac viui: ac transferet in verum Solem aut Lunam meliorem quam ex mineris venit. Et hoc est opus illud trium dierum, de quo Veteres in suis libris meminerunt: estque opus magnum, corpus Solis adeo subtile reddens spacio trium dierum, interim quod cum lapide liquefactus stat: adeo vt Sol medicinalior fiat, quam prius fuerat: imo magis quam credi possit. Atque hoc pro magno secreto habe, &c.

CAP. LXXXVI.

Lapidem modo prædicto paratum nullã proiectionem in Mercurium posse facere.

ITem nunc porro scies lapidem hoc pacto paratum nullam proiectionem posse facere in Mercurium, propter difficilem fusionem. Nam lapide tantummodo proiectio fit ad rubrum super Lunam,& ad album super Iouem. Quare tam fusibilem efficere nihil opus est:qua de re in multiplicatione te abunde docui: quo pacto oleum ex hoc lapide conficies. Quare nihil opus est hic de Mercurio tradere. Sed tenebis quando oleo operari vis, ac super Mercurium proiicere: sumes ℔. I. Mercurii, semimarcam puræ Lunæ cupellatæ: atque ipsam ea libra Mercuii amalgama in crucibulo vitreo, impositamque crucibulo terreo: igni impone: cumque fumare incipit,oleum tui lapidis superiicito,quod cum corpore paratum est,vt te in multiplicatione docui,ac nunc etiam aliis modis docebo. Recipe oleum albi aut rubri lapidis: ac sume Solem ad oleum rubri lapidis. Tum in vnam partem olei decem partes Solis calcinati adde,ac parati,vt supra dictum est: atque imbue hoc oleo calcem Solis, atque in ampulla vitrea pone in tripode. Ac primum ignem pusillum adhibe: ac aliquoties magis magisque maiorem,donec manum tuam in interiore parte fornacis vix tenere potes:atque hoc pacto ad quinque aut sex dies stare sine. Post ignem auge, donec lapis fornacis interioris strider, quum digito madido ipsum attingis: ac in eo calore tres dies retine: Tum sinas sponte frigefieri: exime, ac rupto vitro duram massam concretam reperis. Volens itaque proiectionem super Mercurium facere, Mercurium crucibulo inde, vt ante dictum est:ac partem huius massæ sume & pulueriza, ac superiicito, cum Mercurius fumare incipit. Tum ignem auge, donec fluere incipiat. Tum sinas fluere, donec se in Regulum statuat. Tum extingue ac frigefieri sine:exime,ac malleo super incude tunde,ac vide an molle sit:si molle est,Solem bonum habes. Et quamdiu frangibile aut fragile est vt vitrum, medicina est.Tum Lunam liquefactam superiicito,donec molle sub malleo maneat. Tum bonum Solem habes. Et quamdiu frangibile est,nondum ad finem proiectionis tuæ peruenisti,siue rubri,siue albi lapidis: siue rubri siue albi olei: tum porro in alia metalla proiicere debes tamdiu, donec molle maneat, ac colore egregio, atque omne examen transeat: tum finem proiectionis tuæ habes, &c. Tibi dico, mi fili,

lapide

lapide confecto, vt te docui, in opere albo aut rubro, & in multiplicatione, proiectio eius tam infinita est, vt sit incredibile iis qui arté funditus non intelligunt. Nam ægre ad finem perueniri potest, nisi sæpe porro proiiciendo in metalla, donec mollia permaneant, ac omnes probas transenat, vt te docui.

CAP. LXXXVII.

Verba mea, quæ dicturus sum, probe intellige. Lapis albus & ruber primum ortus est & coagulatus ex Mercurio & ex albo sulphure: sic coagulata venenum sunt. Lapis enim coagulatus ex puro & albo sulphure, ac ex Mercurio puro, est arsenicum album, purum & subtile, ac est venenum. Nam quo venenum purius ac subtilius est, eo venenosius est. Ac rubrum purum sulphur, cum in purum Mercurium incidit, Mercurium coagulat: idque fit flauum resplendens arsenicum, estque etiam purum & subtile, imo multo subtilius arsenico albo. Ac si magno equo daretur vncia arsenici, proculdubio moreretur. Nam venenum illud cor peteret: ac porro omnia membra peruaderet, ita vt omnis caro ac quicquid in equo est veneno inficeretur: ita vt mori deberet. Ac si de hoc equo comederent canes, aut feles, aut aues omnes simul inde morerentur. Ac si vncia nostri veneni tam magnum equum enecare potest, qui tot centum libras appendit, ac porro quicquid ex eo comedit. Si potest igitur vnum venenum in tam parua quantitate tantam vim exerere in tantam quãtitatem ponderis, ac noster lapis ex eodem arsenico albo aut rubro conflatus est: atque ex rubro longo tempore Sol effectus, atque ita coxit calore solis, continua coctione in terra: ac venenum induxit in interiora eius, ac interiora foras produxit. Atque ex materia, quæ prius venenata fuerat Natura magnam medicinam effecit. Sol enim confert cum omnibus medicamentis in omnibus morbis. Lapis noster ex duobus istis metallis prædictis conflatus est, videlicet ex Sole & Luna, vt in opere apparet, &c.

Vnde lapis vterq; primum sit coagulatus.

Quo venenum purius ac subtilius eo venenosius.

CAP. LXXXVIII.

Svmas igitur istum Solem & Lunam, atque denuo retexe quod natura tam multos annos in iis operata est. Tum artifex iterum retrorsum retexit, donec perueniat ad eam materiam, in qua erant cum natura primũ in iis operari inciperet: ac rursum reduxit ad arsenicũ: ac venenum illud denuo

Sol & Luna sumenda ac retexenda ab artifice.

foras

foras traxit subtilitate artis. Ita vt materia illa millies venenosior sit, quam prius, antequam natura primum in ea operari inciperet. Si iam huius materiæ drachmæ 2. magno equo darentur, continuo mori deberet, atque etiam is qui ex eo comederet. Materia enim iam adeo subtilis est, vt iam tam venenata & calida sit, vt dici non possit. Ac præterea materia sæpe sublimatur ac multis vicibus: ac in sublimatione materia tam subtilis, ac calida fit, ac tam venenata, vt fumus eius continuo hominem sine mora necaret: imo si huius materiæ sedi imponeretur, in qua homo sederet: atque is ei 4. aut 5. orationum dominicarum spacio insideret, materia corpus eius inuaderet, vt continuo moriendum ei esset. Nulla enim tam fortis bestia est: quamuis etiam esset venenatus draco: si fumus corpus eius ingrederetur, moriendum ei foret. Quare Veteres materiam Draconi venenato assimilauere, ac dixêre: *Draco suam ipsius caudam vorauit.* Ac materiam etiam vocarunt *serpentem seipsum impragnantem*, &c. Itaque non reperitur in orbe maius nec fortius venenum, materia lapidis, ob magnam eius subtilitatem, ac magnum calorem, qui in eo est, cum sublimatur.

Quare veteres materiam draconi venenato assimilauerint ac serpentem vocitarint.

CAP. LXXXIX.

TVm vero artifex efficit sua arte philosophica ac medicina, vt venenum, quod foris fuerat, in penitiore parte materiæ sese collocet: ac magnam virtutem eius medicam, quæ in interioribus eius latebat, foras magna arte medica produxit. Estque tali temperatura temperata in calore, frigore, in siccitate & humiditate, vt sit natura cælestis. Ac quantum venenum prius fuerat, tanta medicina iam facta est: interioribus eius foras productis. Hoc pacto intelliges de magno illo equo, qui necari poterat vncia lapidis, antequam natura in eo operari inciperet, quod arsenicum appellamus. Id si tantas vires habet, ne mireris lapidem infinitam proiectionem facere, cum ad naturam cælestem perducitur. Res enim extreme bona potest 100000. plus boni efficere: quam res extreme mala, mali possit efficere. Exempli causa: Deus extreme bonus est, ac diabolus extreme malus: vter maiorem potentiam habet? Deus an diabolus? Ita etiam res habet cum nostro lapide. Cum venenum erat, tantam bestiam necasset: ac iam bonus factus est, quantum igitur boni iam facturus est exiguo pondere? imo millies amplius.

Res extreme bona infinitis partibus plus boni efficere potest, quam res extrema mala, mali.

CAP.

CAP. XC.

NVnc autem quæras, quomodo vna pars lapidis tingeret 10000. aut 100000. aut plures partes quam Luna: difficile intellectu videtur. Scies sub omni viriditate latere nigredinem, ac sub omni nigredine albedinem. Ac sub omni albedine rubedo tecta est. Et quicquid Deus condidit perfectã habet rubedinem extrinsecus aut intrinsecus. Nam omne quod intus rubrum est, foris album est: intermedii sunt varii colores. Ac quicquid intus album est, foris rubrum est: atque inter albedinem & rubedinem sunt omnis generis colores, vt prius dictum est. Et quo res aliqua propius ad perfectionem accedit, eo minus colorum in se habet: ac simplicior est, quo extremum proprius attingit. Quumque supremum ac extremum finem attigit, in quem Deus ordinauit, non nisi vnum colorem in se habet, nec intrinsecus nec extrinsecus: sed in se virtutem omnium colorum, qui sese prius in eo manifestabant, habet. Res enim in qua multi colores sunt, ac multi distincti varii colores: totidem diuersæ complexiones & virtutes ei rei insunt. Cumque res illa perducta est in simplicem perfectam essentiam, ad supremam eius virtutem, ad quam Deus ordinauit: omnes virtutes operantur simul in eo opere, breui tempore, miraculose: & tamen non nisi vna simplex essentia in hac re est: ac color eius ruber intrinsecus & extrinsecus: atque inter eius interius & exterius, hoc est, in eius medio nullum est discrimen: quemadmodum in exteriore est, ita est in interiore, atque in medio. Quodque suum opus simul sine mora facit in momento aut nictu oculi: nulla enim natura contraria inest, quæ sibi contraria sit: ideo simul operantur.

Omne à Deo conditum extrinsecus aut intrinsecus rubedinem habet.

CAP. XCI.

ITa se res habet in nostro lapide, in quodcunque proiicitur ibi opus perfectum peragit: ac illud ipsum inuertit, interius foris ponit, atque exterius intus ponit. Ac Luna intus est bonus Sol, lucidus & ruber. Ac lapis albus in Mercurium proiectus interius eius foras trahit: estque Luna alba & clara, ac rubedinem eius intus ponit. Ita res omnis tincturam suam apud se habet, siue in albo aut rubro, quamuis lapis albus & ruber nullam haberet tincturam, quam de se mitteret, vt etiam mittit. Metalla tinctura lapidis

Accommodat præcedentia ad suum lapidem.

opus

opus non habent siue in albo siue in rubro. Omnis enim res in se habet, quod sibi opus est: atque res omnis satis tincturæ in sese habet, sine vllius rei adminiculo. Ac res omnis à Deo condita propriam medicinam habet, absque vllius alienæ medicinæ additione, siue in vegetabili, animali, aut minerali, ad omnibus morbis in ipsam venientibus medendum. Ac nisi ita esset, opera Dei perfecta non essent. Nam quicquid Deus vnquam fecit, id omne sine vitio erat, ac nulla ope aliarum rerum indigebat alienarum: habet omne in se quo opus habet, quamuis id funditus non intelligamus. Deus nihil frustra egit, ne minimum quidem folium ex terra nascens, vt in vegetabili docebitur. Quamuis in omnibus rebus perfectionem non cernamus, tamen in sese conclusam habent. Nam artificiosa medicina ex rebus omnibus extrahere naturam eius reconditam possumus: ac secretum eius manifestum, ac manifestum secretum efficere. Idque lapis noster in metallis efficit. Ac scies lapidem album & rubrum nullam tincturam de se emittere in metalla in proiectione. Nam tinctura quæ in lapide est, ita vna est cum elementis ac cum viuis spiritibus, ita vt vnum corpus & vna substantia sit, vt non separentur. Est enim natura cælestis, vt cælum inuincibile est, à quo Sol, Luna, Planetæ, Stellæ, ac quicquid in firmamento est ac stat, quodque secundum naturam suam, influentiam suam sumit, quam in hæc inferiora ostendit, vt quotidie præ oculis cernimus. Vi ac calore Solis nascuntur hic flores variorum colorum, ac variorum odorum. Idque omne fit calore Solis. Quid censes Solem è corpore suo proprio infundere colores & odores in flores aut herbas? Minime. Verum natura cælestis est, habet in se talem vim ac influentiam, vt eliciat colores, odores, gustus ex semine, ex quo herbæ aut flores nascuntur. Quamuis Sol mille annos splenderet: Sol nec colorem, nec odorem, nec gustum infunderet. Sed DEVS infudit, atque id omne semini inclusum est. Sed nisi Sol irradiaret, nunquam colores, aut gustus, aut odores, nec fructus nascerentur, nec ex semine orirentur. Sol corpus cæleste est, habetque in se influentiam, vt calore suo eliciat omne interius, quod in semine est, atque odorem, & gustum, & colorem foras educit, idque ex semine, ita vt per ipsum ad suam profectionem crescat. Atque efficit, vt porro alia se-

Vi ac calore Solis flores variorum colorum nasci, & qua ratione id fiat.

mina

mina copiose nascantur perpetuo ad finem vsque mundi: sed de corpore suo proprio non distribuit. Ita se prorsus res habet cum nostro lapide albo & rubro, non partitur in metalla tincturam suam aut corpus: sed corpus cæleste est, vt de Sole dictum est, tincturam ex metallis educit, eamque ad eius extremam perfectionem ducit, ita vt semen fiant ad lapidem ex ijs conficiendum. Sed si Deus in metallis nullam perfectionem condidisset: quamuis millies lapis in metalla projiceretur, nulla mutatio fieret. Lapis enim rei conferre quod non haberet, minime posset. Scribebam tibi in multiplicatione lapidem crystallum in similitudinem Rubini efficere; tamen Rubinus non est. Nihil aliud est quam lapis, qui cum vitro crystalli vnus est, lucens per id, ita vt colore Rubinum referat. Ac si arte lapis separari ex vitro posset, vitrum denuo vitrum esset, vt prius erat. Ita lapis quod nō habet, conferre haud potest. Verum transfert ex malo in bonum, ex immundo in mundum, quidquid sui simile est, ac non in rebus omnibus, sed proprie in metallis.


Medicina quædam secundi ordinis, vera ac perfecta.

CAP. XCII.

ITem ad Venerem mundandam initio ab omni immunditie eius: sumito Veneris 20. aut 30. libras, ac tunde in tenues laminas instar calculorum, & candefacito laminas quinquies aut sexies, atque in vrina pone, vt Venus munda & clara sit, vt nulla scobs, aut immundities in laminis sit: sed mundæ, rubeæ, ac claræ sint. Tum sicca laminas in panno lineo mundo: deinde etiamnum melius in sole sicca, aut ad ignem. Tum arsenicum admodum album & clarum habe: id in puluerem tunde. Tum tere super lapide, cum oleo tartari tam subtiliter, quam saponem, ac eo laminas inunge Veneris, ac tum adhuc ignem excita. Cumq; laminæ probe siccæ fuerint, denuo inunge, ac rursum sicca: idq; quater aut quinquies itera. Tum habe sal commune, quale è mari venit, 1. sal populare, tunde subtiliter: ac tum 2. crucibulos paratos habe, ac pone stratū super fundum crucibulorū salis tui, ac ei laminas tuas impone Veneris tuæ: idq;

perfe-

persequere, donec crucibulus tuus plenus sit. Tum crucibulum tuum luto sapientiæ compresse obtura: atque ita porro omnibus crucibulis facito. Tum omnes crucibulos tuos fornaci impone ad calcinandum: ac primum pusillum ignem adhibe, aliquoties magis magisq; vehementiorem per gradus, id persequens, donec optime incandeat. Ac tum ita etiamnum stare sinas ad horas 24. in candore: tum sua sponte refrigescere sinas. Tum exime, ac vasis confractis, cuprum illud aquæ bullienti immitte, ablue, ac salinde solue, atque aquam salsam superne effunde: atque identidem aqua calida laua, donec cuprum tuum non amplius salis gustum referat. Tum cuprum tuum sicca, ac in mortario contunde, cribroque cribra: tum tere super lapide tam subtiliter, ac si eo pingendum esset. Tum 2. aut 3. magnas testas habe, ac singulis partem huius pulueris inde contriti: ac aquam mundam superfunde: ac probe moue, ac sine subsidere. Nobilissimum & optimum metalli subsidet: & aquam illam superne effunde in magnam cupam, aut duas: ac rursum aliam aquam recentem pulueri superfunde, ac probe moue, ac sine subsidere: aquam superne rursum effunde priori addens. Idque effundere ac denuo infundere tamdiu iterabitur, donec aqua tam clara dimanet, quam superfundis. Tum puluerem tuum sicca, eumque misce cum sale alcali, & borace, & sale nitri, ac tali sacco lineo immitte, qualem hæc figura demonstrat: & vbi saccus plenus fuerit, ipsum consue, ac paruā ligneam pennam ad extremum sacci immitte. Ac tum vbique saccum obducito bono



luto, quod ignem ferre possit spissitudine 2. digitorum. Tum sinas siccescere: cumque siccum fuerit, saccum vni ferro aut duobus impone: ac crucibulum sub extremo sacci pone, in quo lignea illa pennula inest. Tum ignem circum strue vehementem, ac facile liquescet, atq; in crucibulum influet: ac ita retine, donec omnē tuum puluerem in vnum corpus habeas. Cumque omne simul in vnum corpus habes, pondera, quam graue sit, ac in singulas marcas, ℥ putæ Lunæ cupellatæ addes: ac simul colliquabis in magno crucibulo, ac funde in virgas: atque ita corpus tuum paratum est, ac viuificatum ad medicinam alterius ordinis super id iaciendam: secundum doctrinam Hermetis & Geberi.

CAP.

CAP. XCIII.

NVnc te docere volo quo pacto Lunam tuam parabis. Sume vitriolum Romanum, & salnitrum ana, atque inde aquam fortem confice destillationibus cum alẽbico secundum artem, &c.

Quomodo Luna parãda ad medicinã hanc 2 ordinis.

CAP. XCIV.

ITem in aqua illa alba Lunam solue; videlicet ad Marcam Lunæ, 2 marcas aquæ fortis sumito, ac in ea Lunam tuam solue, vt fieri solet, tum cum simul solutum est, Lunam tuam præcipita; aquam illam superne à calce effunde, ac calcem Lunæ tuæ aqua communi munda, laua à salsedine quater aut quinquies. Tum calcem sicca ad ignem pusillum: ac tum calcem tuæ Lunæ ponito in 5 aut 6 patellis terreis in fornace reuerberatoria: ac Lunam tuam reuerbera tali calore vt non liquescat, donec Luna tua spongiose intumeat in morem apertæ spongiæ. Idque ad summum octiduo fiet aut citius. Tũ sinas sponte frigefieri. Tum exime, ac super lapide contere cum aceto destillato ad soluendum in balneo Mariæ. Duas partes receptaculi imple, ac tertiam vacuam sine: atque pusilla scandula leuigata aut vitro pusillo operi, ac ita stare sinas noctem vnam calore temperato: ita vt vix manum tuam tenere possis in aqua balnei tui: ac inter diem & noctem sume vitrum superius: ac paululum commoue, ita vt calx se permisceat cum aceto: aut habe longum bacillum, ac supra in receptaculo immittito: ac attollito, & dimittito, vt mulieres butyrũ conficiunt: atque ita calcem Lunæ probe cum aceto permisce. Atque id facito quinquies aut sexies inter diem & noctem. Postremo, per diem vnum immotum stare sine, ita vt calx bene subsidere possit. Tum acetum viride subcæruleum erit. Sinas sponte frigefieri; tum exime, atque acetum tuum coloratum superne effundas in aliud vitrum: ac calci denuo aliud recens acetum superfunde destillatum, vt prius. Ponas denuo soluendum in balneo modis omnibus, vt prius doctum est. Idque facito tamdiu donec omnis calx Lunæ tuæ soluta fuerit. Ac possunt fæces aliquę in fundo remanere, eas nihili facito, eæ ex Luna & eius sulphure combustibili remansere, ac nigredine eius, ac puluere cinerem in reuerberatione collecto. Poteris denuo aliquantum aceti super fæces fundere: ac vide an acetum non amplius colore tũr:

Luna soluẽda in aqua alba.

Luna soluta præcipitanda.

Salsedo Lunæ abluenda, quater aut quinquies.

Luna reuerberanda donec in morem spõgiæ intumeat.

ac si acetū non amplius colbretur, tum abijce, tum enim nihil prorsus valet. Tū omne acetū coloratum congelandum pone, ac tibi verus impalpabilis puluis remanebit: eū puluerē denuo soluendū pone in aqua communi in balneo: puluis tuus soluetur in munda aqua nitida. Ac si quid in fundo remaneret quod solui nollet, ei acetū denuo superfunde, atq; omne simul soluetur. Tum denuo congela, ac rursum aquā communem superfunde, ac iterum in balneo pone: omne simul in aquam claram soluetur. Nunc te Lunā tuam parare docui, ad medicinā tuam alterius ordinis perficiendā, bene custodias in vitro mundo: ac si vis, aquā Lunæ tuæ congelādam ponere potes, donec pellicula eam tegat: tum sinas refrigescere, ac vitrum obtura, ac depone in visum.

Solutio pulueris in aqua cōmuni.

Luna parata.

CAP. XCV.

NVnc te docebo tuum spiritum præparare ad medicinā tuam alterius ordinis conficiendam. Sumes itaque arsenicum mundum album pellucidum, in quo nullæ fibræ sulphureæ sunt: ac contunde in puluerē, ac cum sale & * alumine rupeo dicto, contere, calcinato: aluminis partes 2 salis 1. Contere cum aceto super lapide: ac munias te aduersus aerem: cumque satis est: materiam eiusmodi ollæ inde, atq; os leuiga superæquali lapide, tum magnum alembicum vitreum sume, atque itidem leuiga, vt alembicus ollæ quadret: vt hæc figura tibi demonstrat; ac fornaci sublimationis superimpone, ignem addēs primum pusillum, ita vt humiditas in receptaculum volet. Cumque humiditatem omnem ex materia eduxisti, ita vt nullum amplius vaporem vides in alembico: Tum paululum ignem auge: atque exiguo igni ascendet subtilior quidam spiritus; ac syluestris spiritus dicitur: estque tam volatilis & subtilis, vt vbicunque maneat, materia nullo vnquam tempore fixari possit. Ac propterea in arte nostra prorsus est inutilis. Cumq; vides nihil illius subtilis amplius ascendere, ignem auge, ac sublima igni mediocriter vehementi 12. horas continue. Tum sinas sponte frigefieri. Frigefactum exime, ac arsenicum sublimatum inuenies seorsim in olla, ac partem iacētem super fæces clare sublimatam:

Præparatio spirit' ad eādem medicinā.

*Vulgo, alumen de rocca.



Ignis pusillus primū adhibendus, ita vt humiditas in receptaculum volet.

tam: tolle lente, ac aliquid de fæcibus viuo carboni impone ac vide an fæces fument: si fument amplius inest, tum pone denuo sublimandas igni vehementi etiamnum 5. aut 6. horas continue. Tum sinas refrigescere; exime ac fæces abijce: atque id quod sublimatum est adde reliquis, pone denuo sublimandum vt prius. Ac quicquid volatilium spirituum ascendit, tolle, opus corrumperent. Atque istam sublimationem itera tamdiu, donec omnes syluestres spiritus è materia amiseris. Tum materiam sine fæcibus additis sublima, donec materia nihil amplius post se relinquat: tum satis sublimatum est. Nam iam omnes subtiles syluestres spiritus amisisti, qui operi suam fixationem adimerent. Ac præterea crassam terream materiam, ac omne eius sulphur combustibile vna cum crassa materia terrea, quæ operi ingressum adimerent, ita vt medicina ipsam penetrare minime posset: ac materia media tibi remansit, quæ in omnibus rebus bona est, & in arte nostra vtilis, &c.

Sublimatio toties iteranda donec è materia oẽs syluestres spiritus amiseris.

Sublimatio materiæ per se sine fæcibus adiũctis.

CAP. XCVI.

ITem scies tibi sumendas in singulas marcas spiritus eius præparati, 2. marcas Lunæ reuaporatæ donec pellicula superuenire incipiat. Ac tum sume spiritum prædictum, ac super lapide contere cum aqua illa Lunæ in densam pultem: ac inde materiam eiusmodi vitro pusillo: & pone super fornacem in testa cum cineribus, calorem Solis addens, donec siccum ac durum est, vt denuo puluerizari queat. Tum denuò super lapide contere, vt prius cum aqua tuæ Lunæ vsque ad pultis crassioris consistentiam. Vitrò pusillo prædicto denuo inde, atque iterum in cineribus siccandum pone, vt prius. Conteres verò & siccabis tandiu, donec duæ illæ marcæ aquæ Lunæ à spiritu imbibitæ fuerint. Tum materiam admodum subtiliter puluerizabis, ac vitro indes: atque os huius vitri leuigatum erit: ac tum etiam exiguum vitrum rotundum tibi erit, quod ori quadret: id pusillum vitrum in fornace secreta pone: ac primum ignem pusillum adde, vt Sol media æstate lucet, 8. dies continue. Post ignem tuum insigniter auge, etiamnũ 8. dies continue. Postea ignẽ auge adhuc 8. dies continue; ita vt manum tenere non possis per foramen fornacis. Item 8. illis diebus exactis, sinas frigescere; exime, ac pusillũ laminæ cupreæ candenti superij-

Prædicta quomodò miscenda.

cito quę nitide leuigata sit, ac vide an fixũ sit: an non fumet: ac si parum fumet, nõdum omne fixum est: pone etiamnum dies 8. in fornace eodem calore, aut paulo maiore, tanto quantum addere potes sine candore. Ac eo calore certo fixabitur, ac cum probas super lamina candenti, si fixum est, liquescet, ita vt fumum nõ emittat, ac diffluet per laminam, atque eam dealbabit vt Luna, ac tum satis est.

Proba fixionis.

CAP. XCVII.

Quomodo eadem medicina subtilior effici possit.

ITem si tum medicinam tuam vis subtiliorem efficere, ita vt proiectio altior fiat: acetum destillatum admodum forte, sume: cõtere prædictum puluerem super lapidem cum aceto prædicto, ac in receptaculum euacua, & pone in balneo Mariæ: omne simul in aquam claram resoluetur. Tum super cineres calidos congela: tum denuo solue vt prius. Et in quaque solutione & coagulatione medicina tua adeo subtilior efficitur, vt 10 lucrifaciat in proiectione, inquit Geber Philosophus. Ac si medicinam istam tam multis vicibus solueres & coagulares, consisteret in morem olei, ac oleum tum stillatum super Mercurium calidum factum in crucibulo, Mercurium conuerteret in puram Lunam meliorem ex mineris petita. Atque ita cum medicina hactenus perducta foret, non iam medicina secundi ordinis esset, sed tertij ordinis, ac perfecta medicina ad metalla in veram Lunam transmutãda. Ac si tu tum ex oleo perfectum Elixir conficere velles, sumeres de medio spiritu eius aut materia quam te ante sublimare docui ex puro arsenico. Ac oleum ponderabis ac bis tantundẽ medij spiritus eius sumes, ac cum oleum conteres super lapide, ac huiusmodi vitro immittes, ac in fornace secreta per 10 dies pones calore absque candore. Materiam tuam exime, estque mutata & congelata in lapidem, estque perfectum Elixir omnia metalla in veram Lunam transferens meliorem è mineris petita.

Theorica de tribus ordinibus Elixiris & lapide.

CAP. XCVIII.

ITem nunc te nosse docebo opificium, quid vnumquodque opus sit ꝙ in arte adhibendũ sit: quare item quodque opificium repertum sit, quodque opus primum in ordinibus fieri debeat: ac deinceps in varijs alijs operibus quæ in Alche-

chemia fiunt: atque etiam 3 locis vt in minerali, vegetabili, & animali, &c.

CAP. XCIX.

SCies ac intelliges quodque opus cum eo quod in opere fieri debeat, ac alijs operibus ſequentibus: opus ſecundum tertium, quartum, quintum: donec opus ad finem peruenerit: opus illud quod in tota Alchemia geritur. Ac quicunque Alchemiſta omnia iſta non intelligit antequam operari incipiat, is nec iam, nec vllo vnquam tempore quicquam in vniuerſa arte Alchemiæ producet: quamvis ſemper operaretur. Forte fortuna ad aliquam artem peruenire poſſet, quēadmodum cæcus paſſerem ſagitta ferit: ſed aliter ad eam peruenire non poſſet. Quemadmodum ſæpe ignorantibus vſu venit, qui forte fortuna ad aliquam artem perueniebāt: cumque eam iterum ponerent, ſecundo eum agere non poterant: ac operam ludebant, & in deſperationem incidebant. Nam quod primum facerent ſæpenumero poſtremo loco faciunt: ac etiam opus relinquunt vbi foret incipiendum: ac ad talem delirationem perueniunt, vt omnino ſtulti in arte fiant.

CAP. C.

ITaq; ad iſtam errationē deuitādam, te docebo, quid ſit ſublimatio, & quare inuenta, ac quomodo in quoque opere ſublimandum ſit: ac deinceps quomodo calcinandum, ac quare calcinatio fiat: ac de deſtillatione, & quare adhibenda: atque ita porro multas alias rationes, quid in quoque opere faciendum ſit quod in arte fiet: Iſtamque lectionem iterum iterumque perleges, ac memoriæ imprimes, ne in errorem incidas.

CAP. CI.

ITem ſcies, cum Veteres ſcirent ac intelligerent generationem atque incrementum metallorum, ac morbos metallorum intelligerent, vnde illis morbi orirentur, qui impedirent quominus Sol nec Luna fierent, tū perſpiciebant Veteres quibus modis illis ea vitia, & morbos demere poſſent, ac ad Solem & Lunam reducerent. Ac viam commodiorem inuenire non potuerunt, quam vt corpora igni deſtruerent, & calcinaret. Et materiam quę ea conſeruaret, reperiebant:

Quid Veteres fecerint intellecta generatione & incremēto metallorum, atq; etiam

corū morbis: quare itē calcinatio & sublimatio reperta.

bant: vt non in nihilum vrendo redigerentur, à suo sulphure combustibili, quod copiose in se habent, nec ab vstione ignis comburerenrur. Materia ea clauis erat: eius 2 aut 3 partes sumebant in vnam corporis: ac corpora dura Martis & Veneris in limaturā subtilem limabant: Saturnum vero ac Iouem in cineres mouebant: ac tum miscebant cum claue ac aceto, atque ita in vasis luteis collocabant, ijsque probe lutatis in igni ad calcinandum: ac in superiore parte illius vasis lutei foramen habebant, per quod humiditas euaporare posset: cumque omne euaporatum esset, foramen illud luto claudebant: ignem per gradus augentes: ita vt modice candere inciperet. Ac tum ignem retinebant in huiusmodi leni candore, vt clauis non liquesceret, ad horas 24. Tum sinebant sponte frigesieri: ac vase effracto eximebant: ac aquam communem bullientem superfundebāt, ita vt clauis liquesceret. Tum clauem aqua cōmuni abluebant. Tum corpora calcinata sumentes super lapide inpalpabiliter conterebant, ac tum aqua communi abluebant omnes sordes, ac nigredinem. Ita vt calces corporum rubrorum resplendescerent: atque etiam alborum vt itidem resplendescerent, ac candide ac clare instar niuis. Atque hoc pacto corpora imperfecta à sua immunditie repurgarunt: ac à suo sulphure combustibili, ac nigredine, ac odore fœtido quem in mineris contraxerant. Atque ita metalla imperfecta mundarunt ab immunditie. Sed cum ea denuo in vnum corpus reducerent, non erant Sol nec Luna. Tum rursum cogitabant quanam medicina aut materia metalla mundificata ad Solem & Lunam possent reducere, ac tingere ijs coloribus qui in corpora ingressum darēt. Cumq; omne sal aluminis atque aliud omne, ac species peruestigassent, nihil reperiebāt quod metalla tingere vellet: nec ingredi in ea, vt ad Solē ac Lunā reducerentur. Tum vlterius cogitabant, quod nihil in orbe reperirēt præter spiritus, qui in metalla ingredi vellent, ac cum ijs sese permiscere. Ita cognoscentes naturam spirituum, atque eorum morbos quos in mineris contraxerāt: tam multos morbos in se habere quam metalla: vt multas terreas ac fœtidas fæces, ac sulphur combustibile, quod metalla combureret: ac fæces terreas fœtentes, quæ metalla denuo immundiora efficerent quam prius fuerant. Atque etiam intelligebant Veteres, Spiritus in sese habere quandam virulen-

rulentiam quæ tam corrosiua & venenata esset, ac tam volatilis, vt si ad metalla adducerentur, ea tam venenata ac corrosiua efficerent ac tam frangibilia, vt instar vitri frangerentur: atque etiam auolarent, cum liquarentur, ac optimam partem metalli secum raperent, ac secum sursum veherent, ita vt metallum perderetur ac omnino corrumperetur. Cum hæc omnia respicerent, cogitabant vlterius, quomodo & qua ratione, spiritibus omnes istos morbos prædictos demere possent: ac parare spiritus, vt in corpora ingrederentur: ac tingerent insigni claro colore, qui in ijs & cum ijs manere posset in æternum: ac lenes ac molles manere possent: ac reducerent huiusmodi ratione ad statum Solis ac Lunæ. Omnibus vero naturis perspectis, pro sua sapientia, 3. inuenerunt, quibus, spiritibus omnes istos morbos prædictos adimere possent, ac idoneos redderent ad prædicta corpora reducenda ad Solem ac Lunam. Repererunt itaque vasa idonea, ac materiam cum qua miscerent: atque id quo sursum pellerent ex materia, ac ascendere facerent supra, maxime venenatam ac volatilem partem, vt eam primum tollerent: deinde vt sursum pellerent partem temperatam, quæ nobis in arte vsui est, quæ post venenatam illam volatilem partem ascendit. Tertio materia cum qua spiritus permisti sunt apud se retinet crassas partes terreas ingressum prohibentes: atque sulphur album combustibile. Atque ita nullas alias rationes reperire poterant ad spiritus exonerandos & mundandos quam per sublimationem, vt in corpora ingrederentur, ac ea insigni claro ac resplendente colore tingerent.

CAP. CII.

Nunc audisti quare calcinatio corporum primū sit inuenta, ac porro sublimatio spirituum quare primum reperta: ac postea verba faciemus, quomodo & qua ratione calcinandum sit in quoque opere ac sublimandum, quodque suo loco. Sed primum de calcinatione spirituum agendum est, ac de solutione spirituum ac corporum iungenda, imbibitione, aut inceratione, ac quare primum inuenta fuerit, vt scire & intelligere possis radicem artis Chemicæ. Nunc ad primum nostrum propositum redire volumus.

CAP. CIII.

ITem, cum Veteres corpus & ſpiritum vtraque mundifi-caſſent, ac ab omnibus morbis liberaſſent, & munda ac pura eſſent. Tum cogitabant denuo quo pacto efficerent, vt in ſeinuicem ingrederentur. Nullam itaque rationem aliam reperire poterant, niſi corpus aut ſpiritum ad aquam redigerent, atque immergerent illud corpus ſpiritui: aut corpus ſoluerent, atque imbiberent ſpiritum corpore: aut corpus & ſpiritum vtraque ſoluere debebant, ac aquas ambas ſimul iungere, eſtque hæc ratio optima. Atque hęc omnia funditus intelligentes, ſi ſpiritum & corpus copularet ac iungerent, non poſſe aliam rationem reperiri exceptis prædictis: tum etiamnum proprius reputabant cum animo, Spiritus & corpora primum eſſe ſoluenda, & in aquam redigenda. Tum nullam meliorem rationem tenebant, ad ſpiritus & corpora ad aquam redigenda, niſi primum naturam clauis tenerent, ſi ad aquā reducerentur. Ita facile intelligebāt, ſi eo reducerentur vt naturam ſalis haberent: id igni fieri & calcinatione debere. Tum vlterius cogitabant, ac fornacem reperiebāt quæ apta foret, in qua ſpiritus calcinare poſſent, ita vt ſpiritus ijs elabi non poſſent. Eamque Fornacem Sapientum dixere: deinde vaſa inuenere, in quibus commode ſpiritus calcinarentur, ita vt non auolarent. Ac ſpiritus in vaſe patente calcinandi ſunt, ac igne nudo, alioqui naturam ſalis non adipiſcerentur ad ſoluendum. Si vaſe clauſo ac igne concluſo, aut calore ponerentur, ſolui nollent quamuis in æternum ſtarent. Tertio huiuſmodi ignem ac calorem reperiebant qui ita regeretur, vt ſpiritus non auolarent.

Fornax Sapientum.

Ignis regimen.

Hiſce omnibus ſimul repertis, ſpiritus in fornace collocabant in vaſe ad eam rem apto: atque ignem ſuum ita die & nocte moderabantur, 40 dies ac noctes naturales. Tum ſinebant ſponte frigeſieri; eximebant, ac ſuper lapide conterebant ſiccum, ita vt inpalpabile foret: ac tum ſuper lapide ſpargebant, ac lapidem in cella frigida ac humida ponebant: ac ponebant lapidem paululum inclinatum: ac vitrum ſupponebant: ac ſpiritus ibi ſoluti fuere, ac ſenſim in vitrum illud ſtillarunt in inſignem claram ac nitidam aquam, ſine additione rei alterius. Atque ita hac ratione prædicta ſpiritus ſoluerunt in inſignem, claram, pellucidam ac reſplendentem aquam: quam aquam in forti vaſe vitreo ſerua-

Spiritus ſoluerunt Veteres in aquā claram.

uabant probe obturato, donec ea vſus eſſet. Et ſi quæ fæces remanſerant in ſublimatione, manebant ſuper lapidem: fæces ſolui nolebant.

CAP. CIV.

NVnc de calcinatione ac ſublimatione, & ſolutione ſpirituum dictũ eſt. Iam te de calcinatione ac reuerberatione corporum docturus ſum. Scies Veteres fornacem quandam reperiſſe, in qua fornace commodum eſſet corpora calcinare, aut reuerberare, vt naturam ſalis adipiſcerentur: ac ea Fornax reuerberatoria dicebatur. Præterea vaſa reperiebant è luto cocta, quæ ad id apta forent, vt in ijs corpora calcinarentur aut reuerberarentur. At hæc ignem ad hoc idoneum reperere, quo corpora calcinarentur aut reuerberarentur: huiusmodi calorem vt corpora non liqueſcerent, nec ſimul coagularentur. Tum corpora lota ſumebant, quæ fæcibus ſuis exonerata fuerant, ac ſulphure combuſtibili, ac vaſi illi terreo indebant, ac in fornace reuerberatoria ponebant, vt ibi calcinarentur aut reuerberarẽtur, quo naturam ſalis adipiſcerentur. Ac ignem leni flamma accenderunt ſine liquefactione 21. dies & noctes. Tum ſponte refrigeſcere ſinebant atque eximebant: ac ſuper lapide cum forti aceto deſtillato conterebant impalpabiliter. Poſt acetũ deſtillatũ ſumebant, ac corpora in mundã ac claram aquam ſoluebant; ac fæces interiores ſuper fundo vaſis remanebant: aquam illam claram ſuperne effundebant in vitrum mundum. Tum Veteres cogitabant vlterius de corporibus coagulãdis: probe enim intelligebãt, ſeſe aquã ſimplicem habere debere, ſi alioqui corpora & ſpiritus ſeinuicẽ complecterentur in fundo, vt ſimul maneant. Ac videbant acetum corporibus adeſſe, tum reperiebant in ſua ſapientia, vt acetum inde ſicco calore euaporarent. Atque ita fecere, ac acetum inde ſicco calore deduxere, ac puluerem ſiccum retinebant: quem puluerem poſt ſubtiliter candefaciebant abſque liquefactione. Tum porro cogitabant puluerem ſoluere in aqua communi. Ac cernebant aceto & aquę communi multas in eſſe fæces, quas vt ex aceto & aqua communi educerent, vaſa idonea reperiebant, in quibus acetum & aquam communem aſcendere facerent, atq; id quod aſcenderat deſtillare facerent per fiſtulam in aliud vitrum, ac deſtil-

Fornax reuerberatoria.

Destillatio. destillationem nuncuparunt, ac tum primum inuenta fuit. Tum illius aquę destillatę sumebant, ac super puluerem corporum fundebant, ac soluebatur in mundam claram aquam pellucidam: quam aquam corporum in vitro mundo seruabāt. Tum habebāt 2. aquas simplices simul spirituum & corporum. Tum animo reputabant quantum spiritus ponerent apud corpora. Tum facile pro sua sapientia intelligebant se plus aquæ corporum debere sumere quam spiritus: quia alioqui spiritus auolarent cum ad ignem adducerentur, ac optimam partem corporis secum raperent. Itaque partem vnam aquarū spirituum, ac 2 aquarū corporum sumpsere: ac aquas simul inter se permiscuere in vase vitreo, idque cineribus calidis imposuere, ac in puluerem siccum congelarunt. Cum puluerem cernerent, facile pro sua sapientia intelligebant, si ad ignem adducerent ad liquandum, spiritus auolaturos ab eo corpore, ac corpus illud in fundo crucibuli relinquerent. Tum vlterius cogitabant quomodo & qua ratione corpora ac spiritum, alterum cum altero colligare possent & congregare alterum in altero, vt sese inuicem ita amplecti possent vsque ad fundū eorum, vt ignis ea separare non posset. Cum naturam omnem probe perspicerēt ac funditus intelligerent; tum facile intelligebant, si corpora & spiritus ita coniungerētur, ita vt ignis ea separare nō posset: etiam satis intelligebant coniunctionem nulla re quę in orbe sit posse fieri quam igni: Ita vt super igni leniter essent regenda, eo pacto vt igni assuefierent. Tum consultabant de vase idoneo reperiendo, in quo spiritus cum corporibus includere possent: ac fornacem in qua vas illud ponerent. Ac vas vitreum idoneum repererunt ei rei aptum, ac ei corpus cum spiritibus inclusere: vasq; illud Vas fixatorium vocarunt. Tum reperiebant fornacem ad eam rem aptam, ac in ea vitrū hoc imposuere; eamque fornacem fixatoriam dixere. Ac tum ignem idoneum inuenere, quo ita leniter regerent sensim paulo calidius per gradus, donec ignem feruentem ferre possent. Ac in tota arte nihil magis cauendum est, quam ne nimis feruens ignis adhibeatur, prius quam igni ita assuefiant vt ignem feruentem ferre possint; alioqui spiritus in eo sese attollere ex corpore: tū iterū de integro incipiendum foret, &c. Atq; hoc opus Fixationem dixere, ac liquę faciebant ac puram Lunam reperiebant: ob quam rem omnes

Coniunctio corporū & spirituum nulla re, nisi igni fieri posse.

Fixatio.

omnes gaudio afficiebãtur. Hocque opus vocarũt opus primi ordinis, quia primum inuentum fuerat à Veteribus ac Sapientibus, &c. Opus primi ordinis & quare.

CAP. CV.

Item consultarunt ad inquirendum, an non alia via reperiri posset, ad rationem reperiendam conficiendi rem, vt corpora cum spiritibus permiscere necesse non esset, nec fixanda ponere. Longum enim opus erat antequam spiritus sublimarent, & corpora calcinarent & soluerẽt, ac tum mũdificarent: ac tum corpora coniungerent, ac simul fixarent: ad ea multo tempore opus erat. Cumque iam omne fixatum esset, nihil præter metallum perfectum habebant, Solem aut Lunam prout opus suum posuerant. Cum autem Sapientes viderent ac intelligerent, metallum mortuum spiritibus, vt ratio postulabat, viuificari posse, ac perduci in eum statum, vt omnibus probis ac examinationibus resistere posset: cogitabant vlterius possibile fore aliam viam reperire, quæ facilior esset, ad quam tanto tẽpore in arte opus nõ esset, ac vtilior. Sic igitur reputabãt: Si impositione spirituum corpora mortua viuificauim⁹: quid si sumamus corpus viuum, ac calcinemus ipsum, ac in aquam simplicem redigamus, ac in ea spiritus sublimatos immergamus, ac simul fixemus, ac proijciamus id super corpus mortuum mundificatum, ac simul fluere sinamus, ac videamus quomodo sese simul componerent, ac discipiamus quid inde futurum esset. Ac ita fecere, ac corpus illud viuum, quod cum spiritibus permistum ac fixatum fuerat, sumebant, ac simul fluere sinebant, ac in massam fundebant, ac massam fragilem ac frangibilem reperiebant. Tum consultabant quã ratione id fieret. Tum facile intelligebant, materiam spirituum cum viuis corporibus tam efficacem esse, vt corpus mortuũ mundificatum ferre non posset. Tum vero placebat, vt corpus illud mortuum denuo liquefacerent, eique etiamnum bonam quantitatem mortui mundificati metalli adderent, vt fecere, ac rursum in massam fudere. Tum vero adhuc frangibile inuenerunt: sed non erat tam frangibile quam prius. Ac tum facile cernebant se plus corporis mortui mundificati addere ac ponere debere. Ac sæpe ponendo ac denuo liquefaciendo, ad extremum molle effectum est, eratq; perfectus Sol aut Luna, quare summopere gaudebant. Tum opus

Ratiocinatio Veterum.

Opus 2 ordinis cur dictum.

opus hoc vocarunt alterum opus alterius ordinis. Idque ob eam causam fecere, quod hac prædicta materia proiectionem facerent super mortua metalla quæ mundificata erant.

CAP. CVI.

Quo pacto Veteres corpora mortua ad Solem aut Lunã non mundificata ratione reducendi inuenerint.

PRæterea Veteres cum cernerent, quod sublimatis spiritibus fixatis cum viuis corporibus, proiectionem facerent super corpora mundificata, cogitabant vlterius an ratio reperiri posset reducẽdi corpora mortua ad Solem aut Lunam nõ mundificata. Tum facile videbant, si id fieret: debere medicinam fortiorem confici, si corpora mortua transferrent. Ac facile etiam intelligebant, si corpora mortua nõ mundificata trãsferrentur in Solem aut Lunam, se corpus illud mortuum prius viuificare debere, antequam medicina super illa proijceretur. Tum medicinam sumebant alterius ordinis quam confecerant: qua proiectionem fecerant in metalla mundificata, de qua ante dictum est; ac eam soluebant in aceto forti destillato; ac tursum acetum deduxere: ac medicinam congelarunt. Ac post medicinam rursum in aqua pluuiali destillata soluerunt. Atque iterum tertiam partem sublimatorum spirituum sumpsere, ac aquam illam spiritui immersere, siccantes ac terentes denuo, ac rursum siccantes, donec spiritus corpus illud omne imbibisset. Tum simul fixanda ponebant, quę fixatio facile fiebat. Cumque omne fixum erat, tum denuo soluebant, vt prius fecerant, ac rursum sumebant tertiam partem spiritus pro quantitate prędictæ medicinę quam habebant, ac rursum spiritui immersere, vt prius faciebant, atque iterum fixanda posuere, vti prius dictum est. Hisque omnibus peractis eandem medicinam etiam semel in aceto destillato soluerunt, ac acetum rursum destillarunt, ac congelarunt. Ac cum sumebant cruda ac immunda corpora mortua ac liquabant, ac vitam ijs indebant; & tum medicinam suam superijciebant, ac simul fluere sinebant, ac in massam fundebant: & perfectum Solem & Lunam inuenere omnes probas transeuntem ac examina. Ac reperiebant proiectionem tam magnam & copiosam esse, prout fuerat in opere alterius ordinis.

Opus 3 ordinis, & quare ita dictum.

Quam altam proiectionem admodum mirabantur, atq; ea gaudebant: ac tum opus hoc vocitarunt opus tertij ordinis, quia tertium opus erat quod inuenerant. Post consultarunt,

ac

ac reperiebant in sua sapientia naturam peruestigantes: tum intelligebant altam proiectionem venire debere subtilitate medicinæ: qua intelligentia ac sensu quem hac de re habebant ac intelligebant, multiplicatio omnis medicinæ inuenta est. Atque ita rationem qua medicinæ subtiles efficerentur, multiplicationem vocarunt, quia videbant cum medicina subtilis fieret, eam altam proiectionem facere. Ac quo subtiliorem faciebant, eo proiectio semper magis magisque alta cadeb... Ita rationem inuenere omnes medicinas multiplicandi, &c.

Quomodo omnis multiplicatio medicinæ inuenta.

CAP. CVII.

CVm sapientes hæc omnia prædicta probassent, ac cernerent se omnia mortua immunda corpora ad Solem ac Lunam perducere, atque insuper altam proiectionem facere. Tum etiamnum vlterius ratione inquirebant, vtrum foret possibile spiritus arte ac medicina reducere etiã ad Solem & Lunã. Quã de re consultabant, cumque naturã omnem medicinæ perspicerent, intelligebant medicinam esse confectam ac coadunatam arte spirituum ac corporum, ac simul in vnum simul fixata esse. Tum etiam facile in sua sapientia intelligebant, si spiritus ad Solem ac Lunam reducerent, debere etiam naturam medicinę habere, alioqui medicina se cum ijs permiscere nollet, neque cum ijs ingredi: nam spiritus corpora efficere nõ possunt: nullam enim proportionem inter se habent. Medicina constat ex spiritibus & corporibus: atque hæc igni ita fixata sunt, vt ignis separare nequeat: atque alter est purus spiritus qui ab igni ascendit. Ita facile ex hac ratione prædicta, comprehendebant res duas. Vna erat, si ad id peruenirent, se primum spiritus parare debere, vt essent eiusdem naturæ cum medicina, si alioqui medicina cum ijs amicitiam contraheret, aut in ea ingredi vellet: simile enim amat sui simile. Ita si ad artem peruenirent, principio ac ante omnia spiritus debebant efficere corpora, si eiusdem naturæ cum medicina forent. Deinde etiam facile intelligebant, si spiritus corporeos ad Solem ac Lunam perducerent, se medicinam tãm liquidam, tam subtilem, tamque penetrantem conficere debere, vt cũ pijcerent super spirit⁹ corporeos, statim liquesceret, ac penetraret, antequã ignis ita calidus fieret vt spirit⁹ à corpore nõ vola-

Ratio reducendi spiritus ad Solem & Lunam quomodo reperta à Veterib.

volaret; sed medicina spiritum tegeret ac supernataret, quẽadmodum oleum super aquam natat: ita vt corpus a medicina capiatur antequã a corpore se subducat. Ac eum medicina spiritum ac corpus penetrat; ac ea simul fixat; vt ad Solem ac Lunam perueniant. Atque ita fecere: medicinam in aceto destillato soluebant: ac tum denuo congelabant: ac tum rursum soluebant in aceto destillato. Atque id soluere & congelare iterabant toties identidem in aceto recenti; vt amplius congelare nollet: sed in form .. 'ensi olei consisteret. Ac spiritum Mercurij corpore induebant, ac ponebant in crucibulo super ignem, ac iaciebant aut stillabant super ipsum ex parata medicina, ac conspergebant atque operiebant spiritum corporeum, quemadmodum oleum super aquam natat, atque eam operit. Ac tum etiamnum fortiorem ignem adhibebant, ac flabant, ita vt medicina vna cum spiritu corporeo inter se inciperent circumagi ac fluere. Ac medicina corpus ac spiritum ita peruasit ac penetrauit, ita vt spiritus & corpus vnum in alterum ita compacta sint, vt ignis ea separare nequeat. Ac in massam fundebant, & perfectum Solem & Lunam reperiebant, qua de re permagnas gratias Deo agebant, ac mirum in modum gaudebant. Atque huic medicinæ nomen Elixiris indidere.

Medicina hæc nomẽ Elixiris accepit.

CAP. CVIII.

Quo pacto Veteres quæsiuerint an nõ ex vna re medicinam conficere possent, quæ corpora ac spiritus oẽs posset transmutare in Solem aut Lunam.

CVm vero isti Sapientes cernerent se omnia corpora ac spiritus hoc pacto perducere ad verum Solem & Lunam: tum vlterius etiamnum cogitabant, an non ex re vna medicinam conficere possent, quæ corpora ac spiritus omnes simul posset transferre in Solem, aut in Lunam. Itaque sedulo naturæ studuere: quid Deus naturæ infuderit, ac quomodo natura operetur in omnibus rebus inferioribus: ac cuius generis quęque res sit, ac vnde quodque genus primum ortum ceperit, vtrum ex materia simplici aut composita. Ac rebus omnibus probe perspectis, comperiebant ac intelligebant omnia primum originem duxisse ex aqua simplici, quæ aqua erat quædam essentia Mercurij; ac Deus terram suam in ea aqua collocabat: quæ terra in se naturam sulphuris habebat: quę terra sulphurea aquam illam coagulabat: quę 2 simul manere nõ possent, nisi per quoddam mediũ, quod ea contineret inter se, ita vt alterum ab altero non separa-

Omnia originẽ duxere ex aqua simplici.

ſepararetur, quamdiu medium illud apud ea maneret. Eſt vero ſal quoddam, quod Sal Deus ijs infudit, ad illa duo copulanda. Ac Veteres Sal illud, Sal Sapientum vocauere. Adhæc Dominus Deus his tribus, vt aquæ, & terræ incluſit etiamnū duo alia, vt aerem & ignem. Ac Deus hæc 4. cū ſale quod medium eſt, etiamnum ex ſuo mandato ornauit, adhuc 3. nimis ſubtilibus ſpiritibus, qui 3. ſpiritus mixturam prædictam ſimul continent: ac mixtura à ſe inuicem ſeparare nequit, nec corrumpi, nec interire quamdiu iſti 3. ſpiritus adſunt. Sed cum iſti 3. ſpiritus mixturam deſerunt, tum omnia pariter alia ab alijs ſeparantur: atque iſtos 3. ſpiritus Sapientes eſſentiam coniunctam nuncupauere. Atque ita facile aſſequebantur primum illud principium iſtam compoſitam mixturam fuiſſe, ex qua omne quod hic infra in Orbe eſt, originem ſuam duxit: ſiue ſint homines, pecudes, aues, piſces, arbores, herbæ: ac deinceps quicquid ſenſile aut ſenſus expers eſt. Sed iſta mixtura in rebus omnibus æqualiter diſtributa non eſt, &c. Atque etiamnum Deus hiſce mixturis ſuo mandato infudit virtutem ſeminatoriam, ad porro producendum quodque ſui ſimile, prout natura harum mixturarum componitur. Atque etiamnum Deus aliam virtutem infudit per influentiam cæli ac ſtellarum, & planetarum, per infuſionem ſuarum influentiarum, quas addunt ex mandato diuino: eſſentiam, ſtatum & declinationem, donec iterum ſeparentur, ac denuo ad ſuam primam naturam perueniant, ex qua primum compoſita ſunt, prout res ea fuerit. Vna res creſcit diu, antequam ad ſuum ſtatum perueniat: alia breui tempore adoleſcit antequam ad ſuum ſtatum perueniat. Alia multo tempore in ſuo ſtatu permanet: alia non permanet diu in ſuo ſtatu, &c.

Sal Sapientum.

In omni mixto 4. elementa conueniunt ad mixtionem: quorum 2 ſunt incluſa, vt ignis & aer, & 2 includentia, vt terra & aqua.

Eſſentia coniuncta quid Veteribus.

Virtus ſeminatoria à Deo mixtis infuſa.

Item alia virtus per influentiā cæli, ſtellarū & planetarum.

CAP. CIX.

Atque etiam probe intelligebant quemadmodum res omnis initium habet, ita quoque eam medium habere debere, cuius hoc loco mentionem fecimus: ac poſt illud medium finem ſequuturum. Ita intelligebant omnibus rebus diuina prouidentia creatis nullum vitium ineſſe poſſe: omnia perfecta eſſe debere. Probe itaque intelligebant cum omnia ad ſuam primam eſſentiam redijſſent, ad quam Deus condidit, quod tum inſtaurabit? ac omnes res creatas in ſuā extre-

Sicuti res omnis initium habuit, ita etiam medium habet ac finem.

extremam virtutem perducet: ita vt postea in rem illã creatam nulla mutatio cadere possit: ac in æternum in sua essentia permanebit. Probe etiam intelligebant quod Deus easdem res creatas mutabit absque alterius rei exrraneæ additione. Sed eadem illa res creata mutabitur in suam perfectionem ac virtutem supremam. Ita facile ex eo intelligebant, vnamquamque rem creatam medicinam suam propriam in se habere, per rationem prius demõstratam. Ita liquido constat nihil peregrinum abhibere ei opus esse, quod ad supremam suam Potentiam perducere velimus: sed tantumdo rem sumendam esse, ad rem perfectam efficiendam; siue in minerali, vegetabili, aut animali. Cum Veteres illi Sapientes omnes hasce rationes prædictas, ac plures alias quas commemorare nimis longum foret, probe intelligerent ac funditus, facile sentiebant, idque certo, se acumine ingenij facile rem reperturos ex qua rem producerent, qua spiritus & corpora in verum Solem ac Lunã transferrent. Tum consilium inibant ex qua materia rem illam perfectam extrahere possent, quæ virtute transferendi corpora, & spiritus in Solem & Lunam, prædita esset. Tum pro sua sapientia facile intelligebant, si Solem ac Lunam haberent, res ea debebat esse de eorum natura ac genere. Vnumquodque enim sui simile gignit. Equus equum producit, auis auem, &c. Ita reperiebant in sua sapientia: Deum ex omnibus his inferioribus nihil auro perfecti⁹ cõdidisse; Ignis enim ipsum destruere non potest, nec quicquam in orbe: ac in suo statu permanebit vsq; ad diem nouissimum absque declinatione: quod nulli rei in orbe fiet, non enim diu in suo statu perseuerabit, quin rursum declinet ac ad suam primam materiam redeat, qua de re ante doctũ est, nisi aurum solum. Atq; per hoc planum fit ratione ante demonstrata, aurũ esse rem perfectissimam quam Deus creauit, ac cõdidit. Ita conueniebat inter ipsos vt sumerent Solem, vt ex eo conficerent id quod eam potentiam haberet spiritus & corpora in Solem ac Lunam transferendi. Ac quia Deus nihil solitarium creauit, sed duo creauit vt masculum & femellam, in hominibus & pecudibus, in auibus, piscibus, & in sensibilibus atque insensibilibus, in herbis, in plantis, &c. Deus singulorum duo creauit, vt masculum & feminam. Et vt opus ad suam extremam virtutem perducerent, sumpserant Lunam tanquam femel-

Vnũquodque sui simile gignit.

Deus ex omnibus inferioribus nihil auro perfectius condidit.

Cõuenisse inter Veteres vt sumerẽt Solem, vt ex eo cõficerent rẽ illã quæ potentiã haberet spirit⁹ & cor-

femellam Solis, ac vtraque ceperunt vt lapidem suum ex ijs educerent: quamvis ipsum ex singulis per se facile extrahere possent. Sed quia naturam generationemque naturæ sequi vellent, quantum poterant: vtraque matura deliberatione sumpsere, quia Sol tam perfectus, tam purus, tamque subtilis erat, vt metuerent ne clam auolaret cum ipsum in opere haberent: & Lunam cuius partes nonnihil crassæ & terreæ sunt, ita vt multum terræ habeat, ac quia sese inuicem amant ac amica sunt, vt maritus & vxor, ac quia alter calidus, altera frigida est, vt sese inuicem temperarent in subtilitate & crassitudine, in volubilitate ac terrestreitate: ac vt alterum contineret alterum, vtraque sumpsere simul æquali proportione, vt alterum temperaret alterum, vt ante traditum est. Cum vtraque hoc pacto sumpsissent, consultabant quibusnam operibus hæc duo tanquam marem ac feminam inter se copularent. Tum facile intelligebant ea esse 2 dura corpora, in quæ natura suam extremam virtutem adhibuisset, atque opus extremum, vt amplius in ea operari non posset. Natura enim non vlterius in his duobus mouetur. Nam hæc duo Sol & Luna, in ijs natura ita operata est, vt in nulla re creata in orbe, ita sit operata; nec vnquam operabitur, vt in his duobus corporibus fecit, in Sole & in Luna. Hæc enim duo corpora in statu permanebunt, vt natura ea tradidit in sanitate, vsque ad diem nouissimum: donec Deus omnia in supremam virtutem perducet, & potentiam, ad eum finem ad quem omnia creata & facta sunt. Et quicquid Deus creauit in mundo, exceptis his duobus corporibus, omne simul mutabitur, postquam adoleuerit, ac in statu constiterit, quodque secundum naturam, aliud breuius aliud longius, tum ad extremum declinabit & abolebitur, ac redibit ad suam primam naturam, ex qua Deus id primum produci voluit. Atque hæc duo corpora in sanitatis statu permanebunt, & sine retrorsum eundo, ac quicquam declinando, ad diem vsque nouissimum. Quare nihil in orbe hominibus præstantius. Natura enim hominum ea est, vt semper optimum quodque amet, estque hoc donum quod Deus animæ nostræ infudit; estque vna supremarum virtutum animæ nostræ, quod semper optimum quodque diligemus ac amabimus. Atque ita nihil in orbe præstantius est quod in statu permanebit, quam hæc corpora. Facile etiam intelligebant quamvis natura in ijs ita operata fuerat, vt in statu sanitatis

Pora in Solem & Lunam transferendi sed vt naturam generationemque eius sequerentur, Solem & Lunam sumpsere.

Homo natura optimũ quodque amat.

permanerent vſq; ad diem nouiſſimum: Deum naturæ talem virtutem non infudiſſe, vt natura tale opus operata fuerit in his 2. corporibus, vt deſtrui non poſſent. Ita vt facile ad ſuam primam eſſentiam reduci poſſint. Itaque natura ijs eam virtutem non dedit vt deſtrui non poſſent. Sed ſine arte Sapientum hæc 2. corpora ſua ſponte non retrocederent, nec in primam ſuam naturam declinarent ante diem nouiſſimum, cum Deus omnia perficiet. Quemadmodum Deus Adam immortalem condidit: ſed Adamum non condiderat talem, quin facile mori poſſet.

CAP. CX.

Ad hæc corpora transmutanda partim naturam eſſe ſequendã, partim transmutationem Dei nouiſſimã ſpeculandam perſpexere Veteres.

ITa Veteres Sapientes facile intelligebant ſe hæc duo corpora arte poſſe deſtruere, ac ad ſuam primam naturam reducere, in aquam ſimplicem. Ac facile itidem intelligebant, ſi hæc 2. corpora perducerent, ex propria natura in meliorem naturam, aut in aliam: in primis & ante omnia eſſe tollendum quicquid natura in ijs operata eſt, ac reducendum in eum ſtatum in quo erat, cum natura primum in eo operari inciperet. Tum facile intelligebant ſe debere retexere quicquid natura fecerat, ac operata fuerat. Tum conſultabant, ſi ad id peruenirent, ſe naturam ſequi debere. Ac natura omnia produxit, ac creſcere fecit, ac poſt illud incrementum, in ſtatu ſanitatis continuit, aliud breuius aliud longius, prout quodque erat, vt ante doctum eſt. Ac poſt ſtatum ſanitatis cœpit declinare, donec ad ſuam primam materiam perueniret, vt prius dictum eſt. Ac ſi ad id peruenirent etiam in hoc naturam ſequi debebant, ac retrocedere gradatim, donec hæc 2. ad ſuam materiam primam perduxiſſent, id erat, in ſimplicem aquam: ac tamdiu naturam ſequi debebant. Ac ſi tum hæc 2. corpora perducere in ſupremam virtutem ad quam Deus ea coniunxit, vellent: tum naturæ imitationem deſerere debebant, ac ſpeculari transmutationem Dei nouiſſimam, atq; opera poſt ſeculum, quomodo omnia mutabit ac perficiet, ac opera naturæ finet Ita facile præuidebant ac in ſua ſapientia intelligebant, ſibi hoc pacto naturã eſſe ſequendam, ac declinandam donec ad primã materiam perueniſſent, id eſt in aquã ſimplicẽ, vti prius dictũ eſt: ac tum naturã eſſe deſerẽdam, vt ante dictum eſt. Tum conſultebant, quomodo primũ operari deberent in hæc 2. corpora, ac facile intelligebant, omnia opera operata operib contrarijs eſſe deſtruenda, ac omnia dura, mollia

Omnia operis operata contrariis deſtruenda.

lia efficienda, ac omnia ficca humida, & contra, ac omnia leuia, grauia, ac omnia grauia, leuia, atq; omnia calida, frigida, ac omnia amara, dulcia, & contra: atq; ita deinceps, &c. Quare Aristoteles ait: Ex leui fac graue, & ex graui leue: fac ex aere terrã, & ex terra aerẽ, ex igne aquã, & ex aqua ignẽ, dulce amarũ, & amarum dulce efficito, ac omnes artes habes. Itaq; intelligebant isti Sapientes, se hæc 2. dura corpora, mollia efficere debere. Natura enim dura fecerat, si opus naturæ dissoluerẽt. Idq; i a debere fieri opere eo q̃ destruere appellauere, &c. Eo peracto, facile intelligebant naturã corpora ea arida finxisse, ac humiditatẽ eorum intrinsecus clausisse: ac tam firmiter cõclusisse, vt ignis inter eius partes puenire nõ posset, ita vt ignis in ea vi operari non posset. Ac si hæc 2. dissoluerent, debebant siccitatem humidam efficere, ac in aquam soluere. Ac si aperirent solida eorum corpora quæ natura clauserat, id debere fieri per opus quod putrefactio dicitur. Cumque hæc opera ad eum modum intelligerent, ita fecere. Ac post etiamnum duobus operibus intenti fuere, quorum alterum solutio dicitur, quod per destillationem fiebat. Alterum opus dicebatur coagulatio. Hæc 2. iterabant tam sæpe ac frequenter ope materiæ vegetabilis, donec hæc duo corpora ad primum suam materiã perduxissent, in qua erant cum Natura primum in ijs operari inciperet, id est in aquam simplicem. Cum hæc 2. corpora hactenus perduxissent, viam naturæ sequi omisere: ac tum aliam viam perspexere. Probe intellexerunt Deum ex aqua terram fecisse, ita vt aqua & terra vtraque vnum fierent, ac ex aqua terram fecere. Facile etiam intelligebant, Deum spiritum è corpore educere, ac spiritum igni purgare: ac spiritu per ignem purgato, spiritus ascendit in cælum, ac corpus destruitur, ac etiam mundificatur in materiam claram ac subtilem, atque idipsum, istamque viam ita sequuti sunt, idque duobus operibus perfecere. Opus quo spiritum è corpore edu cebant, ac mundabant spiritum, opus illud sublimatio dicebatur. Reliqua 2. opera quibus corpus purgabant, horum alterum vocabant Reuerberationem aut Calcinationem, ac alterum Solutionẽ. Ac cum vtraq; mundassent ab omnib. peccatis eorũ igni & aqua, tum opa Dei perspiciebant, quomodo animam denuo die nouissimo infundet suo corpori proprio glorificato: ac tum nullam mutationem fore, tam fixum Deus corpus cum spiritu faciet: ita vt post illam fixationẽ nunquã

Aristoteles. Solutio. Coagulatio. Sublimatio. Reuerberatio siue calcinatio. Solutio.

à se inuicem separari possint, ac simul manebunt in secula. Cum ista probe intelligerent funditus, etiam facile intelligebant, si ad perfectionem lapidis sui peruenirent, vt ipsum etiam ad talem glorificationem ac æternitatem perducere possent, ac perfectionem, se Dei opera futura facere debere, si lapidem suum ad talem perfectionem perducerent. Atq; etiam facile intellexere, si lapidem ad talem perfectionem perducerent, vt eodem gradu staret quo res omnes post diem nouissimum, se proiectionem eo non posse facere. Nam tum ad finem peruenisset, ad quem Deus ipsum condidisset. Nam post illud tempus nulla erit generatio, nec vlla virtus seminaria. Tum consultabant vt ei virtutem seminariam imprimerent. Ac partem vnam vtriusque corporis sumebant Solis ac Lunæ, cuiusque tantundem subtile effectum, ac vna cum corpore glorificato conglutinarunt, quod mundificatum erat: eamq; compositionem Fermentum dixere. Tum porro Dei opera futura prosequebantur, ac spiritum corpori illi infudere debita proportione, atque habent ita omnes simul spiritum apud se ac in proprio corpore. Idque duobus operibus fecere, quorum alterũ Inceratio, alterum Fixatio dicebatur. Ac lapidem perfecere, & ad virtutem extremam perduxere.

Post hoc seculum nulla erit generatio, nec virtus seminaria.

CAP. CXI.

Sublimationis cognitionẽ necessariã esse, & quare.

NVnc te modum sublimationis docere volo, quomodo & qua ratione vnusquisque spiritus sublimari debet, & quare, ac per quid quodque sublimandum est. Nam in 3. ordinibus omnibus sublimari debet; atque etiam in Elixire, atque etiam in lapide. Atque ob id necesse est, veram naturam sublimationis nosse. Nam sublimatio fit multifariam. Nam sublimatio est instituenda secundũ opus in quo spiritus sublimatus adhibendus est, siue ad 3. ordines, aut Elixir, aut in alia omnia opera, quæ multa sunt, atque ad rubrum ac album, ac potissimum in lapide. Atque ob id necesse est intelligere sublimationem, quia sublimationes toties mutandæ sunt. Nam secundum quodq; opus quod facere velimus, sublimationes alijs, atque alijs modis sunt mutandæ. Ideo necesse est tibi de sublimatione scribam ob rationem iam dictam, &c.

CAP. CXII.

Sublimatio Arsenici.

SCies principio sublimationem arsenici & auripigmenti, quorum alterum ad rubrum, alterum ad album. Est etiam

rubrum

rubrum arsenicum aut croceum. Sed simul vnũ genus est auripigmenti aut arsenici. Arsenicũ enim naturam auripigmenti habet. Ita natura eadem sunt, sed non colore: nam alterum ad album, alterum ad rubrum seruit. Atque hi 2. spiritus nimis subtilem spiritum in se habent: ac spiritus solertia separandus est; nam si huius spiritus subtilis quicquam vsquam apud 2. lapides maneret: spiritus operi suam fixationem adimeret: ita vt opus nunquam posset. Atque etiam apud se habent sulphur combustibile, quod opus omne simul combureret ac destrueret, cum ad ignem adduceretur.

ci & Auripigmenti.

CAP. CXIII.

Adhæc 2. isti lapides etiamnum materiam habent quæ itidem ijs adimenda est, ea enim etiam opus corrumperet: ea est crassæ eius fęces atque terrestritas. Nam si quid horum in his lapidibus remaneret, aut fæces aut sicca terrestritas, impediret quominus medicina ingredi posset. Quare opus est ad hæc omnia adimenda, vt hi 2. lapides misceantur cum fixa fæce quæ attrahat, quæque etiam spiritus non fiat. Quare debet esse fixa? quia res fixa rem volatilem ægre à se dimittit, quando cum ea permista est: quia fæx fixa apud se retinere potest spiritum medium, qui nobis in opere est necessarius, donec subtilis spiritus abierit; antequam spiritus medius à fæcibus sese separet. Quare fæx fixa etiam attrahens aut stiptica esse debet, quia spiritum non nimis alte ascendere in vase sinet: sed altissime latum manum supra fæces, aut vt maneat super fæces, &c. Ac quare fixa fæx nihil de se mittere debet, quia cum spiritu medio secum non subuehet, sed purus & mundus futurus est. Ac vt nihil extraneum in opus adducat. Nam in opere nihil extraneum esse potest. Præterea fæx frigida & sicca natura esse debet, per quam duo isti lapides erunt sublimandi. Quare frigida? ad calorem quem sulphur combustibile in se habet ita cohibendum, ne in sublimatione spiritum destruat, ac à spiritu se separet. Quare sicca? Vt fæx sua siccitate calorem sulphuris combustibilis ita temperet, ac apud se retineat, ita vt cum spiritu medio non separet se, nec ascendat ex fæce. Ad hæc opus est alto & oblongo vase in quo hi duo lapides sublimentur Quare alto vase? Vt subtilis spiritus volatilis qui calorem nullum ferre potest, ascendere in superiorem partem illius longi pos-

Crassæ fæces & sicca terrestritas lapidi adimenda, & quomodo.

ſit, vt frigus ibi reperiat: vt ibi manere poſſit, adeo melius ſe à ſpiritu medio ſeparandum. Debes etiam duos iſtos lapides admodum puſillo igni ſublimare. Quare igni puſillo? Vt ſubtilius ſpiritus volatilis primum ex fæcibus volare poſſit vſque in ſuperiorem partem vaſis: antequam ſpiritus medius ex fæcibus exire incipiat.

CAP. CXIV.

Subtilis ſpiritus eximendus, antequam ignem in ſublimatione aūgeas, & quare.

NVnc ſcies antequam ignem in ſublimatione augeas, te alembicum demere debere, ac ſubtilem ſpiritum eximere. Idq; ob hanc cauſam, ne cum vehemētem ignem adhibes, ſpiritus ſubtilis iterum decidat: aut cum omne ſublimatum fuerit, ac tum ſubtilis ſpiritus volatilis rurſum ſuper fæces decidat, nec ſuper ſpiritum medium, ac ne iterum inter ſe permiſceātur. Spiritu vero ex alembico ſumto, alembicum denuo ſuperimpone: ac tum ignem adde, vt ſpiritus medius ex fæcibus exire poſſit. Cumque iam è fæcibus ſublimatum fuerit, exime, ac rurſum cū fæcibus tuis permiſce, ac fac modis omnibus, vt prius doctum eſt. Iſtamq; ſublimationē itera tamdiu ac toties, donec nihil amplius de ſubtili ſpiritu aſcēdat. Tum ſpiritum medium per ſe ſublimandum pones, vt videas, an nihil ſpiritus volatilis ſit adiūctum. Ac ſi quid ſit adiūnctum, id identidem eximes, ac etiam circumſpicies nunquid de ſulphure combuſtibili ac fæcibus remaneat, &c. Ac ſublimationem iterabis tamdiu, donec reperis nihil amplius aſcendere de ſubtili ſpiritu volatili, ac nihil relinquat in fundo vaſis. Tum certus es, te ſpiritum medium mundum ac purum habere, eſtque paratus vt in opere colloces.

Ad Mercurium ſublimandum.

CAP. CXV.

Modus ſublimandi Mercurij.

SVmes Mercurium ac probe mundabis, cum ſale & aceto bene conterens in mortario ligneo, piſtillo ligneo. Ac vbi diu cōtriueris cum ſale & aceto, Salem à Mercurio ablue aqua munda bulliente, donec aqua pura defluat. Tum Mercurium ſicca panno lineo mundo. Ac tum denuo ſal mūdum recens atq; acetum recēs adde, & rurſum in mortario ligneo contere 4. aut 5. horas continue. Tū denuo aqua munda bulliente ablue, vt prius. Ac tum iterum recens acetum & ſal adhibe, & cōtere ad illud vſq; tempus, donec Mercurius nullam

nigre-

nigredinem, nec sordes de se mittat, ac Mercurius mundus ac clarus maneat instar speculi: tum ad sublimandum paratus est. Ac tum sume in vnam libram Mercurij salis communis ℔ 2. semel in aqua frigida soluti, ac denuo in balneo congelati ad spiritus suos retinendos. Ac tum in illas libras salis prædictas 2 ℥ salis armoniaci sumito toties sublimati, vt nihil post se relinquat, ac probe inter sal contere: ac tum Mercurium inter ea tere siccum super lapide, ita vt Mercurius non videatur. Tum simul sublimanda pone in vase apto, alembico superimposito, ac receptaculo ad rostrum lutato. Ac initio ignem pusillum adde ad horas 24. Deinde adhuc fortiorem adhibe horas 24. Post adde ad horas 24. ignem tam vehementem, vt certus sis omne simul esse sublimatum. Tum sinas refrigescere. Tum sublimatum ex alembico sume, ac denuo cum sale communi recenti contere, præparato, vt prius dictum est, ac denuo sublimandum pone, modis omnibus, vt prius dictum est. Atque istam sublimationem itera toties semper cum sale recenti præparato, donec Mercurius tam clarus sursum sublimatus fuerit, quam crystallum pellucidum. Tum satis sublimatum est. Item tum eundem Mercurium iam sublimatum sumes, ac siccum super lapide conteres in puluerem subtilem. Tum Mercurium communem pone in vitro lato aut vase lapideo in fornace in qua spiritus calcinantur. Atque ad 6. hebdomadas calorem adhibe tam vehementem, ita vt manum tenere non possis ad interiorem concauitatem fornacis. Ac 6. illis hebdomadis elapsis sponte refrigescere sine: exime, ac sacco inde, eumque in cella humida suspende: ac ei vas vitreum suppone, ac prædictus Mercurius omnis soluetur in aquam claram pellucidam. Item hæc aqua Mercurij omnia metalla soluit, adque extremam perfectionem perducit hoc pacto. Item in ea solue corpus quodcumq;, fæces metallorū statim subsidūt. Nā hæc aqua Mercurij nihil nisi sui simile soluit, & quicquid naturæ eius non est fundū petere finit. Ac tum clarū sensim effundere potes, aut filtrare, ac fæces tollere, ac aquā clarā ollæ vitreæ īndere, ac alembico superimposito ac receptaculo rostro addito, humiditatē destillare: ac tū ignē tuū augere, ac tum Mercuriū sursum in alembicū sublimare, atque ita Mercurium tuum denuo habes, verum aliquanto factum leuiorem. Ac tum metallum ex olla exime & in corpus reducito, habesque metallum tuum clarum, pu-

Ignis primum pusillus adhibendus ad horas 24.

Sublimatio Mercurii toties iterāda, donec Mercurius tā clarus sursum sublimatus fuerit quam crystallum pellucidum.

Hæc aqua Mercurii nihil nisi sui simile soluit.

rum & mundum extreme, siue Venus, Saturnus, Iupiter aut Luna sit, &c. Estque hoc tam magnum secretum quam sit in arte vniuersa. Tum Mercurium ex alembico denuo sume, ac rursum super lapide siccum contere, & iterum in sacco pende, ac denuo soluetur in aquam claram pellucidam. Atque habens tuum Mercurium, cum hac aqua potes omnia metalla simul conglutinare quodcunque sit: ac item omnia metallorum quæ fracta sunt, frusta denuo coniungere, ita vt videri non possit vbi fracta sint: ac eo loco tã fortia sunt quam alibi. Atque etiam plures virtutes reconditas quas hæc aqua in se habet, quas ob ce tas causas non scribo. Sed magnum secretum in natura est.

Magnum secretum.

Lapis tantummodo ex Sole.

CAP. CXVI.

NVnc tibi describere volo lapidem qui ex solo Sole conficitur: qui lapis omnes lapides superat, qui manibus hominum confici possunt. Ac tenebis loco secreti, Solem sua natura esse speciem metalli in quo nullæ partes insunt. Simplex est & purum, tamen vnius generis fæx inest, eaque in eo abscondita est. Et quamvis Sol est corpus simplex absque discretis partibus, tamen arte ei color detrahi potest, tam ruber quam albus, sed sine arte id fieri nõ potest. Quamvis vnam materiam esse assero, tamen Sol diuidi potest in 2. partes, quæ sibi inuicem contrariæ esse videntur. Sol species est quæ virtute naturæ effecta est. Nam natura in eo ita operata est, ita vt natura in eo extremas suas vires ostẽderit. Imo natura ita in Sole operata est, vt in toto orbe nihil Sole præstantius sit. Sol enim mundus ac purus est, ac natura tam prope naturam simplicem ipsum perduxit, quam potuit. Ita vt in toto orbe nihil tam prope ad simplex accedat, quã Sol. Nam Sol igne destrui non potest, nec in terra computrescere nec sordescere, nec in aere corrumpi.

Lapis ex solo Sole omnes alios superat.

Sol quãvis vna materia sit, tamen in 2. partes diuidi põt, quæ sibi contrariæ videntur. Sed nec igne destrui, nec in terra cõputrescere, nec in aere corrumpi potest.

CAP. CXVII.

SCies in toto Orbe nihil quod natura operata est, fixum esse. Sed arte Sol fixus effici potest, ac alia plura. Sed naturæ à Deo non est concessum, vt quid fixum produceret, aut naturam simplicem. Fixum enim æternum est, id neque iam neque vllo vnquam tempore mutari potest in melius aut peius:

Natura nihil fixum nec simplex producit.

peius: ſed in æternum permanere debet in ea natura in qua eſt. Cælum fixum eſt, id in æternum in ſua fixa ſimplici eſſentia permanebit, in qua eſt. Ac poſt diem nouiſſimum Deus omnia quæ condidit fixa efficiet, atque ita in æternum ſicuti ſunt, permanebunt. Itaque Natura nullam rem fixam operatur: retexi quidem poteſt quod natura operata eſt arte, vt in hoc libro docebitur. Scies naturam in Sole ita operatam, vt non poſſit vna pars eius ſurſum ſublimari, ac altera infra relinqui. Nam in Sole nulla terra eſt. Ea terra quæ in Sole eſt, ita coniuncta eſt cum reliquis 3. elementis, ita vt vnum elementum alterum ſit, omnia munda ſunt, in ijs nulla corruptio, nec contrarietas quæ partes diſiungat. Terra tam ſubtilis eſt, quam ignis, aut aer ſint: ac inter ea nulla eſt corruptio, quæ partes eius diſiungat. Itaque aut ſimul aſcendere aut ſimul infra manere debent. Quare Sol omnis ſimul aſcendit, aut omnis ſimul infra in fundo fixus manet. Ita Solem arte totum aſcendere facere poſſumus, aut arte fixare, vt totus in æternum infra maneat, vt nunquã effici poſſit vt aſcendat, ſed in æternum fixus maneat. Ex Sole 4. elementa ſeparare non poſſis, quemadmodũ ex reliquis rebus omnibus ſeparantur: quia inter elementa nulla contrarietas eſt, quæ partes eius diſiungat, vt ſupra oſtenſum eſt, &c.

Sol aut omnis ſimul aſcẽdit, aut omnis ſimul in fundo fixus manet.

CAP. CXVIII.

Modus parandi lapidẽ ex ſolo Sole.

NVnc cum verum lapidem philoſophorum, qui nobiliſſimus ac ſummus lapis eſt conficere vis: ſcies tu qui verum lapidem ex ſolo Sole vis parare, qui verus lapis ſit: quod ſumes puri Solis marcas 2. ac tundes in tenues laminas, ac fruſta ſecabis magna aut parua prout libet, ac pones in cæmẽto Regali, ac adde aliquantum ſulphuris ac ſalis armoniaci, ac cæmentabis 24 horas continue. Exime, ac liquefacito, ac rurſum tũde in laminas tenues, vt prius faciebas, ac pone denuo cæmentandum, vt prædictum eſt, liquefacito iterum, ac denuo in tenues laminas tunde, ac rurſum cæmẽtãdum pone, modis omnibus, vt ante dictum eſt. Idque minimum ter aut quater itera, donec certo ſcias Solem tuum mundum ac purum eſſe. Tum conficito aquam fortem ex ſalnitro, vitriolo, ſale armoniaco. Salnitrum quantitate reliqua duo æquabit ideſt ſalnitri 2. partes ſumes, & vitrioli ac ſalis armoniaci ana ſingulorum partem vnam. Atque ex his aquam fortem confice quemadmodum ſecundum artem confici ſolet. Aut

 poteſt

poteſt aqua illa confici ex vitriolo & ſalnitro ſolis, ac poſt in ea Sal armoniacum diſſolui. Tum ſolue 2. illas marcas Solis in ea aqua forti, quemadmodum Sol ſolui ſolet. Simulatque ſolutus eſt, aquam communem ſuperfunde ter quaterve deſtillatam: ac ſuper ignem pone, ac ſemihoram bulliat. Tum ſponte ſinas refrigeſcere, ac per 2. dies ſtare ſinas, ac Sol tuus fundum petet. Effunde aquam deſuper ſenſim, ac rurſum aliam aquam ſuperfunde, ac pone denuo vt bulliat, vt ante dictum eſt, idque ter aut quater itera, donec certus ſis, tuum Solis puluerem probe ablutum à ſpiritibus aquæ fortis. Tum puluerem tui Solis ſicca ad ignem puſillum, aut ad Solem, aut ſuper cineribus calidis. Tum puluerem tuum in duabus partibus appende, æquali pondere.

CAP CXIX.

Opera 2. ſibi inuicem contraria agenda.

NVnc ſcies duo opera tibi peragenda ſibi inuicem contraria futura: vnam partem pulueris ſpiritualem efficies ac volatilem: alteram vero partē illius pulueris corpoream ac fixam efficies: atque vtramque partem pulueris ſubtilem efficies quamque in ſuo gradu, ita vt nihil ſubtilius effici poſſit. Debes vtriuſque partis pulueris interius foras producere: antequam ſubtilis fiet. Interius eius foras producendum, vt lapis inde effici poſſit. Nam in eius parte interiore eſt ſpecies quædam fæcis craſſæ, eaque educi nequit, niſi interius foras producatur. Ac tum lapis ſubtilis effici poteſt, &c.

CAP. CXX.

Puluerem primum ſpiritualē efficiēdū, ac quomodo.

ITem opus illud quo puluis ſpiritualis eſt efficiendus, primū erit opus quod aggrediemur. Aperiendum quod Natura clauſit, ac omne retexendum, quod Natura fecit aut operata eſt; ac puluis conficiendus eſt eo ſtatu, in quo erat, cum Natura in eo operari inciperet. Tum primum puluis aut materia parata eſt ad lapidem conficiendum.

CAP. CXXI.

Altera parte pulueris quæ corporea ca fixa erit efficienda quid agēdum.

IN altera parte pulueris quæ corporea aut fixa erit efficienda, primum opus eſt perficere, vbi Natura reliquit. Itaque hoc opus rectum eſt, alterum vero contrarium. Nam in illo omne ſimul retexendum, quod Natura operata eſt: & in hoc opere incipiendum, vbi Natura reliquit. Quod Natura efficere non poterat, id porro arte perficiendum eſt.

Natura

Natura enim non mouetur vlterius ad operandum, quam donec rem perduxerit in eum statum, ad quem Deus secundum voluntatem suam ordinauit, &c. Atque ita illud nobis incipiendum est, vbi Natura reliquit, ac adducendum ad perfectionem atque supremam virtutem, hoc est, eius exterius intro perducemus, ac interius foris collocabimus, ac tum exterioribus ac interioribus fæcibus exuemus, & subtile ac fixum efficiemus, ita paratum est ad lapidem ex eo conficiendum. Itaque hæc 2. opera sibi inuicem contraria sunt, idque esse debet, si alioqui lapis Philosophorum producetur. Ratio enim hæc: Sol omnis simul ascendit; aut omnis simul infra fixus manet. Sol nullam terram relinquit, vt te supra docui. Itaque hæc 2. contraria opera tibi in lapide facienda sunt: alteram partem spiritualem ac volatilem, alteram vero corpoream ac fixam efficere debes, si alioqui lapidem sis producturus. Ac quicunque alias vias quærit, errabit, ac mentem Sapientum non capit. Scies Solem non posse separari nisi in duo, id est, in albedinem & rubedinem. Cum Sol est in sua crassitudine, rubedinem ei arte demere potes, ita vt Sol omnino candidus sit futurus. Cumque Soli interius foras inuersum est, albedinem ei detrahere potes, ita vt omnino ruber sit mansurus. Nam Sol tinctura ac colore extrinsecus ruber, intrinsecus vero albus est. Nam Sol interius Luna est, ac Luna interius Sol. Sed Luna ægra, & infirma ac imperfecta. Ideo lapis ex Luna haud facile confici potest, qui perfectus sit futurus. De quo nihil hic scribendum est, nam id nos à proposito abduceret. In hoc enim opere tantummodo de Sole, ac non de Luna sermo est, &c.

Sol interius Luna est, ac Luna interius Sol.

CAP. CXXII.

Item nunc te docere volo, quomodo & qua ratione opus auspicaberis. Ac principio aquam fortem conficies ex sale armoniaco, & salnitro ana, ac salnitrum in puluerem siccum siccabis. Tum probe sal armoniacum inter puluerem salnitri misce, ita vt bene inter se permista sint, ac incorporata alterum in altero. Tum destillanda pone, nec receptaculum stricte ad rostrum luta, antequam destillare incipiat. Nam si initio receptaculum ad rostrum alembici lutas, spiritus sylvestres ventosi insunt materiæ qui receptaculum disrumperent. Sed cum aliquantisper destillauit, uta intrepide ad rostrum, atque aquam secundum artem destil-

Opus quomodo auspicandũ.

destilla. Item fac facile quartarium Coloniensem aquæ cum dimidio: nam multa aqua tibi opus erit. Aqua confecta vitrũ



in hunc modum cõstructum sume, ac ei vnam partem pulueris tui Solis inde: alteram vero partem serua donec te doceã quid ea sis facturus. Ac Solem tuum solue, & in balneo pone, alembico vitro superimposito: nec balneum magis accendas, q̃ vt manum tuam in eo ferre possis, ac receptaculum rostro admodum solide adglutina. Et supra in alẽbico erit pusillum foramen, ei infundibulum vitreum impone, per quod denuo alia aqua fortis infundi possit, cum opus est. Ac balneum in eo calore retine, quo dictum est ante, die nocteq;, cumq; vides aquam tuam fortem ad tam paruam peruenisse quantitatem, sicut erat, cum solueres in ea Solem: ita sinas sensim destillare diem ac noctem ex balneo. Cumque iterum spissescit, rursum aquã fortem materiæ superfunde, modis omnibus, vt ante dictum. Id ter itera, semper aquam fortem recentem superfundens. Tertio vero libere siccum destilla. Tum sine corpus illud refrigescere, ac receptaculum à rostro tolle, ac cera solide obtura. Alembicum ab olla aufer. Ac tum sume drachmam aut scrupulum ex olla, materiæ, ac ollæ vitreæ inde, ac aquam communem destillatam superfunde, ac super fornacem colloca in testa cum cineribus, & aqua illa ad semihoram bulliat. Tum sinas sponte refrigescere: ac stare sinas diem vnam ac noctem, ac puluis in fundo vasis subsidet. Aquam effundas sensim superne, ac aquam reliquã super igni tepido euaporabis, ita vt puluisculus tuus siccus fiat. Cum vero siccus fuerit, exime, ac laminam argenteam candefacito ac paululum tui puluisculi laminæ cãdenti superijcito: ac sedulo vide an puluis non fumet: ac si fumare videris, caue tibi à fumo: fumus enim te enecare posset. Tam subtilis est fumus Solis cũ apertus & spiritualis est. Ac si ita fumet, vt omne simul ascendat à lamina candenti, Sol tuus satis apertus est, ac spiritualis ad sublimandum. Si vero non fumet, aut parum, ita vt paululum maneat super lamina candente, Sol nondum satis apertus est, nec satis spiritualis ad sublimandũ. Debes iterũ alembicum ollę superimponere, ac receptaculum ad rostrum lutare, ac rursum aquam fortem superfunde, modis omnib. vt ante dictum est; ac denuo destilla, ac iterum proba super lamina

Proba Solis.

mina argentea candente:cumq; omne simul ascendit,satis apertum est &spirituale ad sublimandū. Tum ollā illam vitreā sume cum materia ex olla in magno vitro, ac aquam cōmunem ter quaterve destillatam superfunde, vt aquæ illius nihil remaneat, ac pone super fornace in testa cum cineribus cribratis per horam vnam. Tum sinas sponte refrigescere, ac per duos dies, ac 2. noctes quiescere sine,ac puluis in fundo subsidet. Tum aquā superne effunde sensim p inclinatiōnē aut p filtrum. Tum denuo aquam cōmunem recentem destillatā pulueri superfunde,moue,ac probe cum aqua permisce,ac sine denuo super fornace bulliat, vt prius. Sinas denuo sponte refrigescete, ac rursum subsidere, vt ante dictū: effunde iterū sensim,aut filtra,vt prius dictū. Ac rursum aliā aquam recentem pdictam superfunde,ac bulliat, ac facito modis omnib. vt supra dictum est. Atq; superfundere,bullire,ac effundere debes,ac denuo quater aut quinquies iterare semper aqua cōmuni recenti destillatā,donec certus sis, puluerem à spiritib⁹ aquæ fortis probe repurgatū esse. Tum puluerem in patera vitrea munda exicca super cinerib. tepidis,aut in Sole,ac sicca tam aridum, vt puluerescat. Tum puluis tuus paratus est ad sublimandum,estq; apertus & spiritualis effectus. Atq; est in tali statu,quali erat cum Natura in eo operari inciperet: sed non in eodem gradu. Nam quamvis haberemus materiam ex fodinis,cum Natura primum in ea operari inciperet,ex ea lapidem producere non possemus. Quamvis materia eo statu sit,quo erat cum Natura in ea operari inciperet,non est eodē gradu in quo materia tum erat. Quamvis materia iā aperta sit ac spiritualis effecta: est meliore gradu,q̄ tum erat,cū Natura primū in ea opus suū inciperet. Nam materia fuit corp⁹ perfectū ꝙ percoctū ac perfectū erat vsq; ad extremā ei⁹ pfectionē,ita vt Natura nullā vim haberet ampli⁹ in ea operādi. Ac tametsi nos iā denuo resoluim⁹ ac spirituale effecimus ꝙ Natura clauserat:ac Natura ita clauserat vt omni igni resisteret,adeo omnibus probis & examinationibus resisteret,quæ de eo fieri possent. Et quamvis iam resolutū sit, habet tñn se omnē perfectionē ac potentiam, q̄ habebat antequam resolutum esset,ac spirituale effectum. Nihil.n.amisit, sed plus virium acquisiuit,quamvis sit spirituale Ac nisi perfectum corpus fuisset,in quo nullus esset defectus:quomodo lapidem ex eo educere possemus, qui eam potentiam habeat, vt omnia

cor-

corpora mortua viuificet; ac im̃unda corpora munda & pura efficiat? ac omnia dura corpora, mollia? ac omnia mollia corpora dura? Fieri nullo modo posset, vt tam efficax lapis produceretur, qui tantam virtutem ac potentiam haberet, vt ante dictũ est, ac effectus & eductus esset ex corpore aut alia materia in qua vllus esset defectus. Impossibile est rem bonam ac perfectam educere ex re, quæ ipsa mala ac imperfecta sit, quamvis multi homines putent lapidem extrahere ex rebus quæ ipsæ immundæ & imperfectæ sunt. Quare omnes stulti errant qui operantur in metallis imperfectis, in quibus vllus defect⁹, aut in vllis materijs alijs: ex ijs extrahere volũt quod in ijs non est. Ita intellige, lapidẽ ex nullis rebus extrahi posse, aut producere, præterquam ex omnium perfectissimo corpore aut materia, quam Deus in orbe vnquam condidit, aut esse siuit. Imo materia aut corpus vnde lapis philosophorum producitur tam perfectum ac omnibus numeris absolutum, vt eadem materia aut corpus sui similem in Orbe non habeat, inter omnia quæ Deus in orbe esse voluit. Imo tam perfectum ac numeris omnibus absolutum esse debet, vt eadem materia aut corpus nulla re mundi quæ vnquam fuit, aut est, aut futura est, destrui possit, aut aboleri. Sed quo materia magis destrui putatur, eo nobilior, potentior, ac subtilior fit. Nec aqua, nec ignis, nec terra, nec aer, nec sulphur, nec antimonium, nec marcasitæ: nec vlla res quæ in orbe sit, quæ omnia quæ in rerũ natura sunt, destruunt & abolent, nihil in illud corpus aut materiam quicquam possunt: sed quo magis cum eo permiscentur, eo corpus aut materia nobilior ac fortior euadit: ac eo ad rem simplicem proprius accedit. Nam sexangulus est simplici proprior quam octangulus, ac quadrangulus propior quã sexangulus, &c. Igni hoc corpus omnino simplex efficeretur, aut alijs fortib. materijs, quæ omnia alia destruunt, eæ materiam istam facile simplicem ac perfectam efficerent. Hoc enim corpus aut materia est simplici proprior, quam vlla alia materia in rerum natura. Quemadmodum monangulus rotundo proprior est quã id quod 10 aut 12 angulos habet: Ita corpus Solis simplici proprius est, quam vlla res in rerum natura. Non enim plures quam 2 angulos habet, i. Sol non potest diuidi in multas partes, quemadmodum omnes reliquæ materiæ possũt, aut corpora. Sol in plures partes quã in duas diuidi non potest, i. in rubedinem & albedinem, vt ante

Impossibile est rem bonam ac perfectam educere ex re quæ ipsa mala ac imperfecta sit.

Marcasita, Plinio Pyrites lapis ærarius.

ante doctum est. Ac si res in eo perducta esset vt Sol in 2. partes diuidi non posset, Sol omnino simplex esset: ita lapis ex eo extrahi minime posset. Ideo necesse est, vt Sol in duas partes secari possit, ad lapidem ex eo extrahendum. Ita pro certo scies, ex nulla re alia in rerum Natura lapidem Philosophorum produci posse, qui magnam illam potentiam sit habiturus omnia metalla in Solem & Lunam transferendi, quam qui ex Sole confectus est solo, absque vllius alterius additione aut commixtione, quicquid etiam sit. Nam quicquid in Orbe est, à Sole alienum est. Deus enim nihil in toto orbe esse siuit quod Soli simile sit, aut quod partem cum Sole habeat, aut quod de genere Solis sit. Quamuis multi stolidi dicant esse quasdam species minerales, aut genera minerarum quæ de natura solis sint. Mentiuntur, Solem non nouere. In toto Orbe nihil est quod partem cum Sole habeat, siue in fodinis, aut extra fodinas. Omnino peregrinum est, ac nullam partẽ cum Sole habet. Itaq; bene tibi caue vt cum Sole, quando lapidem conficis, omnes res quibus lapidem resoluis ac claudis ab eo separes, vt certus sis nihil peregrinũ apud lapidem manere: alioqui errabis ac operam ludes, &c.

CAP. CXXIII.

Itaque quæras: an igitur ex Luna lapis vllus produci non potest? Maxime: ex Luna quidem lapis produci potest; atq; ita etiam ex omnibus rebus creatis in Mũdo, ex ijs lapis quidem produci potest arte, sed lapis Philosophorum non erit, qui omnia metalla imperfecta in verum Solem ac Lunam transferat, nec qui proiectionem illam infinitam facturus sit, quæ ob infinitatem proiectionis scribi non potest. Longo tempore ac ingenti labore medicina quidem produceretur ex Luna aut Elixir, quod proiectionem faceret super Venerẽ probe mundificatam calcinationibus & ablutionibus, ac liquefactionibus: sed nunquam ex Luna medicina, aut Elixir, aut in ordine quid simile producetur, quod proiectionem faciat in metalla cruda, imperfecta, ad extremum adulterinum & fraudulentum erit, aut fiet. Sed Venus ita parari potest, vt transferatur in veram Lunam medicina quæ ex Luna confecta est. Ac si ex Luna medicinam sis producturus, inprimis & ante omnia Lunæ omnes ægritudines demere debes. Luna enim sicuti reliqua metalla omnia, duobus morbis est obnoxia, eos tollere debes, ac omnem eius nigredinem.

Ex Luna lapidem Philosophorum educi non posse.

Ac


Ac antequam eo peruenias, facile dimidium tui ponderis amittis. Hoc facto porro ipsum percoquere debes. Nosti Lunam esse crudum, frigidum & humidũ corpus nõ percoctum in mineris: ac si sub artifice percoquetur, id eget longo tempore, ac multo sumtu. Cumque iam Lunæ omnes morbi adempti sunt, ac deinde percocta est, tum primũ Luna parata est, ad medicinam ex ea conficiendam, aut Elixir, aut ad conuertendam in lapidem. Atq; hic tanti sumtus faciendi essent, in diminutione Lunæ, ac tantum laboris ac temporis impẽdendum. Cumque iam omnino perfectum esset ac probum ac artifex opus illud rite parasset, ac proiectionem, ac omnium subduceret rationem, sumtus, temporis ac laboris, parum lucri reperiret. Ita liquet per rationem prædictam, ex nulla re in rerum natura Lapidem Philosophorum produci posse, quã ex Sole, eiusque rei sedulo ratio est habenda.

CAP. CXXIV.

Regressus ad opus.

ITem denuo ad opus reuerti volumus. Sumes ollam vitreã 5. aut 6. quartarios continentem, in modum sequentem factam: ac ex vitro denso confici sine, vt concussam ferre possit. Ac fine fornacem ad eam construi, ita vt non sit latior, quam vt testa in ea stet rite omnibus partibus fornacis inclusa, ita vt ad latus inter fornacem & testam nullus calor possit transire, sed vt nusquam calor venire possit quam tantummodo inferne vt eo melius ascendere possit spiritus in sublimatione Solis. Tum testã cineribus cribratis imple ac pone vitrum in testa in cineribus altitudine lati digiti, vt vitrum à latere quam fieri possit parum caloris recipiat. Ac tum materiam tuam aut puluerem tuum ei inde, ac tum magnum ac latum alembicum superimpone, ac solide luto operi: ita vt certus sis nullos spiritus lutum penetrare posse. Sunt enim adeo subtiles spiritus, vt tibi scribi non posset. Nam si spiritus penetrarent, tuq; aerem reciperes, moriendum tibi esset. Ac luta ingens receptaculum ad rostrum alembici: ac lutum illud vbique probe sinas siccescere. Tum ignem fornaci subiice, primum ignem admodum pusillum, ac aliquoties per gradus ignem auge, donec materia tua sursum sublimare incipiat: quod igni pusillo fiet. Cumque materiam ascendere vides, sedulo aduerte, vt ignem eodem statu retineas, vt admodum leniter sublimet; quod facile fiet. Nam materia

Fornax quomodo struendã.



teria sublimatur ac ascendit igni admodum pusillo. Cumque iam non æqualiter sublimat, quod oculis facile ipse cernes: ignem paululū augere poteris, prout res postulat. Cumque non amplius sursum sublimat, ignem tuum adauge, vt fundus vitri candeat: ac si ne tum quidem quicquam amplius ascendere videas, sinas refrigescere, ac deme, ac ex alembico exime: ac materia tua ascendit tam candita quam nix, ac lucida in morem vitri, atque interius tuæ materiæ iam foras productum est, idque est albedo eius: idque quod foris fuerat iam intro perductum est: infra in olla vitrea inuenies paululum pulueris cinericij, qui in interioribus partib. latuit, estque nihil aliud quam fæx, estque tam pusillum vt ponderari non possit: id vero tolle, nihil valet, nihil est præter fæcem; rite perquisitum fuit, sed nihil præter fæcem in eo repertum fuit. Tum denuo id quod sublimatum est, ollæ inde, ac fac iterum vt prius, modis omnibus vt ante fecisti, ad sursum sublimandum, &c. Cumque denuo sursum sublimatum est, rursum exime ex alembico, ac si quid infra in fundo repertis ollæ vitreæ, aufer: sed existimo te nihil amplius reperturū: Pone iterum sublimandum modis omnibus, vt supra. Istam sublimationem iterā toties, donec materia tua tam clara & pellucida est quam crystallus, Ac albedo eius omnem albedinem in Orbe superat. Tum satis sublimatum est. Ac quo sæpius sursum sublimas, eo facilius igni pusillo ascendit, ac eo materia spiritualior fit: ac quo spiritualius ac subtilius efficis, eo proiectio eius post maior est futura. Nam in sublimatione ac post in destillatione, sæpe sursum sublimando, ac post sæpe destillando: eo ipsi multiplicationem addis. In quaque enim sublimatione centum in proiectione lucrifacis. Quare potes lapidem tuum tam subtilem reddere sæpe destillando, ita vt vitro continere non possis, id penetraret quāvis pedis mensuram spissum esset. In lapide nulla est multiplicatio alia, quam vt frequenter sublimando subtilem efficias: ac post sæpe destilles: ad lapidem subtilem efficiendū frequenter sursum sublimando, ac post sæpe destillando ad lapidem subtilem efficiendum. Nulla multiplicatio alia reperitur, quam eo pacto multiplicare & subtile efficere. Et qui alias vias quærit, aut aliter putat, is artem non intelligit. Porro cum materiam hoc pacto sursum sublimasti, eam calcinandam ponere debes, in hunc modum sequentem.

Quæ sit multiplicatio in lapide.

CAP. CXXV.

Mod⁹ materiá iam dictam calcinãdi.

SVmes materiam sublimatam, ac eam impalpabiliter pulueri sabis super marmore. Tum pateram vitre.m habe fundo plano, ex vitro bono quod ignem ferre possit: ei tuam materiam inde, ac late ponas superfundo vitri, ac obline penna aut pede leporino: ac pone pateră cum lapidis materia, in fornace secreta, in qua spiritus calcinantur: ac operculum interius ꝙ testæ quadrat superimpone: ac luto bono firmiter obtura, quod ab igni non scindatur nec rumpatur, ac bene siccescere fine. Tũ alterũ illud operculũ super hoc impone quod fornaci quadrat, ac id ipsum etiam firmiter luta, ac fine siccescere. Cumq; siccum fuerit, impone operculum illud quod oræ fornacis quadrat, quod reliqua omnia opercula operiat: idq; etiam firmiter luta, ac fine siccescere. Cumq; satis siccum est: ignem fornaci subijce, primum ignem tepidũ ad 6. horas continue: quibus exactis ignẽ tuum auge adhuc ad horas 6. quibus exactis ignem tuũ etiamnum auge ad horas 6. quibus finitis ignem tuum tam fortiter auge, vt manum tuam ingeras per foramen illud quadratum quod in fornace est ad latus, atq; extremum digiti madefacias, ac tangas vas in fornace pendẽs si strideat ac sonet: perinde ac si lapis admodũ ferueat, ac super ipsum sputum iacias, isq; strideret: ita hoc vas stridere debet quod in fornace pendet: cum humor inspergitur: in tali calore diem ac noctem retineri debet. Bacillum vero tenuem tibi parabis, ac ad extremum eius panniculum lineum alligabis sextuplum aut septuplum, & ipsam firmiter circum consues, ac extremum in aqua tinges ac humectabis, ac lapidem ex foramine quadrato tolles quod in medio fornacis est, ac per id bacillum illud ingeres vsq, ad vas extremitate humida: ac sedulo attendes an vas strideat, ac si emittat stridorem cum bacillum vas attingit: tum sat recte est: ac si nõ strideat clare aut fortiter, perinde ac si frigidam super lapidẽ stilles: ignem ita adauge, donec ad eum modum strideat. Atq; ita die nocteque retinere debes in eo calore. Ac sæpe inter diẽ ac noctem bacillo illo humido probare poteris, per foramen illud in medio fornacis, num ignis tuus commode calidus sit: sed vbi probaris, lapidem denuo foramini quadrato quod est in medio fornacis, semper ingere. Ac in tali calore id retinere debes 40. dies ac noctes continue: quibus exactis, sponte 3. aut 4. dies refrigescere fine. Tum exime, ac materiam lapidis probe calcinatam reperis, ac præparatam ad soluẽdum

in aquam claram, in aere frigido ac humido. Ac per calidam siccitatem lapis tuus denuo congelabit. Ac necesse est, vt materia lapidis eam naturam in calcinatione acquirat. Nam materia lapidis conuerti non posset in aquam simplicem, nisi eam naturam haberet vt in aere frigido & humido solueretur, ac in calida siccitate congelaretur: materia lapidis eo reduci non posset, vt post destillaretur. Ac materia lapidis destillari debet, si alioqui subtilis efficietur. Ac nisi subtilis esset, nullam proiectionem faceret. Ita materia lapidis sæpius mutanda est ex vna natura in aliam; ita vt in frigida humiditate soluatur, ac in calida siccitate congeletur. Ita arte ex vna natura in aliam ducendus est, donec materia tam sæpe ac toties ex vna natura in aliam sit perducta, vt ei omnia sint adhibita, quæ in eius regimine sunt adhibenda. Ac denique perducetur ad tam perfectam naturam, ita vt post nullo vnquam tempore deduci possit ex perfecta illa natura in peiorem aut meliorē. Sed in æternū in perfecta natura permanebit, &c.

CAP. CXXVI.

Nunc materiam lapidis calcinatam sume, ac in aqua communi destillata solue: aut si materiam spargeres super mensam vitream, aut marmor: ac in cella frigida ac humida poneres, ac vitrum sub lapide poneres: ac lapidem paululum inclinares, ita vt solutum in vas stillare posset: materia lapidis 8. aut 10. diebus facile in aquam claram solueretur, ita vt nihil remaneret. Sed hic modus non est probandus, ob puluerem ac alias sordes surgentes in eo, atque etiam ex aere prouenientes: atque etiā humiditas quæ ex cella in materiam lapidis attrahitur, quæ vt soluatur, efficit, ea itidem munda non est, &c. Itaq; ad materiā lapidis purā ac mundām seruandam, materiā lapidis receptaculo indes in hunc modū fabricato, atq; os receptaculi leuiga super lapide, ac etiā vitrum pusillū super leuiga quod ori receptaculi quadret, quod firmiter sup os receptaculi lutare possis, cum tibi lubebit. Ac materia lapidis in vitro existēte, aquā cōmunem habe toties iterū iterumq; destillatā, vt nihil remaneat post destillationē: ac interdū paululum illius aquæ super materiam lapidis funde, ac per pusillo aquæ soluetur ob subtilitatem. Subtilis enim materia multo facilius soluitur ac minore quantitate humiditatis,

Materia calcinata in aqua communi destillata soluenda, aut super mensam spargenda, &c.



quam crassa ac grauis materia, quæ crassa & immunda est. Ac cum materia soluta est, materiam lapidis in aquam simplicem redigisti. ac talis esse debet, si alioqui lapis ad perfectionem peruenire possit, & ad supremam virtutem, ac sine vlla peregrina corrosiuitate addita. Ac iam materiam lapidis ad essentiam illam perduxisti. Item materia tua lapidis hoc modo soluta in aquam communem simplicem, sume receptaculum cum materia resoluta, ac fornaci superimpone, in testa cum cineribus, ac vitrum illud pusillum firmiter super os receptaculi luta, ac ignem fornaci subijce, ac aquam illam communem rursum destilla, donec materia tua iterum sicca sit: ac tum receptaculum à fornace remoue, ac in balneo pone, ac vitrum pusillum ab ore remoue: ac tum acetum forte ex vino confectum habe, multis vicibus destillatum, saltem vt nihil remaneat. Tum tantum aceti illius destillati super materiã lapidis funde, vt materia lapidis vere soluatur. Cumq; omne solutum fuerit, pusillum illud vitrum denuo super os vitri luta, ac rursum acetum destilla calore tepido. Cumque iterum siccum fuerit, denuo aliud acetum recens materiæ lapidis superfunde, donec iterum in aquam claram soluatur. Luto iterum obtura, iterumq; destilla, donec siccum sit. Id vero superfundere, ac materiam lapidis identidem soluere, ac tum denuo destillare, facito tam frequenter, donec materia lapidis amplius congelare nolit, sed consistat in morem insignis olei albi: albedo enim eius foris, ac rubedo in interioribus eius est, &c. Ita materia lapidis sæpe ac multis vicibus mutari debet, nunc terra, nunc spiritus, nunc calx, nunc aqua, nunc oleum esse debet: ac sæpe ex vna natura in aliam transferenda est. Nam nisi initio resoluta & aperta fuisset, quomodo eam sublimare potuisses, ac nisi calcinasses, quomodo in aquam simplicem soluere? Ac nisi iam materiam lapidis in oleum conuertisses, quomodo destillare ac subtilem efficere posses? vt potẽtiam acquireret omnia metalla in Solem ac Lunam transferendi? Quare materia toties conuerti ex vna natura in aliam debet, ad omnia facienda quæ in regimine eius sunt, ad eam ad perfectionem perducẽdam. Quare Sapientes lapidi multa nomina indidere; postquam materiam lapidis resoluissent ac spiritualem effecissent, dixere materiam esse rem vilem. Cumq; ipsam sublimassent, Serpentem vocarunt ac bestiã venenatam. Cumq; eandem calcinassent, dixere

Materia res vilis. Serpẽs ac venenata bestia.

dixere esse sal, & huiuscemodi. Et cum soluissent, vocarunt aquam, ac in omnibus locis reperiri dixere. Cumq; ad oleum perduxissent, materiam rem viscosam dixere, ac passim venalem. Cum vero congelassent terram nuncuparunt, ac eam tã pauperes quam diuites habere dixere. Cumque ei albedinem exuissent, lac virginum, ac album quid dixere. Ac cum rubedinem eius sursum sublimassent, ignem dixere, ac rubrum quid. Atque hoc pacto prout materia lapidis conuersa erat in peculiarem naturam, nomen illi indidere, donec ad finem perductus esset.

Aqua. Res viscosa ac passim venalis. Terra. Lac virginum, ac album quid. Ignis, ac rubrum quid.

CAP. CXXVII.

Materia igitur lapidis ita se habente, ac iam amplius cõgelari abnuente, ac consistente in morem clari albi olei: vitrum tuum è balneo sume, ac super fornacẽ pone in testa cum cineribus; ac luta receptaculum ad rostrum vitri admodum stricte, atq; vitrum pusillum super os vitri luta. Ac receptaculum quod ad rostrum vitri est, etiam rostrum in ventre habebit: quemadmodum vitrum cui materia lapidis inest, habet: ac rostrum receptaculi ad eius extremum probe obtura, ne quis aer per id exspiret. Nõ iam amplius alembicis destillare poteris, verum omnes destillationes quæ iam fiunt per magna receptacula rostra in ventre habentia fieri debent, ne vltro citroq; sæpius sit transfundendum. Sed cum ex vno vitro in aliud deductum est, vitrum illud ex cineribus sumetur, ac vitrum illud ponetur in eo in quod deductũ est, super fornace in testa cum cineribus, ac luta rotundum illud vitrum super os; atque alterum illud vitrum rostro appone: ac extremum rostri luto obtura, ac luta firmiter iuxta rostrũ quod adiunctum est vitro, super fornace stanti. Omnino in huiusmodi receptaculis vitreis destillãdum est, quibus rostrũ in ventre additum est, vt tantummodo ex vno vitro in aliud depromere opus sit, ita materiam sæpius transfundere non est necesse. Ac cum lutum probe siccum est, ignem fornaci subijce, primum pusillum, ac paulatim ignem tuum auge paululum per gradus: ac videbis ascendere spiritum candidissimum, ac transibit, ac in receptaculum destillabit. Quo viso ignẽ in eo calore retine, donec non amplius destillare videas. Tum etiamnum ignem insigniter auge, ac sedulo circumspice an nulli albi spiritus ascendant, ac cum non amplius per rostrum

Quid materia sit agendum cum iam congelari abnuit, ac consistit in morem clari albi olei.

rostrum vitri stillat, sponte sinas refrigescere, & receptaculo deinpto id solide obtura: habesq; ibi spiritum album ab oleo rubro separatũ: ac materiã diuisam in 2 partes. Nam quamque partem per se destillabis ad subtilem efficiendam. Nam multis vicibus destillando, vtramq; partem lapidis, partẽ albam ac rubram tam subtilem reddes, vt ꝓiectio eius infinita sit futura. Nam hæc destillatio vtriusque partis lapidis, multiplicatio eius est. Lapide enim perfecto nulla in eo multiplicatio. Nam lapide ad summam eius virtutem perducto, nulla mutatio in eo est. Postquam lapis perfectus est, manere in eo statu debet nunc, & in secula. Post perfectionem nec in meli⁹ nec in peius mutari potest, sed in æternum Rex permanebit. Quare si quis verum lapidem Philosophorum parauit, nulla post sequitur multiplicatio, vbicunque post perfectionem multiplicatio sequitur, lapis Philosophorum non est, nec verus lapis est: Medicina esse potest, aut alius, cuiusmodi multi sunt quibus proiectio fit; verum lapis Philosophorum nõ est, de quo hic nobis sermo est. Cum prædictus lapis perfectus est ac paratus, in æternum in eo statu permanere debet. Ita nunc destillatione multiplicationem eius facere debes, sæpe multisque vicibus vltro citroq; destillando quodque per se. Spiritum album per se, ac oleum rubrum per se, quodq; super fornace peculiari, ac tũ subtile efficere ac tam spirituale, vt proiectio eius sine fine sit futura: eaque lapidis multiplicatio erit. Quare mentem meam funditus intellige.

Vbicunq; post perfectionẽ sequitur multiplicatio, lapis Philosophicus non est.

CAP. CXXVIII.

Quid vtraque parte lapidis agendum.

NVnc ambas partes lapidis destillabis quamque super fornacẽ peculiari. Ambas simul in opere pones. Pars candida, igni pusillo facile ascendit. Sed pars rubra ignem vehementem habere opus habet, si ascendet ac destillabit: verum vbi ter quaterve destillatum fuerit, paulatim facilius destillabit calore pusillo. Nam quo sæpius destillata fuerit, eo spiritualior ac subtilior fit, ita vt ad extremum destillet igni pusillo. Ac tibi cauere debes. Cum igni pusillo destillat, materia admodum tenuis & subtilis erit, ac tum materiam tam frequenter vltro citroque destillabis, vt materia spissesceret, ac iterum in destillando tarda fieret. Ac si tum adhuc eam destillare perseuerares vltro citroque materia tua tam alba quam rubra; iterum spissesceret: ac ad extremum rursum indurescеret, ac si tum ignem fortem adhiberes, tua materia

teria liquesceret, antequam volaret, ac liquescens volaret, ac maxima eius pars vitrum penetraret præ magna eius subtilitate: ac ita maximam partem materiæ tuæ amitteres. Quare circumspectus esto in vtraque materia lapidis, tam in vna quam in altera: nam in vtraque contingeret materia. Quare cum vides materiam tuam igni pusillo destillare, ac materiã tuã admodum tenuem ac subtilem esse: ac postea cernis materiam tuam aliquanto densiorem fieri: ac ignem aliquanto vehementiorem debere facere: desine. Materia tua tam subtilis est, quam eã efficere potes. Nam si porro destillare pergeres post etiamnum octies aut decies, partem tuæ materiæ amitteres, vt prius dictum est. Remoue ab igni ac quamque vitro peculiari inde, ac obtura stricte, ac sepone donec ego te doceam quid ea sis facturus. Nunc partem vnam pulueris Solis tui parasti ac spiritualem effecisti, ad lapidem ex eo efficiẽdum. Nunc alteram partem sumes pulueris tui Solis q̃ tibi seruare iubebam, quum alteram cum altera ponderasses, &c.

CAP. CXXIX.

Quid agendum altera illa parte solis corporea ac fixa efficienda.

ITem nunc alteram illam partem sumes pulueris tui Solis, quam tibi seruare iubebam, quam corpoream efficeres ac fixam: eamque sume ac reuerberandam in fornace reuerberatoria pone: ac ibi retine die nocteque semper flammam circumuolantem materiam, vt flamma ac candor nõ extinguatur, donec puluis tuus intumeat, vt spongia. Tum ignem sua sponte refrigescere sine. Tum exime, ac contere materiam super marmore cum aceto ex vino destillato, ac probe rectificato in balneo: ac vbi impalpabiliter contrita fuerit, magno receptaculo vitreo inde, ac in calido balneo pone: ac bonam partem aceti ex vino destillati superfunde: ac moue, ac contritam materiam lapidis probe cum aceto permisce: ac bene vitrum inter manus tuas agita 3. quaterve: ac materiam bene cum aceto permisce, ac identidem in balneo calido repone. Ac materia lapidis sensim soluetur. Denique post quatuor aut quinque dies, sine balneum sponte refrigescere, ac bene in fundo vasis subsidere sine. Tum vitrum mundum habe, ac ei sensim desuper infunde de materia quod solutum fuerit, ac firmiter operi. Tum denuo materiæ tuæ lapidis, acetum recens superfunde, ac moue, & materiam probe cum aceto permisce: ac denuo pone in balneo calido, ac fac modis omnibus, vt supra. Ac rursum effunde sensim quod

 solu-

solutum, priori addens. Ac illud infundere ac effundere iterabitur, donec materia simul omnis soluta est, ita vt nihil remaneat. Tum id quod solutum est simul omne sume, ac pone super fornace in testa cum cineribus, ac igni tepido coagula tam siccum, vt puluerescat. Tum materiam ex olla vitrea sume, ac rursum reuerberandam pone, donec materia intumescat, idq; octiduo aut minori temporis spatio fiet. Tum sponte refrigescere sine; exime, ac materiã super lapide marmoreo contere, cum bono aceto destillato: ac denuo materiam soluẽdam pone in balneo tepido cum aceto destillato, modis omnibus, vt prius faciebas. Cumq; iam omne simul solutum fuerit, congela denuo vt prius; pone iterum reuerberandum, vt ante, donec materia lapidis iterum intumescat, idque triduo aut quatriduo ad summum fiet. Ac ne tam vehementem ignem aut flammam adhibe, vt materia tua liquescat. Cumq; inflatum est, sine denuo frigefieri; exime, ac rursum super lapide cum aceto destillato contere: pone denuo soluendum, vt prius, ac statim soluetur: congela iterum, ac rursum reuerberandum pone, donec infletur; sine frigefieri, ac exime, ac super lapide cum aqua communi destillata contere: ac soluendum pone in aqua communi destillata. Ac materia lapidis facile soluetur in clara aqua communi. Et tum materiam lapidis redegisti in aquam simplicem, absque vlla corrosiuitate addita: ac soluitur in humiditate frigida, & congelat in calida siccitate: atque ita materia lapidis esse debet. Cum materia lapidis in aquam communem soluitur, tum exterius intus positum est, & interius foris, id est, rubedo eius nunc intus est, ac albedo foris est. Cumque materia hoc pacto in aquam simplicem soluta est, pone in olla vitrea in fornace, in testa cum cineribus congelandam, donec humiditas abierit, ita vt pellicula super eam venire incipiat. Tum sine frigefieri, ac à fornace depone: aut vitrum super fornacem diem vnum ac noctem sine: aut præstaret vt in cella frigida poneres, lapillabit quasi salnitrũ, alumen, aut mel arundinis esset, album ac clarum, in morem niuis pellucidũ ac durum. Sume id quod in lapillos excreuit, ac rursum super fornacem pone, ac iterum humiditatem euapora, donec iterum pellicula superueniat. Tum iterum in cella pone, ac rursum lapillare sine, ac sume ꝙ lapillatum est, idq; itera donec omnis materia tua lapidis omnis simul lapillata fuerit.

Tum

Tum sume simul omne quod lapillatum fuerit: ac omne simul pateræ inde, ac cineribus calidis impone super fornace: ac continuo rursum aqua fiet, simulatque calete incipit, ac iterum euapora in puluerem siccum, ac puluerem album habes. Pone puluerem in fornace reuerberatoria, ac ignem adde vt puluis vere ruber fiat, vt candeat orationis vnius, aut duarū, aut trium ad summum spatio. Sine sponte frigesieri, tum exime, ac sicca in olla vitrea, ac aquam communem superfunde, ac facile soluetut etiamsi in balneo non ponas: sinas tantummodo diem vnum ac noctem stare, ac in aquam claram soluetut: sinas quiescere pusillam fæcem ponet, eaque fæx eius interior est, eam materia de se non mittit, antequam interius eius foras inuersum est. Fæcem aufer, prorsus inutilis est: satis enim probatum est, nihil præter fæcem esse. Tolle etiam quicquid infra in quaque solutione reperis, nihil enim itidem præter fæces est. Tam arcte cauere non potes in opere, inter candefaciendum, in fornace reuerberatoria, ac in soluendo & congelando, quin semper puluis incidat: ac vbi tum solutum fuerit per filtrum destilla, ac rursum aquam recentem destillatam super fæces funde, ac fæces probe cum aqua permisce, ac sine denuo subsidere; rursum destilla per filtrum: iterum aquam recentem superfunde; moue ac sine subsidere, destilla per filtrum, ac fæces ablue. Nam semper aliquid de materia lapidis apud fęces manet, ac ne quid de materia amittas, fæces toties aqua communi destillata laua; donec certus sis nihil de materia Lapidis in fæcibus superesse. Aquas vero omnes quib. fæces lauisti cōfunde, ac cōgela cum eo quod primū è fæcibus deducebas. Et cum congelatū est, denuo vt candefiat, pone in fornace reuerberatoria, vti dictum est prius, 3. aut 4. orationū dominicarum spatio. Tum sinas sponte refrigescere; exime, ac solue iterum, vt prius: sine residere, destilla per filtrum: Laua fæces, vt prius. Id vero soluere, ac congelare, ac iterum candefacere itera quoties libet. Nam istud soluere ac denuo congelare, materiam lapidis tam subtilē efficit, ita vt ad extremum vitrum tuum penetraret, si ad 3. aut 4. dies solutam stare sineres in vitro, ac in quaque solutione lucrifacis. Ita 16. aut 17. soluere potes, ac tum denuo congelare, ac tum iterum candefacere: ac sæpius facere auctor tibi non fuerim. Timendum enim esset, ne materia lapidis præ subtilitate ollam tuam vitream penetraret in congelatione. Hoc facto, sume puluerem

Puluis paratus ad spiritus cum eo

permiscē-dos, & v-niendos.

uerem, ac in pyxide vitrea serua. Paratus enim est ad spiritus cum eo permiscendos ac vniendos.

CAP. CXXX.

NVnc te vtramque materiam præparare docui ad lapidem conficiendum, vnam partem spiritualem ac subtilem: alteram corpoream ac fixam: quia Sol nullam terram relinquit, vt ante in opere doctum est: quique aliter operatur, ac alias vias quærit ad verum lapidem Philosophorum conficiendum, errabit ac frustra sudabit: nec intelligit semetipse nec mentem Philosophorum. Ex Sole multiplex medicina confici potest qua proiectio fit, in qua multum vtilitatis, ac lucri sit: Verum lapidem conficere, magnum illud opus Philosophorum, hoc modo institui debet, ac non aliter. Ex Sole quidem oleum confici posset ita præparato corporaliter ac fixo, ac tum calcinandus poni ad dies 40. in fornace, in qua spiritus calcinantur: ac si tum eximeretur ac in aceto destillato solueretur, ac denuo congelaretur; idque toties iteraretur, donec materia consisteret in oleum candidum ac splendens: Ac si tum lamina Veneris candefieret, ac de oleo illo ei inspergeretur oleum separaret, ac penetraret per eam, quemadmodum oleum corium siccum penetrat: ac laminam Veneris omnino Lunam fixam efficeret, quam longe sese oleum sparsisset. Ac si oleum super Mercurium stillaretur calefactum, in Lunam fixam ipsum conuerteret: ac similiter Iouem, Saturnum, &c. cum super ea stillaretur cum liquefacta starent. Ac si oleum inderetur vitreo vasi ad eam rem cocto, ita vt ex vitro forti conflatum esset, ac poneretur in digestione, in calore sicco temperato: si oleum illud tamdiu in eo haberetur: tandem in oleum rubrum conuerteretur, interius eius denique foras educeretur, atque exterius intro longa digestione: ac tū omnia metalla in verum Solem transferret, vt prius in Lunam fixam transferebat. Sed Lapis non esset, oleum fixum Solis foret; & medicina quædam ac Elixir. Verum ad lapidem conficiendum, Sol in 2. partes diuidendus est, ac vna pars spiritualis ac subtilis est efficienda, ac altera corporea & fixa, ac subtilis vti ante dictum est: ac tum duo illa contraria coniungenda, vt doceberis. Quamuis nunc sibi inuicem contraria sint, tamen ex re vna & ex vna materia confecta sunt: ac nūc rursum in rē vnā coibunt, ac vna materia fient: ac deinceps vna materia in

æternum

æternum permanebunt : ita vt neq; iam, neq; vllo vnquam tempore separentur: ac sint res absolutissima & perfectissima, quæ vnquam in terris fuit, aut vllo tempore futura est. Ac perpende, ac probe opus circumspice: in hunc modum fieri debet ad lapidem conficiendum, nec in alium modum. Potest quidem lapis confici, quo proiectio fieri potest, sed lapis Philosophorum non est, de quo Philosophi loquuntur, &c. Nunc denuo ad opus redire volumus, vt duas istas materias contrarias rursum coniungamus, & rursum in corpus perfectum reducamus, quod prius non fuerant, quamvis ante vna materia, ac vnum corpus esset, tamen perfectum non erat. Nam si corpus perfectum fuisset, non potuisset corpus illud in 2. naturas redigi, vt supra doctum est. Ita prius perfectum corpus non erat, nec materia: ei enim inest albedo & rubedo, quæ à se inuicem arte separari possunt. Sed iam post coniunctionem istã quam nunc docebimus, fiet omnino vna materia, vnus color, & vnum corpus: ita vt nunquam in vllas partes à se inuicem separari possit. Tum dici potest: Est materia vna, color vnus; est res corpusque tale, vt in hoc mundo inferiori ei simile non sit reperire. Est enim omnino rotundum instar circuli, nec angulos nec extremitates habet: est prorsus rotundum, ac simplex, vt cælum inuincibile. Potest calentem refrigerare; frigentem calefacere; humidum siccare; siccum humectare : tamen in se nec calidum, nec frigidum, nec humidum, nec siccum est. Nihilominus cuique rei suppeditat quo illi opus est, hoc fit, quia perfectum est ac simplex: tamen 4. elementa perfecte insunt, sed sibi inuicem contraria non sunt: vnũ corpus sunt, vna materia, vnus color, vnum corpus simplex, quod in partes separari nequit. Idcirco cælum omnia necessaria suppeditandi potentiam habet. Pari modo se res habet cum nostro lapide cum perfectus est, & ad vnum corpus, ac ad vnum colorem, & ad vniam materiam perductus est, etiam calidum refrigerabit, &c. ac immundum mundabit, ac cuique quo opus habet, suppeditare valet. Itaque nunc 2. istas res contrarias coniungamus, vt virtutem prædictam habeant.

Confert lapidem cum cælo.

CAP. CXXXI.

Nunc corpus tuũ præparatũ accipe, ac lapidi valde mũdo ac claro impone: ac tũ sume vitrũ in quo alba tua materia lapidis inest, aut tuũ lac virginis, vt nominare placet, ac ipsum imbibe cõterendo sup lapide in corpore suo ꝓprio.

Tum

Tum ipsum vitro inde:ac vas admodum sol·de luto obtura,ac sine lutum probe siccescere,ac fornaci fixatoriæ impone, ac ignem admodum tepidum adde,vt Sol in Martio splendet, ac die noctéque in hoc calore retine, donec materiam tuam nigrescere videas instar picis,etiamnum magis. Tum ignem tuum exiguum gradum auge,ac non multum:ita vt paulo calidior esse quam ante percipiatur. Ac retine ignem in calore, donec videbis alium colorem qui subrufe cinericius est,quasi essent cineres. Tum ignem tuum etiamnum paululum auge, ac non nimium, ita vt Sol in Aprili splendet, atque ignem in eo calore retine donec subuiridem colorem cernes, qualis est color plumæ psittaci. Tum adhuc ignem paululum auge, donec videbis colorem, qualis cauda Pauonis, quæ centum colores habet. Tum ignem tuum auge eo calore, qualis est Solis in Iunio, nec maiore. Et ignem istum non augebis, donec perfectam albedinem videris,ac lapidem album perfectum esse. Ac colores quos cernes quasi essent cauda Pauonis sese sæpe ex vno colore in alium mutabunt, donec omnes colores sese ostenderint qui in orbe cogitari possint. Imo multo plures. Nam ibi sese ostendunt omnes colores quos Deus in natura dedit,plures quam mens hominis imaginari potest. Ac colores omnes simul interibunt, ac ad extremum peruenient omnes simul ad insignem quendam clarum colorem album. Priusquam vero clarus splendens color veniet, multam insignem albedinem conspicies: ita vt tibi videatur: hæc est vera albedo,Sed vera albedo non erit. Priusquam vera albedo veniat,videbis in circuitu ad margines vitri, in materia lapidis quasi essent gemmæ Orientales vitro insignes,tanquam oculi piscium. Cum id vides,sis certus in paucis diebus perfectam albedinem sese manifestaturam;cumque materiam instar niuis albam esse vides; ac splendorem habere vt gemmæ Orientales quæ aqua valde insignes sunt, vt materia quæ in vitro est:gaude:Lapis enim albus est perfectus. Sinas sua sponte refrigescere; sume vitrum ac confringe, ac proba paululum super Mercurio præparato,mutabit ipsum in Lunam fixam, Ac tum album lapidem sume, ac rursum super marmore pone:ac tum rubrum illud oleum sume, quod tibi seruare iubebam; postquam subtile destillando effeceras: ac imbibe terendo in lapide albo. Ac vbi rite conglutinatum fuerit, tum vitro inde tali,quale in quo lapidem album perfecisti:ac vitrum illud in forna-

Omnes colores hic se ostendunt quos Deus in natura dedit.

fornace pone. Quare Sapientes dicunt: *Vnũ est vas, vna fornax tam ad album quam ad rubrum &c.* Ac ignem adde eundem, quo lapidem album percoxisti, donec videbis materiam colorem cinericium adipisci. Tum ignem tuum auge paululum tantum gradulum vnum, donec cernes colorem heluum, perinde ac si esset coagulum quo alutarij coria sua præparant. Tum ignem tuum etiamnum gradulum 1. auge, ac illud regimen ignis serua, donec colorem cernes perinde ac si esset cõtritus later inter rubrum & ruffum. Tum ignem tuum auge etiamnum exiguum gradulum, donec rursum videas colorem cinericium; quasi glauci cineres forent. Ideo Sapientes aiunt: *Nec contemne cineres in fundo iacentes.* Ac tum ignem tuum auge etiamnum exiguum gradulum. Color vero cinericius est postremus colorum omnium reliquorum sese ostendens. Ac iam ignem tuum non amplius augebis, priusquam lapis perfectus sit. Primus color quem post hunc colorem cinericium cernes, erit rubidus color, quasi esset Rosa: ac paulatim color interdum altior fiet, ac paulatim magis magisque rubebit: adeo vt materia tam rubra ac tam alti coloris sit eua-sura, vt nunquam talis rubedo vllis oculis humanis conspecta fuerit. Tum cum Philosophis exulta, Lapis perfectus est. Lapis perfectus.

CAPVT CXXXII.

Item pulcra cælesti rubedine conspecta, vt prius dictum est, sinas sponte frigefieri, ac exime, atque admodum circumspecte serua: atque huius drachmã 1. sume, ac tum 20. drachmas auri puri ter quaterve cæmentati, ita vt admodum purum sit. Tum sume 20. illas drachmas auri, ac pone liquandas in crucibulo. Cumque liquefactum est, drachmam illam pulueris tui lapidis superijce: ac puluis ille continuo se permiscebit cum auro illo, ac vnum corpus fiet: sine refrigescere, ac exime. Tum optimum crucibulum terreum habe, qui bene ignẽ ferre possit: ac tum habe crucibulum vitreum, qui terreo quadret, qui ex vitro ita sit confectus vt ignem ac flammam ferre possit, ita vt nec liquefiat nec rumpatur in igni. Tum crucibulum vitreum crucibulo terreo impone. Ac tum speciem furni venti habe, ac ei vtrumque crucibulum impone, ac ei crucibulo aurum inde, in quod drachmam illam pulueris proiecisti tui lapidis. Ac liquefacito, atque ita liquefactum retine 3. dies ac noctes continue, vt omne in vna fiet liquefactione. Sine refrigescere, ac exime. Tum sume auri puri mille par-

Quid agẽdum cælesti rubedine cõspecta.

le partes,ac in crucibulo liquefacito, ita vt fluat. Tum huius materiæ accipe partem 1. quæ per 3. dies in furno venti stetit, ac proijce super illud argentum quod fluit, ac vna cum eo fluere sine 3. aut 4. orationum dominicarum spatio. Tum sine refrigescere, ac aurum purum superans omnes probas habes, melius eo quod ex fodinis est.

CAP. CXXXIII.

Argentum interius aurum, sicuti aurum interius argentum est.

QVæri posset: qui fit vt pars 1. illius coloris mille partes in aurum sit conuersura? Scies, argentum interius aurum est, sicuti aurum interius argentum est. Ac lapis noster cum perfectus est, omnibus metallis interius foris ponit, ac exterius intus, ac omnia metalla in supremum eorũ gradum perducit: ita vt in nullum aut altiorem gradum peruenire queant, nisi ex ijs lapis Philosophorum conficeretur. Ita fit vt vna pars eius mille partes argenti transferat in Solem, quamvis vna pars eius nullam tincturam aut colorem haberet: Si nullam aliam potentiam in sua natura haberet quam tantummodo argento interius foris ponendi, ac exterius intus, argentum illud in suum aurum conuerteretur, ac tinctura eius permaneret. Cumque metallo interius eius foris positum est, ac exterius intro conuersum est, absolutum perfectum est.

CAPVT CXXXIV.

NVnc iterum loqui volumus de istis mille partibus argẽti. In hunc modum conuersis vna parte firmati lapidis, argentum forte frangibile erit ac fragile: ac si frangibile reperis, vna pars illa lapidis nimis est efficax, amplius argẽti postulat. Itaque istas mille partes denuo liqua, ac plus argenti adde, tantum vt malleabile, ac molle sit. Forte vna illa pars facile bis aut ter mille partes argenti in aurum purum conuertet. Cumque molle est, vna pars illa opus suum peregit. Id experientia te facile docebit, vt prius dictum.

CAP. CXXXV.

NVnc cum illas bis aut ter mille partes habes, satis auri ad lapidem tuum totum fermentandum habes. Ac scies, cum lapis tuus perfectus est, vt hoc loco docuimus, nullam proiectionem eo facere potes, nisi prius auro fermentes, vt te docui. Nam nisi lapidem fermentares, nullam proiectionem faceret. Virtutem enim generationis iam non amplius

plius habet:ea iam finem habente. Nam lapis ad summum gradum eius est perductus, ita vt lapis nullo vnquam tempore, ne quidem post diem nouissimum ad altiorem statum aut gradum peruenire possit. Ita liquet rem perfectam nullam generationem in se habere. Itaque constat lapidem nostrum nullum metallum translaturum ex sua natura in aliam naturam, nisi virtus ei insit per quam potentiam eam haberet. Ita necesse est, si lapis potentiam sit habiturus, omnia mortua immunda metalla viuificandi, ac liberaturus ab omni immunditie, ac sui similia in vnam partem facturus, vt lapis fermentetur corpore omnium purissimo, quod in toto orbe sit, ac cum eo conglutinetur; ita vt corpus illud sit lapis, ac lapis corpus illud: ita vt in secula in vnum, ac simul, & in vna substantia sint permansura, ac nunquam separentur.

Res perfecta nullã generationem in se habet.

CAPVT CXXXVI.

ITem coniunctionem Philosophi fermentare dixere, atque hoc est opus illud 3 dierum. Ac istud fermentare stolidi non intelligunt: ac putant fermentum corporis crudi adducendum ad opus lapidis, cum lapis in opere stat. Sunt capita insana, verba Philosophorum non intelligunt, sed verba Philosophorum ad suam stultam opinionem pertrahunt, vt quod corpora impetfecta, ac crudum Mercurium simul ponunt ac cum in eo insano sunt opere, aliquid corporis perfecti addũt, atque id fermentum vocant. Nãm lapidi fermentum addi nõ potest, donec omnis simul perfectus sit: ac tum additur eo modo, quo hic doctum est, atque etiamnum docebitur. Ac loquuntur etiam de lapide multiplicando vbi perfectus fuerit, id dictum est de fermentando. Lapidem fermentare volũt in opere stantem: ac lapis non potest fermentari nisi cum perfectus est Ac lapis multiplicandus est, cum est in opere, sublimationibus ac destillationibus, ac lapidem subtilem efficiendo. Atque ita manifesto intelligere potes, omnem opinionem eorum falsam esse, ac fraudulentam,

De coniũctione quam Philosophi fermentationem, ac opus 3 dierum dixere.

CAP. CXXXVII.

CVm 2coo. auri habes aut eo amplius confecta, satis habes quo totum tuum lapidem fermentes. Tum lapidem tuũ pondera, ac vigesies tantũ auri tui sume, quantũ lapis põderarit: ac cape crucibulum fortẽ, ac in eo aurum tuum pone, & sine liquefieri. Tũ ignem ei tã calidũ subiice, vt fluat:

tum

tum ſenſim ac cunctanter puluerem lapidis tui ſuperijcito; donec omnem puluerem lapidis aurum illud imbiberit. Tum ſinas etiamnum 5. aut 6. orationum dominicarum ſpatio fluere. Tum effunde, ac ſine frigeſieri. Tum pulueriza, ſinet ſe pulucrizari in morem vitri, tam fragile eſt. Tum magnum crucibulum habe qui igni ferendo ſit. Tum habe admodum fortē crucibulum vitreum ex vitro duro conflatum, quod à calore ignis liquefieri nequeat. Ac crucibulus vitreus quadrabit crucibulo terreo: ac puſillum cineris cribrati inter vtrumque crucibulum ſparge: ita vt crucibulus vitreus firmiter in crucibulo terreo ſtet. Tum crucibulum firmiter operi, & in furno venti pone, ignem ſubijciens talem, vt lapis cum auro liquefactus ſtet, ac liquefactum retine per dies 3. ac noctes. Tum ſines ſua ſponte frigeſieri. Tum exime: lapis tuus fermentatus eſt & paratus ad proiectionem eo faciendam. Ac cum proiectionem facies, ſumes eius paululum, ac in puluerem contundes, ac ſuper argentum proijcies, vt ſupra doctum eſt. Auctor tibi ſum vt ſuper argentum ſemper proiectionem facias: nam id metallum eſt proximum: ac ſuper id lapis tuus altiorem proiectionem eſt facturus, quam ſuper metallū imperfectum. Aut proijce ſuper Iouem, ſuper ipſum lapis tuus altiorem proiectionē faciet quam ſuper Mercurium: ac ſuper Venerem lapis tuus maiorem proiectionem eſt facturus, quam ſuper Saturnum, ac ſuper Saturnum altiorem quam ſuper Martem. Ac ſi ſuper Mercurium proijcis ei lapis tuus non adhæreſcet: nam Mercurius auolaret antequam lapis liqueſcat: lapis leniter eſſet calefaciendus. Sed tua nihil refert, quamvis proiectionem ſuper Mercurium non facias. Metalla imperfecta ſatis multa ſunt ad proiectionem faciendam, &c.

Lapis fermentatus & paratus ad proiectionem faciendā.

NVnc te materiam noſſe docui, ac quo pacto lapidē ex eo conficias. Ac iam quæſo mentem meam probe intellige. Nam omne ſimul mutabitur quod Deus creauit, ſolo auro excepto, hoc non computreſcet. Ita nulla res eſt in orbe quæ ſit eius generis: ac ob id non eſt quicquam pretioſius in orbe quam Sol: atque ob id Reges ſuper pectus geſtant. Ita te veram artem docui, gratia Deo.

Libri primi finis

Operum

OPERVM MINERALIVM M. IOANnis Isaaci Hollandi, siue de Lapide Philosophico,

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

SCiet filius meus in hac arte multum esse erroris, in opere vegetabili potissimum, atque etiam magis in opere animali. Ratio hæc est.

In hac prę fatione docetur à quo opere sibi quisq; cauebit.

CAP. II.

IN vegetabili multum destillandum, soluendum, congelandum, & rectificandum: ac spiritus accurate asseruandi ne in aerem euolent: ac variæ aquæ fortes parandæ, multique spiritus humidi fixandi: ac opus est multo regimine atque cura, ne spiritus tui vitrum tuum fixatorium disrumpant, copiosiore aut vehementiore igni adhibito, antequam fere fixentur: tum enim sese attollunt, ac vitro fixatorio conclusi tenetur, ac per eleuationem vitrum disrumpunt, ac tum omne quod inerat, perditur. Itaque sedulo advigilandum est, magnum enim periculum in hoc situm, quod norunt illi qui fecere; estq; multum laboris & temporis impendendum in vinis rectificandis, quemadmodum etiam in aquis fortib. parandis, ac spiritibus probe asseruandis, ne euanescant.

Multum erroris esse in Alchemia, potissimum in opere vegetabili, ac multo magis in animali.

CAP. III.

TVm etiam in digestione & putrefactione magno acumine opus est, atque ignium mira regimina adhibeda. Itaq; semper vigilare opus est, ac magna cura cauēdum vt illi norunt qui idipsum quotidie experiuntur, &c. Præterea magna cura ahdibenda est ad corpora & terram calcinanda & reuerberanda, ne in vitrum vrendo redigantur, ac nimis sicca efficiantur: quare magna ignis ratio habenda est, atque magna cautio adhibenda. Adhæc terræ clarificandæ sunt, ac aquę destillandæ, ac pręterea omnia opera ad hoc necessaria efficienda. Præterea in coniunctione si vel nimium vnius aut parum alterius adhibes, aut humiditatem tuam initio male asseruasti, medicinæ tuæ ingressum non habent, ac timēdum est ne opus tuum corrumpatur. Itaq; multa cura, onus, tempus, ingensq; sumptus est adhibēdus; ac putantes nos omnib. rebus probe perfunctos, si nobis vitrum rumpitur, aut quid

ff præ-

prædictorum, ac nos ad finem peruenientes volumus proiectionem facere, ac nihil proficimus, nescimus quid nobis desit, ac qui id accidat, atque id fit vitio nostri opificii. Quare mi fili, ne hoc opus vegetabile aggrediaris, suadeo, ob rem enim quamlibet exiguam opus perditur. Præterea nunquam aggrediaris opus facere in animali ob separationem elemẽtorum; est enim etiamnum multo maius onus, & cura ob separationẽ & rectificationem, quæ in ea fieri debent, ac multam incertitudinem, cui ea est obnoxia: estq; tempus adeo longum, vt finis operis ignoretur: ac si initio tuæ humiditatis naturalis aliquid amittis, opus tuum in compositione nimis aridum euadit, ac si amittis vllos spiritus per aerem in destillando, vitio vasorum aut lutamẽtorum, altas proiectiones simul amittis: si quid ignis amittis, tua medicina alte non colorat, ac ingressum amittit: siq; nimium aeris habet, in aerem euolat, & si nimium aquæ, spiritus submerguntur, ita vt fixari nequeant, ac si nimium terræ habet, nimis sicca est, ac nullam liquefactionem, neq; ingressum habet. Itaq; separatio elementorum, nimis est periculosa: nimis enim facile fit, vt quid alicuius elemẽti deperdatur, tum opera, tempus, impensa, ac simul omne periit. Itaq; si me audies, separationem elementorum deuitabis, siue in Mercurio operis mineralis, aut vegetabilis, aut in lapide, quam nobis Deus gratis donat, vbicunq; de ea re fit sermo, ac dicitur elementa esse separanda, vita omnia ea opera ob incertitudinem. Nimis enim facile fit, vt quid ex humiditate eius deperdatur, in initio, in medio, aut in fine, ac cum quid humiditatis eius amissum est opus omne periit & corruptum est. In compositiõne enim opus coniungi nequit, atq; ingressus ei est ademptus, ac omnino deperditus. Fuere tamen artifices non pauci, qui omnia hæc opera fecère, ad naturam peruestigandam, verum opus magnum prius perfecère, &c. Nam qui opus magnum perfecit, sumptus nihil curat.

Separatio elementorum deuitanda.

Fuère item nonnulli, qui mirificis amalgamationibus, ac fixationibus, multiplicationibus, atq; multis aliis mirandis operibus fuère occupati: ac habebantur ea admodum bona per mensem, aut 7. aut 8. hebdomadas, aut etiam 10. atq; interdum adeo longa sunt, vt ad finem pertingere nequeãt, ob vitia quæ in opus incidunt. Nam in initio, medio, aut fine, genuinam humiditatem non seruant, ita vt nimis siccũ fiat:

aut

aut nimis calide aut nimis diu ad ignem coquunt, vt ingressum amittat ac solutionem. Ita nihil proficiunt, verum opera, impensa, ac tempus illis perit.

Ita, mi fili, istas amalgamationes, aut multiplicationes ac fixationes deuita, quamlibet enim speciosæ & probæ esse videantur, tales sunt, vt ad finem perueniri non possit, atq; etiam incertum est ob ablutionem & mundificationem, quæ fieri debet: nulla enim fixio fieri potest, quin spiritus purgētur ab omni sua immundicie, atq; fæcibus careant: alioqui nulla mixtio aut fixatio fieri potest: sique in mundificatione aut ablutione quid tuæ humiditatis amittis, omne tuum opus corrumpitur. Itaq;, mi fili, tibi suadeo, deuita omnia opera mundificationis & ablutionis, aut in quæ separationes elementorum ingrediuntur, aut destillationes, aut calcinationes, aut solutiones, & coagulationes, aut opera peregrina, in quæ cura & regimina ignis incidunt, ob cuncta pericula, quibus ea obnoxia esse possunt, quæ partim hic omnia recensuimus, exercentibus ea quotidie probe nota. Quocirca, mi fili, ne nimium properes aliqua horum operum facere, aut incipere: nam sexcenta præterea vitia incidunt, quæ hic non commemoramus. Quare adhęreas arti magnę, aut magno Elixiri, vt maiores tui fecēre, quo facto omnem naturā peruestigare poteris, sin aliter feceris, consilium meum non sequēre. Ante omnia in opere magno labora, in eo enim nulla cura, nec destillatio, nec congelatio, nec mundificatio, nec opera peregrina, nec res peregrinæ, nec immundæ, fæces habentes; nec calcinas; nihil enim opus: non separas elementa, munda quippe sunt: nulla re opus habet: vnum est genus, res vna, & vas vnum, fornax vna, ac vnum opus ad album, ac rubrū; ac nullum periculum in opus potest incidere. Vnde Veteres dicunt, opus non est, nisi opus muliebre, ac ludus puerilis, ignari percipere nequeunt, quia opus tam est simplex. Opus enim magnum semetipsum soluit, semetipsum sublimat, semetipsum fixat, semetipsum liquidum in modum ceræ efficit, semetipsum perficit, &c.

Cōmendatio operis magni ob facilitatē, securitatē, ac simplicitatem.

Ecce, mi fili, nunc omnia tibi vitia patefeci, quæ in omnia illa opera varia possunt incidere; quæ singula non recensui. Quare sapias, ne in desperationē incidas, ob vitia quæ tibi in prædictis operib. obuenire possint. Verbis apertis te allocutus sum nullis parabolis vsus. Si tibi verba facerē de Selbach,

Kalkabria, Mannessi, ac de quadam re rubra, ac de cæruleo Muerach, Illabar, & Cafaria, & huiusmodi, haud facile caperes, sed tibi viam aperui, atq; omne obstaculum remoui, ne quid erres. Quare magno operi adhære, in eo nullus error, nec cura, nec labor, nec vigilia, nec corrumpi potest, nisi data opera velis corrumpere: neq; ad id vllum peregrinum instrumentum, aut vitrum vsurpare opus habes; vnum vas, nec amplius, vna fornax est, nec amplius; vnum genus materiæ, nec amplius. Quare Geber Philosophus ait: Noster lapis est vnum genus, res vna, vnde ignari artem capere nequeunt, nec adipisci, ac rebus nostris species, aut materiæ peregrinæ non permiscentur: ac illi assumunt res peregrinas, quæ eius naturæ non sunt, atq; eas volunt eius naturæ efficere, quod ipsis impossibile est: tumq; in iis fixandis elaborant: ac cum ea fixa habent, tam profecerunt quam prius, tum enim nihil nisi terra est, quę humiditatem suam amisit, nec potest liquefieri, ac nullum ingressum habet, tumq; opus deserunt, genus eius ignorantes. Nam si genus eius nossent, ac patrem matremq; eius, sorores ac fratres, ipsumq; cum matre, sorore & fratre in lecto collocarent, componentes brachia brachiis, atq; oribus ora, eodem momento morerentur. Ac si nossent atq; intelligerent hæc, in hac arte voti compotes fierent, ac omne opus eorum feliciter cederet. Atque hæc, mi fili, verbis apertis tibi nota feci, ac proinde nulla opera peregrina incipias, antequam magnũ illud opus absolueris, tum quicquid libet, incipe; tum enim nullus sumptus obesse poterit, nec tempus, in omnibus enim compos voti factus es, &c.

CAP. IV.

Regula quædam simplex, de qua omnes Sapientes mire loquuntur. Omnib. rebus à Deo cõditis ars vera inest. Varia dicta veterum cum explicatione.

SCies item, mi fili, nos commemorasse multa vitia operi accidentia: ac multa millia plura sunt, quam recensuimus, &c.

Scies vero, mi fili, ac intelliges esse regulam quandam simplicem, de qua omnes Sapientes admodum mire loquuntur, cuius tam multa diuersa ponunt nomina, atque iis omnibus magnum illud opus denotant. Illi capere possunt, qui norunt, quique omnes eorum parabolas & ænigmata intelligunt. Ac proinde filius meus, de istis operibus intelliget ac tenebit; omnibus rebus à Deo conditis veram artem inesse, Vnde Veteres aiunt: *artem esse in rebus omnibus*, & vere. Id vero aliter intelliges. Item, *omnis res determinata habet suam*

per-

perfectam medicinam in sese, sed imparatam, siq; eam parare noris, medicinam quærere aut petere nihil opus habes, cuiq; in suum vsum: id alium habet sensum. Homini nullus morbus accidere potest, quin habeat perfectam medicinam apud se, ad seipsum certo sanandum, si parare possit, atque à seipso sumere potest ac parare sine diminutione sui, aut detrimento corporis. Quod eodem modo de omnibus animantibus, auibus, omnibus plantis, ac cunctis, quæ Deus creauit, intelligendum est. Idque ita se habet: verum imperiti opera Veterum non capiunt, atque ex omnibus rebus medicinam in metalla facere putant. Ita pilos, oua, sanguinem, cochleas & similia sumunt, atque ex iis medicinam se parare posse putant ad imperfecta metalla in perfecta reducenda: ac cum iam egregie desudarunt, nihil profecerunt, in errore permanentes.

Sciet autem filius meus, quod homo hominem, equus equum, vulpes vulpem gignat, ex pisce fit piscis, ita simile sui simile gignit. Rationi omni atque adeo naturæ repugnaret, quod ex vllis speciebus peregrinis, cruore, pilis, ouis, aut cochleis, metallum posset fieri: nihil enim tale inest: quanto minus ex huiusmodi rebus medicina confici potest, quę metalla imperfecta reduceret in Solem aut Lunam: profecto rationi omnino repugnat, atque etiam impossibile est: ac demiror aliquem ad tales errores peruenire posse. Si vim naturæ caperent, profecto in tales errores minime inciderent. Itaque mi fili, scies ac nosces cuius generis res sit, aut quid ei insit, priusquam pares, ita non errabis. Simile gignit sui simile.

Sciet filius meus omne oleum metallorum esse Elixir, atque itidem omne sal, ac si omne oleum metallorum est Elixir, planum fit omnia metalla perfecta propriam medicinam in se habere: Quanto melius igitur est oleum Solis & Lunæ, quæ vtraque sunt perfecta, &c. Omne oleum metallorum, sicuti etiã Sal eorum est elixir.

CAP. V.

Norit filius meus ex omnibus metallis perfectam medicinam confici posse, quæ reliqua omnia metalla in Solem & Lunam transferre possit, absque separatione elementorum, aut destillationibus, solutione, sublimatione, aut fixatione; seipsum soluit, seipsum purgat, seipsum coagulat, seipsum destillat & sublimat, seipsum fixat & perficit, seipsum incerat, seipsum liquidum efficit, &c. Ex omnibus metallis perfecta medicina cõfici potest absque elemẽtorum separatione.

Præterea ex omnib. metallis oleum conficere potes, absq; elementorum ſeparatione, atq; ita ex omnibus ſal potes cōficere ſine ſeparatione elementorum: ac res prædictæ variis modis fiunt, atq; ita ad opus magnum pertinent. Adhæc potes ex Sole & Luna perfectam medicinam facere absque elementorum ſeparatione, ac ſine labore vllo, aut metu, ſine periculo: præterea perfectam medicinam facere potes ex duobus lapidibus gratis nobis à Deo donatis, abſque elementorum ſeparatione, atque etiam absq; magno apparatu, &c.

Intelliget itaque filius meus omnia prædicta pertinere ad magnum opus ſine multo apparatu, ac magno ſumptu, atq; abſq; additione vllarum rerum peregrinarum: egent quidem longo tempore, ſed tuta ſunt. Adhæc, mi fili, cum magnum illud opus vis adornare, ipſum ipſiusq; genera omnia noſſe debes, ac potiſſimum patrem, matrem, ſororem ac fratrem, atq; nudum conſtituere in claro & puro corpore inſtar cryſtalli, ac ipſum mundare ab omnibus peccatis, atq; ita facito patri, matri, ſorori ac fratri: tum in lecto cum patre, matre, ſorore atq; fratre collocabis, componens brachiis brachia, atque oribus ora, in conclaui, tum eodem momento morietur: tum mortua illa corpora aqua limpida paradiſi perfunde, atq; vni probe hac aqua, atq; hæc aqua aſcēdet ad cælum intra circulum Lunę, atque in rorem conuertetur, ac rurſum guttatim decidet ex conſilio artificis, atq; terram humectabit, ita vt flores varii coloris enaſcantur, qua virtute florum reſurget filius generis cum rubro diademate, eritque Imperator in omnes tribus terrę, ac ſuam dominationem in æternum non amittet, omnesque eius hoſtes pacem cum eo inibunt, &c.

CAP. VI.

Nunc ſermonem inſtituit de magnis operibus Veterum.

NVnc, mi fili, de magnis operibus, quæ Maiores noſtri fecere nobis ſermo erit. Scies autem, mi fili, ipſos in arte laboraſſe variis modis, atque ita ad vnum eundemq; finem peruenēre; verum lapis eorum non æque magnā proiectionem fecit: hic altam, ille longam, prout opera acuta fecere, aut alti coloris. Nonnulli diu deſudarunt, antequam lapidem produxere: alii acumine ingenii tempus abbreuiarūt, vt iam quotidie fit, multo ſudore ac labore. At noſtri maiores alii tres annos, alii 4. laborauere antequā lapidem produxerunt. Illis enim temporibus aqua fortis erat incognita, ac

non

non nisi aceto destillato vtebantur. Nunc eorum posteri aquas fortes adinuenère, quod opus multum abbreuiauit. Ac tenebis, mi fili, opus facile abbreuiari posse; prima præparatione materia subtilis efficiatur, ita vt species probe vniatur, vt natura sola eam concoquere opus non habeat; atq; humidum cum sicco, adeo subtiliter commisceatur, vt sit vnum quid, vt anima corpori ac spiritui ita vniatur, vt sint vnum quid. Quamobrem Hermes Philosophus noster ait: *In initio operum tuorum ne sis lentus in omnibus probe mundificandis, ac clarificandis, ac subtiliter conglutinandis, vt postea gaudeas.* Geber, Dantynus & Morienus etiam dicunt: *Aquam probe cum terra coniunge, ac humidum cum sicco, vt post videas magis nigredinem*, id est, atrum colorem eius, quem in eius putrefactione conspicies, quæ fiet 29. dierum spacio ad ignem pusillum, quod perfectum signum probæ coniunctionis est.

Opus faci le abbreuiari posse ac quo pacto.

Perfectum signum probæ coniunctionis.

Ita, mi fili, initio sedulus esto, vt omnes tuas materias rite ac diligenter præpares: iis enim in igni collocatis, omni labore perfunctus es, ac tantummodo ignem regere opus habes.

Scies item, mi fili, me commemoraturum posthac varia opificia, quæ omnia simul perfecta sunt. Principio laborarunt nostri maiores circa amalgamationes Solis ac Lunæ, quod est opus perfectissimum, quamuis longum sit: verum tutissimum est, & minima in eo cura. Istas etiam amalgamationes variis modis posuère, & tamen omnes ad vnum certum finẽ peruenerunt, sed non ad æque magnam altitudinem proiectionis. Alii etiam acumine ingenii opus multum abbreuiarunt, vt posthac in opere docturi sumus.

De amalgamationib. Solis ac Lunæ Veterũ.

CAP. VII.

Scies, mi fili, nonnullos fuisse, qui lothones 3. Lunæ sumpsere, & 1. Solis, atque Lunam super testam purgarunt ac reflarunt de Saturno in crucibulo, tumq; subtiliter limarunt in naturam subtilem: Solem cæmentarunt in cæmento Regali, ac tum etiam limarunt: quo facto Mercurii lothones 8. sumpsere, ac simul in mortario ferreo amalgamarunt pistillo



chalybato: præterea conterebant per diem integrum, ac vesperi vasi terreo aut lapideo immitebant, aut vitreo in hunc modum facto, ac in testa cum arena super fornace collocabant: ignem lentum addebant,

ita vt digitum tuum arenæ immissum tenere possis, ac vas patere sinebatur ad humorem extrahédum, mane materiam reperis duram: tum iterum mortario ferreo immitte, ac adde rursum 4. lothones Mercurii, aut saltem tantum, donec materia iterum mollescat, idq; opificium persequere, donec materia tua per duplicem pannum lineum transmitti possit, tumq; materiam tuam per 8. dies & noctes in testa cum arena repone, ac singulis diebus eam tere per dies 6. in mortario ferreo, pistillo chalybato indesinenter, vt aquam cum spiritu saltem probe coniungas, vt corpus rite vniatur spiritui: ac octo diebus exactis materiam in huiusmodi vitrum euacua, aeue os vitri super lapide cum rotundo operculo vitreo, quod super os vitri pones, Saturni pondere superimposito, colloca in tripode, atque eiusmodi ignem adde, vt manum tuam tenere queas inter parietes Fornacis & conclaue. Retine in eo calore ad sex hebdomadas dies noctesque: post ignem auge paululum, ita vt tantummodo plumbum liquefactum seruari possit, ita vt non concrescat, & vere solutum maneat: atque ita liquefactum retine in eo calore. Estque hæc putrefactio eius, ac interea perfectam eius nigredinem conspicies, qua conspecta, gaude; nam sub ea nigredine albedo latet, ac certum indicium est, materiam initio rite cõiunctam ac vnitam fuisse. Scies autem quoque triduo exacto tibi operculum a fornace tollendum, ac videndum, an ad margines vitri vllæ margaritæ ascenderint; quo viso, vitrum quaties, donec illæ decidant, ac si decidere nolint, operculum deme, atque pluma circumcirca a vitro absterge, donec decidant super materiam in fundo, tum vero denuo vitrum obturabis, pondus superimpones, fornacem rursum operies: idque quoque triduo aut quatriduó iterabis. Præstat autem vt tam pusillum ignem addas, vt sursum non sublimet, quamuis tempus longius sit, tua nihil refert, certum incerto præfer. Nam magno calore opus tuum perdere potes, verum igni pusillo nunquam. Ac caue ne tantum ignem ei adhibeas, vt rubrum colorem pro albo acquiras.



Ignis pusillus adhibendus.

Cum varii colores sese ostendant; tantum ratio est habenda, nigri, albi & rubri.

Noris, mi fili, vnum colorem sese in alium mutare: sunt multi ac varii colores, quorũ ratio non est habenda: tres vero sunt colores, qui sese in opere debeat ostendere: primus

niger, alter albus, postremus ruber, ac inter quemque colorem, colores varii sese ostendunt, imo plures quam cogitari possint, eorum vero colorum nullam rationem habe; sunt spiritus volatiles nondum fixi, atque hi sunt venenosi: quamdiu varios illos colores vides, caue tibi ab eorum aere, etenim te necaret. Duo colores illi, qui primi sese ostendunt, igni pusillo suscitantur, eundum ignem paulatim augendo.

Tenebis, mi fili, in hac arte nihil esse periculi quam in igni regendo; verum si certus esse cupis, ignem pusillum adhibe, ita errare non poteris, quamuis tempore aliquanto longiore sit opus. *Ignis pusillus adhibendus.*

Itaq; dico tibi & doceo, mi fili, ne ignem adeo augeas, vt rubrum colorem pro albo acquiras. Nam rubedo ea esset materia tua, quæ in vitro esset, ac fieret, quasi esset later puluerizatus redactus in massulas instar tritici, ac pars instar exigui pulueris lateritii, cum paruis gemmis viuis Mercurii, ac vbiq; vitro adhæresceret, ita vt in eo subsideret, ac ingressũ in vitrum daret, atq; tum opus tuum penitus esset corruptũ, ac aliud tibi ponendum esset; verum id tibi non accidet nisi igni vehementiore. Sed color ruber perfectus non apparet, velut contritus later, verum vt illustris obscurior purpureus, atque is videtur potius color cælestis, is vero accidit magno regimine ignis, vt infra, Deo volente, docebitur. Sed de hoc colore tibi mentionem facio, vt nosse, & scire possis, vtrum recte, an secus facias, ac ne in errores incidas.

CAP. VIII.

NVnc ad opus nostrum redire volumus. Si exiguo igni rursus ascendat ad margines aut operculum vitri, id aliquoties vidi, si quid est, decidere facias vt supra; retine hoc pacto per diem vnum ac noctem, donec materia tua omnino puluis fiat, ac colorem habebit inter cinericium ac nigrum, instar terræ, quæ humiditatem suam amisit, vt si cespites teras, ac in patella ad ignem exicces, hi apparent colore inter cinericium & nigrum: ac antequam ad eum colorem peruenias, multos ac varios colores in opere conspicies, ac post colores plures res mirandas cernes: nam ex materia tua nascentur varii arbusta figmenti; Imo omnes pictores aut aurifabri ea exprimere nõ possent. Et singulis gradibus cum materia fortior fit ac maturior, toties mutatio accidit. Antequam ad cinericium puluerẽ peruenias, materia tua omnino *Regressus ad opus.*

ff 5 sub-

ſubcrocea fiet, inſtar ligni aut cinerum ceſpitum crocei coloris. Atque id omne fiet ad ignem puſillum.

CAP. IX.

ET cum iſtum cinericium nigrum puluerem vides, gaude: nam ſub ea nigredine albedo concluſa eſt: tum ita relinquas in eo regimine ignis diuturno tempore, donec paulo pallidior aut albior fiat, ac ſi albior fit, idem regimen ignis ſerua, ſin in eodem ſtatu permaneat, ac nihil proficias, ignem augebis paululum, donec videas materiã paulo candidiorem fieri: cumque aliquid proficis, tum hoc pacto ſinas in eodem regimine ignis, ac ſi ne tum quidem quicquã proficis, ignem paulo magis augebis, & cum vides materiam magis magisque albeſcere, ſinas hoc pacto in eo regimine ignis, ac vide ne ignem tuum nimis augeas. Ac mi fili, hanc regulam ignẽ ſtruendi ſerua, id perſequens paulatim augendo, ac ſalte vſq; adeo donec materia candida fuerit, imo niue candidior: tum exulta, mi fili, certuſque ſis ſub ea albedine perfectam rubedinem latere, ac ſub ea albedine, inquit Morienus, eſt abſcondita, vt Chriſtus in ſepulcro iacebat, ac fiet reſurrectio, ac poſt reſurrectionem fit corpus glorificatum, quod corpus viuet in ſecula, eritque rubro diademate coronatum, ac erit Rex in omne genus ſuum, omnes hoſtes pacẽ cum eo inibunt, Rexque in æternum permanebit.

Regula ignis ſtruẽdi tradita retinẽda.

Conſpecta albedine, gaudendum.

CAP. X.

SCiet item filius meus hic materiam illam intelligendam, quam hic in vitro habes, ea iam terra eſt, quæ humiditatẽ ſuam amiſit, ac nondum quicquam boni efficiet. Tenebit filius meus in hac arte multos eſſe errores. Multi ſunt qui lapidem Philoſophorũ conficere aggrediuntur, ac bono moderamine ignis perducunt ad iſtum gradum, ac lapidi fixando dant operã ad album ac rubrũ, atq; cũ materia hactenus eſt perducta, proiectionem ea facere putant. Tum vero ipsũ in Mercuriũ crudum aut in metalla imperfecta proiiciẽtes, nullum reperiunt profectum, ac in deſperationem incidunt, artem impoſſibilem eſſe dictitãtes, atq; ita eſt, ars enim ipſis impoſſibilis eſt: terrã enim quæ humiditatẽ amiſit, habent. Quemadmodum Geber ait: Spiritus qui multa fixatione ac ſublimatione humiditatẽ amiſere, nihil boni efficiũt quamdiu terra ſunt, aut tã ſicci: atq; talis eſt hæc; ignari vero iſtud carere nequeunt: cum lapidem perfecere, id eſt lapidem rite con-

Errores varii.

conglutinarunt,atq; lapis colorem debitum inducere cœpit, tum ipsum subtilem efficiendum,ac denuo humidum efficiendum, si alioqui ingressum sit daturus, aut proiectionem facturus.Sed opera Sapientum non intelligunt. Intelligunt quidem lapidem Philosophorum effici, vt prædictum est, ipsumq; ita efficiunt,sed ignorant præparandum esse,opusq; deserunt,vbi inciperent,ac in errore permanent.

CAP. XI.

SCies, mi fili, me manifestaturum tibi maximũ huius artis secretum,quod nunquã palam fuit.Quare te adiuro,mi fili,per filium Dei viuentis, ne secretum hoc palam facias nisi proprio filio, si tibi videatur timorem Dei habere, ne tua & mea anima ob id condemnentur, ob periculum, quod inde exoriri posset.

Nunc,mi fili,oculos aperi,ac vide,aures aperi ac audi maximũ arcanum,quod in rerũ natura est. Filius meus dilectus tenebit, ex omni lapide Philosophorũ quomodo & quo pacto fiat & cõponatur,videlicet in magnis operibus, de quib. hic nobis sermo est, duos illos lapides cõfici posse ad album & rubrũ in vno vase,atq; vna fornace:tibi dico,intellige probe quid dicam.Quamuis Lunã acMercurium ponas in hunc modũ absq; additione auri, vtrumq; lapidẽ ex eo cõficies ad albũ,atq; ad rubrum.Quæras itaq; quare in opere Sol &Luna simul ponuntur.Id fit quiaSol fixus est,ac vt opus hoc pacto breuius esset. Nam antequã Luna fixa fiat in opere,lapis ad albũ est effectus. Luna enim fixa nõ est, & antequam fixa fiat,diuturnã coctionem accedere necesse est:acLuna fixa esse debet,antequã Mercurium possit fixare; ac propterea Sol & Luna in opere simul esse debent. Potes etiã vtrumq; lapidem efficere ex Sole & Mercurio solo, atque id facilius fieret quã ex Sole & Luna simul iunctis. Quia Sol fixus est, ob id Mercuriũ facilius fixat.Queras autẽ,si Luna sola ponatur cũ Mercurio,quomodo inde prouenire posset lapis ad rubrum? Rite rem intelligas, quod Luna sit intrinsecus rubra, quãuis extrinsecus alba sit. Nam sub omnib. rebus albis, in quibus 4.elemẽta insunt,rubedo intus tecta est sub albedine extrinsec⁹.Luna n.frigida & volatilis est vt Mercurius,ex Mercurio n.& sulphure simul coagulata est,estq;adhuc cruda & non fixa.Quare foris alba,intus rubra est.Itaq; cũ Luna est in opere cũ Mercurio solo coquitur & fixatur regimine ignis,cuq; ipsa

Maximũ totius artis arcanum.

Quare Sol & Luna simul in opere ponãtur cum ex Luna & Mercurio vterq; lapis confici possit.

ipſa fixa facta eſt, Mercurium apud ſe fixat in opere, ac fit lapis Philoſophorum, atq; augmentatione ignis, ac longa coctione, lapis albus in rubrum conuertitur, tinctura eius foris ſtat ac albedo intus. Probe intellige, fili dilecte, quod dixi, & etiamnum dicturus ſum; id enim omne neceſſarium, eſtque omnium operum ſecretum.

CAP. XII.

FVere nonnulli ignari, qui cum lapidem cõfeciſſent ad album & ad rubrum, ac tum videbant non habere ingreſſum, nec fluere, ex quo facile videbant ingreſſum illi deeſſe, Lapidem itaque ſoluebant, ac denuo congelabant vicies aut tricies, ita ipſum fuſibilem efficere putantes, & ingreſſum habiturum, verum nihil proficiebant, & quamuis ſoluiſſent & congelaſſent multo diutius, nihil iuuare poterat.

Fuere nonnulli alii, qui oleum ex antimonio extrahebant, quo oleo lapidem ſuum imbuerunt ſuper marmore, ſiccabant denuo in vitrea patella, id iterando, donec lapis fuſibilis fieret ad modum ceræ, ac ingreſſum daret. Tum in Mercurium proiiciebant, atq; exiſtimabant Mercurium candefacere, cumq; Mercurius feruefceret, euolabat in aerem, ac oleum antimonii ſtatim ſequebatur: puluis autem lapidis remanebat ſiccus, vti ante fuerat quã oleum imbiberat. Cauſa eſt, quia oleum antimonii non erat fixum, ac quamuis lapidem fuſibilem effecerat, cum lapide fixum non fuerat, ac cum lapide fixari non poteſt. Ratio hæc eſt: Si lapis ita imbutus ponatur in vitro ad ignem lentum, oleum vna cum lapide in nihilum per vitrum penetraret: ſin ignem vehemẽtem adderes, oleum euolaret in aerem præ feruore. Ita ipſum cum lapide fixari non poteſt; atq; hoc pacto ignorantes in errore permanſere.

CAP. XIII.

Quomodo lapis fuſibilis ſit efficiẽdus.

IAm filium meum dilectum docebo lapidem noſtrum fuſibilem efficere, ac ingreſſum dare, quod hactenus nunquam fuit manifeſtatum. Quare hoc ſecretum quæſo ſerua, ſi Deũ, animam tuam & meam amas.

Nunc ſcito, mi fili, lapis tuus nunc albus eſt factus bono moderamine ignis, vt ſupra doctum eſt: ſi iam lapidem albũ vis ſeruare, licet: ſiq; vis tempus expectare donec rubeſcat, itidem licet. Si ad rubrum vis perducere, in fornace ipſum ſinere debes, ac ignem tuum inſigniter augere longo tempore, vt per 15. aut 16. dies; vide num velit mutari in colorẽ croceũ: ſed

ſed ſi vides etiamnum album manere, ignem inſigniter auge ac ſi proficis, atq; croceus ſit inſtar maſticis, ignem tuum nõ augebis, ſinas hoc pacto 8. aut 9. dies, aut eo amplius: tum vide an adhuc magis croceus ſit effectus: ſin minus, ignem admodum auge: ſi tum inſtar croci inueneris, ignem non augebis, ſines vero in eo moderamine adhuc 8. aut 10. dies, tum inſpice, ac ſi ne tum quidem quid profeceris, eodem moderamine vtere etiamnum 8. aut 10. dies. Atq; ita moderamen hoc ignis perſequere, donec ad perfectam rubedinem peruenias, qualis eſt auri in igne candentis, aut ſanguinis, quorum color potius cæleſtis quam artificialis videtur. Ac lapis ad ignem vehementem coquendus eſt, alioqui tinctura eius & ſulphur abſconditum prodire, & apparere nequeunt: verum antequam perfectam rubedinem induat lapis, vſq; ad candorem feruere debet ad tempus facile per 90. dies. Ac nunc facile intelliget filius, ſi lapis iſte fuſibilis eſſet, quomodo tinctura & rubedo eius foras produci poſſet, nam cum ad candorem vſque feruet, lapis ſolueretur ac vitrum penetraret, ac fornacem.

Nam ad extremum facile per tres dies in vitro candens ſtare debet. Ac per has rationes animaduertere potes lapidẽ prius debere fieri, antequam fuſibilis efficiatur. Ignorantes capere nequeũt præ mentis debilitate, vim enim naturæ minime intelligũt. Ita, mi fili, lapis ſiue albus ſiue ruber ſit, prius conficiẽdus eſt, antequam fuſibilem & ſubtilẽ poſſis efficere.

Lapis prius conficiendus antequam fuſibilis ac ſubtilis efficiatur.

Vtroq; tuo lapide tam albo quam rubro confecto & parato, vt à me edoctus es, ac rationibus demonſtratum, ita vt tua ipſius mente capere facile poſſis, ita eſſe debere: nunc te docere volo, quo pacto vtrumque lapidem parabis ac fuſibilem atque ſubtilem reddes, ad altas proiectiones faciendas.

CAP. XIV.

NVnc auſculta, care fili, maximum arcanum, quod in hac arte eſt, quod nunquam literis proditum eſt, quam a me ſolo tua cauſa. Lapidem tuum perfundes clara & pura aqua Paradiſi, atque ipſum aquæ vnies, ac in carcere collocabis, ac concludes, atq; ea aqua ſubuolabit in cælum intra circulum Lunæ, ac in rorẽ conuertetur, ac rurſum guttatim decidet ex conſilio & doctrina artificis, atq; humectabit terrã, ſiue lapidẽ, vt flores omnium colorũ producat, per quos flores lapis tuus reſurget a mortuis in vitam, omnesq; hoſtes eius pacem

Pergit docere quomodo lapis fuſibilis & ſubtilis ſit efficiendus.

cum

cum eo inibunt, ac tempeſtas quæ ante fuerat tum præterie-rit, quæ terræmotus erat; ac caligo maris, atque eclipſis Solis ac Lunę, quæ omnia tum deuicit, ac deinceps Rex in omnem tribum ſuam permanebit, dominationem in æternum non amittet, ſed ſemper Rex gloriæ manebit, &c.

CAP. XV.

LApidem tuum, mi fili, ſiue albus ſiue ruber ſit, ex vaſe ſu-mes, ac mortario lapideo indes, ac bonam quantitatem Mercurii mundi ſuperfundes, quem te poſt mundare docebo, ac ligneo piſtillo ſumpto, conteres ipſum per diem integrum continue. Tum vitro denuo indes, ac in fornace Philoſophorum collocabis, aut in tripode, ignem addens talem, quo plumbum liquidum ſeruari poſſit, vt non congelet, liquefactione æquali: ſed vitrum puſillum ſuper os vitri, in quo lapis eſt, lutabis: retinebis in eo calore, donec Mercurius omnino ſit mortuus, quod facile 40. aut 50. dierũ ſpacio fiet: lapis enim attrahit omnes ſpiritus ad ſuam naturam: ſimile attrahit ſui ſimile, ac ſimile ſimili gaudet. Cumque omnino mortuus fuerit, ignem paululum minues donec materia tua albeſcat: ac ſi lapis albus fuerit, exime ac lamina candefacta, ei pondus grani imponas: vide an lapis tuus fluere velit, ac in greſſum det. Id ſciri hoc pacto poteſt: cum lapidem lamina æris candenti imponis, atq; is tum laminã candentem penetrat, velut oleum corium ſiccum, atq; lamina ærea omnino alba ſit inſtar argenti, vbi lapis iacuit, ſi id prẹſtat, paratus eſt: ſin minus iterum aqua paradiſi perfunde modis omnibus, vt ſupra, ignem moderare vt prius: ac ſi pondus tui lapidis fuerit marca vna, 4. marcas aquæ Paradiſi adde: idq; quoties aquã paradiſi ſuperfundis. Hoc opus itera, donec lapis ex animi tui ſententia ſolutus fuerit: ac ſi ruber ſit, in eodem calore ſtare ſine, in quo cum aqua paradiſi ſtabat, hoc eſt, tali quo liquefactus deinceps retineri poſſit ſine candore, donec lapis tuus rubeſ ſiat: ſed eget longiori tempore, quam albus, ac rubrum modis omnibus, vt album probabis.

Simile attrahit ſui ſimile, ac ſimile gaudet ſimili.

Proba.

Scies, mi fili, ſi lapidem parare vis, vt in Mercurium proiectionem facias, ipſum tam fuſibilem quam ceram efficiendum, idq; magna cura fieri debet, quia lapis per vitrũ penetrare poſſet. Sed conſulo tibi, mi fili, lapidem tuum tã fuſibilem efficias, vt fere candere incipiat, antequam fundi velit: idque lapidi albo fac: tum proiectionem facito ſuper Iouem.

Lapi-

Lapidem vero rubrum non potes fusibiliorem facere, quam absq; flando candefieri possit. Nam cum aqua Paradisi vna cum eo mortua & fixata fuerit, stare debet in eo calore in fornace vsq; ad candorē facile per 20. dies, antequam aqua Paradisi rubedinem eius foras queat producere; cumq; rubedo eius iam foris fuerit, ignis ille augendus est, vt lapis modice candeat, vt tantummodo appareat candere, nec amplius: atque ita sinas stare per dies 3. tum vt refrigescat finito, ac Deo gratias age, lapis enim tuus perfectus est.

CAP. XVI.

QVare, mi fili, modus tibi retinendus est in lapide fusibili efficiendo: nam si lapidem albū nimis fusibilem efficeres, vitrum penetraret: ac lapis ruber minus etiamnum fusibilis esse debet, alioqui rubram tincturam aquæ Paradisi foris acquirere non potes, vti doctum est.

Scies, fili dilecte, aqua clara Paradisi omnes res, quæ in orbe sunt, fusiles effici posse, cum per eas sublimatur, donec illis adhæreat. Maximū arcanum & secretum.


Noris, mi fili, Incerationem, id est, rem duram, quæ liquescere non potest, Liquefacere, ac ingressum vt habeat efficerē, primum inuentam fuisse apud Veteres. Postquam .n. diu multumque laborauerant, ac lapidem album & rubrum parauerant ac perfecerant, proiectionē eo facere volentes, nihil proficiebant: lapis enim solui nolebat, puluisque ac terra remanebat. Tum facile animaduertere poterant, ei nihil præter Incerationem deesse, quia ingressum non habebat. Tum Incerationem in multis rebus quæsiuere, omnibusque rebus peruestigatis, in nulla re alia reperere Incerationem, quam in Sulphure, Arsenico, & Mercurio. Inceratio. Inceratio primum inuenta à Veteribus & quomodo.

CAP. XVII.

SCies, mi fili, in omnibus rebus, quæ sunt in rerum natura, exceptis spiritibus mineralibus, ac metallis, auolare oleum à terra. Sed in spiritib. mineralibus ac metallis oleū se non seiungit: manent apud terrā suam in igne. Ac si ab igni subuolent, terra cum oleo vna volat. Oleum eorum à terra separari non potest, vt ab alijs rebus. Ac tum facile sciebant, si naturam sequi vellent, se tale oleum habere debere, vnde metalla oleū suum sumebant, si spiritus, quos sublimādo siccos & terreos effecerant, vt minime liquefieri possent: si eos iterū fusibiles efficerēt, sibi eiusmodi oleo op⁹ esse, quo eos incera-

 rent

rent,ac fusibiles denuo efficerent, ita incerationem inuenere in sulphure, Arsenico, & decies magis in Mercurio. Ita ipsi artem incerationis inuenere, qua lapidem suum fusibilem effecere ex animi sententia, cumq; artem incerationis haberent:quidquid libebat faciebant,omne.n.quod volebant,fusile efficiebant: per res calidas spiritus sublimabant, eosque validos ac venenatos efficiebant: ita vt tam feruentes & subtiles redderentur,vt mirandum esset: cumq; eos satis subtiles effecissent sublimatione, ac satis feruentes rebus corrosiuis, atq; satis tincturæ impressissent, incerabant Mercurio probe purgato,id est, perfundebant certa quātitate Mercurij probe mundificati,in tripode collocabant,ac sinebant ascendere & descendere,donec Mercurius apud ipsos permaneret: atq; ita spiritus liquidos,vbi libebat,efficiebant.Sumebant etiam interdum:ac Solem & Lunā calcinabant in calcem subtilem,ac Mercurio mundificato eam calcem perfundebāt, atq; in tripode collocabant in eiusmodi vitro,ac identidem inuertebant, atq; hoc pacto sublimare sinebant,donec Mercurius apud eos permaneret, ac calces illas fusibiles effecere adeo,vt illis proiectionem facerent:atq; etiam omnia metalla imperfecta calcinarunt, calcesque soluerunt in acri aceto destillato,donec tam nitidæ quam crystallus redderentur, atque ita calces illas à sua immunditie repurgarunt, ac lapides illos crystallinos in puluerem subtilem redegere, atque Mercurio perfudere, ac in tripode collocarunt,vti dictum de Sole & Luna,atque ex eo medicinam confecere. Dico tibi, mi fili, tota ars consistit in inceratione, aut liquefactione. Quare hanc lectionem sedulo perlege,mira enim continet. Ex omnibus metallis medicinam facere potes, vti supra dictum, breui tempore, sine sumptu ac labore, idque hac inceratione,&c.



Tota ars posita in inceratione ac liquefactione.

Fuere preterea nonnulli,qui tres partes Lunę ac vnam Solis sumpsęre:atq; eas purgarunt, vt initio operis doctum fuit, ac simul inter se soluerunt,ac tum minutim limarunt, atque mortario indidere,in subtilem puluerem redigentes, adeo vt per pannū lineū cribauerint,ac postea super marmore cōtriuere cū melle aut gummi arabico,atq; ita cōtriuere,vt omnino intangibiles essent. Aut sumebāt ☉ preparatū ac melli ac aquæ

aquæ gummi permiſcebant, intangibiliter terentes. Tum aqua communi deſtillata ſumpta, materiam contritam ollæ vitreæ indebant, bonam quantitatem aquæ ſuperfundentes, atque in cineribus illis cribratis poſuere; atque vas illud cum materia bullire fecerunt per horã aut amplius: tum refrigeſcere ſinebant: & ſal ac mel liqueſcebant in ea aqua: Sol vero ac Luna in fundo remanebãt. Tu aquam illã ſuperne effundebant, ac rurſum aqua cõmuni recenti ſuperfuſa bullire ſinebant, vt ſupra, idq; iterabant tamdiu donec aqua omnis pura rurſum defluebat, vt ſuperfuſa erat. Tum eũ puluerem ſumptũ puſillo igni exiccabant. Tum Mercurium quinquies aut ſexies per pellem leporinã preſſum ſumebant; eoq; loto ſale & aceto, donec ſal nitidum & albũ remanebat: aqua cõmuni munda, abluebãt prorſus omne ſal & acetum, poſt pãnis lineis mundis exiccabant: ollę vitreę immittebant, alembico ſuperimpoſito, cineribus impoſuere, ac receptaculo lutato, ignem ſtruxere, perinde ac ſiquis aquam roſarũ deſtillare velit, atque hoc pacto ſtare ſinebant per dies 12. aut 15. ad humiditatẽ ſuperfluam ei detrahendam, quã in ſe habet, qua opus corrumperetur: Atq; hoc pacto omnis Mercurius præparandus, quo vtendum in opere ſit, atq; talis ignis ei adhibendus eſt, ne omnis ſurſum ſublimet. Tametſi vero parum ſurſum ſublimet, ita vt exiguæ gemulæ ſtillent per alembicu, nihil refert. Si autem ipſum ſurſum ſublimares, ita vt aliquid mortuum eſſet, iterum viuificandus foret in aqua bulliente, tum vero iterum humiditatẽ aquoſam aſſumeret, quæ omne illud opus corrumperet. Mercurio quomodo aqua nubium adimatur.

CAP. XIX.

SCies, mi fili, omnẽ Mercurium viuentem habere in ſe aquã nubium, id ipſe videre poteris: nã in receptaculũ decidet magna pars aquæ cõmunis mũdæ: ea autẽ vacuari debet, ſi alioqui apud corpus Solis & Lunæ moreretur, & puluis ac fixus fieret: ac ſi humiditatẽ apud ſe retineret, nunquã moreretur, nunquam puluis nec fixus fieret quãlibet diu ita haberetur. Superflua ei humiditas detrahenda eſt deſtillatione, ſine ſublimatione, vt demonſtratũ eſt; ſinesq; in igni donec videas in alembicũ nullũ amplius rorẽ aſcẽdere. Poſt retine etiamnum in eodem calore ad 10. aut 12. dies ſine ſublimatione: quo facto ſinas refrigeſcere, ſerua in pyxide lignea, loco ſicco & calido, ne quam humiditatem ab aere fri- Omnis Mercurius viuus aquã nubium in ſe habet.

gido & humido ad ſe trahat; ac ſi patere ſineres, ab aere ad ſe attraheret aliquam humiditatem, atque ita & labor & tempus perijſſent, &c.

CAP. XX.

SCies, mi fili, hoc pacto omnem Mercurium paratum eſſe, ex quo amalgamationes facere velimus, ſi alioqui Mercurius in opere mori & fixari vellet: idque plurimos fallit qui voti compotes non fiunt: & hoc facit ſuperflua humiditas, quam in ſe habet, ac neſcientes quid ſibi deſit, in errore permanent.

Item nunc tenebis, mi fili, iam Solem, Lunam, & Mercurium parata eſſe ad opus hoc conglutinandum.

Item noris, mi fili, quod pulueres tuos Solis & Lunæ pōderabis: ac ſumes tantundē ponderis Mercurij tui præparati, id eſt, tantū ſpiritus quantū corporis; alioqui ſi nō ſatis corporis eſſet, eo diutius in igni ſtare deberet, antequā ſpiritus cōmori vellet cum corpore, atque puluis fieret: ſed cum pōdus eſt æquale, ſpiritus facile apud corpus moritur, &c.

Quærat vero filius meus, cum iam ſpiritus ille mortuus eſt apud corpus, & apud ipſum fixatus, & ad perfectum colorem eſt perductus ſiue album, ſiue rubrū, ac perfunditur magna quantitate Mercurij ad incerandum ac fuſibilem efficiendū, & ſubtilem, ad opus perficiendum: interdum funduntur 10. aut 12. partes ſpiritus ſuper vnam partē lapidis, aut pulueris fixati, ad album: ac ſuper puluerem ad rubrum, funduntur interdum 20. aut 24. imo 30. partes ſpiritus, ſuper vnam partem pulueris ad rubrum fixati. Cum enim lapis ad albū perfunditur 12. partibus, ruber opus habet, aut puluis facile 30. partibus, antequam velit fuſibilis fieri. Ratio hæc eſt: lapis albus eſt crudus & humidus, frigidus, & albus; tantum dimidia parte aquæ paradiſi opus habet, aut ſpiritus ad ipſum incerandum, & fuſibilem efficiendum: nō enim diu coctus eſt in igni, vt ruber lapis aut puluis, neque tam ſiccus eſt. Ruber natura calidus eſt, & ſiccus, interius eius foris ſtat, id eſt, calor eius, & ſiccitas, ac eius albedo intus eſt, id eſt, eius frigiditas: ac antequam fuſibilis effici poſſit, facilè 30. partes aquæ paradiſi ſuper vnam partem rubri pulueris aut lapidis debēt effundi.

Nunc autem quærat filius meus, ſi ſuper vtrumq; lapidem tantum aquæ paradiſi fundi debet, antequam fuſibilis fiat ac ſubti-

ſubtilis, immenſo tempore in igni ſtare debet, antequam omnis ſpiritus mori poſſit apud puluerem, ac fixus fieri.

CAP. XXI.

ScCiet filius meus ac intelliget, primam additionẽ ſpiritus & corporis eſſe vtramq; crudam. Ea ratio eſt vna, cur diu ſtare debeat, antequam ſeſe inuicem amplectantur radicaliter. Altera ratio eſt hæc, quod prima additio tã puſillo, & lẽto igni perſequenda eſt, vt nihil aut perparũ aſcendat in vaſibus; ita diu ſtare debet antequam mori poſſit, ac puluis fieri: cumq; lapis aut puluis, albus aut ruber eſt effectus, fixus eſt, quãuis nõ ſit fuſibilis, eſtque medicina radicaliter, etiãſi nõdum ingreſſum habeat. Ac Hermes ita ait: Cum Mercurius ſolutus eſt, ſoluit facile omnia reliqua metalla, aut ſpiritus; cumque eſt congelatus, porro congelat: ac fixatus, porro fixat. Ita quamvis ſuper ipſum multum aquæ paradiſi ſit infuſum, 30. partes ſuper 1. Mercurij, is eſt coagulatus, quare aquam paradiſi facilè coagulat, ac fixat facile, vt prædictum. Eſt & alia ratio, ex parte medicinalis eſt, ſi lapis fluere nequit, id eſt, quod aquam paradiſi facile in ſuam naturam pertrahat. Eſt item alia ratio: cum aqua Paradiſi fuſa eſt ſuper pulucrẽ, ac ſuper fornace ponitur, multo maior calor ei additur, quam initio operis daretur: nam initium operis ſublimare non debet: atque huic aquæ Paradiſi talis calor adhibetur, vt ſurſum ſublimet, ac guttatim rurſum decidat in puluerem. Cumque mori incipit, ac ſimul puluis fit, ignem augebis, vt per eum ſublimet: ac vitrũ iterum iterũque inuertes: cumque ſurſum ſublimatum eſt, inferior pars vitri in ſuperiore parte ponitur; atque ita fixus ille puluis decidit ſuper partem ſpiritus ſublimatam: idque opus toties repetitur, donec vnum cum altero in fundo remaneat: ac tũ ignis paulo vehemẽtior ſtruitur, donec pueniat ad ſuũ colorem albũ, ſiue rubrũ, prout cupis. Ita per rationes prędictas, non debet tãdiu ſtare in opere, quemadmodũ in principio. Quare non amplius de ſpiritu quam de corpore ſumpſere. Quorſum vero hæc omnia? Vt te, mi fili, ad veram intelligẽtiam operis deducãt, vt noris, mi fili, inter bonũ & malũ diſcernere, vt noris quid agas, ne in errorẽ, aut deſperationẽ incidas. Quare, mi fili, ſedulus hanc, & ſimiles lectiones ſępius relege, ac memoriæ imprimere conare, ad oẽs errores vitandos, qui in op⁹ incidere poſſẽt: antequã operi man⁹ applices.

Duæ rationes cur diu in igni retineri debeat.

CAP. XXII.

Reditus ad opus.

NVnc iterum ad opus accedamus. Puluerem tuum Solis ac Lunæ sumes, ac ponderabis; ac tantum Mercurij præparati, quantum tui pulueris pondera, atq; mortarium ferreum calefacito, ac pistillum, sed nō adeo vt Mercurius euolet in aërem. Inde puluerem tuum præparatum mortario, ac puluerem tuum, ac vnciæ vicesimā partem salis armoniaci, aut 4. partem lothonis: pulueriza sal armoniacū antequam mortario indas. Tum conteras illo pistillo calido in mortario. Amalgama Mercurium & puluerem in amalgama. Sal armoniacum efficit vt pulueres & Mercurius sese inuicem complectantur radicaliter. Contere vero per diem integrum indesinenter; iuuate inuicem, defesso succedat alius; contere saltem 12. horas continue, nares vero os, & aures obtura, ne odor tibi noceat, qui inuisibiliter posset ascendere. Ac 12. horis elapsis, materiam tuam eiusmodi exiguo vitro inde, alio cooperto, pondus superimpone, colloca tum in fornace secreta, ac facito vti prius doctum, eodem moderamine ignis, donec opus omnino perfectum fuerit.




Primum ignis moderamen opera perficere docet, quę amalgamationibus efficiuntur, vnum & idem est ignis moderamen: prima autem constructio fit varijs modis, omnibus ad vnum finem venientibus, ac breuitatem temporis quærentibus.

Fuere item nonnulli, qui lapidem nobis à Deo Optimo Maximo gratis donatum sumpsere, cumque nonies aut decies soluere, ac à fæcibus purgarunt, ac rursum congelarunt, atq; in subtilem puluerem album redegere, ac in pyxide seruarunt: tum lapis paratus erat. Tum Mercurium probe ablutum ac præparatum, vt supra doctum fuit, sublimabant per vitriolum, id est, Mercurij sublimati semebant ℔ 1. ac vitrioli crudi 4. ℔, ac simul miscebant, ac per id eum sublimabant, conterebant denuo cum fæcibus, atque iterum sublimabant: iterum conterebant super fæcibus, denuo sublimabant; quo facto fæces abijciebant. Tum vero iterum sublimabant per recentis vitrioli ℔ 2. identidem fæces abijcientes, ac sublimatum solum in pyxide seruabant. Tum 3. lothones Lunæ & 1. Solis sumebant, ac simul liquefaciebant, ac ea

ac ea minutim limauere: limaturam in puluerem tundendo redegere in mortario ferreo, atque puluerem lauerunt, vt in opere præcedente doctum est, aqua destillata. Post ea super marmore contriuere cum sale communi præparato, & aqua gummi, ac in intangibilem puluerem tundendo redegere, ac aqua communi destillata lauerunt, donec aqua munda & clara inde deflueret: tum ad ignem tepidum siccatum per se in pyxide asseruarunt.

Item tum sumpsere 8. partes, aut lothones pulueris lapidis gratis nobis à Deo donati, 4. lothones aut partes pulueris Solis ac Lunæ, ea efficiunt 12. partes: ac tum partes, totidẽ Mercurij sumebant, quantum erat pondus 2. reliquarum, id est, sumebãt 12. lothones Mercurij sublimati, aut 12. partes, eæ efficiunt simul 24. lothones aut partes, eaque tria simul probe terendo miscuere cum aceto destillato, ac intangibilia effecere: ac postea materiam contritam siccarunt in vase vitreo super cineribus tepidis, vt puluerescere. His factis puluerem vasi vitreo rotundo in hunc modum facto immittebant, vas ad summum vsque implentes: Tum ipsum sumebant, suspẽdebant intus in tripode, aut in fornace secreta, in conclaui, clausoque ostio ibidem pendere sinebant 89. dies, eiusmodi ignem subijcientes, vt manum commode ibidem tenere possent ad semihoram inter parietes fornacis, & cõclaue in quo annulus pẽdebat, atq; ignem in eodem calore retinebant lampade facta cum ellychnio ex resina, ac cum oleo destillato, quod lampadem non denigrat, ac parum fumi excitat: atq; interea temporis materia in rem vnam coquitur. Diebus vero 89. exactis, vitrum rumpebant, materiamque eximebant: laminam ferream aut æream candefaciebant, ei materiam imponebant, fornaci immittebant, in qua aurifabri encausto pingunt, videbant an puluis non fumaret: aut pulueris drachmas 2. ponderabant, exiguo crucibulo immittebant, candefaciebant in igni ad semihoram: cumque refrixerat iterum ponderabant: si quid in pondere amisissent, puluis nondum fixus erat: tum denuo vitro vt prius immittebant, atque iterum in fornace suspendebãt, ita ignem augentes, vt vix eo temporis spatio quo Aue Ma-



ria recitari poſſet, manum retinere poſſent inter parietes fornacis, vt ſupra: ita hoc moderamine ignis adhuc ad 30. aut 40. dies vtebantur: quibus finitis vitrum ſumptum confringebant, inſpicientes num materia fixa eſſet: ſed fere, ac ſine dubio fixa erat, ac rubra vt ſanguis, ſed non fuſibilis. Tum eam materiam ſumebant, ac probe cum aquæ paradiſi ℔ 2, probe mundificatæ miſcebant, cui humiditas ſuperflua exiccata fuerat, vt in opere ſupra doctũ eſt, ac omne ſimul mortario ferreo indebant probe mundo, conterebant 12 dies valide ac continue, vt materia bene cum ea aqua paradiſi commiſta eſſet: tum in vitrum indebant



eiuſmodi, & forti lutamento claudebant, ac ſuper fornace collocabant, ſinentes aſcendere & deſcendere, donec omne in puluerem redigeretur. Tum igni aucto ſurſum ſublimabant, ac vas ſurſum deorſum inuertebant: hocque opificium iterabant, donec omne ſimul fixum maneret in fundo vaſis: tum ſtare ſinebant, donec color albus ſeſe patefaceret, eodem ignis moderamine, cumq; omne album euaſiſſet, erat omne Elixir ad album: ac ſi ad rubrum habere vellent, ſtare ſinebant, ignem augentes: nam moderamine ignis ad album, tinctura rubra foras ſeſe prodere non valet. Quare vnum cum altero in cerebro habere debes, ſi quid in arte proficeres. Quare lectiones tuas ſæpius perlegere ne pigeat ſedula mente: cumque rubedo foras eſſet perducta, perfectum erat Elixir, lapis ad rubrum ad omnia metalla imperfecta in verum Solem redigenda, qui præſtantior eo qui ex mineris, omnes probas transiens.

CAP. XXIII.

Sciet filius meus opus quod deinceps docebitur, loqui de magnis operibus, quo pacto Philoſophi locuti ſunt verbis tectis, ad dilucide intelligendum ſine vlla verborum obſcuritate.

CAP. XXIV.

Primum Veterum verbum reductio.

PRimum eſt Reductio corporis, id eſt, quod Lunam dixere, hoc imperfectum illud corpus vocant, quia Luna fixa non eſt: ac Solem vocant Fermentum, quia fixus eſt, ac primum verbum Philoſophorum eſt Reductio, hoc eſt,

quo l

quod corpus illud imperfectum amalgamant cum Mercurio viuente, ac in suam pristinã essentiam perducunt, ea est solutio Veterum. Solutio eorũ non est fusio aquæ nubium, sed est aqua sicca, id est, Mercurius, estque artis fundamentum, de qua Rasis ait: Nisi corpora soluas, operam ludis. De quibus solutionibus Geber verba facit in libris qui turba Philosophorum inscribuntur. Hæc via breuissima in arte est reductio, si corpora clarificentur, atque in aquam resplendentem redigantur, quæ est aqua illa ex qua primum originem duxere, quæ aqua in se spiritum, animam, & corpus complectitur, estque quæ nos resplendescere facit, inquit Geber. Cumque in Mercurium conuertissent, ita vt per pannum exprimere possent, se elemẽtum Aquæ habere dicebant: ac Philosophi dixere ex ea crassitie aquę terrã formari, atque tum sese alterum elementum habere dictitabant, Aquam nimirum & Terram. 2. Solutio.

Tertium Veterum verbum est Mundificatio, qua de Morienus ait: Hæc terra cum aqua putrefit, ac tum continuo seipsa mundificat, cumque munda est, ex ea omnis medicina Dei auxilio conficitur: de qua Philosophi tractant in turba dicẽtes: Siccum cum humido cõiunge. Siccum est Terra, humidum Aqua: Ecce nunc aquam & terram mundificata habes. 3. Mundificatio.

Quartum verbum est, Euaporatio aquæ, ea fit cum aqua Paradisi ascendit in cælum, ac guttatim in terram decidit: ac tum dicunt sublimationem, aut ascensum & descensum; ita fit aqua illa terra, quę prius in terra pistrata fuerat, cumque ascensum aera appellauere. Ita Aquam, Aerem & Terram habes; idque est quod Philosophi dicunt: Cum album est effectum, aqua Paradisi perfunde, ac statim sublimationem coniunge, ex eo prodeat spiritus, qui apud Hermetem auis dicitur: ac de hac re Morienus inquit: Ad extremum remanebit tibi aqua calcinata, arena aut cineres. Atque Hermes, Geber, ac Morienus aiunt: Ne contemne cineres quos infimo statu reperis, cineres sunt resplendentes, in ijs pretiosum adamanta reperięs. Deinde dicitur: Fermentum ei continuo adde, id est, cum imperfectum illud ad puluerem album reduxere, ita vt aquam Paradisi superfundas, in quo Sol amalgamatus fuerit: cumque tũ puluerem perfundunt dicunt fermentũ, eadem aqua Philoso- 4. Euaporatio.

losophorum: tum dixere: nunc illi animam adiunge: Qua de re Rasis: Deinde lapidi nostro animam coniungimus. Nam quemadmodum in homine corpus hominis non viuit sine anima: ita nec noster lapis sine anima, quamlibet purum imperfectum corpus fuerit: Fermentum enim ipsum ad suam naturam ducit. Quare fermentum addunt: id est, Solem amalgamatum cum aqua paradisi: idque est quod Morienus ait: Nisi imperfectũ mundifices ac dealbes in puluerem, at tum animam ei indas, ac cũ eo commisceas, nihil in arte nostra effecisti. Ideo Philosophus Dantynus ait: Animę cõgregationem cũ corpore mundificato & spiritu facito: tum spiritus eius additur, atque gaude cum ijs nam naturam suam commutarũt, ac res crassæ subtiles sunt effectę. Hoc est quod Alanus Philosophus ait in libro Turbarum: Spiritus cum corporibus non coniunguntur, donec perfectę ab omnibus inquinamentis nudi sint. In hora vero commixtionis res miræ apparent, omnes colores orbis, quam multi cogitari queunt; atque omnes tandem ad vnum colorem perueniunt qui ruber est, quem Ignem vocitarunt, tumque imperfectum illud corpus coloratur colore firmo cum fermento, quod est anima, & spiritus cum anima cõiungitur & ligatur cum corpore, ac simul cum eo conuertitur in colorem fermenti, ac vnum fiunt, ita vt ignis omni sua vi ac vehementia ea separare non queat. Ex his verbis prędictis constat, Philosophos verum dixisse. Dicunt enim: Lapis noster constat ex 4. elementis; Item, Lapis noster est ex corpore, anima, ac Spiritu; ac vere: Corpus illud imperfectum corpori mortuo assimulauere: quia Luna debilis ac minime fixa est: ac spiritum aquã nominauere, ac verum dicunt. Nã spiritus ille est profecto aqua resplẽdens ac fluens: ac fermẽtum animam appellauere, ac verum dixere: nam vitam dat corpori illi imperfecto, quam prius non habebat, atque in aliam formam reducit: ac verum est quicquid verbis obscuris dixere. Quidam etiam Philosophi dicunt: Nisi corpora corporibus exuas, atque etiam spiritus, nihil in arte nostra effecisti. Ex corpore illo primum aquam conficimus, cum est amalgamatum, ac tum corpus illud corpore exuitur: ac post continua decoctione corpus illud exiccatur, ac moritur cum spiritu, ac tum Spiritus corpus fit.

Dictũ Ve- Veteres inquiunt: Naturam sequere, atque id quod ipsa que-

quærit, inuenies: ac verum dicunt. Nam in nostris operibus primū ex siccis humida, ex humidis sicca, ex crassis subtilia, atque ex subtilibus crassa conficimus, ex corporibus spiritus, atque ex spiritibus corpora constituimus, ac superius, vt sit inferius efficimus, ac inferius superiori æquamus. Ita materias vnam in aliam conuertimus; vti prius doctum est. Ita ex rationibus prædictis liquet, Veteres in omnibus verum dixisse, quamuis obscuri sint: id factum est, ne ignorantes qui de numero filiorum non sunt nos intelligerent, ac vt notitia horum ipsis incognita permaneret. terum, naturam sequere.

Deinceps sciet filius meus, Veteres multa capita posuisse, vt ignorantes existimarent artem nostram magna cum difficultate exerceri; atque in vnoquoque capite multa ac varia opera posuere, multis nominibus, qualia sunt, Reductio, Solutio, Lotio, Sublimatio, Destillatio, Coagulatio, Increatio, Calcinatio, Fixatio, atq; ita deinceps, vt supra cōmemoratu est. Ac nunc filio meo aperiam quomodo Veteres ac Sapientes ea nomina in opere adinuenere.

CAP. XXV.

Item si opus vis facere ad eundem modum quo Maiores nostri fecere, sumito Mercurium è fodinis, vbi argentum aut aurum effoditur, sed nullum sume qui arte efficitur, eum per pellem leporinam exprimes, ac si quid in pelle leporina reliquum sit, inspice num quod corpus metalli, hoc inde exiguo crucibulo cum parte boracis puluerizatæ: pone in igni, flato vt soluatur, cumque liquefactum fuerit, vide quodnam corpus metalli sit, ac si alicuius imperfecti metalli esse repereris, Mercurius ille ad opus nostrum prorsus est inutilis; sin Solem ac Lunam repereris, probus est: tum sumito illius Mercurij quantum vis, vasi vitreo inde, ac per alembicum superfluam eius humiditatem detrahe, quæ opus tuum corrumperet, ac impediret quominus Mercurius in puluerem mori posset. Nam si superflua ei humiditas non detraheretur, quamuis ea materia in igni consisteret vsque ad diem Iudicij in puluerem minime redigeretur: In causa est humiditas quam Mercurius in se habet: vides enim in eo humiditatis per destillationem magnam partem, vt ante doctum est: Sed cum Mercurius omni sua humiditate superflua exutus est; tum corpus illud imperfectum sume, id

Quomodo opus sit instituendum ad imitationem veterum.

Superflua humiditas Mercurio detrahenda.

est, Lunam cupellatam quæ postea reflata est de plumbo in crucibulo: ac Lunam istam Veteres corpus imperfectum vocant, quia Luna debilis est, alba, cruda, ac non fixa: hanc autem Lunam amalgamauerunt cum magna quantitate Mercurij: ac semper 3. partes Lunæ ac Solis 1. sumpsere, quem Solem fermentum appellarunt. Nonnulli Solem ac Lunam simul amalgamauerunt, vt opus præcedens docet, ac quidam per se amalgamauere, ac fermentum siue Solem amalgamatum miscuere inter aquam Paradisi, ac tum super vtrumque pulverem fudere, ac miscuere, vt docebitur. Ac postquam Lunam amalgamauerant vitro indebant, vti in opere prius doctum fuit, huiusmodi inquam vitro, atque in tripode collocauere, vt supra; ac eodem moderamine ignis: ac deinceps Solem etiam amalgamauerunt, ac etiam in fornace posuere in vitro vti Lunam, ac regimine ignis vsi sunt, vt supra, atque aqua paradisi, atque aqua eiusdem Mercurij, humiditate ei detracta, vt sæpe dictum est; atque etiam eiusmodi vitro indidere quale hic supra positum est, atque etiam in tripode collocarunt iuxta reliqua 3. vitra, donec ad opus accederetur ad incerandum, idque faciebant vt aqua Paradisi eo facilius incerraret ac moreretur apud opus illud: nam aqua illa fit inter fixum & nō fixum; nam tamdiu decoctionē in igni habuerat quam ipsum opus, quamuis nō fuerat mortua, aut puluis facta.



Scias, mi fili, quamuis aqua Paradisi, id est, tuus Mercurius per 10. annos in fornace haberetur, non simul tamen in puluerem moreretur, semper aliquid viuum permaneret, ac cum illud moueretur, simul omnis viuus fieret. Quare Mercurius de seipso ait: Quum corporis mei pars instar lentis viuit, non iam magis mortuus sum, quam vnquam fui: idque fit quia cum eo aut in eo nullum corpus commistum est, aut pater, aut mater, aut soror, aut frater, aut aliquis ex proximis propinquis, aut ex tribu eius cum eo aut in eo commisti sunt. Sed composita brachia brachijs, atque oribus ora vbi fuerint, eodem momento moritur. Id hoc modo intelliget filius meus: vt cum eo misceantur vlla ex metallis, aut spiritus, qui ex metallis orti sunt, aut noster lapis albus, aut ruber; eaque omnia sunt de

de genere eius, aut propinquis, ac ſunt etiam naturæ eius; ac proinde cum ijs ſeſe coniungit, ac ſtatim cum ijs cõmoritur; Sed cum ſolus eſt, ne 10. quidam annorum ſpatio moritur, quamlibet ei temperatum ignem ſubdas. Mercurius nunquã ſolus moritur.

Mi fili, hæc omnia ſæpius relege, ita naturam in omnibus intelligere poteris. Sed de his ſatis: ad opus noſtrum reuertimur.

Omnia tria ſtant in tripode, nimirum Sol in vitro per ſe, opus cum Luna in alio vitro, ac aqua paradiſi in tertio vitro: atque omnia 3. ſimul ſtabant in tripode in conclaui obſignato, ita firmiter, vt nihil expirare poſſet, ac igni puſillo regebantur, vt manus teneri poſſet ſine aduſtionis periculo inter parietes & conclaue, &c id eſt, vt calor & ſenſus manus vnum ſint. Nam calor ita regendus eſt, vt manum per ſemihoram tenere poſſis ſine aduſtione: ac ſi calor ac ſenſus manus idem eſſent, omnia bene ſeſe habebant. Tum Veteres ac Sapientes conſultabant, quo nomine peculiari quodque ſignum quod in opere conſpiciebant, inſignirent, vt ignorantes qui huius artis non ſunt, artem celarent; vtque illi exiſtimarent artem magna cum difficultate exerceri, operi varia nomina impoſuere, vt etiamnum docebitur. Multa opificia poſuere quæ etiam infra, vt Solutionem, Reductionem, Sublimationem, Deſtillationem, Congelationem, Euaporationem, Incerationem, Calcinationem, ac multa plura ac varia opificia, vt ignorantes in errorem inducerent. Sed omnes ſunt nothi, hæreditatem Sapientum non poſſidebunt: ac prædicta omnia opificia fiunt in vitro clauſo, in quo opus in fornace ſtat, vt docebitur, ac ſupra ſatis doctum eſt: rudes vero id capere nequeunt præ debilitate mentis: putant vnumquodque opus eſſe peculiare, ac vnumquodque vaſis peculiaribus ac inſtrumentis fieri, ac peculiaribus fornacibus, ac moderamine ignis peculiari, atque ita artem difficulter exerceri putãtes: capere nequeunt omnia ſimul fieri in vno vaſe clauſo, ac in vna fornace, ac vno regimine ignis, vt docebitur. Initio cernebant Veteres materiam in vitro poſitam in ſuperiori parte vellus nigrum aut pellem nanciſci, tum id Nigrificationẽ maris vocabant. Nam aqua illa ſupra omnino nigra erat, ac quia Sal ac Luna inerãt dicebant eſſe Eclipſin Solis atque Lunæ, ac Nigrificationem maris: ac ignorantes minime id intellexere. Nigrificatio maris. Eclipſis Solis ac Lunæ.

Deinde

CAP. XXVI.

DEinde cernebant aquam illam, id eſt, Mercurium ſurſum volare in ſuperiorem partem vitri ex materia illa, aut corporibus Solis ac Lunæ, ac dicebant, ventum in ventre portauit; quia Mercurius ex materia aut corpore ac Luna volabat per aerem præ calore ac feruore, dicebant: Ventum in ventre portauit. Ideo quidam Philoſophus ait: Aerem illi offeres, in cuius ventre portabitur per productionem filij qui illi pater eſt; tum dabitur illi bibendum, id eſt, cum rurſum decidit in fundum aut materiam, tum dabitur illi bibendum de humiditate terræ, quæ eius nutrix eſt. Atque hac de re loquitur Hermes Philoſophorum pares: Id ꝙ ſupra eſt videtur mihi eſſe vt illud quod infra eſt; & quod infra eſt, vt illud quod ſupra eſt. Ac Danthynus ait: Qui miraculum vult facere rei cuius lapis noſter pater, & terra nutrix eſt, ac Luna mater, ventum in ventre portat, ac nutrix eius in terra eſt. Ac Danthynus præterea ait: Cum è terra aſcendit ſurſum in cælum, ac rurſum decidit in terram, tum robur aſſumet ex eo quod ſupra & infra eſt: ac verum dicit: Cum ſupra gemmare incipit, tum incipiunt gemmæ rurſum decidere humi, ac moritur in puluerem: cumque tale eſt, aqua clara paradiſi perfundendum eſt, ac offerenda ei Luna eius mater, donec ea aqua cum puluere permiſta eſt: ac tum offerto ei Solem, id eſt, ignem tandiu, donec perficiatur id quod præſtantius eſt, quam res vlla Orbis, idque ignorantes non capiunt, &c. Cumque propius rem inſpicerent, materiam magis adhuc aſcendere ac deſcendere cernebant, in vitro: tum ei nomen ſublimationis indidere, erat enim vera ſublimatio. Idcirco Geber ait in turba Philoſophorum: cum opus aut lapis aggregatus fuerit, continuo illi ſublimationem adde: ac ignorantes non intelligebant ſublimationem fieri in vaſis clauſis, ac errarunt; videbant etiam cum guttæ rurſum deciderent, adhuc aquam permanere, tum exiſtimabant deſtillationem nominandam, eratque perfecta deſtillatio Ideo Morienus ait in turba: Poſt ſublimationem ei deſtillationē adhibe: ne hoc quidē ignorātes intellexere. Videbant demumq; materiā ſpiſſeſcere, ac in terrā conuerti, ac craſſam terram remanere, ad extremum ſuper aquam cōſiſtere: idq; fiebat, quia Mercuri⁹ aſcēdebat ac deſcēdebat, terrā aut corpus exuebat: ac cū Mercurius deorſum guttaret, nolebat

Sublimatio.

Deſtillatio.

bat

bat sese iterum permiscere cum corpore, ac corpus illud super Mercurium fluebat; infra enim iacebat, quia grauior quã corpus illud erat: atq; ita videbant Veteres, omne ad extremũ in superiore parte fluere super aquam, isque erat Mercurius, super ipsum terra consistebat aut fluebat: ac magis magisque spissescebat, ac nigrescebat Denique videbant terram denuo incipere subsidere in aqua vsq; ad fundum vasis, quæ terra nigra erat, tum placebat vocare corruptionem, ac fœtidum menstruale. De qua re Morienus in libello suo ait: Noster lapis reperitur ex fœtido corrupto menstruali, ex eo lapis noster in massam redigitur. Nec hoc ignorãtes intellexere, ac lapidem in stabulis, in cloacis, in stercore, ac fimo quæsiuere, ac falsi sunt. Deinde cernebant Veteres isti, hanc terram fœtidam continua coctione ac bono regimine temperati ac lenti ignis sub aqua illa fœtorem amittere, ac colorem mutari: tum Philosophi id ipsum Ablutionem dixere. De hac Origines Philosophus ait: Fac Ablutionem, mundifica ac purga hoc corpus aqua, ita conglutinatio fieri potest, inter corpus, animam, & spiritum: ac Philosophorum mens non fuit, corpora lauanda ac purganda aqua nubium: atque idcirco ignorantes corpora calcinarunt sale, ac eas calces super lapide contriuere, atque perfudere atque abluere aqua munda, idque tamdiu fecere, donec aqua pura & clara deflueret: ac tum nihilo magis quam prius profecerant, tempus, impensa, atque labor illis perierat, in errore permanentibus. Hermes ac Geber prętereа aiunt: Scito artem nostram nihil aliud esse quam extractionem aquæ è terra, atque aquam illam rursum super terram spargere, donec putrificetur ac mundificetur, atque abluatur cum terra: ac ne hoc quidem ignorantes intelligebant: nesciebant id omne fieri in vitro clauso in nostra fornace: non sunt de numero filiorum nostrorum.

Corruptio.

Ablutio.

Adhęc cernebãt Philosophi longo tẽpore, ac continua decoctione, eodẽ regimine ignis terrã crescere ac crassescere, ac aquã decrescere ac minui ob tẽperatã decoctionẽ: tũ pariter dicebant: Hæc est perfecta inceratio, eaq; erat appellatio propria. Ideo Danthynus philosophus ait: Sudor ei detrahẽdus, eoque postea potandus est.

Inceratio.

Hermes ait: Terra aqua imbuetur. Et Morienus: Sitienti potum da, donec sudore suo sit nutritus, ac in æternum

ampli-

amplius non sitiet. Id etiam rudes non intellexere: id fieri in vase clauso nostra in fornace nescientes. Diuturna decoctione ac diuturno calore temperato omnem aquam exiccari cernebant, ac omnem simul conuerti in terram, quæ terra adhuc post opus nostrum operabitur, vt Geber ait, Cum terra, nostra est facta, nostra ars magna ex parte consummata est. Tum videbant terrã istam in solidam substantiam sese constituere, ac firmam consistere, nec iam amplius ascendere: tum fere dicebant: Hæc est perfecta Congelatio, & ea propria appellatio eius erat. Ignorãtes ea verba minime intellexere, nesciebant, vt supra.

Congelatio.

Hermes inquit: Lapidem nostrum solue, ac tum magna astutia congela ac in terram redige, post album effice, ac deinde viuum & denique rubrum: tum opus in arte nostra absolueris. Philosophus Danthynus ait: Scias artem nostram nihil aliud esse, quam perfecte soluere, ac perfecte denuo congelare, absque diminutione substantiæ, absque additione aut detractione, atque artem omnem habes, libros claude, ac nihil amplius quære. Ideo Morienus inquit: opus nostrum nihil est aliud, quam opus mulierum, ac lusus pueriles: ac ignorantes nesciunt, quo sensu hæc verba recondita accipient. Tum cernebant Veteres diuturniori decoctione, ac calore temperato, istam terram solidam paulatim magis magisque albescere: ac tandem tam perfecte albam ac resplendentem fieri, vt candor eius omnem candorem Orbis superaret. Tum inter ipsos, pariter conueniebat, vt istam dealbationem Calcinationem appellarent, & est vera Calcinatio Veterum, estque hoc verum eius nomen. Idcirco Hermes & Morienus inquiunt: Ne contemne cineres inferiore loco cõsistentes: nam in ijs est pręstantissimus adamas: Et ex cineribus istis (inquit Geber) nascetur splendida virgo, ea in vtero fructus concipiet, ac tum filium vitę productura est. Id fiet, mi fili, cum fermentum miscebitur cum hac terra alba, tum recipit terra aut corpus illud imperfectum, fermentum, ac tum Virgo vtero concipit, & ea est in his Veterum mens. Tum dicunt Philosophi: Nutri filium aut puerum illum lacte ꝓprio, donec adoleuerit, hoc est, cũ ista terra quę in hunc modum alba est, ac cum fermento mista, perfundetur aqua clara & nitida paradisi, & ea aqua in hac alba & sicca materia inceratur, mẽs eorũ est, quod puer iste nutriatur

Calcinatio.

lacte

lacte proprio: ac vere est lac eius. Ignorantes non capiunt. Preterea cum materia ad eum modum alba esset ac fixa, tum ex fornace eximebant, ac vitrū cui Sal inerat amalgamauerunt, id etiam ex fornace sumebant, ac simul in mortario lapideo contriuere pistillo lapideo, donec Sol amalgamatus, qui permistus erat cum albo lapide aut puluere: ac tum ei fermentū adhibuere. De quo Morienus loquitur: Cōiunctionem facito, ac animam ei inde, ita vt in æternum ab anima non separetur. Facito nuptias, inquit Geber, ac spōsam cū suo sponso in lectum colloca, ac lectū eius rore cælesti irrorabis, atque sponsa filium concipiet, is Rex erit in omnes tribus eius, omnesque hostes eius pacem cum eo inibunt, ac rubro diademate coronabitur, Rexq; æternitatis permanebit, ac nunquam dominationem amittet. Ignorātes hæc verba obscura minimè capiunt.

Tum materiam sumptam denuo vasi indebant, ac tum aqua Paradisi accepta, perfundebant eam materiam, facile 10. partibus 1. materiæ, idque erat, quod Geber dicebat: Lectum rore cælesti irrora: Sponsa concipiet filium. Ea mens erat. Ac vitrum sigillo concludebāt, ac rursum in fornace collocabant, paulo vehemētius ignē augentes, donec aqua paradisi sursum sublimaret, ac guttatim rursum decideret in materiam: idque erat, quod filius virginis resplendentis nutriretur lacte proprio, donec adoleuisset.

Fili mi, scies ac intelliges, si lapidem ad rubrum conficere vis, terram albam ac rubram perducere debes cum fermēto eius, augmētatione ignis, donec crocea fiat: cūque omnino crocea fuerit in modū croci sicci, tum elementū aeris foras versum est: tum vero ignis insigniter augendus, vt elemētum ignis foras prodeat. Nam eo regimine ignis quo aer foras sese proferebat instar croci, eo nec potest, nec valet ignis eius, ac rubra tinctura sese simul proferre. Ita ignis insigniter augendus est, donec rubra eius tinctura foris prostet: cumq; materia tua rubra fuerit, eam tum aqua paradisi perfunde, donec lapis tuus omnem aquam paradisi imbiberit, ac omnis vnus puluis fiat: eum puluerem tum regito moderamine ignis, vt rursus instar niuis fiat candidus: tum ignem auge, vt supra doctum est, donec puluis perfecte croceus fuerit: tum ignem auge donec perfecte rubeat, ac opus tuum consummatum erit

CAP.

CAP. XXVII.

Quatuor elementa in opere sigillatim.

AC iam vidisti in opere omnia 4. eleméta sigillatim, primum vidisti aquá & terrá quæ prius in manifesto erat, atq; igne & aerem quæ intus erant: ea enim in intellectu erant, quæ iam oculis manifesta vidisti: tum videlicet cũ perfectum croceum colorem cerneres: ac nunc rubram eius tincturam vides, atq; igné, quæ iam palam prostant. Idcirco Veteres dixere, cum dicerent, Lapis noster ex 4. elemẽtis est conflatus, tamen vnum esse, & ex vno, ac verum dixere: planum fit ex rationibus superioribus.

CAP. XXVIII.

NVnc scies deinceps fili mi, tibi ita faciendum esse, vt hic te docui, si lapidem ad rubrum habere cupis, sin tantummodo ad album habere vis, aquam paradisi illi adhibe, vbi ipsum cum fermento miscueris, vt supra; ac sinas ascendere ac descendere, donec cum lapide albo fixus in fundo subsidat: ac tum idem regimen ignis persequere, donec puluis denuo fiat perfecte candidus: ac tum lapidem ad album habes, ad metalla imperfecta in puram Lunam reducenda.

CAP. XXIX.

SCies præterea, mi fili, hæc omnia genera opificiorum esse pariter valde bona, atq; eorum proiectio tam alta est, vt sit mirandum. Id ipse comperies: cum enim medicinā tuam proijcis super aliquod metallum, aut super Mercurium, quandiu medicina vires habet, metallum in quod medicinam tuam proiecisti, frangibile ac fragile est, instar vitri quod puluerizari potest: ac tum deinceps eundem pulverem in alia metalla imperfecta conijce, erit etiamnum medicina; idque tamdiu facito quam metallum frangibile ac fragile est: at cum est malleabile medicina finem virium habet: tum metallum illud Sol aut Luna est, prout medicina fuerat. Ita, mi fili, facile id videbis, experientia facile te docebit.

CAP. XXX.

De multiplicatione lapidis.

NVnc filium meum instituere cupio, quomodo lapidem istum sit multiplicaturus, ita vt nisi semel de vita vnum tantummodo opus facere opus habeat de integro: atque

vbi

vbi semel confectum fuerit, facile omnus nauis eo confici posset: imo centum vasa impleri. Sciet filius meus, sibi sumendas 10. aut 12. ℔. Mercurij, eas sublimabit per vitriolū Romanum, tres partes vitrioli in 1. partem Mercurij, atq; identidem sublimati per vitriolum recens: idque poteris sexies aut septies facere: tum Mercurius paratus est, serua. Tum sumito Solis puri in cæmento Regali cæmentati marcam 1. quo facto, Solem in crucibulo liquefacito, atque vnciam medicinæ tuæ superijcito, siue alba, siue rubra fuerit; ac id omne medicina erit. Tum sinas simul fluere eo temporis spatio, quo bis oratio dominica recitari posset: in massam effunde: tum sumito aurum illud ac tundendo in subtilem puluerem redige: ac contere hunc puluerem etiamnum subtilius super marmore cum aqua vitæ rectificata: idque ob hanc causam. Puluis enim iste facile siccescit ad ignem pusillum: nam aqua illa vitæ subuolat, simulatque calorem senserit: tum sumito Solem illum contritum aut medicinam, ac tantundem ponderis tui Mercurij sublimati, quantum est Solis, ac probe inter se misce, sicce super lapide, tum etiamnum vtraque simul contere cum bona aqua vitæ rectificata, ac tum in Sole exicca, aut in balneo ad ignem pusillum, donec nullus amplius humor insit: tum vitro eiusmodi inde, ac 12. partes Mercurij superfunde præparati, ac humiditate exuti, vt doctum est, super vnam huius pulueris: tum vitrū probe obturatum, inter manus tuas moue, inuertendo identidem per horam, vt Mercurius omnis gemmulis sit permistus cum eo puluere: tum in tripode colloca, atque ignem adde, vti docui, dandum esse, cum aqua paradisi superfusa fuit: atque hoc pacto stare sine 90. dies continue: estque omne hoc medicina, tam bona imo melior quam prima medicina erat. Sique tum plus etiamnum medicinæ vis facere, magnum vitrum sume eiusdem compositionis cum primo, in quo multiplicabas, ac medicinam tuam pondera: si eius pondus fuerint 10. marcæ, 100. marcas sume Mercurij præparati ac humiditate exuti, ac cum medicina magno illi vitro inde, probe inter se permisce, vt supra te docebam, inter manus tuas agitando, colloca in tripode 90. dies eodem moderamine ignis, vt prius: fitque omne medicina tam bona quam prima erat. Sique amplius



plius facere vis, fornaxque tua satis ampla foret, ac vas tam amplum haberes: sume medicinam, vitro inde, superfunde Mercurij præparati marcas 1000. fac vt supra: fitque omne simul medicina, tam bona quam prima fuerat. Ita medicinam tuam multiplicare potes quantum vis, breui tempore.

CAPVT XXXI.

Sciet filius meus, fuisse, qui sumerent 9. partes aquæ paradisi à superflua humiditate rectificatæ, vt prius doctum est, ac 9. phialas sumebant, ac in singulis partem immisere, easque supra lutarunt, ac posuerunt in tripode, in conclaui, ac ibi reliquere, donec lapis omnino paratus esset, donec aqua paradisi perfunderetur: ac tum sumebāt phialam 1. cum parte vna, ac super lapidem fundebant, probe inter se simul miscebant, ponebant in tripode. Reliquas phialas 8. in fornace sinebant, donec vna pars cum lapide fixa erat, ac tum dabāt ei partem aliam, facientes vt prius; atque ita porro tertiam ac quartam, donec lapis 9. partes omnes imbibisset, atque illæ cum eo fixæ essent. Et ea mihi optima ratio videtur, ac melior quam si omne simul infunderetur, atque opus abbreuiat, ac celerrime fit: non enim aggrauatur ac si nouem partes omnes in vnā reciperet ac simul, tempusq; abbreuiat: sed paulo maioris laboris est, itendidē vas ex fornace sumere, ac aperire & rursum claudere: sed optima ratio est in opere. Ac de his 9. partibus super vnam partem lapidis fundendis, vt te prius docui, Veteres ita dixere, cum filios suos docuerunt verba ipsorum intelligentes, ita inquiunt: 9. partes roris Maialis sumentur, vnaquaque parte in phiala conclusa, ac retenta in febri aut æstu: donec mundus infimus albus ac siccus fit: tum asperge mundum infimum parte roris Maij, ac tum alia parte, donec mundus fluat instar olei.

Verba Veterum de 9. illis partibus super vnā partem lapidis fundendis.

Ita mi fili, intellige Veteres varijs modis Lapidem suum confecisse, ac in fine omnia proba erant, &c. Sciet filius meus, Veteres operatos esse, vt prius doctum est, estque optima ratio: Sed posteri multas alias rationes adinuenere ad artem abbreuiandam, vt aqua forti varijs modis efficienda, vt in opere minerali multis in locis narratur, atque etiam in animali, ac multo magis in vegetabili, in quo mira habentur de aquis mirandis, quæ miraculosæ videntur, propter miracula quæ aquis fiunt, vt in vegetabili docetur. Atque etiam separationem

Posteros multas alias rationes adinuenisse ad artem abbreuiandam.

nem elementorum inuenere varijs modis, vt etiā multis in locis docetur. Idque omne magna subtilitate geritur, ac magna cura: hæcque omnia ad tempus breuiandum quæsiuere, & ad naturam inuestigandam: ac in his operibus sunt permagnæ curæ propter multa opificia quæ in ijs fiunt, & ingentes sumptus, atque incertitudinem.

CAP. XXXII.

ITaque tibi suadeo, mi fili, ab huiusmodi operibus te libera, in quæ separatio elementorum incidit, aut variæ rationes aquarum fortium, vt in præfatione magni operis rite docui: Non fit sine periculo, quamvis aliquis artis sit peritus: sed hæc opera præcipua serua quæ prius edoctus es, & etiamnum doceberis; in ijs nulla elementorum separatio, &c. Supra docuimus, quo pacto Maiores nostri operati sunt amalgamationibus, & omnes ad vnum finem peruenerunt: estque tam bonum & certum vt melius esse non possit. Ac infra docebimus quomodo vulgari aqua forti lapis confici possit, atque oleum ex metallis, quod etiam sine magno labore fier, ac sine separatione elementorum, atque etiam vt ad opera vera & perfecta perueniatur: estq; bonum ac certum.

CAP. XXXIII.

SCiet filius meus, quare separentur elementa, nimirum vt quod imperfectum perfectum reddatur, & ad omnem immunditiem rectificando extrahendam, & ad munditiem reducendam: & ad corpora ac spiritum ab omni immunditie repurganda, quo facto, eadem rursus coniungenda sunt.

Nunc sciet filius meus, ignē purgare res omnes illi adhibitas, quamlibet immundæ sint: estne hoc verū? Etiam. Ignis omnes purgat. Opera.n. quæ supra docuimus inspice: cū lapidē nostrum primū ad ignē afferimus, primū signum est pfecta nigredo, eam oculis cernimus, omnē videlicet materiā instar picis nigram fieri. Quo pacto hoc fit? Ignis corruptionem ac sordes sursum cogit, atque ex materia expellit, leni ac moderato calore: non fit vi aut vehementia ignis, omne leni ac tepido calore geritur: ac propterea corruptio aut fæces quæ in materia sunt moderate supra fluunt: donec omne nigrum fit. Ideo Morie. ait: Vide ignem ita modereris, nec albedinem loco nigredinis acquiras, alioq; totū opus tuū corruptū esset, al-

bedine pro nigredine veniēte. Hæc itaq; ratio certa esse debet, vt hoc pacto modice, corruptæ, ac sordidæ fæces sursum fluāt ex materia sine vehementia ignis, ea perfecta purgatio esse debet. Vide deinceps in operibus nostris, post perfectā nigredinem diuturna coctione caloris continui, concoquit calor sensim corruptionem ac fæces sordidas, ac in alio colore materiam reponit, ac mox in alio, atque ita deinceps ex vno in alium, donec omne simul adeo candidum fiat vt nix: atque id fit sensim, ita vt elementa non lædantur: Sed hoc pacto sensim rectificantur à sua immunditie, ac illæsa ac inuiolata permanent: suntque nihilominus rite ac perfecte per ignem rectificata ac separata, quod imperfecte fieri non potest. Ita liquet hanc esse optimam in opere rationem. Aliud item inquit Morienus. Caue ne rubedinem pro albedine acquiras. Nam si tam feruentem ei ignem adhibeas, vt rubedinem loco albedinis acquiras, omne opus corruptum est: ac lapis noster in operibus comburi non potest. Ita etiam per rationem prædictam liquet, primam rationem esse optimam. Nam in elementorum separatione, interdum ignis vehemens adhibetur, cum videlicet elementa ignis sunt destillanda, materia candere debet, ac cum fæces ex terra exurentur, id est, cum terra calcinabitur in fornace reuerberatoria, terra candere debet, atque vri, antequam terra alba fieri velit: atque ita sæpe bonum cum malo comburitur, ac fit pars vitri, atque vnum cum altero perditur. Primum itaque optimum est, ob magnam incertitudinem: fæces enim sensim concoqui debent. Dicit enim Geber: Draco suam ipsius caudam comedet, ac suo ipsius veneno nutrietur. Et Danthynus: Niger coruus sua oua fouebit, donec pulli præ senio albi fiant.

CAPVT XXXIV.

Sciet præterea filius meus, naturam omnium quæ sub cælo sunt, ex recta natura quam à suo Creatore habent, expetere, seipsa rectificare, ac exonerare suis fæcibus quæ ijs copiose insunt. Nam in se natura perfecta est sine vitio: ac in principio perfecta erat, atque in fine perfecta fiet diuina potētia, non solum natura humana: verumetiam quicquid ex 4. elementis conflatum est, ac conditum, ac quicquid sensile & sensus expers est, nullo excepto, in principio ac in fine omne perfectum est, atque numeris omnibus absolutum. Ita omne quod sub cælo est à fæcibus suis exonerari expetit. Quærat vero

Omne initio perfectū fuisse, atq; in fine & iam perfectū fore.

vero filius meus, quid sunt fæces? Fæces sunt humor à Deo ordinatus, ex quo quicquid sub cursu cælesti est, pascitur, atque is res in sua essentia retinet. Inest rebus omnibus perfectus elementaris calor naturalis, aut ignis; atq; inest etiam calor imperfectus non naturalis, ac ignis, estque ignis consumptibilis ac combustibilis: suntque hæc 2. simul permista: ac quamdiu ignis ille imperfectus non plura mala accidentia acquirit, rem in sua essentia seruat, ac necessario rei inest, vt res in essentia sua permaneat. Verum cum ignis ille imperfectus vlla mala accidentia iuxta se acquirit, quæ etiam calida sunt & imperfecta, atque occulte inter se permiscentur, ita inter se inflammantur, vt rem cui insunt, comburant, destruant atque enecent, siue sint homines, pecudes, herbæ, arbores, ac quicquid sub cursu cælesti continetur. Ita etiam 2. genera aquarum sunt in omnibus ex 4. elementis cōflatis, aqua naturalis, atque aqua elementaris dicitur, ac ea est perfecta, bona atque æterna: estque etiamnum alia aqua, aqua nubium, estque imperfecta, ac mixta cum aqua elementari: estque aqua hæc rei necessaria ad nutrimentum atque humorem acquirendum: ac rem facile in sua essentia retinebit, quamdiu nulla amplius aqua nubium ei accedit; verum cum amplius illi accedit, vna commiscentur ac humefaciunt ac submergūt rem illam, adeo vt tota destruatur, ita vt moriatur. Atq; id ꝙ de igni & aqua dictum est, etiam de aere, ac terra intelligendum. Ac nisi fæces istæ in elementis essent, res omnes forent pfectæ, spirituales, ac subtiles, ad quod Deus primum ordinauit, neque mors esset, vt in opere vegetabili recte docetur. Si plura de fæcibus ac morbis elementorum requiris, caput 16. operis Vegetabilis quære, ibi perfecte de his doceberis.

Quid sint fæces.

Duplex ignis inest rebus omnibus, alter naturalis, alter non naturalis.

Duplex itē omnib. rebus aqua, videlicet, aqua naturalis & aqua nubium.

Idem de aere ac terra intelligendum.

Nunc quærat filius meus, cum res ad eum modum destructa est, vbi tum illa perfectio manet quæ rei inest? Hac de re multa in opere vegetabili cap. 29. habes. Id quære, ibi perfecte doceberis, ac rite, quo pacto simile attrahat sui simile: sed hac de re pauca subijciā. Scies, cum res quælibet mortua fuerit, siue sit sensilis, siue sensus expers, siue homo, pecus, animal, aut herbæ, aut arbores, quicquid ex 4. elementis conditum est, vbi destructum fuerit, tum spiritus vitæ ab eo separatur, ac ad sui simile redit, ex quo primum originem sumpsit, vt in opere Vegetabili, &c. Atque etiam elementa ad sui simile redeunt, vnde primum orta sunt. Flammam ignis aut

In destructione simile redit ad sui simile.

aut carbones vide:flamma sursum fertur ac calor, idem etiam facit fumus, in quo fumo spiritus aeris latet, atque recedit ad sui simile: vt faciunt etiam reliqua elementa omnia, vt in opere vegetabili.

Fæces cō-sumi ab aere ac calore Solis, quod probatur exemplis.

Nunc autem quærat filius meus, vbi nam manent fæces quæ sunt in elementis, postquam omnia ad sui simile rediere? Eas aer consumit, ac naturalis Solis calor progressu temporis. Exemplum: Pone tempore æstiuo peluim vitream cum aqua ad Solem: calor Solis aquam illam omnem exiccabit, ac in fundo remanebit nigra limosa ac fœtens materia: sinas eandem peluim continue in Sole, ac caue ne vllus ventus inuolet: progressu temporis nigra illa ac limosa aqua tam alba fiet quam nix, ac omnis fœtor abierit, ac grate alba erit: Idque calor Solis operatur, ac Natura. Aut carpito siue amputato peluim plenam herbarum viridium, colloca ad Solem: herbæ putrefient, fœtebunt ac marcescent: atque omne elementum ad sui simile abit, vt supra dictum est, ac fœtida illa nigra terra in pelui remanebit: ac progressu temporis aer atque calor Solis terram nigram fœtentem calcinabit tam albam, quam nix est: atque hoc pacto Natura operatur. Hominem maleficum intuere rotę impositum, aut de patibulo suspensum; aer, ac calor solis omnes illas sordes consumunt ac fœtorem, ita vt nihil præter cineres albos remaneat: ac diuturnitate temporis ossa dura plena pinguedinis, ac medullæ ita consumuntur ab aere, ac calore Solis, vt ossa tam munda ac candida fiāt, quam nix: Imo etiamnum longiori temporis spatio adeo ab aere & calore Solis subtilia efficiuntur; vt ossa fiant tanquam puluis subtilis, qui inter digitos insensilis est. Atque id Natura operatur, vt præ oculis quotidie cernimus, ac vbi remanet fœtida materia, nisi quod consumitur ac in nihilum redigitur, ac elementum terræ ita mundificatur ac candidum instar niuis efficitur, subtile adeo, vt sit intangibile. Id ipsum Natura operatur per se, ac rectificat elementa per se, vt prius doctum est.

Ita planum fit nulla separatione elementorum in nostro lapide opus esse, nec vlla lotione aut mundificatione in Mercurium, tantummodo vt probetur num bonus sit, vt per leporinum, aut aliud molle corium transmittatur.

CAP.

CAP. XXXVI.

QVare autem filio meo hæc dixi? nisi vt sciat nō esse necesse elementa separare in opere nostro, nec rectificare, per rationes præcedentes. Fæces exiccantur in nihilum. Atque etiam rectificatio fieri non potest vi ignis, vt demonstratum est, ob destructionem elementorum: nam effugiunt artificem ab igni, aut ex vasis, aut in transfundendo ita vt aliquod elementum amittat: ac tum coniungere volens, nimirum vnius vel parum alterius habet: aut praua humiditas aquea irrepsit, quæ opus omuino corrumpit. Ita, mi fili, omnem separationem elementorum tanquam non necessariam fuge.

Omnis separatio elementorum tāquam nō necessaria fugienda.

De Oleo Metallorum.

CAP. XXXVII.

DEinceps hic norit filius meus, ex omnib. metallis oleū elici posse, absq; elemētorum separatione, sine vlla ablutione, aut mundificatione: sed aquis fortibus fieri debet, ac fermentum ei adhibendum est, qui oleum ex corporibus imperfectis vult conficere. Sed auctor tibi non fuerim, vt ex vllis corporibus imperfectis oleum conficias, præterquam ex Saturno & Ioue, vno ad rubrum, altero ad album. Multi sunt ac varij modi olei conficiendi, suntq; reperti breuitatis temporis gratia: quia tempus operum magnorum expectare non poterant, vt cito lucro potirentur: sed plus periculi est in hoc opere, quam in magno, atq; etiam plura opificia. Nam hic aquæ fortes destillandæ, atq; hic multum sublimandum, ac multa & varia opificia exercenda. Ita hoc oleum cōficiendum labore, cura, ac sumtu.

Ex omnibus metallis oleū elici potest absq; elemētorum separatione.

CAP. XXXVIII.

AC fuere nonnulli qui aquam fortem confecere ex salnitro & alumine, ac in ea soluerunt partē vnam Lunæ puræ reflatæ à Saturno, ac præcipitarunt; & calces abluerunt aqua communi destillata, easque exiccarunt in Sole, vel super cineribus calidis: ac tum calces indiderūt vitro, aquam vitæ superfundentes rectificatam, vt pannus lineus in ea humectatus atq; accensus non comburatur.

Proba aquæ vitæ rectificatæ.

CAP. XXXIX.

ID vero hoc pacto fieri debet. Duo vitra accipe, atque inde cuiq; marcam vnam aut dimidiam Lunæ puræ; infunde in

vitrum aquæ vitæ prædictæ, ac destilla super alterum vitrum cui altera pars Lunæ inest ex balneo; tum denuo ex balneo ex altero vitro supra Lunam: atque hoc vicissim destilla, donec Luna omnis soluta fuerit. Ac tam multas ℥ calcium Lunæ quam habes, tam multas ℔ aquæ vitæ rectificatæ superfundes: cumque omne solutum fuerit, destilla aquam illam vitæ ex balneo igni tepido, vt vix manum in balneo tenere possis, ac destilla sensim donec pelliculam superuenire vides, tũ desine ac refrigescere sine, atq; in cella frigida repone, donec infra in fundo subsidat in lapides crystallinos. Tunc è cella sume, lapillos exime, atque exiguæ cucurbitæ immitte, probe supra operi, repone super cineres, aut in tripode, donec lapilli isti in oleum conuertantur, vt amplius non congelentur.

Elixir. Estq; hoc oleum Elixir, ad proiectionẽ faciendam ad album.

CAP. XL.

FVere item alij, qui sumpsere Lunæ marcam vnam, eam cum Mercurio amalgamauere, ita vt eam Lunam amalgamatam per pannum lineum compresserint. Tum illud amalgama ad 6. hebdomadas in calore temperato posuere. post soluerunt in aqua forti ex salnitro & alumine confecta: eamque aquam fortem sensim ex balneo eduxere, donec materia in vitro sicca fieret: ac tum aliam aquam fortem recẽtem superfudere, ac rursum tepido balneo eduxere, donec materia sicca fieret. Atque hoc opificium persecuti sunt, donec materia amplius siccescere nollet: sed consisteret instar

Oleũ metallorum. olei. Hoc facto ex balneo sumtam super fornace collocabant in testa cũ cineribus cribratis, aut in tripode ponebant, ignẽ subdentes, perinde ac si Saturnum liquentem retinere velis, vt non concrescat: donec oleum fixum fieret. Id vero hoc mo-

Proba olei. do probatur: Exprime guttam super candentem laminã Veneris, si imbibitur ac non fumat, sed penetrat laminam, vt oleum corium siccum, ac diffunditur per, & trans laminam, ac quam longe diffunditur, si Venus est mutata in puram Lu-

Elixir. nam, oleum illud fixum est, ac perfectum Elixir: sin minus, repone super fornace in eodẽ calore donec id faciat: ac tum est perfectum Elixir super Venere & Ioue, & super Mercurio transferendo in veram Lunam meliorem quam ex fodinis venit, omnes probas transeuntem.

Fuere

CAp. X L I.

FVere item nonnulli qui sumpsere vitrioli Roma. ℔. 1 ß, arsenici sublimati ad album, ac Mercurij itidem ad album sublimati, vt in opere minerali docetur, singulorum ℔. 1. calcium Iouis lib. 1, salnitri tantum quantum omnia reliqua; simul omnia contunde, tum simul contere cum aceto destillato super lapide tam subtiliter, vt pictor penicillo ijs pingere possit: tum ad Solē siccabis, aut super cineres. Hoc facto materiam omnem in 3. partes æqales diuide: ex vna parte aquam fortem confice, vt ea confici solet: alteram partem ollę vitreę immitte, aquam illam fortem superfunde: aquam fortem confice vti fieri conuenit. Tum partē 3 ollæ vitreę immitito, ac omnem aquam fortē quæ ex duabus destillationibus venit, superfunde: aquam fortem destilla, vt prius. Tum illa 3. capita mortua puluerizabis, aquam illam fortem superfunde in magnum vitrum, alembico firmiter superlutato, ac tam compresse, vt nihil expirare queat: pone in fornace in testa cū cineribus, receptaculo probe iuxta lutato. Sinas hoc pacto per 8. dies ac noctes, antequam ignem substruas, vt probe incorporetur in terra eius aut fæcibus. Tum substrue, atque adhibe ad horas 24 ignem tepidum, tum per horas 24. paulo vehementiorem, & per horas 24 etiamnum vehementiorem, ita vt materia post illas horas 24 sensim candere incipiat: atq; ipsam eo modico candore candentē retine ad horas 24. Quibus exactis, ignem subijce vt candeat, perinde ac si ferrum velles conuoluere, atque ita retine in eo candore 3 horas cōtinue; vtrum vero vitrum tuum findatur aut liquescat, nihil refert: tum sine refrigescere, ab igni remoue, receptaculumq; tuum probe operi: aquam habes Sole præstantiorem: Illud vero caput mortuum, aut fæces quæ remansere pulueriza? puluerem illum super lapide conterens cum aceto destillato tam subtiliter, ac si eo esset pingendum, contritum lapideo cantharo inde, ac magnam quantitatem aceti destillati superfunde. pone 8 dies ac noctes in balneo, atque moue singulis diebus cochleari ligneo, tum sinas subsidere, ac clarum superne effunde in alium cantharum lapideum mundum Acetum destilla, ac in fundo remanebit tibi insigne sal album: tunde rursus in puluerem, cantharo inde, acetum destillatū denuo infunde, in feruente balneo pone, vt supra, & hoc op' itera, donec terra tua nullas amplius fęces post se relinquat,

Oleum ad album ex aqua forti & ex calcibus Iouis.

Capita mortua.

ac sal tuum tam mundum, ac nitidum est, quam nix; tum sal tuum aquæ tuæ fortis paratum est: serua singula ad vsum. Tũ sume calcis Iouis ℔ 1, calcis Lunæ ℔ ß, vt alibi te docui. Mercurij ad album sublimati marcam 1. Arsenici etiam ad albũ sublimati marcã 1. ac salis præparati, aut terræ suę aquæ fortis commisce omnia simul, ac subtilissime contere, donec sint intangibilia: tum sume materiam contritã in phialis vitreis, ac in stupham tuam siccam ferto, calore quo Sol media æstate lucet: cumque materia tua sicca est; iterum contere, cum puluerem magnæ cucurbitæ vitreæ immitte, alẽbico superimposito supra in nodo foramen habenti: ac pone vitrũ in aqua profunda, ac superfunde materiæ omnem tuam aquam fortem infundibulo vitreo; tum operi ac luta foramen alembici admodum compresse, receptaculumque luto probe adglutina: ac tam calidum fac balneum, ita vt tantummodo digitus retineri possit in arena, atque ita sensim aquam tuę materiæ destilla: cumque non amplius stillat, sinas refrigescere, destillatum rursum materiæ superfunde, atque iterum destilla, vt supra Hoc tamdiu facito, donec amplius nolit ascendere: tum balneum bulliat, eo calore etiamnum aliquid ascendet, ac destillato rursum infuso, donec etiam amplius ascendere nolit; repone vitrum in testa cum cineribus; super fornace aut in tripode, supra luto probe operi; sine hoc pacto ad 6. hebdomadas calore adhibito, vt vix orationis dominicę spatio, inter parietes fornacis ad cubiculi manus retinere possis. Sex illis hebdomadis exactis, exime, ac guttã pone super mũda lamina Veneris candente: si eam penetrat, vt oleum corium siccum, ac tingit albo colore, & non fumat, est verum Elixir: si vero id nõ facit, pone rursum in tripode, vt supra, donec absque fumo ingrediatur. Atque ita habes oleum perfectum, omnia metalla in veram Lunam transferens, omnes probas transeuntem, estque proiecto eius vnius in 1000 Est enim oleũ efficax, mira enim eius effecta vidi, itaque ne vilipenderis.

Proba elixiris.

Oleum metallorum.

Medicina.

CAP. XXV.

Oleum ad rubrum ex aqua forti & ex calcibus Saturni.

Fvere nonnulli qui sumpsere vitrioli Romani lib. 2. cineris Saturni aut cerussæ, lib. ß. Mercurij sublimati ad rubrum etiam lib. ß. cinnabaris lib. ß. viridis æris marcam 1. Salnitri optimi, quantum hæc omnia simul. Atque ex his

aquam

aquam fortem conficiebant, modis omnibus, vt in opere superiore ad album parato, doctum est. Hac aqua forti ad hunc modum parata ac confecta, elice sal ex terra, aut capite mortuo, etiam eodem modo, vt in opere superiore, tum aquam fortem in vsum serua. Tum Mercutij lib. 1. sublimabant per vitrioli Romani lib. 3. ac rursum super fæces conterebant, ac sublimabant iterum per fæces: tum fæcibus abiectis, rursum recens vitriolũ sumebant, vt supra. Id tertio iterabant, ita nouies sublimatum erat, ac tum Mercuri⁹ ad opus paratus erat. Tum sumebant calcis Saturni lib. 1. hoc est, cerussæ cũ aceto destillato rectificato, aut cerussæ in Sole calcinatæ perinde est, ac sumebãt marcã 1. puri Solis calcinati: hæc omnia inter se probe miscentes: ac tum simul super lapide duro conterebant cũ aceto destillato, adeo vt intangibilia fierent: inter hęc sal prædictum conterebant, eductum ac rectificatum ex capite mortuo, ex prędicta aqua forti educta; siccabant in Sole. Ac nihilominus aut magis in hoc opere ad rubrũ faciebant, quã in opere ad album. Sed ad rubrũ opus labore lõgiore in igni, ac calore vehementiore, q̃ ad album. Ac cum oleum fixandũ in fornace ponis, ignis paulo vehementior struendus est, quã in opere ad album, alioqui eadem ratio, idem opificium, estq; proba vtrum fixum sit, eadem, habesq; perfectum Elixir ad rubrum, & est magnum secretum: nulla.n. hic mundificatio aut ablutio, fęces omnes cosumuntur, ac in æternum oleũ manere debet paulo tenuius melle. Oleũ hoc ad lapidẽ reduci nõ potest, vt multa q̃ aqua vitę confecta sunt, ea ad lapidẽ reduci poſsũt, sed hoc minime: in hoc.n. nimis multa corrosiua sunt,

Calx Saturni qd?

Oleum ad rubrum ex aqua forti & ex amalgamatione Saturni.

CAP. XLIII.

FVere item qui sumsere vitrioli, salnitri, ana lib. 2. ex his aquam fortem confecere tum caput mortuum puluerizabant, rursum ollæ vitreę immittebant, aquam illam fortẽ superfundebant, id quod denuo inde destillabat seruantes. Tum sumebant Saturni ℔ 1. subtiliter dolari, amalgamabãt cũ 2. lib. Mercurij à sua aquositate p̃parati, ac soluebant istam amalgamationem in hac aqua forti prædicta, ac omnino liquefactam posuere super fornacem, in testa cum cineribus cribratis, aquam fortem per alembicũ exiguo igni deducẽtes,

vt

vt materia ſicca fieret: tum rurſum aquam fortem ſuperfundebant, ac rurſum in ea ſoluebant: tum in balneo collocabāt in arena, aquā denuo balneo tepido deducentes, donec materia ſicca fieret: quo facto rurſum aquam fortem ſuperfundebant, iterum deducentes, vt materia non amplius congelaret, ſed cōſiſteret in oleum rubrum. Tum Solis puri marcam I. ſumebant, ſoluebant in aqua forti, ac ſuper oleum fundebant, ac vitrum probe inter manus mouebant, atq; agitabāt, vt oleum permiſcerent: tum denuo in arena collocabant ſuper fornace, aquā fortē in tepido balneo deducētes. Tum receptaculū demebant, ac operiebāt, ac lutabāt ꝓbe, vitrumq; ponebāt in fornace, in tripode, aut in cineribus, ac per diem & noctem calorem addebant talem, ita vt Saturnus retineri poſſet liquefactus abſq; concretione, atq; ita ſinebant donec oleū fixum eſſet. Ita facili modo oleū confecere, ac breui tempore vnā partē in 80. partes, eſtq; melius Sole naturali.

Oleum rubrum.

Oleū metallorum.

CAP. XLIV.

SCiet item filius meus pro ſecreto, aquam fortem ad rubrū videlicet vitrioli Romani lib. 3. cinnabaris, viridis æris, ceruſſæ. ana ℔ ß, croci " ferri, lapidis Emathitis ℥ quatuor, ſalnitri tantum quantus eſt cumulus totus, pulueriza, ac probe inter ſe permiſce, diuide cumulum in 3. partes, atq; ex vna parte fac aquam fortem, quam ſuper puluerem alterius partis fundes: deſtilla iterum aquam fortem, eam ſuper tertiū puluerem funde, ac aquam illam fortem ſuperdeſtillato, quo facto omnia tria capita mortua pulueriza.

Aqua fortis ad rūbrum.

" alius codex, croci Martis.

Item aquam ſalis armoniaci ſume, quam infra te docebo, conficere, qua tam ſubtiliter prædictum puluerem contere vt eo pictor pingere queat: tum ſiccandum in tua ſtupha ſicca pone, ſicceſcere ſine in patinis vitreis: ſiccatum contere ſicce ſuper lapide, ac ollæ vitreæ indito, atque aquam fortem ſuperfundito, deſtilla primum igni lento 24. horas, tum auge adhuc horas 24. tum etiamnum augeas, donec candere incipiat: 24. horis elapſis, retine in eodem candore etiamnum ad horas 6. poſt ſinas refrigeſcere; ab igni remoueas; receptaculum probe obturans. Tum caput mortuū pulueriza, ac contere ſuper lapide cum aceto deſtillato, ac educito ſal, aut elemētum terræ ex fæcibus, vt alio loco bene doctū eſt, ac ſerua. Item tum ſal ollæ vitreæ indito, aquam tuam fortē ſuperfunde, alembico ac receptaculo probe operto, vitrum in arena

pone

pone in cacabo cum aqua destillato quicquid destillare vult balneo tepido: cum amplius non destillat, sinas balneū bullire diem ac noctē, siue stillet, siue non: tum sinas refrigescere, remoueas ab igni, ponas in cineribus: adhibe primum ignem pusillum ad horas 12. tum ignem adhuc auge horas 12. Post sinas modice candere, atq; ita ad 6. horas finito: deinde refrigescat, remoue ab igni, ~~ac~~ probe operi: ac sumtis fæcibus, aut sale, contere ea minutim cum aceto destillato, inde amphoræ lapideæ, ac bona parte destillati superfusa, pone in balneo, ita faciens, vt supra doctum est, vide an adhuc fæces habeat, ac sal clarum facito: ollæ vitreæ rursum inde, iterum aquam superfunde, facito modis omnib. vt supra, ter quaterve, atq; omnis materia tua, aut terra cum aqua forti destillabit: tum ab igni remoue, probe obtura, ac bene serua: aquā enim pretiosam habes præ omnibus aquis de quibus vnquam audiui. Ac mihi crede bona fide, de hac aqua mira vidi, atq; etiā ipse mira feci. Hanc aquam ad rubrum lapidem crystallinum reduxi, qui noctu lumen emitteret, vt frequentes conuiuæ cōuiuium eo peragerent. Serua bene ad vsum, ac pro secretissima aqua omnium quas habes, habeto.

CAP. XLV.

ITem nunc sume Mercurium à sua aquositate præparatum, vt alijs locis doctum est, & vitrioli ana ℔ 2. & per id sublima, contere tursum super fæces, iterum sublima. Tum id denuo bis sublima per recens vitriolum. Hoc itera ter quaterve, quo sæpius eo melius: tum Mercurius tuus præparatus est. Tū sumito marcam 1. puri Solis deducti, & in partes minutas incisi, ac immissi in aqua forti in vitro: pone in pelui cum arena, ac pelui ea super cacabo posita cum aqua, ac balneo vere calido facto, statim Sol tuus soluetur. Huic aquæ de tuo Mercurio sublimato prædicto inde, atq; etiam statim soluetur. Tum solue etiamnum marcam 1. Mercurij sublimati, tum adhuc marcam 1. eiusdem Mercurij sublimati. Tum 4. marcæ simul in ea solutæ sunt. Hoc facto, aquā p alembicū detrahe in balneo, ac identidē denuo supfunde, donec iam nō amplius destillet in balneo: tū refrigescere finito, ac pone in cineribus: sinas per eos destillare, ac rursum superfunde. Id itera, quamdiu destillare velit, ac mira inter destillandū videbis in alembico. Omnes colores orbis cernes, nā spiritus corpus secū sursum trahunt p alēbicum, ac colores cōspiciuntur in spiritib. illis, *Mercurij sublimatio ad rubrum.* *Colores.*

Coniunctio spirituum ac corporis.

ac post cotpus apud se spiritum retinet:ac tum colores illi in corpore teguntur, vt in opere vegetabili rite doceris, in quo de coloribus agitur:si de his verum sensum scire cupis, cap.93. quære, ibi de coloribus plene docetur. Cũ non amplius stillat, finas refrigescere, ac alembico ablato vitrum tuum probe obtura; pone in tripode diem ac noctem, calorem subdẽs talem, vt manum tuam tenere possis, dimidio temporis spatio quo Aue Marie recitari posset, inter parietes & conclaue in quo vitrum tuum stat: atq; interea temporis materia tua fixa erit?ac cum est frigida, dura est;cumq; tam calida fit vt cera liquesceret, liquescet in oleum.Isq; est verus lapis compositus, nulla tamen res extranea adhibita est, quæ non sit de genere eius.

Lapis cõpositus.

CAP. XLVI.

Proiectio.

SCiet filius meus, Lapidem istum facere proiectionem minimum 1.in 1000, aut amplius, atque ipsemet perfeci:estque lapis admodum insignis visu; lucet enim noctu. ita vt candelis non sit opus: verum aliud lumen adiunctum esse nõ potest: ac propterea nobilis est lapis ac medicina: habe pro magno secreto.

Sequitur præparatio Salis armoniaci.

CAP. XLVII.

REcipe Sal atmoniacum, sublima ipsum pet vittiolum Romanum, lib. 1. Salis armoniaci in 2. lib vitrioli:tum contere denuo super fæces, iterum sublima, tum fæces abijce: tum sublima rursum 2.lib.vitrioli recentis,fac vt supra ac itera nouies. Istud sal armoniacum pulueriza; puluerẽ vitro inde; superfunde acetum destillatum, vt tantũ modo soluatur, nec amplius,quam vt sal armoniacum solummodo aqua fiat, tam crocea quam Sol, quia sal armoniacum per vitriolum erat sublimatum, atq; id tincturam producebat.Estque hæc ea aqua salis armoniaci qua caput mortuũ conteretur,cuius confectionem supra pollicitus sum, me docturum.

Vulgares Regales ex aquaforti.

CAP. XLVIII.

ITem sumito vitrioli lib.3.Salis cõmunis lib. 1.salnitri lib. 4. sicca simul vt puluerescant,ac spirit⁹ suos tam ẽ cõtineant:& si vas tuum satis amplũ est,omnia simul igni admoue:ac si nõ est satis capax,sume dimidiũ;atq; tibi aquam fortẽ bis facito ad modum sequentem:primũ igni pusillo,ac paulatim intensiore,

fiore, donec materia modice candeat: ac in eo candore retine ad horas 45. donec omnes spiritus destillarint, vt alibi doctũ est. Eam aquã fortem funde super lib. 2. salis cõmunis pparati ac siccati, vt puluerescat, ac destilla cum cineribus primũ igni pusillo, ac paulatim intensiore aquã tuã fortem destilla, atq; ad extremũ vas tuum ruptum reperies. Eam aquã rursum funde super 2. lib. salis cõmunis pparati vt puluerescat: destilla per balneum probe lutatũ, destillato primum calido balneo, post bulliente; cumq; nõ amplius destillat, sine etiamnum 3. dies & noctes in feruenti balneo: nam etiam tunc spiritus inuisibiles destillabunt, tum ab igni remoue, obtura, ac sal illud infra ex olla sumito: ac eam nitidã ac siccam facito, atq; calidam aquã fortem immittito in eãdem, alembico pbe superlutato, tum per balneum primum per calidũ, ac post p feruens destillato, donec omne destillarit. Tum sinas adhuc per diem ac noctẽ in feruenti balneo, donec omnes spiritus destillarint: purga iterum ollam, aquam rursum inde, destilla vt supra: hoc itera donec nullas amplius fæces habeat, aut remaneant in olla vitrea: tũ aqua tua fortis rectificata est, ac pparata ad opera tua. Atq; hoc pacto omnes tuas aquas fortes quibus vti in arte vis rectifica, quamvis id sigillatim nõ semper doceatur, ita opus tuum imũdum non fit, hæc vna ratio: altera ratio est, cum aqua fortis non est rectificata in balneo, nõ potest omnes spiritus metallorum in se attrahere, fæces enim aquarũ fortiũ impediunt, ac corrumpunt, atq; immundum reddunt. In hac aqua forti solue Mercurij ex mineris ac non ex metallis lib. 1. aut 2. Tum sumito vitrioli clarificati, ne fæces amplius relinquat, sicca vt puluerescat igni pusillo vt spiritus retineat: ac supra hunc puluerem, solutum illum Mercurium simul confunde in amplam ollam vitream, ac moue spatula lignea, vt probe inter se misceantur, luta amplũ alẽbicum ac magnum receptaculũ, destilla per cineres primũ igni admodũ pusillo, ac paulatim maiore, donec aqua fortis destillarit, ac videas Mercuriũ albũ in alembico sublimandũ. Tũ adhuc paulo magis ignẽ tuum auge, retine in sublimãdo identidẽ ignẽ augẽs, donec omne sursum sublimatũ fuerit: deniq; ollam tuã infra ad horã candere sinas, tum sensim refrigescere. i. ignẽ tuũ spõte interire finito, atq; alembico demto ac receptaculo probe obturato, Mercurium sublimatum ex alẽbico sumito. Eum Mercurium sublimatũ, iterum in aqua forti solue, tam facile soluetur quam prius. Tum rursum ollæ indito vitriolum

Aqua fortis rectificanda.

Duæ rationes cur aquæ fortes sint rectificãdæ.

recens clarificatum, pulueriza ac ſicca vt puluereſcat, ita tamẽ vt ſpiritus ſuos retineat, ac prædicto ſoluto Mercurio ſuperinfuſo probe agitato & miſto, ac pulueri ĩmmerſo ac rurſum deſtillato. & ſublimato, vt ſupra. Ac iſtas deſtillationes ac ſublimationes quater itera, ſingulis vicibus vitriolo Romano recenti. Tum Mercurio ad eum modum ſublimato, ac ollæ vitreæ nitidæ immiſſo, alembico vna cum receptaculo ſuperimpoſito, ac ſublimato cum cineribus de more. Eas ſublimationes itera, donec nullas fæces amplius in fundo relinquat: tũ pure paratus eſt ad opus noſtrũ, ſerua in pyxde vitrea clauſa, ad vſum.

Quando Mercuriꝰ pure paratus ſit.

Sumito Lunã admodum ſicce in teſta purgatã, ac poſt reflatam de Saturno in crucibulum bis terve, donec crucibuli nõ amplius inficiantur: eam Lunã redige in laminas ſpiſſitudine coronati aurei, ſeca in fruſta quadrata: tũ habe crucibulũ cæmentarium quadratũ ex terra forti quæ facile ignem ferat: pone primum ſal commune præparatum in fundo ſpiſſitudine dorſi cultri, tum ſtratũ laminarum Lunæ, tum iterum ſal, &c. atq; alterũ ſuper altero colloca, donec crucibulus plenus ſit. Luta probe ex eadẽ materia forti operculum, ſinas ſiccari ꝓbe: tum igni imponito primũ puſillo ac paulatim vehemẽtiori, donec crucibulus tuus ſenſim candeat, ita tamen ne ſal aut Luna liqueſcat. In eo candore retine ad horas 24. tum refrigeſcere ſinas, ac crucibulum cõfringas, ac in teſta imponito cum aqua mũda, ac ſal omne ſimul ſoluetur ſuper cineres, ac laminę lunæ ſubſident, aquã ſenſim effundas, laminas exime, ſicca, ſunt. n. fragiles vt vitrum, ac nigræ. Eas pulueriza in mortario ferreo, ac non in æreo; cribra, ac ſi quid ſupereſt ꝙ nõ eſt calcinatum, pone denuo calcinandũ, vt ſupra, donec omne ſe ſinat in puluerem redigi. Tum puluerẽ cum aqua cõmuni aut melle cum fauo intangibiliter contere: cum puluerem contritum pateris vitreis, peluibus, aut ollis indito, atq; aqua munda calida infuſa, agita ac probe miſce: ſine ſubſidere; effunde calide ſenſim ſuperne, infunde rurſum aquã calidã mundam, agita, ſine ſubſidere, ſenſim ſuperne clare effunde: aut aquã mundam frigidã ſuperfunde, ac ſinas caleſieri ſuper cineres, fac vt ſupra: cõfundito omnes aquas ſimul, idq; tamdiu facito, donec aqua tam nitida defluat, quam infuſa eſt, ac Luna munda alba & clara eſt inſtar niuis; tum fæces omnis aquæ effuſæ ſinito ſubſidere, effundito aquam ſenſim ſuperne,

Lunæ cæmentatio.


fæces

fæces exicca, ac in crucibulo soluito super fornace cum parte salis calidi: ac si quid tuæ Lunæ transfuderis, denuo reperis, tanto minus amittis, &c. Puram Lunam lotam sicca igni pusillo in patera vitrea, tum eum puluerem solue borace, & pusillo salis alcali in crucibulo super fornace; ac funde iuxta Virgam; tum denuo in laminas, vt supra, redige; in frusta quadrata seca, cæmenta aut calcina, vt supra; Laua ac munda vt prius ex sale: id opus persequere; donec Luna tua clara, alba, ac pulcra ex sale prodeat: cumq; nulla amplius nigredo sequitur, ac Luna clara ac munda est, Luna ab omnibus fæcibus liberata est, ac nigredine, ita vt nõ amplius ærugine obducatur, vt Sol, ac clara erit, ac pondere grauis, & sono surda, ac in aqua forti solui nolet, in qua Luna soluitur, ac colores retinebit. Atque ad opus nostrũ præparata est, serua in pyxide vitrea ad vsum.

Cæmentum Solis.

CAP. XLVIIII.

SVme Solem purum instar coronati tenuẽ, cementa in cemento Regali ad horas 24. idq; ter semper in cęmento recenti, aut toties donec in pondere tuo nihil amittis. Tum Sol tuus p̃paratus est ad opus nostrũ perficiendum. Nunc sume ac solue tui Solis præparati lothones 3. Lunæ lothones 9. rectifica vt soluendũ in aqua clara. Tum 8 lothones tui Mercurij præparati etiam in vitro seorsim solue in aqua nitida. *Sol quomodo cęmentandus.*



Has 3. aquas confunde in eiusmodi vitro quale hic depictũ est, ac ꝓbe inter se agitã: tum vitro leuigato ori imposito, pone in balneo tepido, donec probe coierint: i. cũ probe inter se permista fuerint, turbantur & immunda fiunt: nã Sol, Luna, ac Mercurius nolunt sese tam facile inter se permiscere in aqua pura, quare in balneo tepido ponẽda sunt, donec mista ac in aqua pura soluta fuerint, ita vt nullas fæces in fundo relinquant: cumque ita soluta fuerint, alembicũ vitro tuo impone, ac subtrahe balneo tepido aquã fortẽ donec materia tua sicca est: tum sinas



refrigescere; pone in cinerib: leni calore quali Sol medio Martio lucet, atq; ita retine, donec materia tua tã alba est q̃ nix: tumq; ignẽ auge eo calore quo Sol media æstate lucet, retine *Calor q̃s adhibendus.*

in eo calore, donec materia lutea fit, vt mastix: tum ignem auge, donec materia fit croci: tũ adeo augebis, vt materia tua rubra fiat instat rubicæ, atq; iterũ, donec rubra fiat instar minij. Post insigniter auge, donec materia tua puniceum colorem induat aspectu cæruleũ: tum materiã ad horam aut amplius candere facias sine refrigescere; exime, ac Sol tuus fixus est. Tum sumito tantum tui Mercurij præparati, quantum est põdus materię vniuersę, liquefacito in aqua tua forti rectificata: tum Mercurium solutũ infunde in vitrũ tuum, ac materiæ tuæ adde, agita, ac probe inter se misce; pone in balneo roris, ac operi vitro rotundo leuigato super os, ac super id põdus Saturni, ad vitrũ sæpe aperiendũ, si quid forte Mercurij ascenderet ad margines, vt id rursũ penna deorsum abstergas. Sinas hoc pacto in balneo ad horas 24. tũ alẽbico superimposito, destilla ex balneo Mariæ omnem tuam aquam fortẽ. Tum rursum fornaci impone in testa cũ cineribus; ignem, vt prius, adhibens. Materia enim tua quæ prius rubra erat, denuo subnigrecana fiet, ac pene alba, deinde crocea, ac post rubra, proinde ignem vt supra adde. Sed facile fiet: cumq; materiam tuam colore sanguineo rubere vides, tũ ferreã aut æream laminam candefacias, huic granum istius pulueris impone, ac si in modũ ceræ liquescat, nec fumet, ac penetret laminam illam candentem, vt oleum corium siccum, medicina tua perfecta est. Sin id non facit, iterum aqua clara paradisi perfundenda est; tum Mercurij tui præparati inde, quantum materia tua appendebat, antequã Mercurium adderes: ac in tua aqua præparata solue: tum vitro super medicinam inde, ac pone in balneo, vt supra; facito modis omnibus vt supra, id faciendum tibi donec materia tua tam fit fusibilis, quã cera, ac fixa. Tum gratias Deo age. Habes enim medicinã omnia metalla in verum Solem transferentem, atq; altitudinẽ projectionis facile te experiẽtia docebit. Estq; medicina, quamdiu metallum frangibile est.

Proba

Multiplicatio.

CAP. L.

ITem ad medicinam tuam multiplicandam vnam partem ex vitro sume, ea lucrum fac, atque alteram in eo fine, ea facito modis omnibus, perinde ac si de integro ponere velles, scilicet: Recipe 9. lothones Lunæ, 8 lothones Mercurij, ac 3. lothones Solis, quæ 3 ad opus nostrum parata sunt, vt supra lique-

liquefacito in aqua forti rectificata singula seorsim: tum omnia 3. simul confundito, ac in balneo ponito, donec clara sint absq; fæcibus in fundo: tum infunde in vitrum in quo dimidia pars tuæ medicinæ inest, ac probe inter se permisce: tum aquam fortem destilla in balneo Mariæ, ac super fornace ponito in testa cum cinerib. ignem addens vt supra, donec materia tua omnis rubra fiat, quod spatio 6. hebdomadum fit, tum rursum aqua paradisi vt supra, perfunde, ac spatio 3 hebdomadũ omne simul medicina est. Ac tum denuo partem dimidiã eximere potes, altera in vitro relicta, atq; vt supra, multiplicare.

Aqua paradisi.

CAP. LI.

NVnc vero dilectus meus audiuit partem vnam magni operis, primum circa amalgamationes: atq; item paululum de alijs, ac de oleis quomodo ea ex metallis sint cõficienda. Deinceps te docebo ex omnib. metallis sal conficere, quod sal est Elixir perfectum, æque ac oleum: Sed proiectio eius non est tam alta. Verum sal ex metallis extrahere nõ est res quę magnum laborem requirat: cito fit, breui tempore. Ac tum filium meum docebo, conficere lapidem, quem pro maximo meo secreto habeo.

Transitio.

Ex omnibus metallis sal elici potest: ac id omne est Elixir.

CAP. LII.

SCies dilecte, ex omnib. metallis sal elici posse, ac omne sal metalli est Elixir: ac tenebis in sale metalli, elemẽtum terrę latere ac elementum ignis. Scies ac intelliges esse 4. elementa, vt ignem, aerem, aquam & terrã. Ac ignis & terra sunt vtraq; extrema elementa, aqua & aer media sunt elementa: duo illa extrema sunt fixa, videlicet, Ignis & Terra: duo media sunt volatilia, scilicet, Aqua & Aer.

Quatuor sunt elemẽta quorum 2. extrema sunt ac fixa ignis & terra. 2 media ac volatilia, aqua & aer.

CAP. XLIII.

NVnc scies in omnib. reb. q̃ sunt combustibiles, Ignem aut oleum earũ à Terra separari posse: prterquam in metallis, in ijs oleum aut ignis separari à terra nõ potest: fixa simul in igne manẽt. Quare omne sal metalli est Elixir, & liquari potest. Tenebis sale ad Elixir perducto, proiectionem exiguã esse, tum idem illud Elixir salis in oleum conuerti potest, ac tum interius eius foras inuersum est, ac exteri⁹ intro. Prius faciebat sal proiectionem vnius in 100. ac Lunã efficiebat. Eo vero in oleum conuerso, ac interiore foras, ac exteriore intro inuerso 1000. in proiectione facit. Ac cum prius Lunam efficeret, existens sal, iam in oleum redactum Solem efficit. Ita mi fili, vbi sal hoc metallorum ad Elixir perduxeris, vt nunc te docturus sum: opus persequere, vt ipsum ad oleum perducas.

In metallis oleum aut ignis à terra separari non potest, Sale metallorum ad Elixir perducto, opus persequendũ, ipsum que ad oleũ perducendum.

Id vero facile fit, vt te sub finem huius operis sum docturus. Scies vero ꝓ magno secreto, nõ esse certiorem aut breuiorem viam ac rationem, q̃ operari in sale metallorum. Nam in id nullum vitium incidere potest. Nulli.n.hic spiritus, qui ascẽdere valeant, ac non facile per ignem negligitur: atq; hic nihil fixatur, materia fixa est. Ita dilecte, omne secretum cõsistit in sale, & oleo metallorum. Ac ob eam causam solebant Veteres Philosophi adiurare alij alios, ne duo hæc abdita arcana cuiquã manifestarent, pterquam filijs suis, quos ad eam rẽ aptos cernerent: vtq; etiam eo pacto scriberent, vt nullus mortaliũ intelligeret, nisi soli filij scientiæ. Itaq; mi fili, oẽs libros Veterum perlege, omnesq; Philosophorũ libros: nusquam reperies solidam ac verã rationem de sale, nec de oleo metallorũ, quã tibi in opere possis ꝓponere. Scribunt quidem omne sal ac oleum metalli certo esse Elixir: dicunt etiam in eo conuenire omnes turbas Philosophorum, ꝙ omne sal ac oleum metallorum sit perfectum Elixir. Scribũt item ex metallis sal facile educi posse, per reuerberationẽ metallorũ. Item, sal ex fęcibus suis esse extrahendum, & ad lapidem cryſtallinũ perducendũ. Sed postea nullam amplius rationem operis addunt. Scribũt vlteriꝰ tam obscure ac tecte, vt nemo veram mentẽ eorum capere possit, nisi qui norunt. Hoc pacto ars salis ac olei metallorum secreta permansit supra omnes artes alias. Ac tibi, mi fili, bona fide dico, istam artem salis ac olei nunquã ante hac palam fuisse, ante parentis mei tempora. ac tibi iam euidenter scribo. Quare per Deum viuentẽ te adiuro, vt istam artem secretam nulli reueles, nisi vbi certo scias eam secretã mansurã: ob magnum malum ꝙ inde oriri posset: ac quod nobilis ars in peccatis cõsumeretur, ac non in gloriam Dei, ac ad opem ferendam pauperibus, ac in inopię solatium, ac omnium hominum, ad liberandos captiuos innocentes, & ad confirmationem fidei Christianæ. Ita probe circumspice, cuicunque Deus hanc artem largitur, is eam habiturus, nec quisquam alius. Nam prout propositum alicuius bonum aut malum fuerit, ita eam nancisci potest, ac Deus est ei daturus: ac miraculose eam consequetur. Dictum intelligenti sat est.

Omne secretum cõsistit in sale & oleo metallorum.

In Libris Philoso. phorum nusquam reperitur solida ac vera ratio de sale & oleo metallorum.

Dictũ intelligenti sat est.

Sol & Luna in aqua forti soluẽda, ac soluta præcipitanda.

CAP. LIV.

SVmes Solem aut Lunam ac solues in aqua forti, quemadmodũ soluere conuenit: ac soluta p̃cipitare facito, eam calcem laua cõmuni destillata, ac sicca in sole. Tum calx parata

est

est ad opus tuum, vt ponas in fornace calcinatoria ad resoluendā & aperiendā, vt post Mercuriū ex ea sublimes: calcem serua. Scies autem, quāvis tibi scribam de Sole & Luna, potes etiam extrahere ex Saturno, & ex Venere, ac etiā Ioue, & ex Marte æque ac ex Sole & Luna. Sed Sol ac Luna ꝓxima sunt & perfectissima, ac altiorem proiectionē faciunt, atq; etiā optima sunt, ac facile ad Elixir, sal, & oleū perducuntur. Item sumes calcem illam, q̄ tibi seruare iubebā, ac immittes pateræ vitreæ lato ac plano fundo, donec ad duos digitos calx emineat, nec amplius, nec spissius: atq; hoc pacto in fornace calcinatoria pones in qua spirit⁹ calcinantur aut Athanare, aut in tripode, ac tantum ei calorem adhibebis, vt si plumbum retinere velis liquefactum vt nō concrescat, 21. dies continue, ita vt ignem nō tollas aut ipsum refrigeres: ad corp⁹ Lunæ probe operiendum ac resoluendum: ad Mercurium postinde extrahendum. Ac scies quodcunq; metallū operari voles, ita faciēdum esse siue Sol fuerit, Luna, aut vllum aliud metallū. Sed vbi quodlibet ꝑdictorum metallorum stat 21 dies: Solē 6. ponere debes hebdomadas. Sol enim solidum ac compactum corpus habet, quod Luna non habet, nec reliqua metalla. Quare Sol tanto diutius in fornace reuerberatoria est relinquendus.

Ea calx aqua cōmuni destillata lauāda Mercuri⁹ ex ea sublimādus, calx seruanda.

Sol solidū ac compactum corpus habet.

Calce alicuius metalli aperta ea in cinerib. cribratis ponenda super fornace sublimatoria in olla vitrea latū fundum habente.

CAP. XLV.

Item vbi iam calx alicuius metalli aperta fuerit, ollā vitreā lato fundo sumito, ac ei calcem tuā immitte, ac pone æquali spissitudine, ac alembicūm supra luta, amplo capite, atq; ita pone super fornace sublimatoria in cineribus cribratis, ac receptaculū luto affige: ac primū ignē pusillū substrue, deinde gradatim ipsum auge, donec olla cui calx inest, candere incipiat. Ipsa vero iam candente, retine ollam hoc pacto candentem eodem statu ad dies 8 aut 10. Ac quicquid agas, ne nimiū calcēm tuam candefacias, ne liquescat. Ac 8. aut 10. illis dieb. exactis, respice ad ollā vitreā, an nullus amplius Mercurius ex ea ascendat. Ac si nihil amplius ascendat, sine refrigescere, ac deme alembicum, ac tum Mercuriū tuum sursum sublimatū habebis in formā niuis candidę. Hunc exime, & probe serua.

Ignis pusillus primū struendus.

Videndū ne nimiū calx candefiat.

Materia frigefacta, eximēdus Mercuri⁹.

CAP. LVI.

Item sal tuum aut terram reperies in fundo ollæ tuæ vitreæ redactam in puluerem colore inter cinericium & album, ac intumuit in morē spongiæ, adeo apertum est Mercurio ei detracto. Id vero omne dictum de omnibus metallis, vt Luna,

Sal aut terra reperitur in fundo ollę vitreę redacta in puluerem.

 Saturno;

Saturno, Venere, &c. Sed cilx Solis facile 16. aut 20. dies stare debet. Ac Solem fortius potes candefacere, quam reliqua metalla: Sol enim non tam facile quā reliqua metalla liquescit. Atque etiam flamma vehementior Soli est adhibenda, quia Sol solidius ac magis cōpactum habet corpus, præ Luna aut alio quovis metallo, alioqui idem opificium est.

CAP. LVII.

Sal prædictū ex olla eximēdum, eiq; acetum superinfundēdum in amphorā lapideam euacuatā.

ITem sal ex olla vitrea eximes, ac amphoræ lapideæ indes, ac ei bonum acetum ex vino destillatū superfundes, atq; eam amphoram in balneo pone, bulliat dies noctesq; 4. ac moue amphoram quater aut sexies singulis diebus spatula lignea. Ac semper amphoram denuo tegito tegula aut scandula leuigata q̄ ori amphoræ quadret. Quatuor illis dieb. exactis sine refrigescere, ac fæces in fundo subsidere ac diffunde in aliam amphorā aut vas, ac obtura, & serua. Tū denuo aliud acetum infunde, vt prius, ac rursum amphorā pone in balneo ad horas 24. ignē subde, ac moue vt pri⁹. Tū sine frigefieri, ac fæces subsidere: diffunde sensim sine agitatione in aliud acetū quod primū effundebas, ac op-eri. Ac si fæces nihil valere videantur ampli⁹, ac nullū sal amplius inesse: aufer, nihil est p̄ter cineres.

CAP. LVIII.

ITem nunc sume acetū tuum defusum, in quo iā sa ltuū solutum est, luta alēbicum super amphorā, ac pone eā in balneo, receptaculo ei addito. Ac inde acetū destilla, ita remanet sal tuum in amphora mundū clarū ac cādidum: post funde super illud sal candidum q̄ineſt amphoræ, aquā cōmunem mundam destillatā, ac in balneo bulliente pone ad horas 24. ac sal tuum in aquam clarum soluetur: tum sinas refrigescere.

Aceto destillato, remanet sal in amphora mundum, clarum, ac cādidum.

Ac si quæ fæces insunt, subsident: clarum superne diffunde in vas mundum: ac aliquantum etiānum aquæ cōmunis destillatę funde super fæces, si forte quid salis in eo remansisset: pone in balneo ad horas 3. vt bulliat, sine refrigescere, ac rursum confunde cum primo, vti prius faciebas, ac fæces abijce.

CAP. LIX.

Aqua destillanda, vti prius acetum.

ITem sume amphoram cui nunc sal tuum inest, ac alembicum probe lutatum superim pone, receptaculo ei luto addito: ac aquam tuam destilla, quemadmodum prius aceto fecisti. Tum reperis album, ac lucidum sal multo mundius & lucidius quam prius habebas. Idq; opus facito, ac itera toties, soluendo & congelando, & diffundēdo, donec nullæ amplius

fæces

fæces remaneant. Tum ſal tuum paratum eſt, ad proiectionẽ faciendam ſuper Mercurium. Ac ſal extrahere ex Sole, Luna, aut alio metallo, idem opificium eſt. Scias autem metalla imperfecta qualia ſunt Venus, & Mars, cum ex ijs ſal extrahere volumus, admodum minutim limari, ac ponuntur reuerberanda in fornace reuerberatoria ad dies 6. mediocri calore, aut candore. Atque ita eodem modo ſal extrahitur, vt prius doctum eſt ex Luna, & ex reliquis.

Solutio & cõgelatio toties iterãda ẽrit; item diſtillatio, donec nullæ amplius fæces remaneant.

CAP. LX.

ITem cum Sal ex Saturno aut Ioue habere vis, ſoluere ea debes in aqua forti, ac calcẽ à ſua ſalſedine abluere, vti doctus es: ac ita pones in fornace reuerberatoria, vti ante dictum eſt. Item cum ſal ex Saturno, aut Ioue habere cupis, ac cum eo Mercurium eius probe ſinere volare, pone in fornace reuerberatoria in patella terrea plano fundo, donec ad digitum vnum emineat, ſed nõ amplius. Nam in morem ſpongiæ admodum intumeſcit. Ac calcinare debes ad dies ac noctes 12. temperato calore & candore, ne vitrum fiant: quemadmodum alijs in locis ſatis docetur. Tum id refrigeſcere ſinito; ac ſal eius inde educito, vt ſupra doceris. Eſtque hoc ſal tam probum, tamque altam proiectionem facit ſuper Mercurium, quam ſal Solis. Item ſi Ioui, & Saturno Mercurium ſeruare vis, præparare debes ſublimationibus, vt de Sole & Luna dicitur: idem modus, idem opificium eſt. Niſi quod Iouem & Saturnum dies viginti in fornace calcinatoria, aut in athanore aperiendum ponere non debes. Nam Mercurius eorum eſt etiamnum crudus, ac non fixus vna cum corporibus, ideirco facile à terra ſua, aut corpore ſeſe ſeparat. Scies autẽ primã rationem optimam eſſe, ad Mercurium inde ſublimandum. Tum quodq; elementum virtutem ſuã retinet. Ac ſi ſal cupis extrahere ex Venere aut Marte, ea ſubtiliter limare debes, ac limaturam ponere in patellis terreis, ſpiſſitudine vnius digiti, eamq; in fornace reuerberatoria poſitã vres ad dies 35 ac Martem 95. dies. Itẽ hæc duo tamdiu reuerberanda ſunt, quod ĩã impura ſint. Nam continuo vitrum fierent, eam ob cauſam lẽte candefieri debent, ac proinde diu ac lente vri, antequam Mercurium ſuum à ſe dimittant, &c. Vbi vero in hunc modum vſſeris, vt ante doceris: tum habes Sal Veneris & Martis: verum id denuo reuerberandum ponere debes, ad dies 3. in fornace reuerberatoria: tum denuo acetum deſtillatum

Quomodo ſal ex Saturno aut Ioue educendum.

Quomodo ſal ex Venere aut Marte extrahendum.

super infunde, vt prius fecisti. Cumque sal tuum ita paratum est, facito proiectionem super Mercurium. Nam omne sal metallorum proiectionem super Mercurium facit, ac super aliud nihil, quia parum aut nihil spiritus apud se habent. Item sumes Mercurium in crucibulo ac calefacies donec incipiat candere, ac superinijcies sal tuum metalli præparatum, salis vnam partem in partes centum Mercurij: ac ignem tuũ vehementem facito: ita vt materia tua fluat, vt Luna super testam aut cupellam: ac sinas eo pacto donec se in Regulum statuat, tum extingue vt decet. Tum habes puram Lunam. Ac omne sal metalli siue rubrũ, siue album, Lunā puram efficit. Verum metalla perfecta altiorem proiectionem faciunt, quā imperfecta: id te ipsa proiectio facile docebit. Cumq; inuersum fuerit interius foras, ac exterius intro, tum omne oleum est: ac tum omne simul proiectionē facit ad rubrum, vbi prius faciebat Lunam, efficit iam Solem purum in omnibus probis, ac examinibus. Ac si prius proiectionem faciebat in 100, nunc facit proiectionem in 1000. Ac prius proiectionē faciebat in Mercurium, sed iam non facit proiectionem in Mercurium, sed tantummodo in metalla: quemadmodum infra docebimus, cum de proiectionibus quæ oleo fient, nobis sermo erit.

Metalla perfecta altiorem faciunt p̄iectionē quam imperfecta.

Modus cō ficiēdi oleũ ex metallis.

CAP. LXI.

Item nunc te docere volo oleum ex metallis conficere, ac interius foris ponere. Estque vnum ex nostris maximis secretis, Tum enim solē efficiet, vbi prius tantummodo Lunam efficiebat, in proiectione. Ac si prius in proiectione centum faciebat, cũ est oleum facile 1000. in proiectione faciet.

Sumendũ docet Vitriolũ Romanum, ac soluendum in aqua communi, ac deinde cō gelandum donec pellicula supueniat. Post vitriolũ frigefactum lapillabit in insignes lapillos crystallinos virides.

CAP. LXII.

Sume magnam quantitatem vitrioli Romani, 10. aut 12. libras plus minus, quantum voles: ac solues vitriolum in aqua communi. Cumque omne solutum fuerit, sine fæces subsidere. Tum omne clarum superne diffunde à fæcibus atque id congelandum pone in vase lapideo, aut alia cucurbita aut amphora, in arena, aut cineribus ad congelandum tuum vitriolum super quodam balneo Mariæ, donec pellicula superueniat: tum sine refrigari, ac stare triduum, ac vitriolum lapillabit in insignes lucidos lapillos crystallinos, claros, pellucidos, colore viridi. Ac color viridis optimus hac in parte est.

Lapil.

CAPVT LXIII.

LApillos illos virides exime, ac pone in pusillis pateris vitreis: ac serua, etiamnum humiditas in ijs remansit in testa: ea euaporabitur, donec denuo vellus superueniat: ac sines rursum refrigescere ad dies 3. ac tum denuo alij lapilli lapillabunt, vt prius: eos rursum exime, ac pone denuo in patera ad priores: ac rursum aquam euapora, vt prius. Ac facito, vt prius, donec omnes simul habeas in mundo vitro, aut patera. Ac pone in mundo balneo siccando; ac balneum accendas eo calore, qualis est Solis media æstate. Ac lapilli tui in album puluerem conuertentur: quem puluerem solues in aqua communi destillata, vti prius dictum est: finito fæces subsidere, ac clare superne diffundas in testam mundam, vt prius. Ac pone denuo congelandos, vt supra, donec pellicula quædam superueniat, vt prius. Ac sinas refrigescere triduum, ac denuo lapilli excrescent, vt prius, qui dimidio etiamnum mundiores, ac lucidiores erunt, quam primi, ac dimidio pulcrior color viridis, ita vt nunquam pulcrior color viridis visus sit. Idcirco Geber & Hermes inquiunt: viriditatem tuam probe serua: nam si eam amittis, operam ludis. Humidum denuo euapora, donec pellicula operiatur: & facito iterum modis omnibus, vt prius fecisti. Ac vbi rursum omnes lapillos congregaueris, iterum in balneo illo sicco pone sicut prius, donec mundus puluis candidus fiant. Tũ solue iterũ in aqua cõmuni destillata, vt supra: tum sine subsidere, ac à fęcib. diffunde: ac facito modis omnibus, vt supra fecisti. Id toties facito, donec nullas amplius relictas fæces vides. Item vbi album tuum puluerem hoc pacto laueris, ac operatus fueris: certus sis vitriolum tuum rite præparatum esse. Tum puluerem tuum album à vitriolo profectum serua, donec eo vsus fuerit. Quæras item dilecte, post quam vitriolum solueras, quare ipsum euaporare non sinebas, ita vt lapillare non sineres, id vero multum temporis exigit, antequam ad album puluerem reducas.

Lapilli illi eximẽdi, eorumq; humiditas euaporanda. Denuo alii lapilli excrescẽt: prioribus adiungendi, & aqua rursum, vt prius euaporanda.

Iterum lapilli excrescent dimidio mundiores ac lucidiores, quam primi, ac colore viridi pulcriore. Humidũ rursum euaporandum, donec pellicula operiatur.

Vitriolum rite præparatum.

CAP. LXIV.

NVnc scies vitriolum in sese habere quendã spiritum subtilissimum, quemadmodum in opere vegetabili abunde docetur, vbi agitur de subtili spiritu, qui est in parte exteriore omniũ herbarum; ea est viriditas omnium earum rerum, quibus foris viriditas inest. Nam ea est flos earum, virtus

Viriditas omnium quibus foris ea inest, eis eorundem vir- tus & quinta eſſentia, qua amiſſa, quinta eſſentia amiſſa eſt.

& quinta eſſentia. Ac ſi viriditatem eam amittis: dico tibi vere, quintam eſſentiam amiſiſti. Ac omnis opera quam impendis ei rei, quæ viriditatem amiſit, fruſtra impenditur. Animam enim eius; vitam, ac quintam eſſentiam amiſiſti. Corpus eſt mortuum, ſiue ſint herbæ, folia, ſpecies, radices, ac quicquid viriditatem foris habet. Quare vide, vt eam ſedulo cuſtodias. Viriditas enim adeo ſubtilis eſt, inuiſibiliter eam amittis, quemadmodum in vegetabili manifeſte demonſtratur; vbi dicitur, quo pacto viriditas, ex omnibus herbis, folijs ac radicibus, ac rebus omnibus ſuam viriditatem habentibus foras educetur. Qua educta, & viriditate ea in inſignem rubedinem conuerſa qualis vnquam viſa fuit: vide in opere vegetabili, ac facile doceberis, quid ſit ea viriditas. Itaque, mi fili, viriditas vitriolo

Viriditas vitriolo conſeruanda eſt.

conſeruanda eſt. Nam ſi ipſum intro congelares, partem viriditatis ei adimeres, ita vt croceum fieret: nam viriditas eſt quinta eſſentia eius, quam ex vitriolo quærimus. Dilecte ita ſenſim fieri debet lapillando. Ac cum iam fæcibus exutum eſt, ac in ſtapha ſicca puluerizatum, viriditas albedine tecta eſt: ſed cum iterum humiditatem acquireret, viriditas eius denuo foras prodiret. Idcirco exterius eius intus, ac interius foris ponendum eſt, ad retinendam animam eius, ſpiritum, vitam ac

Magnum myſterium.

quintam eſſentiam: atque magnum myſterium in arte noſtra eſt. Ac cum vitriolum hoc pacto paratum eſt, rubrum eſt, inſtar roſæ rubræ, aut Rubini: Tumque in ſe 4. elementa perfecte habet. Eſtque tum lapis is quem Deus nobis eſt largitus.

CAP. LXV.

Sumendũ album puluerẽ vitrioli, & quid eo agendũ doceet. Ignis ſubſtruendus, qui ſecundum colores lampadibus erit augendus.

IAm ſumes, mi fili, album puluerem vitrioli quem tibi ſeruare iubebam, eumque indes ollæ vitreæ oblongo collo: ac collum ſigillo Hermetis munias, ita nullus aer expirare aut ingredi valet: ac tum in teſta cum cineribus cribratis pone ſuper fornace: ac ignem ſubijce: & ſub fornace lampadem ardentem pone: calorem addens, qualis eſt Solis medio Martio. Atque hoc pacto retine, donec videas materiam tuam flaueſcere: ac retine in eodem calore donec perfecte ruffa fuerit. Cumque hoc pacto inſigni colore ruffo fuerit, ignem paululum auge, id eſt adhuc vnam lampadem ſuppone: atque hoc pacto retine ad octo aut decem dies, ac tum vide, an materia tua non incipiat rubere: ſi rubere incipiat, ignem tuum auge, ſine hoc pacto in eo calore etiamnum ad dies 8. aut 10. Si vero in rubedine nihil proficis, ignem tuum adhuc vna lampade

auge:

auge: ac si tum in rubedine tua proficis, hoc pacto relinque tamdiu, donec non amplius proficis in rubedine. Item cum vides te octo aut 10. diebus nihil amplius in rubedine proficere, ignem singulis vicibus lampade vna auge: atque ita prosequere gradatim semper accensa lampade vna, donec materia tua tam alte rubra fuerit, quam rosa aut Rubinus. Iam vbi tam alte rubra fuerit, vti dictum est: sinas etiamnum hoc pacto ad dies 8 aut 10 in eodem calore: ac vide an color non mutetur. Ac si non amplius in rubedine mutetur, materia inuersa est, ac interius foras versum est. Ac iam viriditatem non amittes: quippe iam in rubedinem conuersa est, ac iam in intimis partibus eius locata est: nec iam, nec vllo vnquam tempore foras produci potest. Materia ista in æternum rubra permanebit, & nō fixa. Nam si fixa esset omnino esset corrupta: nam in aqua soluenda & congelanda est ac destillanda per alembicum. Cur fixa esse non possit materia.

CAP. LXVI.

Scies autem me nunquam maius secretum tibi manifestasse quam hoc, per Deum iuro, hæc arcanum nunquam ab vllis Philosophis memoriæ proditum, quam à me solo. Ac tibi affirmo, non esse maius secretum in arte quam hoc. Quare te omnesque qui hoc intelligunt, adiuro, vt nunquam palam faciant, nisi vbi decet, per Deum viuentem. Est enim secretum secretorum. Hac enim ipsa ratione omnia metalla in oleum reduci possunt, vbi in aqua forti soluta fuerint: ac calx præcipitata, ac lota, vt audiuisti, ac de vitriolo satis doctus es. Secretum secretorū.

CAP. LXVII.

Omnia metalla rubra fient in morem sanguinis, etiam Iupiter, ac Luna: nam omnibus metallis interius rubrum est, vnum magis rubrum alio. Cum igitur ad rubedinē perducta fuerint, tum soluenda tibi sunt, ac denuo congelanda, donec ab omnibus fæcib. munda sint, & tamen elementa sua simul contineant perfecte. Nam cum eo perducta sunt, nihil præter fæces remanēt. Nam Terra subtilis ac liquida effecta, ea itidē soluitur cum eam subtilē effecisti soluendo & congelando, vt nullæ fæces amplius remaneant. Ita destillare per alembicum potes in oleum rubrum. Quemadmodum hic de vitriolo doceberis, ita etiam de omnibus metallis faciendum erit, atque etiam Mercurio. Vbi solutus fuerit in aqua forti ac præcipitatus, ac salsedine abluta, siccatus, ac tum

Metalla ad rubedinē perducta soluenda sunt ac denuo cōgelanda, donec ab ab omnibus fæcib. munda sint.

Omnibus metallis atq; etiam Mercurio idē posse fieri quod vitriolo.

tum vitro inditus, vti dictum est de vitriolo: atque ita porro factum, vt prius doctum est de vitriolo. Aut poteris Mercuriū sublimare, ac sublimationem illam vitro indere. Ita etiam Mercurium illum in aqua soluere potes, ac à fæcibus mundare, retinere ipsi simul 4 eius elementa, ac post destillare in rubrum oleum. Quid censes? nonne hoc magnum secretum est? Nunquam simile auditum fuit, nec audietur: isto pacto interius eius foras producere, ac exterius intro, ac mundare ab omnibus fæcibus, absque elementorum separatione: ac quod amplius est destillare in rubrum oleum, vt infra docebimus. Ac quod hic de metallo dictum est, id etiam de antimonio facere potes. Aures aperi, & ausculta, ac mentem aperi, nunquā auditum est, vt tale opus tam exiguo labore factum fuerit. Nunc ad opus nostrum reuertamur.

Idem antimonio fieri potest.

Redit ad opus.

CAP. LXVIII.

Vbi videris materiam tuam eodem statu permanere, exime ex testa cum cineribus, ac vitrum tuum aperi, materiamque tuam in aliud vitrum forte euacua, aut in amphoram lapideam, ac bonam quantitatem aceti destillati superfunde, ac pone in balneo, bulliat, ac moue spatula lignea ter quaterve singulis diebus ac identidem denuo operi: atque hoc pacto retine ad dies noctesque 4. tum sinas frigefieri: ac superne clarum effundito de more. Ac rursum acetum destillatum infunde, modis omnibus, vt dictum est de vitriolo supra, trib. vicibus. Tum fæces abijce. Item alembicū amphoræ impone: ac acetum destilla, donec materia omnino sicca fiat: ita in fundo amphoræ vitriolū remanebit tibi multo mūdius, quam prius erat: superfunde denuo acetum recens, ac facito vt prius factum est. Idque tamdiu itera, donec nullæ amplius fæces in solutione remanent. Tum congela in siccum puluerem, ac habe vitrum bonum, ac spissum, ei puluerem tuum inde: ac alembicum magno capite superimpone: ac destilla vt primum acquiras croceos spiritus, tum oleum rubrum: tum albos spiritus: tum sine frigefieri, vt ante satis doctum fuit. Item receptaculum deme, ac quod ei inest, est vero oleum illud benedictum, serua, donec eo vsus erit, ad sal tuum. Alembicum deme, ac in olla reperies materiam instar niuis candidam, ac instar crystalli lucidā. Estque ea terra vitrioli sine fæcibus, ac rectificata. Hanc puluerizare potes, ac sinere imbibere oleum rubrum in suo corpore. Hoc ampullæ vitreæ inde, ac suspende in

Solutio hæc toties iteranda donec nullæ amplius fæces in solutione remanent. Tum vitriolum congelandum in siccum puluerē.

de in tripode ad dies 40. calore temperato, ac coagulabit in lapidem Philosophorum omnia metalla in verum Solem transferentem. Sed hic id ipsum eo efficere non volumus, sed cupimus oleo vti ad opus nostrum de sale ac oleo metallorũ.

CAP. LXIX.

SCies cum sal metallorum ad oleum vis perducere eo modo vt de vitriolo, elementum terræ metallorum vna cum oleo destillabit, rubrum instar sanguinis. Id vero terra vitrioli non facit: oleum sese à terra separat. Tametsi Deus talem benedictionem concessit, vt ex eo solo lapis Philosophorum confici possit absque additione, transferens omnia metalla in verum Solem. Sed oleum eius cum terra prius fixandum est, vt prius. Id vero ita non fit de metallis. Terra vna destillat per alembicum igne. Ac totum corpus in oleum conuertitur, transferens omnia metella in verum Solem. In eo omnes turbæ Philosophorum conueniunt. Idque fit, vt hic docetur de vitriolo, & eodem modo.

CAP. LXX.

COnficitur etiam oleum ex Mercurio, & ex antimonio: ac terra eorum vna transit, ac totum corpus fit oleum, ac manet oleum in secula, ac isto oleo mira efficere possis, quæ hic recensere nimis longum foret. Nosti item quid de antimonio scribatur, ac de oleo eius. Sciet tamen filius meus, oleum Mercurij multo esse præstantius in omnibus operibus in quibus oleum antimonij seruit. Hoc secretum est.

Confici etiam oleũ ex Mercurio & Antimonio.

CAP LXXI.

ITem nunc denuo ad opus nostrum redire volumus: ex prædicto sale, quod conficere docuimus, ac proiectionem faciebat ad album, faciamus oleum quod proiectionem faciat ad rubrum. Ac quæ prius faciebant 100. iam 1000. faciunt ope olei vitrioli, ac Mercurij sui qui ex ijs sublimatus est, quẽ tibi in pyxide vitrea seruare iubebam. Sume istum Mercurium ac solue in aqua forti vitrioli & salnitri ana, cumque solutus fuerit, id quod solutum est, inde ollæ vitreæ ac alembicum superimpone: & pone in cineribus cribratis. Ac primũ ignem pusillum subde, & ei aquam fortem destillando subtrahe, cumq; Mercurius sursum sublimabit in alembicum: cumque amplius sublimare respuit, aufer: sume Mercurium ex alembico, ac inde vitro longo gutture, sicuti vitriolo faciebas: ac pone in te-

Ex sale oleum conficere docet.

in testa cum cineribus cribratis. Lampadem tuam sub ea accende. Atque ita relinque, donec perfecte rubeat, sicuti de vitriolo doctum est: Solue, congela: cumque mundus fuerit, destilla in oleum rubrum, vt de vitriolo dictum est, sed Mercurius totus in oleum destillat, ita vt nullam terram relinquat.

CAPVT LXXII.

Mercurio & alijs metallis nihil aliud adhibetur, vt oleum ex ijs conficiatur, quam id quod tibi dixi. Cumque oleum ex Mercurio deduxisti: Sal tuum quod Elixir est amplæ ollæ vitreæ inde ac super fornace pone igni pusillo subdito, vt sal tuum aut Elixir liquescat. Id vero facile fiet: nam sal istud liquescit, vt cera super ignem. Cumque liquefactum fuerit, oleum illud Mercurij superfunde, seniim stillando guttatim, ac statim simul coibunt: quemadmodum die nouissimo anima ac corpus congregabuntur: ab omnibus enim maculis pura ac munda sunt. Nunc animam, spiritum & corpus simul coniunxisti, quæ nullo vnquam tempore separabũtur: ibi corpus proprium spiritum suscipit: ac momento temporis fixantur.

Nunc anima, spiritus ac corpus simul cõiuncta, quæ nullo vnquam tempore separabuntur.

CAP. LXXIII.

Nunc vitrum tuum super fornace relinques ad dies 16. calore pusillo, vt si ceram retinere velles liquefactam, vt non concresceret. Atque hoc spatio 16. dierum omnis materia in oleum conuertetur; in morem mellis cum fauo rubrum instar purpurei cruoris: ac in æternum ita manebit. Exulta dilecte, habes secretum secretorũ totius mundi. Nam oleum hoc iam 1000. in proiectione facit. Ac scies: cum proiectionem voles facere, eam facies super aliquod corpus, ac non super Mercurium. Nam oleum hoc corpus ex Mercurio facere minime posset. Multæ sunt rationes, breuitatis causa hoc loco omissę. Satis in opere proiectionis recitatur ac docetur. Sumenda tibi est lamina Martis, Veneris, aut Lunæ, eam candefacito, ac super ipsam oleum illud destilla, ac impones carbonibus calidis: ac oleum imbibetur, ac penetrabit laminam, vt aqua spongiam: ac diffundet se ac penetrabit per eam, ac conuertet in optimum Solem omnia examina, ac probas transeuntem quaslibet. Sed in Iouem & Saturnũ proiectionẽ non facito: nam medicina prius corpora, vt corpora nõ essent efficeret, ac ad suam naturam perduceret, quam corpus inde efficeret,

Secretum secretorũ.

In Iouem & Saturnũ proiectionem non

efficeret. Qua de re non est hic dicendi locus, satis id alibi docetur. Quid tibi de hoc magno secreto videtur? Nunquam huius simile in Orbe repertum fuit. *esse faciendam, ac quare.*

CAP. LXXIV.

ITem audisti quomodo, & quibus rationibus metalla solues, & quomodo ea denuo facies præcipitari in calcem, ac quo pacto calci aquam fortem ablues, ac exiccabis, ac sublimanda pones, ad Mercurium eorum inde detrahendum, ac tum sal illud quomodo solues in aceto destillato, ac sal rectificabis a fæcibus, ac perduces ad Elixir Præterea audisti qui, & qua ratione vitriolum clarificabis, ac à suis fæcibus rectificabis, soluendo, ac denuo sensim diffundendo, ac congelando, donec ab omnibus fæcibus mundum sit. Audisti insuper, quo pacto igni admoueatur in vase clauso calcinandum, simul retinendo quatuor eius elementa: ac doceri quomodo viriditas eius quæ foris stabat, intus, ac rubedo quæ intus, foras sit ponenda, Ac deinde quomodo denuo soluatur in aceto destillato, vt fæces ab eo remoueantur quas in albedine interiore habebat: & quas initio à se dimittere nolebat, quamdiu interius eius foras non esset inuersum. Scies res omnes habere duplices fæces, à quibus separandæ sunt, ac rectificandæ, videlicet primum in sua crassitie cum adhuc crudæ sunt. Quemadmodum primũ soluebatur & denuo congelabatur, cum viride esset: tum dicebam: viriditatem eius probe serua, aut frustra sudas, idque est quod ei fæces detrahuntur quæ in eius exteriore sunt, eæ tum illi detrahuntur, vt supra. Ac cum iam exterius intro, ac interius foras inuersum est: tum res iterum soluenda est, & congelanda, donec amplius fæces non relinquat. Atq; hoc pacto acquiruntur aliæ eius fæces ab ea, quæ prius cum in interioribus latebant, acquiri non poterant. *Anacephalæosis.*

CAP. LXXV.

NVnc vero quæras: Qui fit vt natura interior fæces suas nolit dimittere, cum tota materia aqua sit? Sciet filius meus ac intelliget: quamvis omnino aqua sit, frigiditas eius foris est, ea vero ita cogit & cõcludit calorẽ, vt calor qui intus est, ita fit cõclusus, vt nihil de suis fæcib. à se dimittat, antequam ipse foris stet. Ac tum solutus semetipse aperit, ac fæces dimittit: tum enim à frigiditate non constringitur. Ac ẽ cõtrario, vbi calor alicuius rei foris stat, ibi frigiditas ita intus retinetur ac concluditur, vt se aperire nolit, ac fæces apud se *Quæstio, cum solutione.*

retineat. Imo tametsi aliquis calor ac humiditas esset in calore interiore: calor exterior foras expelleret: quemadmodum quotidie cernere possumus in destillationibus ex balneo, atque etiam ex igne: nam ibi ascendit aqua, aer & ignis, ac frigida sicca terra in fundo remanet, ac ibi concluditur ob calorem qui foris vasi accedit.

CAP. LXXVI.

Bis rectificandum ei qui vere Elixir aut quintam essentiam sit facturus.

ITa bis rectificandum ei, qui vere Elixir, aut quintam essentiam sit facturus, in quacunq; materia id fuerit, siue in speciebus, herbis, radicibus, saccharo, melle, & id genus alijs. Ac iuro tibi per Deum, nunquam huiusmodi secretum manifestatum esse, quam à me solo. Ac etiam nunquam descriptum, quam mea solius manu. Praeterea audisti quomodo, & qua ratione vitriolum positum fuit destillandum, ac ex eo oleum eductum instar sanguinis rubens: ac terra in fundo vasis permanebat. Ac quomodo oleum illud in terra sua imbibebatur, ac ponebatur in tripode, in ouo vitreo aut ampulla 40. dies, ac in lapidem Philosophorum mutabatur. Iubebam tibi insuper seruare oleum vitrioli: ac Mecurium sublimatum in aqua forti soluere, ac præcipitare, ac aquam fortem ei abluere, ac siccare, ac vitro indere, ac super fornace ponere, donec rũber esset, ac interius eius foris. Ac deinceps facere vt cum vitriolo, ac oleum ex eo extrahere, ac rursum corpus eius eo imbuere: ac totum illud corpus ad oleum reducere, vt proiectionem faceret. Dixi insuper omnia metalla in oleum reduci posse eodem modo, absque elementorum separatione, sicuti res sese habet.

CAP. LXXVII.

NVnc tibi dico, scrutare omnia verba mea quæ te in hoc opere de sale & oleo docui. Peropus tibi rite intelligere. Nonne te etiam docui quo pacto omnia metalla per alembicum trahes, ita vt omnino destilient in oleum, vt nihil relinquant, aut quicquã remaneat. Id vero solum facit fortis spiritus aceti: ac efficit vt perfecte sint separata & rectificata à fæcibus suis intus & foris, vt te docui, ac vt interius foris stet, ac exterius intus. Ac tum adeo resoluta ac subtilia sunt, ita vt elementa à se inuicem non sint separanda. Quamvis omnia media quæreres quæ in orbe reperiri possunt adhæc elementa separanda, non posses efficere, ob eorum subtilitatem, mũditiem, ac resolutioné. Cumq; tum apud se habent subtile acetum

tum penetrans, omne simul per alembicum cum aceto trãsibit. Si vero igni admoueres, ac nullus spiritus aceti adesset, statim simul fixarent: ac quia acetum copiose in eorum mũdo, aperto, subtili corpore est, destillant in oleum, & spiritus aceti apud ipsum fixant.

CAP. LXXVIII.

SCies spiritũ aceti prę omnibus rebus quę in mundo sunt, subtilem esse. Imo millies subtilior est quam quinta essentia aquæ vitæ: nullis vasis contineri posset: sed facile dimidia ex parte fixus est: ideo facile fixat rem ad quam adhibetur. Quemadmodum in vegetabili demonstratur, vbi de vino eiusq; natura sermo est, ibi satis docebere, quid acetum sit, eiusq; spiritus, quomodo omnia vt soluantur & ascendant, efficiat.

Spiritus aceti prę omnib. quæ in mundo sunt, subtilis est.

CAP. LXXIX.

NVnc videre volum⁹, quo pacto nobile hoc Philosophorũ oleum multiplicare poterimus. Sume nobile hoc oleum Philosophorum, ac amplæ ollę vitreæ inde, cuiusmodi supra figurata habetur. Ac super vnam partem 100. partes funde illius olei, quod ex vitriolo eduxisti, quod te supra conficere docui: ac ollam operculo vitreo operi leuigato, vt quadret: ac luta, & super fornacem in cineribus cribratis pone: ac ignem sub ea accende lampade, eo calore, vt si ceram liquefactam seruares, vt non concresceret. Ac in eo calore retine ad 6. hebdomadas. Atq; interea temporis oleum vitrioli vna cum nobili oleo Philosophorum fixatum erit. Ac tam bonã & altam proiectionem faciet quam oleum prius. Itaq; dilecte istam lectionem sæpius perlege, ac memoriæ manda. Nã tibi inprimis necessarium est, ac fundamentum, cui tota ars innititur, est.

Multiplicatio nobilis olei Philosophorum.

Lectio hęc sæpius perlegẽda, ac memoriæ imprimenda.

CAP. LXXX.

SEd si vulgare oleum ex metallis velis educere, vt de vitriolo doctum est, metallum tuum in aqua forti solues, ac facies præcipitari, ac salsedinem ei aqua communi ablue, eoq; siccato, in vitro oblongo gutture, immisso, ac congelato, ac posito super fornace in cineribus cribratis: ignem subiice talem qualem vitriolo, donec metallum omnino rubeat, ac donec interius eius foris sit. Tum solue in aceto destillato,

Quõmõdo vulgare oleum ex metallis educendum.

vt vitriolum, ac congela donec nullæ fæces amplius remaneant. Tum destillandum pone: ac metallum omnino destillabit in rubrum oleum, estque oleum perfectum Philosophorum. Verum proiectio eius nō tam alta est, quam olei, quod prius sal fuit. Atque omne oleum metalli oleo vitrioli multiplicabis, vt ante doctum est. Ac admodum facile oleum conficitur ad eundem modum ex Saturno, eiusque proiectio admodum alta est. Age gratias Deo, operare, ac pauperum memento, Dei dona in tuam salutem moderare.

Oleum perfectum philosophorum.

Modus purificandi ac separandi materiam à facibus.

CAP. LXXXI.

3. rationes sunt mundificandi aut separandi rem aliquā à suis fæcibus.

Scies dilecte 3. esse vias ac rationes mundificandi aut separandi rem aliquam à suis fæcibus. Prima ratio de qua dictum est, iuxta naturam vel per naturam. Natura enim repellit à se quicquid imperfectum est. Quemadmodum quotidie cernimus in omnibus, quæ in terra defodiuntur, omnia simul in terram conuertuntur, quæ est ipsorum medium. Ac intuere quicquid quotidie aeri expositum est, siue sit ferrum, chalybs, plumbum, cuprum, lignum aut lapis: ac omne quod die nocteque aeri expositum est, perit ac conteritur, & cōsumitur diuturno tempore. Propugnacula, arces quamlibet fortes, pereunt diuturnitate temporis, ac in terram medium earum gradum calcinantur.

Omnia quæ in terra defodiuntur in terrā conuertuntur.

CAP. LXXXII.

Quare omnia conuertantur in terram, ac non in aerem, aquam aut ignem, egregia explicatio.

Quæras autem: qui fit vt omnia conuertātur in terram, ac non in aerem, aquam aut ignem? Scies: quicquid hic infra sub circulo lunari existit, id ex quatuor elementis compositum est. Ac 4. elementa omnia immunda, ac fæcibus plena sunt. Vnum elementu alio impurius est, vt in Vegetabili opere docetur. Ac terra immundissimum est, ac maxime siccum elementū, plurimas fæces habens. Ita omnia primum in terrā conuertēda sunt, antequam in aerem, aquā aut ignem conuerti possint. Id ita esse debet, quod natura operatur sine artis adminiculo. Natura enim non mouetur vlterius quā ad operandum de gradu in gradum. Ac ideo natura diu operatur. Peruenire enim à principio ad finem non potes, nisi prius spacium intermedium transeas: neque etiam iter. 100. milliariū potes absoluere, quin prius iter intermediū transeas. Ad quartū gradum peruenire non potes nisi primo, secun-

Elementū aliud alio impurius est, terra autem omnium immundissimum.

secundo & tertio præteritis. Ac qui hoc non intelligit, ei vt operetur in nostra arte auctor non fuerim. Ita, mi fili, ex ratione prædicta liquet, omnia quæ cursu naturæ purgantur in terram conuerti: nam cum quid in terram conuertitur, tum apertum & resolutum est, vt quodq; elementum sui simile ad se trahat, quemadmodum in opere vegetabili satis demõstratur. Ac vt rem ex primo gradu in alterum perducam: vt in aliam naturam conuertatur necesse est: ac in aliam naturam conuerti non potest, quin prius terra fiat: ob fæces quas in se habet. Aspice plumbum, quicquid moueatur ad igne in olla, prius in cineres aut terram conuerti debet, quam figulus eo vitrificare possit. Plumbũ enim vitrum fieri non potest, antequã in aliam naturam transferatur: nec in aliã naturam cõuerti potest, quin prius terra fiat, ob fæces, quas in se habet. Nec potes ex plumbo argentũ cõficere vi, quin prius vitrum sit: sicuti multis in locis rite docetur: quamuis alia quidem ratione ad argentum perduci possit, sensim ei fæces adimendo, quemadmodum suo loco docetur. Nam plumbũ in exterioribus argentũ est: ita plumbo nihil aliud deest, vt ad argẽtum perducatur, quam vt ei fæces detrahantur, sulphur eius terrestre, ac tum argentum est. Quemadmodum natura quotidie conuertit, sicuti videre est. Intuere arces veteres, quæ olim plumbo tectæ fuere, ac super quibus ad annos quingẽtos aut sexcentos iacuit, ita vt omne plumbum illud in terram conuertatur, aut in cerussam, sicut quotidie etiamnum in veteribus tectis plumbeis reperitur, quod ramentis desilit: ac si diutius iacere posset, Natura tandem in argentum percoqueret, ac mundaret. Quemadmodum egomet vidi, cum huiusmodi vetus tectum plumbo tectũ quod facile per bis aut ter mille annos iacuerat, demeretur, tectũ illud plumbeum in micas à se inuicẽ frangi, perinde ac si fuisset calcinatum. Cumq; diffringeretur micabat quasi limatura argẽti in eo fuisset, ac album erat sicuti cerussam esse conuenit: sed apparebat quasi cerussa illa argẽto consperfa fuisset: ac plumbũ illud in testis ponebatur, ac aliud plumbũ & purgabatur per cupellã ac omne simul erat pura Luna, ita natura mũdauerat longa digestione. Ita cõstat per rationẽ prædictam, naturã operari, mũdare, ac fæces oẽs à se repellere, ac in nihilum redigere ac in puluerẽ medullam solis. ℞. amphorã amplam capientem 10. aut 12. mensuras, eã aqua imple, ac die nocteq; in aere pone,

vbi Sol ſplendet,ac ſolide obtura,vt neq; pluuiá, neq; aer ingrediatur:aqua illa fœtida, immunda, glutinoſa, limoſa, ac mali amarique ſaporis erit: ac progreſſu temporis fœtor ille conſumetur,atq; abolebitur. Ac fæx aut materia terrea,quę aquę ineſt ſeparabit ſe à materia aquea,ac in fundo ſubſidet, atque ibidem permanebit, ac aqua illa munda & nitida fiet, quaſi deſtillata eſſet, ac fiet dulcis ac fragrans ; ac boni ſaporis.Aquam illam à ſuis fæcibus diffunde in vitrum mundum, ac diu etiamnum ſtare ſine, ac denuó fæces reſiduum faciēt. iterū effunde. Idq; itera ; donec nullas amplius fæces in fundo reperis. Aqua illa rectificata eſt per curſum naturæ.Quãuis aqua illa ſtaret in diem vſq; nouiſſimum, nunquam corrumperetur,ſi probe eam obturatam ſeruares. Par iudicium de oleó.Nam ſi quod oleum ſeruaretur in amphora lapidea, aut vaſe aliquot annos,ipsũ fæces ſuas à ſe repelleret in fundum,ac fieret clarum ac tenue, ſicuti de aqua dictum eſt. Ac vide vinum vetus, aut ceruiſiam probe ſeruatam, ac firmiter obturatã,quomodo fæces à ſe repellat in fundũ;vide vina illa vetera & clara, quæ ſæpe a fæcibus clarificata ſunt, quã efficaciá ac clara fiant:Imo ſi ad aliquot annos ita ſinerentur ac probe obturata,ita ſeſe mundarent,vt ad extremũ nullæ fæces in iis reperirentur,ita ad extremũ rectificarentur,ac quãuis deſtillarentur , nullas fæces relinquerent. Tum quod rectificatum vltra eſſet,rubrum foret,ac lucidum inſtar cryſtalli. Sed longo tempore opus eſſet, antequam natura vinũ eo perduceret : verum id ad extremum fieret. Atq; hoc modo ſe res habet in omnibus quæ fęces habent,vti prius dictum eſt. Ita liquet ratione iam dicta.Naturam ipſam curſu naturæ omnes fæces à ſe repellere. Ac ſi hac de re clarius doceri cupis, quære in opere vegetabili,ibi manifeſto doceberis.

CAP. LXXXIII.

2 Mundificãdi ratio quæ fit arte,ſoluendo ac congelando.

EST præterea etiam alia ratio mundificandi, quicquid in natura fæces habet: id vero arte fit : in eo ars naturã iuuat : ac fit ſoluendo & congelandó ; quemadmodum in magno opere partim declaratur. Quare de eo, id eſt,de mũdificatione aut ſeparatione fæcum perfecte ſcribere nólo . Si de eo plane intelligere cupis ; quære in operę vegetabili , vbi de rectificatione ęlementorum agitur, vbi elementa mundificantur ad extremum abſque elementorum ſeparatione,ibi prolixe & plane de his doceberis.

CAP.

CAP. LXXXIV.

SCies deinceps esse aliam rectificationem ad fęces omnium metallorum ac rerũ mineralium, quæq; igni fiunt. De ea rectificatione aliquantum agemus, ac docebimus quantum opus sit, ac si planius de ea doceri cupis, quære in vegetabili, vbi agitur de effigiandis lapidibus pretiosis, deq; pretiosis amauşis conficiendis: ibi prolixe & plane doceberis; hic de ea nec prolixius nec pluribus agere volumus, quam necesse sit, atq; ad opus nostrum requiritur. Scies omnia metalla posse purgari a suis fæcibus igni: ac elementa perfecte simul manebũt absq; separatione, ac deinde sine fixione. Ac omne fiet igni. Ista vero vstio fit variis modis. Atque aliter Sol vrendus aut cæmentandus est, quam Luna, aliter Luna, quam Saturnus, Aliter Venus vrenda est quam Mars.

3. Mundificãdi ratio quæ igni fit, vstioq; dicitur.

CAP. LXXXV.

SCies porro duplicem esse vstionem, quæ in metallis adhibetur: vnam cæmentatione, de qua infra etiamnum nobis sermo erit, ac vna cæmentatio fit sale ac spiritibus mineralibus, absque metallorum in vitrum conuersione; atque vna aliter fit, quam alia.

Duplex vstio in metallis adhibetur.

CAP. LXXXVI.

NVnc quæras: Possuntne omnia metalla conuerti in vitrum absque vllius additione, ac denuo reduci in metallum? Scies omnia metalla posse conuerti in vitrum absq; vllius additione, Sole vno excepto, is in vitrũ conuerti non vult, quamuis vsq; in diem iudicii vreretur: aliquid ei addendum, quod in aliis metallis non est necesse. Sol enim natura purus est, ac tametsi aliquas fæces in se habeat, non tot sunt, vt corpus eius possint tegere. Ita qualibet valde Sol vratur, fæces vitrũ non fiunt, sed pure comburitur præ multa & forti combustione, ita vt non fiat vitrũ. Id vero de aliis metallis fieri non potest, ea vitrũ naturale fiunt. Dicas vero iam: cũ quid vitrum est factum, ad extremum perductum est. Nã cum quid vitrum est, ad nullam materiã perduci potest: quia vitrum omniũ extremum est, ac post iudicium quicquid sub firmamento comprehensum est, omne in vitrũ diuina ordinatione cõuertetur. Liquet igitur vitrum omnium extremũ esse: ac vitrum ad nullam rem aliam arte deduci posse, quam ad vitrum, aut ad materiam combustam, aut ad fæces. Nam sæpe vidi vitrum longa, ac vehementi vstione reduci ad nigros

Quæstio cũ solutione.

Vitrum omnium extremũ est, quod probatur.

gros colubros, vt carbones fabriles, ac etiamnum longa vstione albos fieri cineres, leues in morem pulueris, ac puluerescebant: atq; ita vitrum illud redigebatur in nihilum. Atque hoc pacto ratione liquet, vitrum esse extremum ac postremũ omnium, neq; ad rem vllam aliam arte reduci posse. Natura enim artem non habet, sed ars sequitur & iuuat naturã. Scies proinde vitrum esse extremum ac vltimum omnium, excepto metallo, ac rebus metallicis. Ratio hæc est: In omnibus rebus combustibilibus separatur oleum, ac humor naturalis vehementi ac diuturna vstione a terra sua: nisi in metallis ac metallicis mineralibus rebus, in iis oleum a terra nõ separatur; sed semper in igni terræ adhæret, quamuis in æternum vrerentur. Nam si oleum à terra metallorum separaretur, ex terra Elixir confici minime posset, ac sal metallorum liquefieri non posset: quomodo igitur in corpora imperfecta ingressum darent, aut tincturam?

Natura artem non habet: sed ars sequitur & iuuat naturam.

CAP. LXXXVII.

Quæstio cum responsione.

Quæras autem: an sal tincturam metallorum dat? Scies: sume oleum metalli, id tincturam dat. Scies cum sal extrahitur ex metallo ac preparatur vt oportet, ad proiectionem faciendam, non fit vlla tinctura, sed proiectionem ad album facit. Atque res hæc est; Oleum inclusum eius interioribus, vt in ouo albumini vitellus. Verum cum rubram proiectionem facere volumus, ignis aut oleum foris ponendum est, ac sal eius aut terra intus: atq; ita hoc ipsum proiectionẽ ad rubrum faciet, sicut prius ad album faciebat. Prius erat sal metallorum, ac faciebat vnum in 100. ac cum ignis aut oleum foris positum est, tum est metallorum oleum, ac facit 1. in 1000. Ac quamuis eadem sit materia, tamen interius eius foris positum est, ac exterius intus.

CAP. LXXXVIII.

Alia quæstio.

Aer ingressum dat, ignis tincturam, oleum liquescere facit, terra fixat.

2 Rationes.

Quæras etiam: cum sal aut terra metallorum cum oleo ipsorum sunt educta ex metallis vstione ignis, tũ Mercurius eius aut aer separatur à terra, ac ab oleo, quomodo sal illud aut oleum ingressum dare potest? Dicũt enim Philosophi; aer ingressum dat, ignis tincturam, oleum liquescere facit, terra fixat. Atq; hic aer auolauit, diuturna ignis vstione, Scies, satis aeris oleo remansisse in igne, quantum ei possit sufficere. Nã elementa ita cõglutinata sunt, vt nunquã a se inuicem separare possis, quin permista inter se maneãt.

Non

Non reperitur ignis absque aere, nec aer absque igne. Hæc vna ratio: altera ratio hęc est: Terra & ignis sunt duo elementa fixa, atq; apud se retinent multum fixæ partis aeris, quantum eis satis est, vt ingressum dent.

CAP. LXXXIX.

Quæras autem: Qui fit vt omnia metalla vitrum fiant Sole excepto? Hoc ita intelliges. Omnia metalla immunda, ac fæcibus plena sunt, ideo facile calcinantur. Omnia enim membra metallorũ sunt plena immundis sulphureis fæcibus, quas in mineris nacta sunt: cumq; in vehemens incendium perueniunt, facile calcinantur: atq; humiditas crassæ fæcis sulphureæ comburitur. Nam sulphur eorum fixum non est, quemadmodum sulphur Solis. Ac pinguedine sulphuris combusta, fæx sulphuris tam sicca fit, vt totum metallum in calcem aut terrã conuertatur. Atq; ideo omne metallum in calcem, aut terrã conuertendum est: In vitrũ enim trãsferri nõ potest, nisi prius sit calx. Nulla res ex natura propria transferri potest in aliã naturam, sine medio. Nam prius metallum erat, ac fit vitrum. Iam metallum & vitrũ duæ naturæ sunt: ac vt id fiat, per terram aut calcem fieri debet, quæ medium est. Ac tum etiamnum vehementiore vstione ac tẽpore diuturno terra illa aut calx in vitrum conuertitur: vt satis docetur, vbi lapides effigiari docentur. Lapides enim effigiati facile decies speciosiores sunt ac lucidiores Orientalib, atq; multo gratiores aspectu. Vide enim amausã quibus encausto pingitur quam speciose viridia sint, cærulea, flaua, rubra ac alba. Ac vnum dimidio speciosius est alio, quamuis eiusdem sint coloris., atque etiam facile vigesies præstantius. Et tamen ex vno metallo facta sunt.

Alia item quæstio.

Nulla res ex natura propria transferri potest in aliã naturam absq; medio.

CAP. XC.

Quæras autem: Qui fit vt vnum sit pretiosius alio, cum ex eodem metallo sint confecta? Scies, cum metallum redactũ est in calcem aut terrã, ac tum in fornace camerata ponitur, aut in fornace reuerberatoria, in qua vitrũ vritur: vehemẽtissimum calorẽ habere debet, antequã mundum, clarum, ac pellucidum vitrum fieri velit, ac priusquam fæces in vitrum conuerti. Scies vitrũ hoc quod ita cõficitur, simile esse corpori glorioso; quia fæces metalli vitrum fiunt, quæ prius nigrũ, immundum, impurum corpus erãt. Ac sub eo corpore latet quinta essẽtia metalli, quæ incombustibilis

Cũ amausa alia aliis sint pretiosiora, cum ex eodem metallo sint confecta.

Anima die nouissimo in corpore glorificato lucebit vel ut lucerna posita in laterna cryſtallina.

eſt, ac lucet per corpus vitreum, ſuo pretioſo colore: quemadmodum anima die nouiſſimo in corpore glorificato lucebit, velut lucerna poſita in laterna cryſtallina: ac vna anima multo clarius lucebit quam alia, prout Deo placebit. Ac alius alio multo elegantius ac clarius corpus habet. Eodem modo ſe res habet in Amauſis, de quibus hic nobis ſermo eſt. Scies enim quintã eſſentiam metallorum, eorum oleum incombuſtibile aut ignem, ſuo pretioſo colore ornatum, cum claro illo ſole eſſe permiſtum, per omne illud vitrum, quod ab omnibus metallis vſtum eſt, aut fæces eorum, ac nobilis ille color olei incombuſtibilis lucent per corpus vitreum, quemadmodum lucerna lucet per laternam, vt prius dicebatur. Ac quod vnum pretioſius ſit alio, vnum etiam ſpecioſius ſit, ac facilius liqueſcat, hac ratione fit.

CAP. XCI.

Metallum calcinatũ, calx aut terra eſt.

SCies cum metallum calcinatum eſt, calcem aut terrã eſſe; ac ſi artifex inſigne amauſum viride velit conficere, id ex calcibus Veneris vrere debet. Ac ſi tum velit habere inſignem viriditatem, quę colore ac claritate omnẽ viriditatem ſuperet: calces ſuper marmore terere debet cũ aqua ſalſa impalpabiliter, ac tum abluere aqua communi munda, donec aqua à calce munda ac pura defluat: ac terere, vt prius, donec nullæ amplius ſordes terreæ proueniunt, inde vitrum vſtum fit multo ſpecioſius & prętantius amauſum, atq; etiam multo facilius liqueſcit: quam ſi ex eo vitrum confeciſſes abſque terendo ac repurgando à ſuis fæcibus terreis. Atque ita ſe res habet in aliis calcibus Saturni, atque etiam Martis, eæ efficiunt vitrum fuluum. Iupiter album amauſum, Luna cæruleum, Sol rubrum: ac ſi alios colores cupiant vnum colorem cum alio miſcent.

CAP. XCII.

Quæſtio de amauſis, an denuo in corpus ſuum reduci poſſint.

NVnc quærat filius meus: Amauſis iam factis ex metallis, vtrum poſſibile ſit ea denuo in corpus ſuum reducere: cum vitrum ſit omnium extremum, vt prius cõmemoratum eſt? Scies rurſum inde corpus effici poſſe, cũ iſta vſtio fiat igne vehementi, ac facile. Nam ſpacio 12. horarũ facile confici poteſt, ſiue vitrum, ſiue amauſum, ex calcibus metallorum in fornace reuerberatoria. Et calces metallorum non ſunt reſolutæ, eſt materia ſicca, in qua terreſtritas aut fæces foras ſunt productæ, eſtq; ſicca. Nã quo metallum immundius

dius ac impurius est, vt Venus, eo calces ficciores sunt, ac nobilitatem metallorum sua siccitate foras exire compellunt, cum calorem ingrediuntur, ac incendium flammæ, ita vt nihil aut parum eius quod metallicum sit, auolare possit. Atq; etiam corpus non est apertum: ac sicca illa terrestritas calciū componit se præ vehementi incēdio ad coagulandum ac liquandum in vitrum. Ita Mercurius metallorū ad volandum venire non potest: antequam se ex aridis illis ac compactis fæcibus tollere possit, fæces calces factæ sunt. Quare in multis operibus, in quibus vstiones adhibentur, iubetur, vt vere cādeat nec amplius. Nam si ignis vnica flamma maioi struceretur, omne in vitrum conuerteretur.

CAP. XCIII.

Plura de Amausis.

Itaque sume ac pulueriza Amausa subtilissime, ac sume bonum acetum destillatum, in quo sal armoniacum solutum fuerit, in singulis libris aceti lothonem salis armoniaci: cum eo contere puluerem super lapide tam tenuiter, vt si pictor eo vteretur. Ac illum contritum vitro inde aut amphoræ lapideæ, ac bonam quantitatem aceti destillati superfunde, ac pone in balneo, ac balneo ignem subde vt bulliat, ac moue quater aut quinquies de die, spatula lignea: atque hoc pacto retine 4. dies ac noctes: tum sinas frigeſieri, ac funde fæces aceti in mundam amphoram lapideam. Ac super fæces denuo acetum recens funde, ac fac vt prius. Idq; tertio itera: ac semper acetum primo adde. Tum corpus illud omne solutum est ex fæcibus illis, aut ex vitro. Tum acetum euapora, aut per alembicum destilla: ac in fundo corpus metalli permanebit in puluere subtili; cum eo aliquantum boracis permisce, ac crucibulo inde, ac liquefacito in igne vehementi cum corpore. Si fuerit Mars aut Venus, munda ac pura sunt, ita vt nō amplius situ aut rubigine infestentur, ac a suis fęcibus vacua sunt. Si vero Iupiter fuerit, fœtor ac stridor ei ademptus, estq; mundus ac fortis vt Luna. Si Luna fixa est: si Sol, medicina, ac si Saturnus fuerit, Luna est. Sed non est vtile hoc facere, nisi ad naturam inuestigandam. Vidi enim ego ℥ rubri amausi venire 20. ducatis, ℥ cerulæi 8. atq; aliud 2. ducatis. Itaque dilecte, commodum non fuerit iterum in corpus reducere. Ars insignis est, amausa facere. Nam facile fit, cum fiunt impolite tantummodo ex calcib. Impoliti, Veneris, Martis, Iouis, Saturni libra facile venditur ducato. Verū cum calces mundifi-

Ars insignis est amausa facere.

cantur, quemadmodũ docetur in opere vegetabili, ex eo cõficiuntur lapides pretiosi, qui in vasis principum ponuntur: & ex eo vasa Regum conficiuntur. Ita metalla mundificãtur vrendo, aut reuerberando, aut calcinando, ac calces identidẽ lauando, ac calces denuo in corpus reducẽdo: ac tum denuo calcinando, atque iterum abluendo aqua communi: donec nullæ amplius fæces proueniant.

CAP. XCIV.

Esse item aliam vstionem quę cæmentatio dicitur quæq; altera calcinatio est. Discrimen earum.

ITem scito mi dilecte, esse & aliam vstionem quæ Cęmentatio dicitur, quæ vstio altera calcinatio est. Verum est discrimen. Cum vulgaris calcinatio instituitur, ea fit sale cõmuni temperata: ac laminæ metalli cuduntur, ac sumitur crucibulus, aut vas aliud terreum, ac ponuntur stratum super stratũ, donec crucibulus plenus sit. Tum crucibulo probe lutato, ac in igne posito, ac candore naturali adhibito: Si Venus fuerit ad 2. dies, si Mars 6 dies, si Luna horas 24. si Iupiter 8. dies, si Saturnus 2. dies: atque ita deinceps. Hæc ratio calcinandi. Item ratio cæmentationis fit eodem modo, quo calcinatio. Verum hoc est discrimen. Quod iuuatur quibusdam spiritibus mineralibus, qui igni opitulantur ad metallorum vstionem iuuandam, ac ea in puluerem comminuenda, atq; etiam ad corporibus aliquam tincturam addendam, atq; ad efficiendum, vt denuo facilius liquescant. Ac spiritus cũ sale præparato commiscentur: ac parantur eodem modo, vt de calcinatione dictum fuit. Scies me hæc omnia dixisse, vt scias ac intelligas, quomodo purgatio metallorum, quæ per ignẽ fit, inuenta fuerit. Sunt item etiamnum plurimæ rationes, metalla per ignem ad perfectionem reducendi, quæ nobis hic ad opus nostrum necessaria non sunt, satis de iis in opere vegetabili traditur, vbi docetur quid igni fieri debeat atque aqua. Inuenies hoc sexto & octauo capite, si melius & planius de eo doceri cupis, ibi quære.

De lapide Philosophorum. CAP. XCV.

Sequitur explicatio operis semel manu auctoris facti.

NVnc dilectum meum docere volo opus quóddã, quod semel manu mea feci: estque opus facile factu sine cura ac multa sollicitudine: estq; vnum ex maximis meis secretis. Nam qui hoc opus præparare non nouit, nunquam quicquam in arte proficiet. Hic enim docetur, quem Mercurium Philosophi putent, ac quomodo ex corporib. sit extrahendus, ac multa alia secreta, quæ in opere commemorabuntur

buntur. Item quomodo Soli ac Lunæ omnes fæces adimentur ac fixabuntur, ac ponentur cum Mercurio in amalgamatione, ac cogemus in vnum breui tempore in lapidem Philosophorum. Ac primum Solem ac Lunam parare docebimus in opere, ac Mercurium ex corporibus extrahere, ac deinde simul in opere coniungere.

Luna fixa. CAP. XCVI.

Sumēdam primum Lunam puram cupellatam, ac purum Solem.

SVmes primum Lunam puram cupellatam, ac purum Solē prout libebit, eaq; in tenues laminas contundes spissitudine ducati, ac latitudine 1. palmi. Ac Lunæ tuæ addes sal commune præparatum, ac arsenicum ad albū sublimatum, id est, per calces corticum ouorum, ac lapidis calaminaris singulorum ana: ac per 3. libras istorum libram 1. arsenici sublima ter quaterve, semper super fæces conterens: tum arsenicum paratum est, Tum sume ℔. 1. salis præparati, ℥ prædicti arsenici, ac 2. ℥ tartari albi calcinati probe clari ac pellucidi: ac tartarū & arsenicum probe inter se misce cum sale: tum habe crucibulum ac cæmentanda pone stratum super stratum, vt nosti, spissitudine digiti. Cū crucibulum plenū est, id firmiter luta, ac sinas bene siccescere, ac pone cæmentandum, moderatam flammā adhibens, ita vt Luna tua nō liquescat. Ac sinas leniter candere ad horas 36. tū sinas refrigescere. Tum crucibulum tuū effringe, ac Luna tua calcinata erit, eritq; Luna tua nigra ac fragilis, in morē vitri. Tum aquā communem mundam habe, destilla, ac Lunæ tuæ omnē salsedinem ablue, ac sine siccescere. Tum subtiliter in mortario contunde, eumq; puluerē super marmore contere cū aqua communi destillata subtilissime. Tum paterā vitream habe, eiq; Lunam tuā contritam inde, atq; aquam mundā destillatā superadde: ac puluerē tuum laua, ac sine subsidere. Id quod bonū est, fundum petet, atq; id quod nihil valet, in aqua manebit. Id vero leniter diffunde in aliam paterā vitream, super puluerem iterum aquam mundam destillatā funde ac moue, ac denuo laua, ac rursum sine subsidere, ac aquam denuo leniter supereffunde in aliam pateram ad primā aquam. Tum denuo aquam destillatam super puluerē funde, laua, ac fac vt prius. Hoc opificium tamdiu itera, donec aqua tua omnino clara à puluere redeat, sicuti eam infundebas. Tum probe ablutus est, ac instar niuis candidus. Tum vapora omnē aquam tuam, quam à puluere tuo fudisti, si forte quid tui pulueris diffusum esset,

Lapis calaminaris Plinio Cadmia.

vt nul-

vt nullum damnum feras, ac liquefacito, quod in fundo reperis: si quod inest corpus, facile liquescet, ita nihil damni accipis. Tum sume Lunam tuam candide ablutam, ac reducito cum borace, ac denuo in tenues laminas tunde. Ac cęmenta, pulueriza, laua, ac liquefacito, vt prius. Atque id itera, donec Luna ex sale munda ac candida prodeat, imo candore niuali: ac cum eam lauas aqua destillata, nullę sordes inde veniãt, ac aqua tua munda ac pura defluat: quemadmodum eam superfundebas. Tũ Luna tua munda est, ac à fęcibus suis omnibus exonerata: atq; elementa absque separatione rectificata sunt. Proba: solue partem 1. de isto puluere albo in aqua vitæ rectificata, aut aceto destillato, ac denuo congela, atq; iterũ solue: fæces nullas reperies, quãuis id centies faceres. Ipsemet sum expertus. Quid censes de hoc secreto? Magnum mysteriũ in arte est, maius quam rite comprehendi possit. Quia elementa rectificantur absq; separatione. Profecto bona fide tibi dico, est maximũ perfectum mysterium quod sit in arte, ad elixir ex solo metallo conficiendum. Habet enim propriam ponderis proportionem. Cum elementa purgantur soluẽdo ac congelando, optimum est. Sed istud multo certius est. Nã cum soluendo ac congelando fit, aut geritur, elementũ terræ separatur cum fæcibus à tribus elementis reliquis. Bonũ est cum recte fit, ac sedulo cauetur vt fæces bene seruẽtur, vt nihil ex iis pereat: ignisq; regatur in reuerberando eo quo decet modo. Et in rectificanda terra trahere ex fæcibus, ignem, aquam & aerẽ, est valde periculosum, nimis enim stricte cauendũ est: semper aliquid amittitur, ac si quid amittitur aut negligitur, iustam proportionẽ ponderis tui non habes, ac ꝙ de elementis tuis habere debes. Atq; ita nunquã voti compos fies. Istud bene memoriæ imprime, vt nunquam obliuiscaris: nullus enim defectus esse potest. Elemẽta propriam proportionẽ habere debent. Quare admodũ periculosum est facere opera in quibus vlla elementa separantur: bonũ est cum rite fit: atque etiã infinitam proiectionem facit, multo altiorem, quam vbi elementa non separantur. Itaq; dilecte, nostri Maiores multũ errarunt ac multũ temporis frustra impenderũt, antequã de elementis rectificandis absq; separatione cognitionẽ habuẽre. Istud vero hic aperte indicatur. Quare ne cõmittas te periculo, vt quicquã facias, in quo vlla elemẽta à se inuicem sint separanda. Timeo ne errares, ac quicquam elementi

Proba.

Magnum mysteriũ.

menti terrę amitteres:ac tum omnis impēſa,ac opera periiſſet:ſicuti ad extremum facile comperires. Quare dilecte hæc ſerua, ita errare minime poteris. Potes quidem aliquātulum tui pulueris in lauando amittere, ſed quicquid remanet, perfectū eſt: Natura enim non errat. Elemēta ibi ſimul colligata manent, nam in opere etiamnum fortius colligantur, quam prius. Cum enim à ſuis fæcibus pura ac munda ſunt, ac tum etiānum 3. dierum ſpacio, cæmentanda ponuntur, ita tum ſimul fixātur, vt Luna fixa fiat. In aqua forti probatur, nec ſoluitur: Colores retinet, eſtq; ſono ſurda, omnem enim ſonum amiſit, ac antimoniū tranſit. Itaq; fixa eſt. Ac quicquid factū eſt de calcinatione aut cæmentatione, id omne quidem ſale cōmuni præparato fieri poteſt, ſine arſenico aut tartaro. Sed diutius durat. Nam cum ſolo ſale cōmuni calcinatur, laminę Lunæ nolunt denuo tā facile calcinari. Aliquando facile bis terve imponendæ ſunt, antequā omnino calcinentur ad pulverizandū: hęc vna cauſa eſt, quod arſenicum & tartarum admiſceātur: ſunt enim tā ſæua & acria cum ſale, facile laminas corrodunt, ita vt prima vice facile puluerizari poſſint. Deinde fæces conſumūt, ita vt calcinationē ſæpius repetere, opus non ſit. Tertio albā tincturam dant, cum in opere albo iis vti volumus. Sed ſi opus rubrū foret, præſtaret loco arſenici ſumere Mercuriū ad rubrum ſublimatum, quemadmodū fit in cæmentatione Solis. Eā ratio eſt, quare hæc adhibeātur. Sed tum quis vellet, ſolo ſale præparato id facere poſſet. Egomet ſæpe expertus ſum. Scies inter cæmentationē Solis ac Lunæ non eſſe aliud diſcrimē, quam hoc, ſumes loco arſenici Mercurium ad rubrum ſublimatum: Ac Solem in puluerem contundere non debes, nec lauare, vt de Luna dictum eſt. Nam Sol nigredinem non habet in ſe, quæ ei ſit abluenda. Mercurius, ſal ac tartarū omnes eius fæces exedunt. Ac non diutius cæmentare debes, quam donec in puluere non amplius amittis. Tum Sol à fæcibus ſuis exoneratus eſt. Ac ſi ipſum melius cæmentare vis: cæmēta ipſum ſpacio 3. dierum, vt Lunam. Mi dilecte, nullam aliā præparationem, aut mundificationem adhibe, quam ego adhibeo per ignem, vt hic te docui. Ipſe vide, vt elementa tua ſimul perfecte habeas: quamuis altera illa ratio ſoluendo ac congelando optima eſt, ac quamuis elemēta multo ſubtiliora fiant, ac proiectio multo altior, nihil refert tantū commodi accipere. Hæc mundificatio eſt

Cur arſeni cum & tartarum adhibeātur.

Inter cæmentationem Solis ac Lunæ quod diſcrimen.

tio eſt via certa, ac ſine cura. Nunc Sol tuus & Luna ad opus noſtrum parata ſunt, quod operabimur.

CAP. XCVII.

Quomodo Mercurius Philoſophorum extrahendus.

NVnc mi fili, docere volumus, quomodo extrahemus Mercurium Philoſophorum. Scies primum me multa opera tibi dixiſſe, quæ alii artifices fecére, ac ab aliis fieri ipſe vidi: quædam perfecta & quædam imperfecta ſunt. Siue vero perfecta aut imperfecta ſint, Mercurius Philoſophorum habendus eſt, vt ad finem perueniatur. Nam Mercurius ex mineris veniens, nihil aliud eſt quam crudum ſperma, nondum ſatis in mineris excoctum: fortaſſe facile adhuc ducentos aut trecentos annos iaceret, antequam congelaret. Cumque iam omnino congelatũ eſſet: ad annos aliquot etiamnum iacere deberet, antequã materia in puluerẽ ſubtilem conuerteretur: cumq; iam in puluerem conuerſum eſſet diuturna coctione caloris naturalis, etiamnum rubrum fieri deberet. Nam cum Mercurius primum in exhalationem conuertitur, euaporat per aperturam mineræ, ac ſi tum ſulphur Philoſophorum reperit cum ſua ſpirituali natura, ita vt vnum corpus fiat: ac ſi tum ſulphur rite ſeparatum fuerit à ſua pinguedine combuſtibili, fit corpus perfectum ſiue album, ſiue rubrum. Ac ſulphur illud ignorantibus eſt ſpuma, & fæces, ac pinguedo cõbuſtibilis vitrioli: atque ea ab illo ſeparatur, quia res omnes natura ſeſe à fæcibus exonerare cupiunt. Ita crudum eſt ſulphur, ſpuma vitrioli: ex crudo vitriolo prouenit ſulphur rubrum, atq; ex albo, ſulphur album: vt in vegetabili docetur, vbi agitur de ſulphuribus, quæ omnib. rebus inſunt. In rebus omnibus, in quibus 4. elementa inſunt, in iis ſulphur cõbuſtibile, ac incombuſtibile ineſt: ſicut ibi manifeſto oſtẽditur. Cumq; tum prædictus vapor congregatus eſt cum ſulphure Philoſophorum, ac vnum corpus factum eſt: multo tempore coqui debet in ventre minerarũ calore temperato, antequã iſte Mercurius ac ſulphur fixa fiant: idq; fit ab hinc 1000. annos, vt Deus & natura iſta operatur. Itaq; dilecte, Mercurius ex mineris veniens, crudus ſanguis ex quod ope naturæ ſperma metallorum coquitur, antequam vapor fiat. Ac ob eam cauſam non reperitur metallum in mineris Mercurii: nec reperitur Mercurius in mineris metallicis. Cruda eſt materia nec arti noſtræ vtilis eſt. Sed eſt inſtrumentum ac malleus ad operandum in noſtra arte. Inſtrumentum eſt ad omnes colores

In rebus omnibus in quibus 4. elementa inſunt, ſulphur combuſtibile ac incombuſtibile eſt.

Mercurius eſt inſtrumentum, ac malle' ad operandũ in noſtra arte.

lores eliciendos ex omnibus rebus metallicis. Sed vt eo vtamur in arte, cruda est materia, ac prorsus inutilis est, per rationem prædictam. Quare hæc dilecte dixi? vt scias omnes illos errare, qui tali Mercurio operantur.

Extractio Mercurii e Luna, &c.

CAP. XCVIII.

NVnc discet filius meus Mercurium ex corporib. extrahere. Principio aquam fortem ex vitriolo & salnitro ana conficies, ac in ea Lunam de more solues. Tum facito præcipitari cum aqua cõmuni. Tum calci tuæ aqua mũda salsedinem aquæ fortis ablue. Tum calcem sicca, ac inde vitro plano, fundum planum habenti. Tum pone in tripode aut athanare, ac pone calcinandum in fornace, in qua spiritus tuos calcinas: ac ignem temperatum subde, perinde ac si plumbum retinere velis liquefactum, absque concretione. Atq; in eo calore retine ad hebdomadas 6. ac interea temporis Luna tua ita resoluetur, vt Mercurius eius à terra separetur, ac ab oleo quod apud terram manet. Atq; eodem modo Sole facere poteris. Sed calx eius facile ad 18. hebdomadas stare debet, aut 24. aut interdum 32. antequam Sol Mercuriũ suum sinat separari à terra, ac oleo, quæ semper coniuncta manent. Nam oleum & terra metallorum à se inuicem separari non possunt, vt ante dictum est. Ac quia Sol vnitum ac solidum corpus habet, calx eius tamdiu stare debet ad aperiendum, antequam Mercurium à se dimittere velit. Itaq; præstat sinere 32. aut 40. hebdomadas, in fornace. Nam quo diutius in fornace tenetur calore temperato, vt oportet, eo corpus fit apertius in mortem spongiæ, ac intumescit, atq; adeo leuis fit, vt sit incredibile iis qui non vidêre. Item sume ℥ 1. calcis Solis, ac pateræ vitreæ inde tres quartarios liquidi continentem. Patera tam plena fiet, ita vt calx facile latitudine 2. aut 3. digitorum supra margines pateræ stet; adeo corpus illud aperitur. Sed facile per annum stare debet, vt vsque adeo aperiatur. Ac si ita resolutum esset, Mercurius facile ex eo sublimaretur, exiguo igni, quemadmodum sal armoniacum sublimaret. Atque hoc pacto omnia metalla aperire potes, vt ex iis possis habere aut trahere Mercurium eorum, sublimãdo. Quemadmodum docetur, vbi agitur de sale. Ac scies, cũ Mercurius ex metallis educitur sublimatione, Mercurium tum ascendere, vt dictum est.

Ignis temperatus adhibendus.

Clarificatio Mercurii. CAP. XCIX.

AC si ipsum denuo sublimas etiamnum ter quaterve per vitriolum aut arsenicum, ascendet clare instar crystalli, qua de re non est quod hic plura tradamus. Scies cum Sol & Luna ad eum modum resoluta sunt in fornace calcinatoria, aut in athanare, aut in tripode: subtiliter conteres super lapide cum sale armoniaco, in calcis Lunæ lib. 1. quartam partem libræ salis armoniaci, quod clarum ac pellucidũ sit tanquam crystallus, absq; humore, ac ita contrita amphoræ lapideæ inde. Tum acetum sume destillatum quinquies aut sexies à suo phlegmate; ita vt nullas amplius fæces relinquat. Ac acetum in aliam amphoram lapideam euacua, ac alembico superimposito in balneo colloca. Ac amphoram cui calx contrita inest, luta probe ad rostrum alembici, ac sine lutamentum bene siccari. Tum ignem sub balneo strue, ac acetum sensim destilla super calces Lunæ. Ac quot libras calcis Lunæ habes, tot 4. lib. aceti super eam destilla. Cumq; acetum omne destillatum fuerit: finas facile per 3. dies refrigescere, antequam amphoram remoueas. Nam si citius remoueres acetum, Luna & sal armoniacum tibi elaberentur, ac nihil retineres, tam vehemens illa est materia: nam frigidum & calidum simul veniunt. Cumq; remouere vis, operculum vitreũ habe paratum, ad os amphoræ, leuigatum, quod illi statim luto agglutinabis, ne virtus illa tibi elabatur. Tum amphoram in balneo pone: nec calidiorem ignem adhibe, quam manus tua commode ferre possit in aqua vsque ad condylos, aut quam bibi possit absque vstionis periculo. Atque hoc pacto retine ad hebdomadas sex. Tum sine frigefieri: Ac effringe, ac alembicum luto statim affige amphoræ admodum solide: ac receptaculum ad rostrum pone. Ac destilla balneo temperate calido, quicquid destillare vult. Cumque iam non amplius destillat, tum exime, ac in testa cum cineribus pone. Ac iterum receptaculum ad rostrum luta: ac initio pusillum ignem adhibe: post vehementiorem aliquoties, donec Mercurius tuus cum sale armoniaco sursum sublimare incipiat, tam candidus quam nix: ac claris fibris ad albam materiam pendens: ac tum ita retine, donec videas non sublimare, in eodem candore, ad Mercurium probe ex terra extrahendum. Post sinas frigefieri, ac alembico ablato, Mercurium sublimatum exime, cum sale armoniaco

Quare tã diu refrigescere sinendum.

niaco, quæ ſimul ſurſum ſublimata ſunt, in maſſam: ac maſſam tuam põdera, ita ſcire poteris quantum Mercurij ex calcibus Lunę ſublimaris: noſti enim quantum ſalis armoniaci amphoræ indideras. Tum ſublimatum iterum vitro inde, ac denuo ſublima etiam ſemel, vt videas, num quæ fæces remaneant: nam ſi quæ fæces remanent, toties tibi ſublimandum eſt, donec nullæ fæces remaneant. Serua iſtum Mercurium, donec ego te doceam, quid eo ſis acturus.

CAP. C.

SCies in illa amphora, ex qua Mercurium cum ſale armoniaco ſublimaſti, eſſe corpus aut elemẽtum terræ cum ſuo oleo aut igni. Hoc exime, ac pondera, ita etiamnum melius ſcire poteris, quantum Mercurij ex eo ſublimaris: ſciebas enim quantum calcis Lunæ in amphora habebas. Ita certo ſcire poteſt, quãtum ex eo habeas. Tum ſal tuum aut terram vitro inde, ac ſuperfunde acetum deſtillatum, ac ſolue in aqua pura, ac vide an vllas fæces ponat: ac ſi quas ponat fæces, ſenſim ſuperne effunde, ac denuo congela tamdiu donec nullas fæces amplius relinquat. Tum rurſum congela. Tum habes ſal tuum pręparatum à terra tua clarum inſtar cryſtalli. Tum Mercurium tuum ſublimatum, & ſal armoniacum, & clarũ tuum ſal accipe, ac ſimul ſuper marmore ſicco contere. Tum omne contritum pateræ vitreæ inde, ac pone in tripode, aut fornace calcinatoria, ac ad ſex hebdomadas ibidem ſtare ſine: ac calorem adhibe, perinde ac ſi plumbum retineres liquefactum abſque concretione. Ac ſex hebdomadis illis exactis, ſine refrigeſcere, ac tum in cella frigida colloca, ac pannum lineum ſuperimpone, ne quis puluis incidat. Spatio 6. aut 8. dierum omnino in aquam claram ſoluetur.

Qualis calor adhibendus.

Acetum Philoſophorum.

CAP. CI.

SCies autem iſtud eſſe Philoſophorũ clarum acetum. Nam cum ſcribunt, noſtrum acetum, aquam iſtam volunt. Cũque dicunt Mercurium Philoſophorum, aquam iſtam volunt. Eſtque eorum acetum, ac eſt illud de quo tam mirabiliter ſcribunt, aut loquuntur, qua de re nihil hic commemorare opus eſt. Scies quod aquam iſtam ollæ vitreæ indes, ac ſu-

Mercuri⁹ prædict⁹, acetum Philoſophorum.

sumes 3. partes Lunæ in igni præparatæ, vt te hic docui, atque vnam partem Solis etiam in igne præparati, vt te etiam ante docui, ac singula in aqua forti solue, ac facito præcipitari, ac ijs salsedinem ablue, atque exicca. Ac sufficientē quātitatem solues, non enim scis quanta tibi opus erit. Cumque duas istas calces habes, tum dilecte vitrum cum aceto Philosophorum prædicto pones in testa cum cineribus cribratis. Ac ei ignem pusillum subdes, qualis ad Solem, aut Lunam soluendam adhiberi solet.

Mixtio.

CAP. CII.

Prædicta quomodo miscenda.

TVm ℞ 3. partes calcis Lunæ, ac vnam calcis Solis, ac miscebis inter se, ac in ista aqua pones ℔. ℥ aut ij ℥, prout multum aquæ habes; aut prout opus tuum magnum habere vis. Ac vitrum subere aut alio operculo quod solidum sit, obtura: ac sinas solui ac aliquando reline, ac solui sine: ac vbi fere solutum fuerit, aliquantum amplius adde, 1 ℥ aut minus, prout tibi videbitur in eo soluturum. Cumque denuo fere solutum fuerit: aliud rursum adde. Idque itera, donec nihil amplius in eo solui velit vt in eo remaneat. Tum sufficit, ac aqua tua suo ipsius pabulo satiata est: ea lacte matris pota est.

CAP. CIII.

Natura non errat.

SCies item hanc esse optimam solutionem quæ vnquam in orbe reperta fuit, in hac nullus error, proportionis, ponderis. Natura enim non errat. Nam cum Mercurius solutus est, alia metalla porro soluit, vt alijs in locis rite docetur Nec amplius soluet, quam possit, nec plus corporis in se recipiet, quam natura eius ferre possit. Nam quicquid ei opus non est, soluere minime potest. Estque optima amalgamatio quæ reperiri possit. Tum aliud vitrum in hunc modum constructum sumes, ac in illud infunde sensim materiam solutam à puluere, qui in fundo non solutus iacet. Tum vitrum istud super fornace pone, in testa cum cineribus cribratis tam profunde quam materia alta est, ac non profundius. Ac calorem tantū adde talem, qualis est Solis meridiani splendentis in Ariete,



nec

nec maiorem. Ac duplicem panniculum lineum vitro superimpone, ac congelatur in puluerem cinericium, aut massam. Cumque congelatum est, pusillum vitrum rotundum habe, quod rite ori vitri quadret, ac vtraque ad os leuigata sint, eaque simul luta lutamento forti. Ac in eo calore retine, donec puluerem tuum cinericium albescere videas: Tum ignem tuum auge paululum, perinde ac Sol lucet in Iunio. Atq; ita ignem in eo calore retine, donec pluluis tuus tam sit cādidus quam nix. Tum ignem tuum auge tantum, vt Sol lucet in Leone, ac per eum calorem ex tua materia aut puluere nascuntur exiguæ fibræ crystallinæ, perinde ac si vitrum foret, aut acus, ac resplendent instar crystalli. Ac retine ignem in eo calore, donec videas nullas amplius exiguas fibras enasci. Tū materia tua fixa est.

CAP. CIV.

Scies item exiguas illas fibras sese interdum non manifestare. Cumq; sese non amplius manifestant, materia fixa facta est, præcedēti calore. Hoc te nihil moueat. Præstat opus fixum fieri exiguo calore, quam magno. Si initio calorem adderes, qualis est Solis media æstate splendentis, exiguæ fibræ exorirentur latitudine manus: sed hoc vtile nō esset. Præstat lapidē coctū esse tali exiguo calore, ac nullæ exiguæ fibræ exoriantur. Nā cum fibræ enascūtur, si tū maiorem calorem adhiberes, tum omnis spiritus ascenderet, ac in morem fumi albi in superiorem partem vitri subuolaret. Ac si forte id contingeret, vitrum aperi, ac in vitro materiam albam infra absterge, ac denuo vitrum obtura. Ac caue ne amplius tantum calorem adhibeas, alioqui materia tua nigra, aut rubra fieret, in morem pulueris lateritij. Ac tum corrupta esset, ac denuo ab integro tibi incipiendum esset. Itaque vide, vt ignem tuum ita modereris, ne colorē croceum loco albedinis acquiras: nec rubedinem pro colore croceo. Præstat ignem esse nimis paruum, quam si nimis magnus esset. Cumque iam perfecte album est, ac eo calore nullæ exiguæ fibræ exoriuntur, materia tua fixa est. Tum materiam in 2. partes partiri poteris, vt vnam partem ad rubrum coquas, ac alteram ad album. Tum alteram partem in aliud vitrum euacua: ac compresse luto obtura, ac eadem fornace pone, in cineribus, ac ad rubrum trahes. Ac quod ad album

Cōmendat ignem pusillum.

Præstat cessare in paucitare quam in vehementia ignis.

trahere vis aqua paradisi perfundes, ac pones in eadem testa cum cineribus, eodem calore, donec lapis ad album perfectus sit: antequã rubro plus ignis adhibeas, albus facile perfectus est. Iam scies ac probe intelliges aquam istam paradisi ex Luna debere esse eductam, quã super lapidem album fundes: 9. partes aquæ super vnam partem materiæ fixę. Ac in ea lapis lixabitur, donec satis sit.

Extractio Mercurij viui.

CAP. CV.

Modus extrahendi aquam Paradisi ex Luna.

NVnc disces extrahere ex Luna aquam paradisi. Ac scies duobus modis Mercurium ex Luna educi: rationem te in opere docui. Sed istam aquam paradisi alio modo educere debes. Nam Mercurius iste viuus transcẽdere debet. Ac scies eodem modo fieri, nisi quod loco salis armoniaci sumes, album, clarum, ac pellucidum tartarum calcinatum, eodem pondere quo Sal armoniacum. Ac vbi calces Lunæ contriueris cum tartaro; non multum opus habes materiam resoluendam in fornace ponere. Verum amphoræ inde aut vitro, ac super id acetum, vt ante, ac modis omnibus vt ante doctum est, facito. Ac Mercurius per rostrum alembici destillabit viuus: atque id efficit natura Tartari, quam in se habet. Istum Mercurium ollæ vitreæ inde, ac phlegma ei subtrahe, vt alio loco te satis docui.

Inceratio.

CAPVT CVI.

Quomodo inceratio instituenda.

TVm exime ac super lapidem tuum fixum funde ad album, 9. partes super vnam, ac stricte obtura: ac pusillum tuum vitrum luta super os vitri maioris; ac rursum in testa illa cum cinerib⁹ pone, iuxta alterum vitrum, in quo lapis ad rubrum coquitur: ignem subijciens paulo maiorem, quam Solis media æstate lucentis est calor, aut si aqua rosarum destillaretur. Idque tamdiu facito, donec lapis tuus satis coctus ac lixatus sit, in suo ipsius succo, id est, cum suum ipsius sudorem imbiberit: ita vt in æternum non sitiat: hoc est, cum lapis omnem illam aquam paradisi imbiberit, vt omnino puluis sit. Tum ignem exauge paululum, donec lapis tuus albescere incipiat. Nam cum aqua illa paradisi imbibita coagulata est ac in lapide cõsumpta: puluis est colore

inter

inter cinericium ac nigrum, adeo aqua paridiſi album lapidem fixum transmutauit. Ita lapis augmentatione ignis paulatim magis magiſque albeſcere debet per gradus: ac aliquoties ignis paululum augendus, donec lapis ad perfectam albedinem perueniat, adeo vt eius albedo ſplendida candorem niuis ſuperet: imo vt magis cæleſtis albedo, quam mundana videatur. Ea vero albedine conſpecta, gaude, ac Deo de ſuis donis naturalibus gratias age, quæ naturæ conceſſit. Sume igitur in nomine Dei, vnam partem ex vitro, eamque crucibulo inde: ac ſuper ignem pone; ac materia tua, ac lapis liqueſcet in morem ceræ. Ac ſimulatque liquefactum videris, in vas ligneum funde, axungia ouilla illitum: eritque in eo clarus, durus ac pellucidus in morem cryſtalli. Ac 1. pars eius proiecta ſuper 2000. partes Iouis, conuertitur in optimam Lunam, quam vnquam oculi hominum viderunt. Age gratias Deo, ac pauperibus propitius eſto.

Multiplicatio alba.

CAP. CVII.

IAm partem in vitro relictam in hunc modum multiplicabis. Medicinam tuam eximes, ac ponderabis, ac addes vni parti centum partium tuæ Lunę præparatæ, quæ in igni præparata fuit, ac ſoluta in aqua forti. Eam calcem nitide lotam ac ſiccatam, ac cum medicina contritam ſuper lapide aride, tum rurſum vitro immitte: ac ſuper partem illius contriti, funde 9. partes illius aquæ paradiſi, ex Luna eductæ, vt nuper doctum eſt: ac vitrum tuum ſtricte ac ſolide ſigillo muni: ac rege ignem tuum eodem modo, quo regebas cum primum aquam paradiſi ſuperfunderes. Ac perſequere ſolum, donec omnis aqua paradiſi in lapide tuo fixa eſt, ac candore niuem ſuperat, vt ſupra dictum eſt. Tum iterum dimidiam partem eximere potes, ac ea lucrum facere: ac rurſum alteram illam partem multiplicandam ponere, vt ante doctum eſt. Atq; ita poteris ſemper 2. vitra retinere ad multiplicandum, vnum ad album, alterum ad rubrum. Sed vtraque ſuper vnam fornacem ſtare non debent. Lapis enim ruber ignem vehementiorem habere debet, quam albus. Sed idem opificium eſt. Verum aliud diſcrimen eſt in aqua paradiſi educenda. Aqua paradiſi ad album è Luna educta eſt: ac aqua paradiſi qua ruber lapis perfunditur, ex Sole educenda

Multiplicatio quomodo inſtituenda.

Lapis ruber vehementiorē ignem habere debet quam albus.

cenda est. Alioqui idem opificium est. Sed singuli super singulas fornaces stare debent, quia non eodem modo accenduntur. Ita dilectus meus semper duobus vitris multiplicare poterit ad album & ad rubrum, ad finem vsque vitæ eius: ac commoda quę inde proueniunt, conferre poterit in gloriam Dei, atque ad opem pauperibus ferendam.

Rubificatio Lapidis.

CAP. CVIII.

Lapis quomodo rubificandus.

SCies, cum te iuberem sumere partẽ dimidiam ex vitro, vnde primam tuam medicinam confecisti, me tum tibi dixisse: serua alteram partem dimidiam ad rubrum. Tũ sumebas illam partem dimidiam, eamquę aqua paradisi perfundebas: ac ponebas iuxta vitrum illud, in quo lapis ad rubrum stabat. Ac dabas vnum ignem, donec lapis albus perfectus esset: atq; interea materia crocea fiebat. Cũque vides mi fili, materiam croceam fieri, instar pulueris croci, ignem tuum augere debes paululum, 8. aut 10. dies. Ac vide an color tuus non fiat obscurior. Id indiciũ est, lapidem ad ignẽ illum nolle progredi, ac ignẽ tuum satis vehementem non esse. Itaque ignem tuum etiamnum paululum auge: ac vide an nondum etiam quicquã in colore proficias. Itaque ignem tuum adhuc paululum auge. Idque tamdiu facito donec in colore proficias. Atque id facito gradatim tamdiu, donec lapis tuus omnino rubere incipiat. Tum ignem tuum singulis 5. aut 6. diebus augebis, donec lapis perfecte ruber fit, vt Rubinus, ac radiet in vitro, vt oculi piscium: tum ignem nimis augere non potes: tametsi lapidem omnino candefaceres: nam cum hoc signum cõspicitur, lapis confectus, ac fixus est. Hæc tibi dixi, vt modum in igne struendo adhibeas. Nam si nimis feruentem ignem adhiberes vt rubrum colorem acquireres pro croceo aut albo: rursum ab integro incipiendum esset: Aut albedinem loco nigredinis, de integro incipiendum esset.

Ignis secundũ colores est augẽdus.

Quare præstat ignem initio, ac semper, minorem quam maiorem struere: ac vt eum persequamur gradatim, quemadmodum per gradus colores mutantur, ac magis magisque alti fiunt: ita ignis augebitur. Ac mod⁹ ignis nõ tantũ in hoc opere seruãdus est, sed in omnibus operibus quæ in opere fiunt. Nam regimen ignis rite moderari, est altera pars nostræ artis. Cum proportiones ponderum non rite in opus introdu-

Modus ignis non tantũ hic sed in omnibus operibus chemicis seruãdus.

troducuntur, omnis opera, & impensa perijt. Itaque modum in struendo igne serua, potiusque in defectu quam excessu pecca. Nunc porro cum materia tam fixa ac rubra est, quam vllus Rubinus, ac resplendet instar oculorum piscium: ab igni remoue, ac aqua munda paradisi incerabis: quam ex Sole extrahes, quemadmodum de Luna doctus es. Tum 9. partes aquæ funde super vnam partem lapidis rubri fixi: ac vitrum tuum supra limo fotti sigillabis: ac denuo super fornacem in cineribus pone, ignem adhibens talem, vt si plumbum retineretur liquefactum, sine concretione: donec omnem suam aquam paradisi imbiberit. Ac tum reperies puluerem cinericium, magis ad cinericium quam ad nigrum colorem tendentem. Ac tum ignem etiamnum in eodem calore retine, donec puluis ille vere albescat. Cumq; tũ perfectus fit, ignem tuum auge paululum, donec videas puluerem tuum subcroceum apparere. Tum auge ignem tuum etiamnũ paululũ, donec ruffus fit, per gradus. Cumque puluis tuus omnino fuscus est instar croci, vt altior color croceus esse non possit: ignẽ tuum insigniter auge, donec videbis colorem rubrum foras sese prodere: tũ augmentationẽ persequere, donec puluis tuus perfecte rubeat, in morem Rubini. Tum gaude, lapis ad rubrum perfectus est. Tum sinas frigefieri: partẽ dimidiam exime, ac alteram partem dimidiam in vitro relinque ad mutiplicandum: atque alteram medietatem crucibulo vitreo inde, ac liquefacito, ac instar ceræ liquefiet. Tum sume vitrum pusillum ac axungia ouilla inunge, eique infunde, ac in morem vitri durus erit, ac vt Rubinus ruber erit, ac instar crystali pellucidus. Item partem huius sume, ac 1. partem super 2000. partes Saturni liquefacti proijce, in optimum Solem transmutabitur qui vnquã visus sit: tam alti coloris. Ac patietur omnes probas & examina, quæ in orbe ferre possit. Age gratias Deo de donis suis quæ in amicum suum dilectum confert.

Multiplicatio.

CAP. CIX.

TVm alteram medietatẽ multiplicandam pone, sumes in vnam partem lapidis tui 200. partes Solis tui cæmentati. Ac sine solui, lauari, ac siccari. Tũ cõtere cũ puluere tui lapidis siccam. Ac rursum vitro inde, ac superfunde aquæ tuæ (Multiplicatio alterius medietatis.)

tuę paradiſi ex Sole educti nouies tantum, quantum tua materia contrita eſt. Ac vitrũ tuũ ſtricte luta, ignẽ addens, vt ſi plumbum retineretur liquefactum, vt prius doctum eſt, modis omnibus vt pri⁹. Ac ne quid erres vide, alioqui omne perditur. Hoc fac modis omnibus, donec lapis tuus perfectus ſit. Gratias age Deo. Ac rurſum medietatem ſumere potes, eaque vti: atque alteram denuo multiplicandam pone, vt prædictum eſt. Hoc facere poteris, ac pauperibus impartiri.

Aliud opus in labore 12. menſium in expenſis 100. Florenorum, proiectio infinita.

CAP. CX.

NVnc te fundamentum artis, ac omnium operum perfectorum docebo. Quamuis vnus artifex ita operatur, alius ita: ac tametſi quiſque habet opus peculiare quo occupatur; ſecundum libros Veterum, & quiſque habet opinionem peculiarem, ac opificium peculiare. Ac omnes ad bonum finem perueniẽt. Verum vnũm breue, aliud longum eſt: atque aliud alio altiorem proiectionem facit. Ac omne bonum eſt. Aliud facile, abſque multo labore geritur, ac aliud magno labore, pro ſubtilitate artificis. Quare te docebo verum fundamentum omnis operis, vno opere pręcipuo, ac multa ratione, quam in opere commemorabo. Ac ſcies quod ego Iſaac pater tuus ipſe hoc opus mea manu egi, ac plura alia. Ac multa etiam vidi, ac plura adhuc audiui. Et inter omnia nunquam feci, nec vidi, nec audiui, cui tam firmiter fidam, quam huic, & in quo tam altam proiectionem reperi. Itaque opus hoc funditus intellige.

Subtilitas in operãdo.

CAP. CXI.

Incerare.

SCies ſine magno labore ad magnã artẽ peruenirí poſſe, vt te ante docui, amalgamationib⁹, Mercurio viuẽte, Sole & Luna ſimul coniungendis, ac tum vitro indendis, & lõgo tempore coquendis, ita vt ſimul commoriantur in pulverem impalpabilem, ac fixentur ſimul: ac tum aqua paradiſi perfundendis, ad incerandum, ac liquefaciendum. Ac tibi rationẽ oſtendi, quomodo omnes fæces eorum conſumantur vera natura: coctione commoda exigui caloris. Id tantumdem reuera abſque dubio valet. Natura enim per Naturam operatur, vt ſupra ſatis demõſtratum eſt. Ac ſi pleniorem

Natura per Naturam operatur.

niorem demonstrationem desideras, quære in vegetabili, vbi de operibus naturæ sermo est. Scies porro Naturam facile iuuari posse, subtilibus opificijs, secundum captum artificis, ac tempus abbreuiari, ac opus sui similibus confirmari; atque opus adduci ad tam altam proiectionem, vt infinita sit. Itaque scies omnia metalla ac spiritus, absque elementorum separatione, rectificari posse, ac omnia inferiora in quibus 4. elementa insunt, omnia facile rectificari possunt, ac elementum terræ ex ijs acquiri, ac etiam quodque elementum particulatim, ac effici dura ac clara, instar crystalli pellucida: idque omne absq; destillatione & alembico, omne fieri potest in vase aperto, duplici panno lineo supra tecto. Ac si id plane intelligere cupis, & quo pacto omnia elementa separentur à metallis, herbis, animalibus, ac quicquid hic in terris est, ac id omne in vase vno fiat, quære in capite 312. operis vegetabilis, ibi perfecte doceberis, quo pacto quodque elementum in lapidem crystallinum perducatur. Sed in hoc opere tantummodo fæces cum terra sublatas volumus, ita vt elementa reliqua 3. perfecte à suis fæcibus rectificentur, ac in lapidem crystallinū perducantur. Id vero non fit nisi soluēdo, & congelando.

Opificij subtilitas tēpus abbreuiat.

Vas apertum.

Separatio elementorum.

Lapis crystallinus.

CAP. CXII.

Scies: cum corpora nuda sunt ab omnibus fæcibus suis, ac mūdata sunt ab ijs, ac separata ab omni sua terrestreitate, ac omni sulphure cōbustibili, & ad lapidem crystallinū sunt perducta, ita vt nullas fæces amplius relinquāt, rite præparata sunt ad spiritus recipiendos: cumque spiritus vicissim ab omnibus sordibus mundi sunt, sicuti de corpore dictum est, & ad lapidem crystallinum perducti sunt, spiritus itidem parati sunt, vt descendant in corpora. Ac cum fermētum etiam est mundatum, & in lapidem crystallinum redactum, ita vt fæces non relinquat, paratum est, ad descendendum in corpus præparatū cum spiritu illo, vt anima ad corpori vitam impertiendam cum spiritu, & ad naturam suam perducendum. Ac quæ prius 3 erant in natura, vnum fiunt. Id vero qui fiet, hic docebimus: illudque opus perfecte quomodo fiat, ac quo pacto mea ipsius manu operatus sum ope Dei omnipotentis, absque elementorum separatione. Ac meo opificio subtili tempus multum abbreuiaui, ac proiectionem

Corpora nuda.

Recapitulatio operis prædicti supra docti.

Spiritus, anima & corpus.

nem infinitam reddidi. Nā quo opus feruētius, subtilius, ac altioris tincturæ est, eo proiectio eius nobilior, ac altior est.

CAP. CXIII.

Recipe igitur in nomine Dei ac omnium turbarum cælestium 4. libras vitrioli Romani cærulei, optimi, ac clarissimi, ac 4. libras salnitri: ac simul vapora tam sicca vt puluerescant, mouēdo ligno quodam in patella terrea. Tum sume vnā ℔ Mercurij, cui humiditas superflua subtracta est. Ac sume dimidium materiæ quam siccasti, ac Mercurium cum eo contere siccum quam subtilissime poteris. Ac commodissime fiet in stupha sicca, ac lapide & pistillo paululum calefactis, ne qua humiditas materiæ accedat. Tum magnæ ollæ vitreæ inde, amplo alembico superimposito ad aquam fortem inde extrahendam. Ac magnum alembicum luto ollæ affige, ac receptaculum alembico, ac sinas probe exiccari. Strue initio ignem pusillum, eum aliquoties magis magisque augendo, vt nosti, singulis 4. horis, donec materia candeat. Atque hoc pacto candentem retine ad horas 4. tum sine frigefieri. Iam scies quod aqua fortis transcendit spatio 16. horarum, aut 20. aut amplius, prout ignem tuum regere noris. Ac præstat horas 36. aut 40. eo opere occupari, quam si accelerares, ac spiritus non bene transcenderent: atque etiam ob nimium periculum vasorum, quod ea minus calore temperato findantur.

Aqua nubium.

CAP. CXIV.

Itaque vulgarem regulam sequere ad aquam conficiēdam; cumque omnis aqua fortis destillauit Mercurius sursum sublimabit in alembico, atque etiam duriuscule: ac secum rapiet omnem tincturam vitrioli. Cumq; non amplius sublimat, sine frigefieri, ac receptaculo ablato, aquam tuam fortem vasi vitreo inde, atque arcte obtura. Ac tum Mercurium tuum sublimatum accipe ex alembico, ac contere denuo cum altero dimidio materiæ. Cumque omne rite permistum fuerit, vt prius, rursum ollæ vitreæ inde, ac denuo destilla vt prius, ijsque omnibus peractis, remoue: ac sume etiamnum 4. ℔ vitrioli, ac salnitri ana, ac facito vt prius. Ac tum satis aquæ fortis habes: ac Mercurius quater sublimatus est, totūque corpus plenum tincturis habes.

Sublimatio Mercurij.

Tinctura vitrioli.

Propor-

Proportiones.

CAP. CXV.

NVnc scies ac intelliges pondera Solis, Lunæ ac Mercurij. ℞ 8. lothones puræ Lunæ cupellatæ, 4. lothones puri Solis cæmentati, efficiunt 12. lothones. Ac 6. lothones Mercurij quem sublimasti, faciunt simul 18. lothones. Hæc vera proportio ponderum. Quæstio: Quare bis tantum corporis datur quantum spiritus? Scies cum corpus est fortius ac subtilius quam spiritus atque igni admouentur, tum corpus optimam ac subtilissimã spiritus partem apud se retinebit: ac conuertet, ac perducet ad sui simile, ac ad suam naturam: & tum partes crassas aut fæces exedet, expuet, ac in nihilum rediget. Ac si spiritus est in maiori quantitate, ac subtilior quam corpus: spiritus ascendet ac secum rapiet optimam partem corporis: ac partes crassas aut fæces relinquet in fundo: non enim sunt naturæ eius. Ea est ratio vna. Altera ratio est: si plus esset spiritus quam corporis, aut vtriusque ana, cum poneretur fixandum, ægre fixari vellet: ac tempus valde longum esset. Itaque ob 2. istas caussas factum est. Spiritibus vero ac corporibus iam simul fixis, tum satis spiritus addi potest. Nam quicquid cum eo ponitur, facile fixatur, Nam cum corpora ac spiritus simul fixata sunt, Elixir sunt. Ac si multa pondera spiritus apponantur, facile fixatur. Hęc est tertia ratio. Quarta ratio est, si plus detur spiritus quam corporis, aut etiam ana: spiritus aquarum fortium manent apud illos in opere: ac illi sunt admodum pingues volatiles spiritus, tales etiam sunt spiritus aquę vitę, ac admodũ difficulter fixantur: atque isti maiore ex parte apud opus manent. Nam tantummodo ex tepido balneo educitur in congelando. Ac si iam tantum spiritus esset quãtum corporis, quoniam omnes alij illi spiritus apud opus manerent, fixari minime posset: aut tempus nimis longum foret. Iam proportio ponderum ratione demonstrata est.

Vera ponderũ proportio.

1. Ratio. Nota de proportione.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

Spirius aquæ vitæ.

Solutio Solis, Lunæ, & Mercurij.

CAP. CXVI.

REcipe tria receptacula, vni Lunam, alteri Solem, tertio Mercuriũ inde. Ac super Lunã 16. lothones tuę aquę fortis fundes, quam ante parasti: super Solem 12. lothones fundes:

de: ac inter eos lothonem ſalis armoniaci pulueriza: ac ſuper Mercurium tuum aut ſpiritum fundes 6. lothones aquæ fortis, aut ana. Hęc vera proportio aquæ fortis, ad materiam ſoluendam. Quæras vero iam, mi fili, ſuper 8. lothones Lunæ fudiſti 16. lothones aquę fortis, & ſuper 4. lothones Solis, 12 lothones aquæ fortis, ac ſuper 6. lothones Mercuij, 6. lothones aquæ fortis, ea mihi inæqualis proportio videtur. Scies ſingula ſuam proportionem habere. Super 8. lothones Lunæ fudiſti 16. lothones aquæ fortis, atque hæc eius proportio. Nam Luna eſt crudum ac frigidum, & apertum corpus: ideo facile ſoluitur in duplo pondere. Idque Sal facere non poteſt, is ter tantum ponderis aquę habere debet, quam ſit grauis. Nam corpus eius nimis graue & ſolidum eſt, ac partes eius in mineris ſolide in vnum cõpreſſę ſunt, ſulphurque eius fixum eſt. Ideo in vulgari aqua forti ſolui non vult, vt Luna, ſed ſal armoniacum aquæ eius addendum eſt. Ergo ter tantum aquæ habere debet, quam ſit grauis. Nunc Mercurius ſpiritus eſt, eiusque natura in ſublimatione reſoluta eſt: atque apud ſe ſpiritum vitrioli ac ſalnitri habet. Ergo non plus aquæ exigis, quam ſit eius pondus. Nam ſpiritus vitrioli, ac ſalnitri efficiunt, vt facile ſoluatur. Ita liquet ſingula propriam proportionem aquæ habere. Item porro 3. iſta vitra in pelui cum cineribus cribratis pone, ſuper balneum, ac ſolui ſine, vitra parte corticis obturans, vt aqua aliquantulum aeris habeat ſpongioſitate. Aliquid aeris habere debet. Ac aliquoties operculum aperiendum eſt, ſingulis 2. aut 3. horis ſemel, vt ſpiritus aerem habeant, ac tum continuo denuo obturandum.

Demonſtratio à proportione.

Luna quid.

Mercurius quid.

CAP. CXVII.

Scies in ſolutione hac latere magnum ſecretum, ac præcipuum artis. Nam aqua fortis cum ſuis ſpiritibus eſt velut ſtruthiocamelus, qui in ventriculo ferrum, ac chalybem concoquit: ita deglutit quicquid in eam immittitur, ac omne in nihilum conſumit. Quare aquam iſtam cum materia eius nutrire debes bono alimento, quemadmodum infans in vtero matris nutritur. Nam ſi infans in vtero matris nutrimentum non haberet, poſtquam vitam accepit, moreretur, ac redigeretur in nihilum. Ita etiã iſta materia, quæ in aqua forti eſt, niſi nutriretur, aqua ſuo ardenti calore materiã cõſumeret,

Confert aquã fortem cum ſtruthiocamelo ferrum ac chalybem concoquente.

Aqua fortis cũ materia nu-

ſumeret, ac deglutiret, ita vt in limoſam materiam cõuerteretur, vt nunquam vllum commodum inde rediret. Nã Lunam proba in aqua forti, ac in ea 10. aut 12. dies ſine, facito tuum præcipitari, aut vapora aquam illam, ac calcem tuam aqua recenti laua: ac eam de more liquefacito: inde nunquam denuo Luna fiet: adeo aqua fortis illam corroſit ac conſumpſit. Sed remanebit tibi quaſi eſſet ſulphur liquefactum: ſæpe expertus ſum. Aut eſt materia quaſi eſſet ſal vitri. Atque eo falluntur multi, qui aqua forti operantur. Nã cum diu multumque operati ſunt, materia eorum exeſa eſt, eſtque velut ſulphur, aut pinguedo vitri. Fit quidem rubra, crocea aut alba, ſed nihil ineſt, eſt fimus, nec reperiunt id quod quærunt. Nunc ſcies quod materiam bono alimento ales, id eſt, ad album alimento ſui ſimili natura. Ac de hac nutritione Philoſophi mire locuti ſunt parabolis artis, ignorantibus nimis reconditis. Id quod nunc omitto, vt in propoſito maneam. Satis in vegetabili opere demonſtratur.

trienda, eſt velut infans in vtero matris.

Nutritio.

CAP. CXVIII.

SVmes, mi dilecte, puram Lunam tenuiter contuſam, vt manu lacerari poſſit. Ac purum Solem etiam eodem modo contuſum: ac de tuo Mercurio ſublimato, eo omnia tria paſces, quodque ſuo ipſius alimento, in vitro ſuo, donec ſatiata ſint, videlicet, cum vides Lunam tuam, Solem ac Mercurium fere ſoluta eſſe. Tum paſces vnumquodque ſuo ipſius alimento, id eſt, in vitro in quo Luna tua ſtat, 2. aut 3. fruſtula Lunæ frange, ac denuo vitrum cito obtura. Atque itidẽ Sole tuo facito, ei adde te tuo contuſo tenui Sole. Ac de tuo Mercurio ſublimato ſimiliter interdũ aliquid immitte, cum vides fruſta pene ſoluta eſſe: ſine denuo alia incidere, vt prius. Atque id perſequere, donec fruſtula tua integra maneant ad 10. aut 12. dies, nec amplius ſoluantur: ac vides aquam tuam fortem amplius vim non habere ad ſoluendum. Tum ſatis nutrita eſt: ac tene ſemper ſuper cineres calidos, quemadmodum ſolui ſolet. Ac tum ei omnis vis corroſiua adempta eſt, nam amplius ſoluendi vim non habet. Eſtque hoc vnũ ex maximis ſecretis, quæ in arte ſint. Iam cum ad eũ modum nutrita eſt, fundes ſeorſim de eius fruſtulis in ollã vitream. Nam ſingula ſeorſim ac per ſe fixari debent, ac ſeparari a ſua

Nutrimẽta quæ ſumenda.

Omnis vis corroſiua aquæ forti adempta. Secretum magnum.

à sua terrestritate. Ac in vitro Lunæ tuæ in fundo eius reperies infra apud frustula reliqua puluerem nigrum, isque est Sol. Nam in omni Luna soluta, puluis Solis reperitur. Nam omnis Luna Solem continet, parum aut multum. Hũc serua. Ac vbi hoc pacto singula in ollam vitream fuderis, singulis alembicum superimpone, ac in pelui cum arena in balneo colloca, ac cuique rostro receptaculum luto agglutina, ac destilla aqua tepida sensim omnem humiditatem, donec tam siccum fiat vt pulnerizari posset. Cumque tam siccũ est, bonam aquam vitæ rectificatam superfunde, donec aqua emineat tres digitos latos supra materiam. Atque ita omnibus 3. vitris facito. Dixi vt alembicũ singulis vitris imponeres. Sed præstaret te vitra in ventre rostra habentia habere: ac cõmoda essent supra cum exiguo foramine, ac pusillo vitro rotundo ad id leuigato. Ita singulis vicibus alembicum imponere, nec deponere opus esset: sed tantummodo materia soluta ex vno in aliud euacuaretur, ad nimium de spiritu amittendum, atque itidem est minimum negotium. Itaque huiusmodi vitra tibi compara duodecim aut plura, parua & magna. Nam quamuis in fornace stent, aut super cineres, non multum destillat. Nam quicquid ascendit, rursum in fundum subsidit, ac nõ multum per rostrum destillat. Nam nullus est delapsus, quo humiditas cõgregari possit. Ita hęc vitra admodum bona sunt ad soluendum, cõgelandum, ac rectificandum. Nam lutare nihil opus est: tantummodo ex vitro in vitrum transfunditur, ac supra subere obturatur, aut pusillo vitro rotundo, quod ei quadret, ac leuigatum sit. Itaque suadeo tibi vt opus tuum in eiusmodi opere opereris, donec congreges. Tum vitro fixatorio indi debet. Ac inde tum materiam vitro, quamque per se, ac quamque in peculiari fornace, aut balneo, in pelui cum arena, aut cineribus cribratis, ac aquam tuam vitæ superfunde, vt ad 4. digitos emineat supra materiam, ac luta receptaculũ ad rostrum receptaculi, ac sine solui calore exiguo, ita vt manum tuam in balneo tenere possis. Ac soluetur: ac infra in fundo vitri fax quædam remanebit. Tum alia 3. vitra habe eiusdem compositionis: ac funde clarum ex omnibus 3. vitris, quodque in vitrum peculiare: ac stricte obtura. Ac denuo aquam vitæ super fæces cuiusque vitri funde, tantum videlicet, vt rursum ad 4. digitos tectæ sint: occlude, ac rursum in balneo pone, vt supra, recepta-

In omni Luna soluta puluis solis reperitur.

receptaculo ad rostrum lutato: ac vbi ad tres aut quatuor dies in balneo steterit, siquid etiamnum fæcibus esset, vt solui posset. Tũ sinas refrigescere, ac tum rursum clarum superne diffundas è fæcibus, in eadem vitra in quæ prima infudisti, quodque in suum vitrũ. Tum 3. ollas vitreas habe, in eas fæces euacua, singulas in vitrum peculiare, aut ollã; ac depone donec plures fęces confundes. Tum omnia 3. vitra in quibus materia est soluta quodq; super balneum suum pone, vt prius doctum est: ac rursum aquam vitæ destilla, donec materia tua omnino sicca sit. Tum denuo recentem aquam vitæ superfunde, vt prius à te factum est. Ac aquam illam vitæ deductam effunde, nihil amplius valet. Luta vitra vt prius, ac denuo materiam vt supra solue. Cumq; omne solutum fuerit, quod quatriduo fiet, rursum fæces in vitro remanebunt. Fũde denuo solutum in vasa peculiaria, vt prius. Ac funde rursum super singulas fæces recentem aquam vitæ 4. digitos supra materiam vt prius fecisti, ac pone iterum super balneum, ac sine tum denuo stare ad 3. aut 4. dies, si quid adhuc in fæcibus non solutum esset, vt solui posset: ad omnino ex fæcibus soluendum. Tum sine frigesieri: ac clarum à fæcibus superne diffunde, quodque in suum vitrũ: ac adde fæces singulas suis ꝓprijs, quas prius in singulis ollis seruaueras. Materiam tuam solutã denuo congelandã pone, ac humiditatẽ ei vt supra, detrahe, donec materia sicca sit, ita vt puluerizari posset. Istudque opificiũ repete toties, donec nullę amplius fæces tibi remaneant, ex nullo horum 3. sed omnia tria soluantur, ita vt fæces non relinquant. Ac saltem semper fæces eidem ollæ inde, singulas per se, nam in illis fæcibus elementum terræ inest. Istas fæces omnes tres adhuc calcinabis: ac terram extrahes ex singulis fæcibus, ac singulas ad propriam materiam adduces, antequam congregabuntur.

Opificiũ prædictũ repetendũ donec nullæ fæces amplius remaneant.

CAP. CXIX.

IAm scies, mi fili, 3. materias tuas subtiles esse, ac rectificatas, 3. nempe elementa: ac elementum terræ adhuc in fæcibus iacet, quodque in suo vitro. Nunc 3. materias tuas serua solide obturatas, donec fęces calcinatę fuerint. Ac post calcinationem omnium trium terrarum ex ijs eductarum ac rectificatarum: ac tum quaque terra in suam ipsius naturũ perducta: Tum opus conferemus ac fixandum ꝓponemus, vt post docebimus.

Quomodo terra calcinãda.

Cal-

Calcinatio terræ.

CAPVT CXX.

Recipe dilecte 3. ollas tuas vitreas quibus fæces insunt, ac vaporabis, vt omnino siccæ sint. Tum habe super singulas ollas vitrum rotundum, ac olla supra æqualiter leuigata erit, atque etiam operculum, vt sibi inuicē quadrent. Tum operculum super ollam luta, ac pone singulas in pelui cum cineribus, singulas super fornacem peculiarem. Nam Sol diutius calcinari debet quam Luna. Fæces Solis facile spatio 6. refectionū calcinari debent, ac Luna facile calcinatur 30. horis. Ac fæces Mercurij facile 18. horis calcinantur. Ergo quodque vitrum super fornacem peculiarem stare debet: ac singulis tantum ignem addes, vt fæces communi candore candeant. Fæces Solis retinebis 6. dies in cādore naturali, tum sine frigesieri: ac fæces Lunæ 30 aut 32 horas in vno candore: Ac Mercurij 18. aut 20. horas in vno candore: tum sine frigesieri. Tum remoue omnia 3. vitra: ac si quid in operculo aut ad margines ollæ sursum sublimatum est, id penna absterge. Tum super singulas fæces aquam cōmunem destillatam superfunde, atque ollas super fornacem in testa cum cineribus pone: ac aqua bulliat per horam, tum sine frigesieri. Tum habe alias 3. ollas vitreas, ac funde quamque aquam per se sensim a suis fæcibus, aut per filtrum destilla. Tum rursum aliam aquam communem super fæces funde quæ in olla remansere, ac rursum per horam facito: tū denuo sinas refrigescere: ac rursum subtiliter effunde singulas in suam aquam, vt prius. Tum iterum aquam recētem superfunde. Ita elementum terræ ex fæcibus eduxisti. Tū fæces abijce, prorsus enim inutiles. Tum 3. ollas tuas congelandas pone, ac in quoque ollæ fundo reperies sal quod est inter album ac cinericium: aquam destillatam super id funde, ac denuo per horam bulliat: tum sinas frigesieri, ac subsidere, ac à suis fæcibus diffunde, & fæces abijce. Tum aquam tuam ex singulis ollis euapora, ac denuo tibi in quaque olla sal remanebit, idque iam paulo candidius erit. Funde denuo aquam super sal tuum, vt prius, ac facito, vt prius. Idque opificiū itera toties, donec sal tuum non amplius fæces relinquat. Tum terra tua rectificata est, ac mūdificata ab omni immunditie: ac sunt terræ Philosophorum.

Sol diutius calcinandus quam luna.

Extractio Salis.

Terra rectificata ac mundata.

Coniunctio terræ cum elementis.

CAPVT CXXI.

IAm adde omnem terram suis ipsius elementis rectificatis. Ea iã probe simul rectificata sunt ac subtilia effecta, absq; elementorum separatione: atque hactens ea perduxisti, vt iam medicina sint præ magna eorum subtilitate: nam exterius eorum intus posuisti, & interius foras, atque ab omni immũditie nudasti. Ideo Morienus Philosophus ait: Nisi corpora immunda pura, & munda efficias ab omnibus fæcibus, nihil arte nostra inuenisti. Hermes inquit: Corpus solutum est aqua æterna, atque ea aqua Mercurium æternum congelatione coagulat. Aristoteles inquit: Præpara corpora ac solue, ac deinde ea cum spiritibus lotis, ac mundatis coniunge, ac fit æterna congelatio ac fixatio. Geber ait, Post coniunge ei animam præparatam, ita ei imprimitur æternus color, quem in æternum retinebit. Rasis ait: Conuerte corpora in aquam, atque aquam illam ab omni sua immunditie mundifica, atque ex ea denuo terram facito, & ex terra aquam: ac tum ei spiritum adiunge, ac animam, tum recte fecisti in nostra arte. Danthynus ait: Purga corpora, ac albifica, ac ijs spiritum præparatum adiunge, atque eis vitam siue animam infunde: ita fit æterna conglutinatio ac fixatio æterna. Ac Plato: Corpus imperfectum destrue ac in aquam redige, ac lepram ei ablue, ac mundifica, atque spiritum præparatum ei adiunge, ita ignis ea non separabit: ac tum ei animam præparatam adiunge, ita omni examini resistent, ac transibunt. Hermes præterea ait: Solue corpora ac albifica, ac nuda ab omni immunditie, spiritus ablutos ad corpora adducito, ita separari non possunt. Tum fermentum illis adde: ita illis æterna tinctura imprimitur, vt ignis ea separare non possit. Kalid Morienum interrogabat: Quænam optima congregatio est? Morienus respondebat: Perfectum corpus fixum solutum in aquam æternam, ac spiritus præparatus ei immersus, est opus perfectum ac firma coniunctio, ita vt postea ab igni minime separentur.

Medicina. Morien. Hermes. Aristoteles. Rasis. Danthynus. Plato. Hermes. Kalid ad Morienũ.

Recapitulatio.

CAP. CXXII.

NVnc oculos & aures aperi, ausculta, ac speculum artis inspice. Mentem aperi, ac intellige, qumodo, ac qua ratione hæc coniunctio fiet. Dixi tibi in opere minerali

Anacephalæosis.

multa opera diuersa, quædam cum separatione elementorum, ac etiam alia opera in quibus elementa non separantur. Quædam aquis fortibus fiebant, alia aqua nostra ardente benedicta: alia ad oleum conficiendum: ac omnia simul Elixir sunt. Demonstraui etiam tibi multis rationibus, ita debere fieri Præterea te etiam in magnis operibus docui, quomodo Solem ac Lunam amalgamabis cum Mercurio viuo præparato: ac quomodo igni admouebis. Ac quo pacto pusillo regimine ignis ignem tuum moderareris, vt simul morerentur ac fixarentur: ac quomodo omnes eorum fæces consumerentur, ignis pusilli constanti directione. Ac quo pacto Natura adminiculo ignis exigui operaretur, vt omnes fæces consumeret, ac in nihilum redigeret, ac ad extremum perfecta fieret. Nam Natura aliquantulum iuuatur arte artificis, ac constanti decoctione. Idque manifestis rationibus demonstraui, ita esse debere: quemadmodum in veritate ita: sicuti etiam in vtroque opere demonstratum est. Dilecte est etiamnum aliud secretum in arte ac firma cognitio, ac præcipua notitia huius coniunctionis operis, in quo nunc versamur, ac de quo loquimur.

De coniunctione operis recapitulati.

CAP. CXXIII.

Docui te præparare ac rectificare corpus imperfectum, quod est Luna, ac spiritum qui Mercurius est, ac fæces aut terram ab ijs separare: quod fit perfecte soluendo, ac denuo congelando. Idcirco Morienus ait: Ars nostra nihil aliud est, quam perfecte soluere, ac congelare. Ideo Hermes inquit: Ars nostra nihil aliud est, quam opus mulierum, ac puerorum ludus. Ita Lunam tuam, Solem, ac Mercurium perfecte rectificasti, ac eius elementum Terræ cum fæcibus separasti à se inuicem: solummodo soluendo & congelando. Ac terram tuam calcinasti, ac præterea terram tuam ex fæcibus eius eduxisti soluendo, ac congelando. Ita vt terra tua etiam probe rectificata sit, vt nullæ fæces relinquantur.

Morienus. Hermes.

CAP. CXXIV.

Iam omnia simul nudasti ab omni redundantia corruptionum, absque elementorum separatione, vt ante ostensum est. Iam cuique terram elemento suo addidisti: Terram Lunæ, Lunæ: terram Solis, Soli: terram Mercurij, Mercurio, quamque in suo vitro. Nunc quærat F. M. Quid iam faciendum est, ac quomodo iam coniungentur?

CAP.

CAP. CXXV.

SCies in ista cõiunctione maximum secretum latere, quod sit in arte vniuersa. Verum quidem est perueniri quidem tandem ad perfectionem diuturnitate temporis, ab ijs qui operantur amalgamationibus, corporibus vt Lunæ ac Mercurij coniungendis in vitro vno, ac coquendis super igni pusillo, donec perfecta fiant. Scies ac rite intelliges, omnes qui ita operantur stultos esse, amalgamationibus Lunæ ac Mercurij: aut qui aqua forti ea destillant, aut partem destillant, ac partem manere sinunt: ac breui tempore ex ijs medicinam cõficere putant, stulti sunt, nec artem intelligunt, nec etiam se ipsos. Ac quamvis materia forte ad extremum perfecta esset, sicuti esset, vt supra multis in locis ostensum est: tempus adeo longum esset, vt pigeret ipsos tamdiu expectare, ac opus desererent. Ratio: Luna est frigida & humida, non fixa, sordida, immunda, ac volatilis: ac Mercurius etiamnum magis. Hæc duo iungunt: vtrum alterum perfectum efficiet? vtraque enim imperfecta sunt. Dico tibi, multos viros doctos in opere sedentes vidi, qui huiusmodi opera facerent: ac multos annos eiusmodi operibus occupati fuerant: ac nunquam quenquam eorum perfectionem habere vidi. Quamvis ad extremum perfectio sit expectanda, tempus expectare non poterant: tum opus suum igni corrumpebant, aut aliquod mirum consilium quærebant, vt ad finem peruenirent: ac quamcumque rationem inirent, ad extremum omnia corrumpebant. Sed si ad aliquot annos stare siuissent, ac persequuti fuissent die nocteque igni pusillo, tandem perfectum euasisset, vt ipsi vecordum posteri artem eius videre potuissent. Ratio, dilecte, cur multos annos stare debeat, est hæc: Natura nõ operatur nisi per naturam, quamvis paululum igni pusillo iuuetur, qui illi die nocteque continue additur. Luna est imperfecta, ac Mercurius etiamnum imperfectior, vtrum alterum perfectum faciet? Neutrum eam vim habet. Quomodo vestis immunda lauari mundariq; posset in aqua sordida? Profecto nemo id potest. Ita se etiam res in Luna, & Mercurio habet, cum coniuncta sunt, neutrum horum iuuandi alterum potestatem habet. Sed Natura fæces consumit, ope constantis decoctionis ignis exigui. Ac iam omnibus fæcibus consumptis, etiamnum vtraq; nõ fixa sunt, vtrũ alterũ fixabit? Natura igni pusillo ac constanti decoctione Lunã fixat: ac etiam post longum tempus, ac constanti decoctione fit Luna medicina.

Maximũ secretum in coniunctione latet.

Amalgamatio Lunæ cum Mercurio.

Ratio.

Atque ita longo tempore, ac continua decoctione exigui ignis, Luna Mercurium in suam naturam pertrahit, atque alterum cum altero fixat: ac etiam longiore tempore ac constanti decoctione, Mercurius cum Luna perfecta medicina fit. Sed antequam id fieret isthoc pacto, fortasse tempus 17 aut 20. annorum dilaberetur. Quare illi qui ad hunc modum operantur amalgamationibus, corporibus imperfectis & amalgamationibus & Mercurio coniungendis, artem non intelligunt, nec seipsos. Quemadmodum etiam omnes illi, qui aquis fortibus operantur, ad Lunam & Mercurium coniungenda. Nam si artem intelligerent aut seipsos, facile perciperent, ac intelligerent, debere inprimis Lunam ab omni impuritate mundificari: Eaque mundificata, subtilis efficienda est, id est, ascendens ac descendens debet retineri in vitro fixatorio. Ita tam subtilis fit, vt post medicina fiat. Nam 3. illa elementa quæ in se habet, ascendunt sursum, ac descendunt infra, ac terram adeo subtilem reddunt, vt vna ascendat in caput vitri fixatorij, ac rursum descendit cum aere, aqua & igni. Ac tum elementa ita congregantur, atque ita maritantur, vt in æternum separari nequeant. Atque vbi hoc pacto congregata fuerint, constanti ascensu ac descensu fiunt paulatim crassiora, ac simul fixari incipiunt. Ac quæ ante quatuor erant in natura, vnum fiunt; ac simul fixa manent in fundo vitri fixatorij.

Hermes. Ideo Hermes ait: Facito inferius ita vt superius, ac superius vt inferius, tum recte operatus es. Ac Luna quæ corpus imperfectū erat, jam fixa est, ac medicina. Cumque hoc pacto parata

Plato, Aristoteles. est, corpus paratū est ad spiritū paratū recipiendū. Ideo Plato & Aristoteles inqunt: Para imperfectū ac albifica, ac cōtinuo spiritum paratum illi adiunge. Ac Ignorantes verba ista non capiunt. Ac tum debet spiritus paratus in parato fixo poni, vt simul fixentur, ac deinde illis adiungere debes fermentum præparatum, quod etiam parari debet: vt partim doctum est, atque etiamnum docebitur Quod fermentum vtrisque vitam donabit, ac trahet & perducet in suam naturam. Ac talis congregatio fieri debet, si alioqui ad magnum lapidem peruenie-mus, spatio vnius anni, aut breuiore, prout artifex acutus est. Si

Naturam nosse. Naturam nossent, atque hoc intelligerent, quod hoc docetur, atque etiamnum docebitur, circa eiusmodi amalgamationes non operarentur, nec aqua forti, ad Lunam & Mercurium in sua crassitudine coniungenda. Quamvis ad extremum

mum lapis inde aliquando proueniat, vt ostensum est.

CAP. CXXVI.

PErlege hoc sæpius ac bene memoriæ insige, vt nunquam congregationem facias, corpore imperfecto, ac spiritu parato, quin prius corpus mundifices, ac albifices, fixum ac medicinale efficias: antequam spiritum paratum ponas, ac spiritum apud corpus fixum effice, antequam illi addas præparatam animam viuentem, ne aberres à recta via. Nam in ponderibus, ac in coniunctione, ac in ignis constructione, omnis nostra ars consistit.

In ponderibus. cōiunctione ac ignis constructione omnis ars chemica consistit.

Congelatio, siue Coagulatio.

CAP. CXXVII.

NVnc ad opus nostrum reuerti volumus. Meministi cum terram tuam rectificasses, vt nullas amplius fæces relinqueret, me tibi præcepisse, vt vnamquamque terram adderes elemento suo proprio, quamque in suo vitro. Nunc omnia 3. vitra pones super fornacem, ac lutabis probe singula, ac singulis receptaculum ad alembicum: ac destillabis pusillo tepido igni, aquam illam vitæ, ita vt paululum incipiat tantum spissescere: sed sicce minime destilla: vt tantum soluta maneat, Idque facile. Cum materia fere destillauit, fit aliquanto obscurior quam prius erat, ac spissior ac aspectu aliquantum oleum referens. Tum sinas refrigescere: ac materiam ex singulis vitris in pateram vitream effunde: interim quod etiamnum calida est, alioqui omnino euacuare non posses, nam cum omnino frigida est, melle est spissior. Tum singulas pateras solide operculo vitreo operi. Aut pateras ad id confectas habe, quæ arcte ijs quadrent: nam sedulo tibi cauendum est, ne quę sordes ab aere accedant. Ac cum pateræ illæ vitreæ admodum arcte opertæ sunt, pone ad dies 4. in loco mundo frigido, aut cella. Ac interea temporis in fundo pateræ reperies exiguos lapillos excretos in morem crystalli. Tum etiam 3. alias pateras habe, quæ etiam arcte claudi possunt ac super illos lapillos excretos stabit etiamnum de aqua vitæ, eam superne in alia illa vitra effundes; ac lapillos illos tribus distinctis vitris inde, quæ tegi possunt. Tum sume tres illas patereas quibus aqua vitæ deducta inest, ac pone denuo vaporādas, donec spissescat vt supra, ac ne isthinc discedas, (nam eo spatio quo decies, aut duodecies oratio dominica recitari posset, fit) ne siccescat, ac ne spiritū aquæ vitæ amittas. Sed cum aliquanto spissius est q̃

Ratio, cur materia effundenda, dum calida est.

Lapilli excreti in morem crystalli.

oleum, sinas refrigescere: ac rursum pateras tuas arcte operi; ac denuo ad dies 4. in cella frigida pone: ac sine rursum lapillare, atque iterum singulas lapillis sui similibus adde: ac rursum euapora vt prius: atque id repete, donec nihil amplius aquæ vitæ super lapillos reperis ac materia tua omnis congelata est. Tum 3. materiæ tuæ crystallus sunt, Sol tuus, Luna, Mercurius, ac præparatæ sunt & subtiles effectæ. Quærat filius: Quare in lapillos redegisti, ac non in puluerem? Scies spiritum aquæ vitæ esse mediatorem inter corpus & Mercurium, æque ac lapis quem nobis Deus gratis dat. Ac si aq. iam vitæ omnino deduxissem, vt puluis fuisset: tum spiritum aquæ vitæ iterum addere potuissem: ac si post in vitrum fixatorium fudissem, quo modo proportionem scire potuissem: si quid nimis multum infudissem, tum spiritus aquæ vitæ opus impedijsset, quominus fixaretur. Est enim pinguis volatilis spiritus, qui ægre fixari vult, nisi longo tempore. Ac si quid nimium infudissem, tempus admodum longũ fuisset. Præterea si nimis parum infudissem, opus nimis siccũ euasisset: ita vt ingressum dare noluisset. Spiritus enim vini eandem habet naturam, quam habet spiritus antimonij. Nam vbicumque spiritus antimonij ad opus adducitur, opus amabile ac fusibile efficit, vt ingressum det, vt facit aqua paradisi, aut spiritus arsenici aut sulphuris: Imo magis quam omnia simul præstare possent; quamvis omnia simul in sua quinta essent essentia.

Spiritus vini eandem naturam habet cum spiritu antimonij.

CAPVT CXXVIII.

HOc animo imprime pro maximo tuo secreto. Quærat autem filius meus, Quomodo iusta proportio scietur? Cũ in opere aquæ vitæ aut spiritus vini satis est, id scies: vbi perfecte ab omnibus fæcibus eius repurgatum fuerit. Tum spiritum vini superfundes, ac destillabis, donec incipiat spissescere, in morem olei. Ac tum desines, ac sines omne excrescere in lapillos, vt prius doctum est. Ac materia illa rectificata, siue spiritus sit, siue corpus, non amplius in se attrahet, quam fixari possit, quamq; ei ad dandum ingressum opus sit. Atque hoc Natura operatur. Ita dilecte lapillos omnes excrescere sivi, ac permisi in se attrahere tantum spiritus vini, quã ijs opus esset. Nam proportionem vini dare, id captum hominis superaret. Natura supra captum hominis operatur. Nam Deus potentiam suam in primis rebus ostendit: vt Creatorem nostrum cognoscere disceremus. Ac Deus in natura supra

Proportionem vini dare captum hominis superat.

Pauci Philosophi

pra captum hominum operatur. Ac ſcito non multos Philoſophorum perueniſſe ad intelligẽtiam ſpiritus vini. Id tibi ſupra oſtendi: Maius ſecretum non habeo, quam ſpiritus vini, in opere vegetabili vbi ſermo eſt de Elixire, vbi mira tradũtur de ſpiritu vini. Vix tres fuere qui ad veram intelligentiam ſpiritus vini peruenerunt. Itaque dilecte hoc oſtendi, quare lapillos ſimul excreſcere ſiuerim. peruenerũt ad intelligentiam ſpiritus vini.

Coniunctio operis, fixando.

CAP. CXXIX.

NVnc ſumes vitrum fixatorium, eique lapillos illos Lunæ indes, ac ſigillo Hermetis obſignabis, ac pones ſuper fornacem in cineribus, ac ignem adde tam calidum, vt tantummodo digitum tuum tenere poſſis in cineribus abſq; combuſtione. Cumq; vitrum calorem ſentit, ſtatim lapilli illi liqueſcunt in morem olei, ac aſcendent facile 1000. exiguis fibris: ac denuo deorſum deſcendent. Ac in dies ſingulos magis ſpiſſeſcent, quo materia magis fixa ſit. Ac ad extremum tam ſpiſſæ fiunt, vt vix denuo reuerti poſſint. Ac cum prius facile 1000. videbantur eſſe, vix iam ſunt 15. aut 16. Ego ſigno cõſpecto, ignem tuum auge tantum, vt digitum tuũ vix ſpatio, quo aue Maria recitari poſſet, in cineribus tenere poſſis. Cumque iam vides nullos amplius lapillos aſcendere ac deſcendere, ignem tuum auge, ita vt digitum tuum in cineribus nulla ratione ferre poſſis. Atq; hoc pacto retine ad horas 24. ac ſi interea temporis nihil amplius aſcendere ac deſcendere conſpicis, materia tua fixa eſt. Atq; id 40. diebus fiet: ac tum perfectum corpus tuum paratum eſt, abſolutum, ac medicina: hic iam non amplius corpus imperfectum eſt: ſed corpus glorificatũ, atq; alta medicina: vim enim habet omnia corpora imperfecta in Lunam perfectam conuertendi. Ac quod plus eſt, proijce ſuper purum Solem, cõuertet ex natura propria in veram Lunam. Quare Hermes ait: Qui ex Sole Lunam conficere nequit, is ex Luna Solem conficere poteſt. Geber ait: Qui ex rubro album neſcit conficere, is nec ex albo rubrum nouit conficere. Ac ſcies hac ipſa ratione, ex omnibus metallis imperfectis Elixir poſſe fieri: ac deinceps ſcies lapides cryſtallinos Solis etiam vitro fixatorio indi debere, ac fixandos poni, vt de Luna dictũ eſt. Idem opificium, eadem conſtructio, idem vitrum fixatoriũ eſt. Ac ſi fornax tua ſatis ampla fuerit, omnia illa

Luna fixa. Medicina. Corpus glorificatum. Hermes. Geber. Cõfectio Elixiris.

illa tria vitra simul super eadem fornace ponito: ac omnibus idem regimen ignis da. Scies item Mercurium coquẽdum vbi ab omni immunditie clarificatus fuerit, antequam corpori præparato apponatur. Nam etiamnum spiritum vini apud se habet, quem assumpsit, atq; etiam spiritum vitrioli, ac salnitri, quem in sublimatione subuexit: atque etiam suam terram rectificatam: atq; omnia hæc fixa non sunt, ac congregata in rem vnam, ac nondum res simplex sunt, sed composita. Itaque Mercurius etiam cogi debet donec simplex sit, vna pars fixa in natura: atq; etiam vna pars non fixa. Id ita accipies. Multa audisti de Luna, cum non amplius lapilli ascendunt, tum satis esse, ac Lunā fixam esse Ac cum nulli amplius lapilli in Mercurij vitro ascendunt, tum itidem satis est. Ac tum partim fixus, ac partim non fixus est. Hoc ita accipies, spiritus vitrioli, ac terra, Mercurij partem 1. fixarunt, ita vt calore vim non habeat ascendendi, ac lapillos conficiendi. At si in testa cum cineribus poneretur, ac magnus calor ei adderetur, partim quidem adhuc ascenderet, aut sublimaret: sed non totus: maxima pars in fundo fixa remaneret. Ita cum Mercurius non amplius ascendit in vitro fixatorio, aut lapillos non conficit, per talem calorem quem de Luna diximus; partim fixus, partim non fixus est, iuxta rationem prædictam. Ac cum talis est, paratus est vt Lunæ apponatur. Ait enim Aristoteles: Præpara corpus, donec perfectum sit, tum ei spiritum præparatum adiunge: ac simul vnum fiunt, vt ignis separari non possit.

Aristoteles.

CAP. CXXX.

SCies istos lapillos Solis etiam parari debere, antequā corpori apponi possint. Nam habet etiā apud se spiritum vini, ac terram suam, ea nondum fixata sunt apud 3. elementa. Atq; hoc pacto nondum fermentum est, nec anima, etiamnum compositum est. Ideo lapilli Solis etiam in vitro fixatorio indi debent, ac fixari vt Luna facta est. Cum Sol fixus est, etiam perfecta medicina est, vt Luna, atque etiamnum multo perfectior. Nam quanto Sol Lunam superat, tanto medicina perfectior est. Tum hæc medicina vim habet omnia metalla imperfecta in Solem transferendi.

Sol multo perfectior medicina, quā luna.

CAP. CXXXI.

NVnc scies: Cum Luna, Mercurius ac Sol in hũc modum præparata sunt: tum demum parata sunt vt simul ponãtur, & vt lapis ex ijs conficiatur. Atq; omnes illi qui alias

Luna, Mercurius ac Sol in hũc modum

vias

vias quærunt, fallentur: ac omne illud corrumpent quod ponunt ad lapidem ex eo conficiendum. Multæ sunt fixationes, ac alia exigua opera, ex quibus quidem ad extremum fructus aliquis redire posset, cum attingunt ac longum tempus rite possunt expectare: sed similes sunt coquo, qui omnia genera ciborum in vna olla coquere vult, vt olus, lardum, pisces, &c. Hoc sordidum pulmentarium fieret. Tale fieret si quis Lunā, Merc. Solem, cum alijs spiritibus & aquis fortibus, simul cōferret: ac id putaret omne simul coquere in vno vitro, ei idē quod coquo accideret. Nam aliud quidem natura frigidū est, aliud calidum, tertium humidum, quartum siccum, quintum fixum: aliud mundum, aliud immundum, aliud combustibile, aliud incōbustibile. Atq; omnes istæ materiæ sunt simul in vno vase. Atq; istud putant stulti perducere ad rem vnam, aut ad lapidem, aut ad aliam bonam medicinam, breui tempore. Ipsis impossibile est. Materias limosas coqūt. Verba obscura Philosophorum non capiunt, omne eorum inceptum, delirium est. Itaq; dilecte, istam lectionem sæpe perlege, ne in eiusmodi errorem incidas.

præparata, demum parata sunt, vt simul ponā tur, & lapis ex iis conficiatur.

Similitudo coqui omnia genera ciborum in vna olla coquere volentis.

CAP. CXXXII.

NVnc ad opus nostrum redire volumus. Dilecte, cum Luna tua, Mercurius, ac Sol ad eum modum præparata sunt; vitrum fixatorium aperies, cui corpus Lunæ tuæ inest, ac Mercurium in id infundes, dum adhuc calet: nam si frigidus esset, nimis spissus foret. Atq; eodem modo Sole faciendum est: vbi iam spiritus superfusus corpori, vitrū tuum forti luto obtura, ac pone denuo in cineribus; atq; ignem adde dies 7. tam calidum, vt vix digitum in cineribus tenere possis, ad spiritum cū corpore probe congregandum, ac commiscendum, atq; vniendum. Tum sinas frigefieri: Tum corpus cum spiritu paratum est, ad animam recipiendam, aut fermentum.

Corpus & spiritꝰ parata ad animam recipiendā.

CAP. CXXXIII.

TVm sume in nomine Dei fermentum, ac calidum in vitrum cum Luna & Mercurio infunde, ac forti luto operi, ac super fornace pone, ignem addēs ad dies 7. vt supra vt cūm alijs probe incorporetur. Ac quæ prius tria fuerant, iā vnum sunt. Tum sine vt refrigescat, ac calidum etiamnum in ampullam vitream effunde, aut in ouum vitreum, ac sigilla: ac pone in fornace secreta; athanare, aut tripode dies 40. ignē addens tam calidum, vt manū tuam commode tenere possis,

Regimen ignis.

orat. domin.ſpatio inter conclaue, in quo lapis ſtat, ac parietes fornacis exterioris. Diebus vero 40. exactis exime ac reperis medicinam tuam coagulatam in lapidem lucidum inſtar cryſtalli, rubrum in morem Rubini obſcuri. Age gratias Deo, theſaurum terrenum habes: vide vt iſtum ita regas, vt tibi in gloriam Dei cedat, ac animæ tuæ ſalutem: Sin aliter feceris, ſcire debes, te hic in terris hæreditatem cæleſtem habere: ac poſtremum eſſe donum quod à Deo accipies. Iſte lapis infinitam proiectionem facit, ob magnam eius munditiem, ac ſubtilitatem. Ac proiectionem non facies niſi in Lunam, aut Saturnum: ſuper ea altiſſimam proiectionem facit. Ac pulcerrimum Solem efficit, quem vnquam vllus homo vidit, tam grati coloris.

Theſaur' terrenus.

Multiplicatio.

CAP. CXXXIV.

Mercuri' parãdus.

ITem para Mercurium tuum ad eundem modum, vt in hoc opere doctum eſt, vſq; in lapillos cryſtallinos: atq; huius adde 100. partes ad vnam lapidis tui puluerizati, ac ſimul vitro fixatorio inde, ac firmiter obtura, & pone ſuper fornacem, ignem addens talem, vt vix digitum tuum in cineribus tenere poſſis. Ac in eo calore ſtare ſine 15. dies: tum in ampullã vitreã aut ouum euacua: ac ſigillo Hermetis obſigna, ac pone in tripode ad dies 40 calorem addens talem, vt manum tuam illic tenere poſſis, aut durare orationis dominicæ ſpatio, à pariete interiore fornacis vſq; ad exteriorem. Diebus vero 40. exactis, exime, ac vitrum confringe. Nobilem lapidem exime: atque hic tam altam proiectionem facit quam prior. Gratias age Deo de omnibus ſuis mirificis donis, quæ in ſeruos ſuos, & filios contulit.

Aliud opus.

CAP. CXXXV.

SCies dilecte pro ſecreto: cum fixationem aliquam, aut multiplicationem vis perducere, vt cito fructum percipias & ad finem peruenias: primũ ſpiritus mundificare debes ſublimatione: ac corpora ſiue Sol aut Luna prius mũdificari debebãt. Sol cæmentando ac luna calcinando, vt infra docebo. Nulla etiã cõgregatio fieri poteſt animæ & corporis, vt ſimul maneant: quãdiu vlla immũdities eſt in anima, aut corpore. Ac anima nulla ratione in corpore manere poterit abſque ſpiritu.

Ac

Ac scies spiritum esse meditatorem inter animam & corpus, qui vtraque simul nectit, vnit, ac ita miscet seipsum cum illis duobus, vt tam firmum vinculum amoris sit inter hæc 3. vt neque iam, neque vllo vnquam tempore separari possint: ac quæ prius 3 fuerant, iam nisi vnũ sunt. Sed quãdiu vlla immũdities est, nulla cõgregatio accidere potest vlla arte. Ac ignorantia huius efficit, vt omnes errent. Si autem cognitionem haberent, omnia eorum opera bene succederent, nec erraret. Nam si fixationem ponerent, cito fixarent. Ac si multiplicationẽ ponerent, Mercurius sese cito in corpus vniret. Ac quãlibet parum Mercurij apud corpus manet, cum iterum amplius apponitur, cito cum eo fixatur: nam vna pars aliã porro fixat; ac singulis vicibus magis magisque, ac citius. Spiritus enim semper in corpore crescit: nam quo corpus magis magisque augescit, eo subtilis spiritus magis accrescit, ac fit fortior, ac plus Mercurij apud se retinet, ac cito. Imo facile tamdiu multiplicatio poneretur, atque in igni haberetur, vt materia tam subtilis esset, vt in morem ceræ liquesceret, ac vitrum penetraret, non secus quam oleum corium penetrat: ac perfectum Elixir fieret ad transferenda metalla in Solem aut in Lunam. Idque omne efficit spiritus subtilis, qui mediator est inter animam & corpus. Nam spiritus subtilis tam copiose in corpore crescit, vt omne medicinã faciat. Ac crescit in metallis, quemadmodum aer crescit in malo. Pone malum in mundo, aeri exposito, ac sicco loco, cum primum ex arbore decerpis, ac sinas ibidem iacere per annum integrũ, quo diutius iacuerit eo fragrantius est. Qua ratione hoc fit? Pomum vnum aut duo magna non sunt, ac tamen per totum cubiculum odorem emittunt. Odor iste à nobili spiritu prouenit, qui pomum in sua essentia retinet, qui quodie magis in eo crescit: imo donec corpus corrumpi incipit, tum spiritus nobilis ex eo excedit: ac pomum putrefit ac putescit: quomodo igitur nobilis spiritus crescit in opere vbi spiritus & corpus omnino munda sunt? Itaque dilecte omnino animam ac corpus mundifica, antequam spiritum eis apponas, aut adiungas.

Spiritus mediator inter animam & corpus.

Spiritus semper in corpore crescit.

Comparatio mali.

Pondera omnium multiplicatio num ac fixationum tenẽda.

CAP. CXXXVI.

Scies porro põdera omniũ multiplicationũ ac fixationũ: Ac in eo multi errãt. Nam si nimiũ materię volatilis fixę addideris, pars volatilis optimum fixæ partis secũ vehet

Ac si pars fixa fortior est volatili, apud ipsam optima pars volatilis permanet. Ac in eo omnes Alchemistæ errant. Scis igitur porro, tibi in ponendis multiplicationibus aut fixationibus, sumendas 3. partes corporis, atq; vnam animæ, ac vnā partem spiritus, ac miscebis probe inter se, ac talem ignē addes, vt corpus animam ad se trahat, ac spiritus vtriusq; horum particeps fiat. Ac spiritus & corpus spissa ac crassa fiant, ac corpus subtile, ita opus tuum probum erit. Sed si ignem addis vt spiritus & anima subtiliora fiant, quam prius erant, ac corpus crassius atq; obscurius, omne corruptum est. Id ita accipies. Ignem lentum adhibe, vt corpus animam ad se trahat, ac spiritus vtrisq; participet, penetrans per corpus animam, ac vtraque calefaciat, vt vtraq; vnum corpus fiant.

CAP. CXXXVII.

Scies quare spiritus animæ ac corpori adiungatur: ratio hæc est. Luna est corpus, Mercurius anima, vtraq; frigida & humida in exterioribus, ac in interiorib. calida & sicca. Ac cum simul componuntur quomodo cōiunctio fieri posset? Contrariū adesse oportet, si generatio aliqua fieret: id vero stulti capere nequeunt. Turbę tamen Philosophorum dicunt naturam esse sequendam, vt infans in matre concipitur: manifeste loquuntur absq; verbis tectis. Tamen percipere nec intelligere queunt. Ponunt Lunam & Merc. simul amalgamantes, ac putātilla duo simul fixare: nec animaduertere possunt vtraq; eiusdem naturæ esse frigida, ac humida, ac ea sine medio simul maritare volunt. Citius ignis igni extingueretur, quod impossibile est. Ita se res habet cum Luna & Mercurio: antequam ea simul fixares, prius vtraq; volatilia efficeres. Nā Luna est adeo frigida, & humida cum non est fixa, vt Mercurius eius à terra trahi possit sublimādo, ita vt nihil præter terram, ac sal reliquum sit. Ac cum tum magna quantitas Mercurii ei additur, ac tum aliquis ignis vehementior adhibetur, vnum cum altero volatile fit. Partes volatiles terram, aut sal secum subuehunt, ac nihil præter fæces in fundo vasis relinquunt. Stulti vero eam rationem capere nequeunt, nec animaduertere 2 similia coniungi non posse sine medio, qui spiritus est. Spiritus est extreme calidus & siccus: Mercuri⁹ & Luna in exterioribus frigida & humida sunt. Cum vero iam spiritus proportione his apponitur, frigus vtriusq; horū calefacit suo

Vt generatio fiat cōtrarium adesse debet.

Quid spirit⁹ efficiat corpori & animæ adiunctus.

ſuo calore, ac ſua ſiccitate humiditatem temperat, ita vt per ipſum alterum ingrediantur: ac ſpiritus fit vnum cum vtriſq; corpus: atq; etiam his addi debet proportione. Si enim nimium ſpiritus eſſet, vt nimis calida aut ſicca efficeret, generatio etiam non fieret. Nam intus calida ac ſicca ſunt: ac ſi etiam extra calida ac ſicca efficerentur, vtraq; ruber puluis fierent, in morem terræ quæ humiditate exuta eſt. Ac ſi nimis magnū ignem adhiberes, etiam corruptum eſſet. Etiam dilecte hoc pacto regere debes, vt quiete interſe quieſcere abſq; ſeparatione poſſint: ita vt in ſe inuicem ingredi poſſint, quieſcendo abſq; ſeparatione. Ignem non magis augebis quam vt digitū Aue Maria ſpatio durare poſſis. Si Alchemiſtæ hanc rationē funditus intelligerent, omnia eorum opera ſine obſtaculo procederent; ſiue amalgamationes, fixationes, multiplicationes, aut in lapide aut alijs medicinis, omnia bonum ſucceſſum haberent, ſine magno labore, ac ſine magno ſumptu. Iſtud memoriæ imprime, ac ſæpe perlege, ac quodq; verbum funditus intellige, ante quam vlla opera incipias, ita nec errabis, nec falleris.

De Sulphuribus.
CAP. CXXXVIII.

NVnc tenebit dilectus meus loco magni ſecreti, tam multa eſſe Sulphura quam metalla. Ac quodq; prout mundum, ac purum eſt, etiam metalla pura ſunt. Ita fit, vt plumbum, ferrum, cuprum tam immunda ſint: nam eorum ſulphura immunda, pinguia, ac fœtida ſunt. Quare immunda, æruginoſa, nigra, fœtentia, ac plena ſulphuris ſunt combuſtibilis. Ac ſcies in omni re eſſe ignem combuſtibilem, vt pluribus in locis dictum eſt, atque is corrumpit omnes res quæ in rerum natura ſunt. Nam cuicunque pinguedo combuſtibilis ineſt, id imperfectum eſt, ac cito perire debet, ac in nihilum redigi. Spiritus enim in eo diutius requieſcere nequit: locum enim mundum ibi non reperit, in quo requieſcere poſſit. Quare metalla immūda imperfecta ſunt: nam in ijs tam eſt ſulphur combuſtibile aut oleum, quam in omnibus creſcentibus, ſiue in vegetabili, ſiue in animali. Imo in Luna eſt ſulphur combuſtibile, aut oleum. Idcirco nullum cæmentum tenet, nec colores, nec antimonium: Id facit ſulphur combuſtibile, aut oleum, quod ei ineſt. Ac tū Luna repurgata eſt à ſuo ſulphure

Tam multa ſulphura ſunt quā metalla.

com-

combustibili, Luna fixa est, colores tenet, ac cæmentum patitur, ac per antimonium transit, atq; est albus Sol. Item Sol in se nullum sulphur cõbustibile habet, ideo fixus ac purus est, ac omnes probas transit. Itaq; sciet dilectus meus, vbicunque sulphur combustibile est, spiritũ requiescere non posse. Quare errant omnes qui sulphure cõbustibili operantur. Ideo Morienus inquit: Nostrum sulphur vulgare sulphur non est: nostrum sulphur incombustibile ac mundum est.

Morien.

CAP. CXXXIX.

Multa genera sulphurum.

Scies esse multa genera sulphurum, vt sulphur commune, ex quo puluis tormentarius conficitur, id ad opus nostrum prorsus inutile est, ob odorem eius, ac redundantem pinguedinem: tamen in eo nobilis est spiritus nostro operi prorsus vtilis, sed is arte ex eo esset educendus, vt sublimatione, per ea quæ infra dicentur. Est præterea & aliud sulphur multum olei combustibilis in se habens, ac auripigmẽtum dicitur: estq; melius priore. Hoc vero in se nobilẽ habet spiritum, qui itidem sublimatione extrahendus foret. Est & aliud, estq; melius illis duobus, ac arsenicum rubrum vocatur, ac habet itidem in se spiritum valde nobilem. Est item etiam aliud sulphur, ac arsenicum album dicitur: estq; optimum omnium nostrorũ operum: verum etiam melius sublimatione mundificandum est, vt postea docebitur.

CAP. CXL.

Omnib. à Deo creatis sulphur inest.

Nihil porro est à Deo conditum quin ei sulphur insit, in quo sulphure nobilis est spiritus, qui seruit in animali aut vegetabili, vbi ex oleo cõbustibili aut igni eductus fuerit. Ac sine eo spiritu nullus lapis vegetabilis aut animalis perfici potest, nec opus vllum. Ita sulphura nosse disces. Nam si sulphur accipis crudum, ac cõbustibilitatem in se habens, opus tuum corrumpet. Aut si sumis in tuis operibus albis rubrum spiritum ex auripigmẽto venientem, aut ex rubro croceo arsenico, opus tuum corrumperes. Ac si etiam sumis in opere tuo rubro album spiritum ex arsenico albo profectum, aut ex lapide calaminari, aut ex vitriolo albo, quę omnia sulphur album in se habent, etiam opus tuum corrumpes. Ideo Geber ait: Ne permisceas rubrum spiritum cum albo corpore alioqui combures, ac nimis feruens efficies. Ac si misces spiritum album cum rubro corpore, omne vastabis. Ideo prudens ac circumspectus esto. Ac porro cum lapidem parare vis, aut

vllas

vllas fixationes, aut multiplicationes, vt saltem spiritus tuos, cuius sint generis cognoscas. Itaque omnes illi errant qui arcana Philosophorum non intelligunt.

Alia mixtio ad fixandum & multiplicandum.

CAP. CLI.

Recipe 6. partes corporis, animæ & spiritus singulorum partem 1 Ratio hæc est: Luna non est fixa, ac multum Mercurij in se habet, qui vnum est corpus cum corpore Lunæ: ac vnum corpus non libenter separatur. quamvis super testam purgatur, apud ipsam manet. Sed in cæmento aut antimonio ibi euolat cum antimonio, qui spiritus est, ac vrendo corpus Lunæ in nihilum redigit. Quare nimium de spiritu sumunt, ac vnam partem animæ, quæ Mercurius est, atq; 1. partem spiritus. Ac parum est, quod volatile sit. Nam simulatque Mercurius ad Lunam accedit, Mercurius qui in Luna est, se miscet cum Mercurio qui nunquã corpus fuit. Ac inter se permiscẽtur: ac spiritus qui inter hæc 3. mediator est i. inter Mercurium ac corpus Lunæ, sese cum illis permiscet. Si iam multum Mercurij ac spiritus ad Lunam adductum esset: ac ea se simul miscerent, atq; igni admouerentur, simul auolarent: ac secum optimam partem corporis raperent, ac nihil pter fęces relinquerẽt. Ideo 6. partes Lunæ sume & animæ & spiritus singulorum partem vnã, vt corpus forte sit, ac animam & corp⁹ in se fugat. Idcirco Danthynus Philosophus ait: Cum corpus animam & spiritum secũ, aut in se trahit, exulta: nam opus tuũ ad optatum finem perueniet. Sed cum anima, & spiritus corpus trahunt, nihil præter cineres retines. Nam cum Mercurius Lunæ tuæ apponitur, ambo illi iam dicti Mercurij cõgregantur, atq; vnum fiunt. Tum venit spiritus, qui mediator est, inter duos Mercurios & corpus, ac miscet se cum illis tribus, vt prius, Mercurius Lunæ vnum corpus fuit, ac iam congregatus est cum Mercurio qui nunquam corpus fuit. Atque hoc illud est, quod Hermes ait: Cum Mercurius corpus est, porro corporat: cum solutus est, porro soluit: cũ fixus est, porro fixat. Quare Mercurius Lunę pertrahit ad suam naturam Mercuriũ qui ei apponitur ac crudus est, nunquam enim corpus fuit. Luna ex eo corpus efficit. Tum accedit spiritus, ac miscet se-

Ratio pro portionis.

Danthynus.

Hermes.

ſe cum duobus ſui ſimilibus, ac cum corpore: eſtque medium inter animam & corpus, ac ſimul retinet, ita vt vnum cum altero fixetur. Ac Luna fixa euadit, quod Natura operari nequit, ad tale enim opus non præparatur. Quare hic ars naturam ſuperat. Sed ſi Natura ad tale opus præpararetur: artē ſuperaret diuturnitate temporis. Verum ars breui tempore operatur, quod Natura minime poteſt. Quare duo diſſimilia congregari non poſſunt, ſine medio. A primo enim gradu ad tertium peruenire non potes, niſi ſecundo præterito, qui medium inter primum ac tertium eſt. Atque hoc ſtulti intelligere nequeunt. Quomodo rem durā mollem reddes, atq; è ſua natura perduces in aliam naturam? Id per mediū fieri debet. Vt aliquid quod durum ſit ſoluere in aquam, fieri debet per frigidam humiditatem: ac rem frigidam humidam efficere duram per calidā ac frigidam ſiccitatē fieri debet. Scies porro quomodo ſpiritus tuos aut ſulphura, animam tuam aut Mercurium, corpus tuum ac tuam aquam ſiccam, ad opus tuum præparabis.

Duo diſſimilia con iungi non poſſunt ſine medio.

CAP. CXLII.

Recipe principio Mercurium vt ex fodinis venit, ac non adulteratus eſt, ac quem ad album operari vis, atq; ipſum ſublima per hæc infra ſcripta. Recipe primum lapidem calaminarem, alumen rupeum, vitriolum album, ouorum cortices, calcem ana ſingulorum libram 1 Salis marini lib. 2. ſimul inter ſe contunde. Tum ℞. Mercurij ℔ 2. ac ſimul ſuper lapidē contere cum ſalis marini aqua tenuiſſime. Tum vaſi terreo inde; ac alembico ſuperimpoſito, pone ſuper fornacem ſublimatoriam receptaculo addito ſimul bene ſolide claudente ac lutato. Ac pone ſublimandum primum igni puſillo, ac deinde magis magiſque aucto, vti decet, auctiore ad horas 12. Ac 12. horis exactis, paulatim materiam tuam candefacito, atque ita retine ad horas 4: omniſque aquoſitas in receptaculum tranſibit, ac Mercurius tuus in alembicum ſublimabitur: ac maiore ex parte viuus aſcendet. Exime ac denuo cum materia recenti contere, ac cum aqua illa quæ in receptaculum deſtillauit. Atque ipſum iterum ſublimandū pone modis omnibus, vt prius factum eſt. Atque iſtam ſublimationē itera, donec omnis Mercurius mortuus fuerit: ac 4. lothones in tuo pondere viceris. Tum Mercurius tuus paratus eſt, ad tuum opus album: ſerua ipſum donec eo vſus erit.

Vulgo alumen de rocca.

Mercuriꝰ paratus.

CAP.

CAP. CXLIII.

RECipe iam Arſenici albi vt ex mineris venit libras 2. ac contunde in puluerem, ac contere in puluerem, ſuper lapide cum ſimili materia, ac pondere, vt de Mercurio dictũ eſt. Ac ſublima per ſe, donec itidem 4. lothones viceris. Nam omnes albæ materiæ iam dictæ habent ſulphur album. Item porro aquam tuam ſiccam para eodem modo, ac pondere, donec itidem 4. lothones lucrifeceris ſuper duas libras, vt de Mercurio ac Arſenico doctum eſt: Tum recipe ſal armoniacum quale Venetijs adfertur, clárum ac pellucidum arte ex operibus animalibus effectum, ac ſerua in vſum. Præterea corpus tuum præparabis in hunc modum.

Præparatio.

CAP. CXLIV.

RECipe Lunam cupellatam admodum ſicce purgatam, ac tum etiamnum in crucibulum à plumbo reflatam: ac tũ in laminas contuſam, ac tum cæmentatam cum ſale cõmuni ſtratum ſuper ſtratum, ac lutatam ac tum calcinatã, ſicuti noſti: primum igni puſillo, deinde aliquanto auctiore, vt crucibul⁹ rubeſcat, ita vt Luna nõ liqueſcat. Ac ita relinque ad horas 24. in vno candore, aut calore. Tum crucibulum aperi, ac ſal a laminis tuis ablue, donec tota munda ac pura ſit. Ac laminas tuas ſuper lapide contere, ac laua, vti conuenit. Tum Lunam tuam denuo in corpus reducito, ac rurſum laminas, vt prius effice, ac cæmenta vt prius. Idq; facito, atque itera tamdiu donec Luna tua munda, ac clara ex cæmento prodeat: Ita vt aqua ſuperfuſa munda ac clara inde defluat, ſicuti infuſa fuerat. Tum ſepone, donec ea tibi opus erit. Regimen ignis.

CAP. CXLV.

NVnc te docui Lunam tuam, Mercurium, arſenicum, ac ſal armoniacum præparare, ad lapidem album, aut fixationẽ. Scies, mi dilecte, ſi quas fixationes velis ponere, te debere oẽs iſtas materias præparare, ac ponere iiſdẽ ponderibus, vt prius, ac fixabis ſemel: ac vna fixatione facta; ſemper Mercuriũ viuũ apponere debes, ac denuo fixabis ſemper breui tempore, eximens & imponens. Sed ſi ſemper Mercurium apponeres, nec quicquam eximeres, fixatio tua fuſilis fieret vt cera, ac medicina: ac faceret proiectionẽ ſuper Mercurium, vitã habentem, vt in proiectione dictũ eſt, ac poſt docebitur.

Ad rubeum.

CAP. CXLVI

Recipe salis communis partem vnam, vitrioli Romani partem 1. ac 3. partes tegularum, ea inter se contunde, ac lamina Solem tuum tam tenuem quam ducati aut coronati sunt, ac cæmenta stratum super stratum, vti nosti, horas 24. vti conuenit cæmentare. Hoc quater itera, semper per cæmentum recens:tum reducito, ac subtiliter lima, ac contere super lapide impalpabiliter, cum melle aut gummi, ac ablue tantummodo munde & clare: idque ad opus tuum serua. Tum ℞. 2. libras boni Mercurij, atque in hunc modum sublima. ℞. salis communis partem 1. aut ℔ 1. vitrioli Romani ℔ 2. contunde & sicca simul, vt puluerescant. Tum misce, ac super lapide contere cum Mercurio illo cum aceto destillato tenuissime. Tū vasi inde terreo, vt in albo docetur, ac omnis humiditas in receptaculum destillabit: ac Mercurius sursum sublimabitur in alembicum in morem niuis candidus: ac in se spiritum vitrioli habebit, & salis. Tum denuo cōtere bis, tantum recentis materiæ sumens, cum aqua quæ in receptaculum destillauit: Idque denuo sublima. Hoc facito ac iterato septem aut octo vicibus, identidem per recentem materiam: aut donec in quamque libram 2. lothones lucrifeceris, vt prius. Tū sume 2 ℔. arsenici rubri, vt ex mineris prodit, ac sublima ipsum vt hic de Mercurio docetur. Tū accipe 2. libras salis armoniaci, aut aquæ tua siccæ, ac itidem sublima, vt de Mercurio doctum est, ac serua. Iam te præparare docui omne, quod tibi ad opus tuum necessarium est.

CAP. CXLVII.

Modus cō iungendi animam, corpus ac spiritum.

Nunc docere volumus quomodo, & qua ratione, animam corpus ac spiritum simul coniungemus, vt in se inuicē ingrediantur. Nam contrariorum congregatio esse non potest, vt simul maneant sine medio, de quo supra doctum est aliquid, & post aliquid docebitur, cum de herbis in vegetabili sermo erit.

CAP. CXLVIII.

Exemplū tinctorū.

Cape exemplum à tinctoribus qui pannos tingunt. Habent rubram, ac pannum quem rubra imbutum cuperent, ac habēt alumen. Pannus corpus est, rubra anima ac alumen spiritus, qui intermedius est inter vtrumque. Nam si alu-

si alumen non accederet, rubra in pannum non ingrederetur, ac fixa maneret: Inuisibiliter auolaret, ac pannus pallesceret. Nam color rubræ spiritus est, alumē vtriusq; particeps est, adeo vt congregata alterum in alterum ingrediantur. Aut aquā nubium habere debes in qua hęc 3. omnia bulliat, cumq; bulliendo alterum in alterum ingressum est, ac probe congregata sunt: pannus siccādus suspenditur, atq; aqua recedit, ac color fixus in pāno remanet. Ita se res cum nostro lapide habet. Quamvis corpora rite præparauimus, & animam, & spiritum: nisi in se inuicem ingrediantur, neq; iam neque vllo vnquam tempore simul manebunt sine medio aquæ.

CAP. CXLIX.

ITem iam dilecte vbi nam nunc aquam illam reperiemus? Nam Geber ait: Aqua nostra non est aqua nubiū. Aristoteles inquit: Aqua nostra est aqua sicca. Hermes ait: Aqua nostra ex sordida ac fœtida menstruali materia colligitur. Danthynus dicit: Aqua nostra inuenitur in veteribus stabulis & latrinis ac fœtidis cloacis. Ac Morienus: Aqua nostra crescit in montibus ac vallibus. Ac stolidi verba ista non intelligunt: ac putant Mercurium esse: Non est Mercurius, est aqua sicca, q ingredi facit ac congregare omnes spiritus minerales, animam & corpus. Atq; vbi ea congregauit, recedit ab illis, ac fixa simul manere finit. Atque hæc aqua reperitur in omnibus rebus quæ in mundo sunt. Nam nisi hæc aqua esset, frustra lapidē efficere niteremur. Nā quo pacto efficeremus vt nostræ materiæ præparatæ alia in aliam ingrederetur? Quemadmodum Pharmacopolæ herbas suas simul congregant. Atq; eodem modo facere debemus, siue in vegetabili, aut animali, aut minerali, ad opus perfectum faciendum, aut quintam essentiam, ex rebus singulis distinctis aquam siccam habere debemus. Itaq; in rebus omnibus aqua sicca inest, vt seipsæ perfectas efficiant. Ideo Galenus ait: res omnes suam propriam habent medicinā ad lapidē conficiendum, siue in minerali, animali aut vegetabili, absq; vllarū rerū peregrinarū additione. Quare cum lapidē conficere volumus, aut vllā fixationē, coniunctionem illam aqua nostra sicca facere debemus, sicuti de tinctore & Pharmacopola dictum est. Ideo fit, mi dilecte, vt tā multi in errores incidant, q naturam non intelligant, nec sequantur. Idcirco tibi de tinctore & Pharmacopola mentionem feci: vt per eam rationem rudem naturam intelligas, vt tua

Geber. Aristoteles. Hermes. Danthynus. Morienus.

Rebus omnibus aqua sicca inest. Galenus.

tua ipsius mente capias, nullam coniunctionem absq; medio fieri posse. Quare omnia opera quæ supra habētur, ꝓba sunt. Sed duo illa ibi non nominantur spiritus videlicet atq; aqua sicca, pondera, ac congregatio, in quibus ars nostra tota consistit. Quare te adiuro, vt secretū istud nunquam patefacias, nam huic omnis ars quæ in orbe sit, inclusa est, ad breui tempore ac exiguo labore opus perfectum faciendum.

Coniunctio albi operis.

CAP. CL.


Recipe 6. partes tuæ Lunæ præparatæ, atq; spiritus tui sublimati & animæ, singulorum partem vnam, ac aquæ tuæ siccæ partē dimidiam. Hoc ita intelligendū est 18. lothones Lunæ, Mercurij, Arsenici, singulorū lothones 3. salis armoniaci lothonem cum dimidio: faciunt simul 25. lothones $\frac{1}{2}$. Hęc omnia dilecte simul sicce miscebis super lapide, ac paterae vitreæ indes, ac cauebis ne qua humiditas aeris accedat. Præstaret in stupha sicca fieri. Tum habebis, dilecte aquam vitæ probe à phlegmate liberatam, vt nullum sal armoniacū puluerizatū in ea solui velit, ac cum ea materiā tuā tenuissime super lapide contere. Ac munias te aduersus aerē, nocere tibi posset. Atq; vbi contritū fuerit, inde eiusmodi vitro Venetico, ac operi vitro quod illi quadret:

Aqua vitę probe à phlegmate liberata.



Regimen ignis.

ac firmiter luto bono obducito; tum in fornace secreta pōnito, aut tripode, atq; ignem adde tantummodo eo tepore quo est halitus hominis 25, annos nati. Atq; hoc pacto relinque ad dies 16. ea ci⁹ putrefactio est. Tū ex fornace remoue, ac ad stupham siccam accede, eam eo calore accende quo Sol in Ariete splendet, ac ollam in ea pone patentem: atque ita positam relinque ad dies 3 Ac tribus diebus, spiritus syluestres pingues ex materia extrahentur, tum denuo operculum ollæ impone absq; lutatione: ac pone rursum in tripode aut fornace, in qua vna lampade accendi posfit. Ac talem calorē adde, vt exterius manus tuæ durare possis ad vas in quo opus est, sine combustione. Atq; ita positum relinque 21. dies. Tum vide numquid sursum sublimatum sit, nec ne. Si quid est sursum sublimatum, infra absterge, ac misce eiusmodi spathula lignea inter se. Ac si quid sublimatum est, persequere



eundem

eundem calorem etiamnum ad dies 6. aut 8. donec videas, eo calore nihil amplius sursum sublimare. Cumque non amplius sursum sublimat, ignem auge aliquantulum singulis octo diebus, donec materia tua fixa sit. Tum ignem vehementem adhibe. Ac sal armoniacum sublimando deme, ac pondera. Si iustum tuum pondus habes, quemadmodum primum apponebas, nec amplius, materia tua fixa est. At si amplius reperis quam initio apponebas: materia nondum fixa est. Misce iterum cum materia, ac adde ignem procedendo, donec fixa sit. Tum sublimando denuo aquam tuam, subtrahe siccam, ac materiam tuam exime, ac pondera an omne pondus tuum habeas. Ac si rum inde medicinam facere vis, dimidium tantum Mercurij viui adde, quam materia grauis est, atq; etiam dimidium tantum aquæ siccæ: videlicet vbi 2. partes fuerant, etiam vnam adde, eæ efficiunt 3. ac simul super lapide contere cum aqua vitæ, vt prius dictum est: ac rursum ollæ vitreæ inde, omnibus modis, vt supra, donec materia tua fixa sit. Ac denuo aquam tuam siccam sublimando subtrahe, ac materiā tuam pondera. Ac sume dimidium tantum Mercurij, quam materia tua grauis est, ac 5. lothones aquæ tuæ siccæ: contere denuo super lapide cum aquæ vitæ, vt prius. Ac facito vt prius, donec materia tua fixa sit. Sublimatione denuo aquam tuam siccam subtrahe, ac tertio materiam tuam pondera: ac dimidium Mercurij viui accipe: & 6. lothones aquæ siccæ: misce & contere cum aqua vitæ, atque facito vt prius, donec materia tua fixa sit. Ac fit fusibilis vt cera, antequam omnino fixa fiat. Ac tum non amplius aquam tuam siccam sublimatione subtrahere potes. Nam cum lapis in aliquem magnum calorem deuenit, liquescit, ac in se aquam illam includit, vt amplius subuolare nequeat. Tamen aqua illa sicca fixa non est, nec fixari potest. Atq; ita medicinā partim fixam, partim nō fixam esse oportet. Sed ignorantes id intelligere nequeunt. Semper nituntur materiā suam fixā reddere. Cumq; iam fixam habēt, æque ac prius profecerunt: cū enim iam proiectionē facerēt, nihil proficiebant. Ac omnis eorum opera perierat: verba enim Philosophorum nō intelligebant. Opus omittebant, vbi de integro erat incipiendum: vt supra demonstratum est. Nūc igitur postquā dilecte medicinam tuam fusibilē effecisti, medicinam tuam vitreo crucibulo ex vitro Venetico conflato indes, ac liquefacies. Ac medicina tua iam liquefacta: lapis est clarus

Ignis vehemēs adhibēdus.

clarus, albus & pellucidus in morem cryſtalli, in ſe retinens aquam illam ſiccam quæ fixa non eſt, ac ita eſſe debet. Nam ſi aquam illam ſiccam in ſe non haberet, proiectionem non faceret. Nam cum proijceretur ſuper Merc. viuum factũ, aut ſuper mortua, immunda, impura metalla etiam viuificata, proiectionem nullã faceret. Nam nihil eſſet quod medicinã aut Mercur. congregaret, ſicuti ante de tinctore & pharmacopola oſtenſum eſt. Itaq; dilecte, aqua ſicca in lapide non fixa, ac volatilis eſſe debet, ſi proiectio ſit futura.

Aqua ſicca in lapide non fixa ac volatilis eſſe debet.

CAP. CLI.

Quid efficiat aqua ſicca.

SCies mi dilecte, cum proiectionem facis aqua illa in lapide eſt, ac cum lapis liqueſcere incipit ſuper Mercur. aut ſuper metalla immunda, tum aqua illa ſicca medicinam & metalla in vnum contrahit, ac vt alterum in alterum ingrediatur efficit. Ac cum ea coniunxit, avolat in fluxione. Nã in pṙectione medicina cum Mercurio aut metallis impuris fluere debet, in quæ proiectio fit. Ac tum opus perfectum eſt. Quid cenſes dilecte? Nonne magnum ſecretum eſt cunctis hominibus abſconditum? Scies porro opus ad rubrum idẽ eſſe cum albo, quoad opificium: niſi quod fornax, ac pondera, ac tempus aliquanto longius ſit. Ac qui alias vias quærit ad lapidem mineralem conficiendum, errabit. Multæ ac variæ ſunt viæ, ſed firmæ non ſunt, multa vitia in eas incidunt. Tamen hic modus adeſſe debet, vt opus perfectum euadat,

Modus fixandi & multiplicandi.

CAP. CLII.

FIxationem facito vt prius, atq; ex vaſe exime, ac pondera. Eſt exempli gratia libra tuæ materiæ fixæ: ſume itaq; libram 1. tuæ Lunæ calcinatæ, vt prius, facit 2. libras. Tum ſume ℔ 1. Mercurij calcinati, vt prius, facit 3. ℔. His adde 3. lothones aquæ ſiccæ ſublimatæ, vt prius: ac ſimul tere ſuper lapide cum aqua vitæ. Ac facito modis omnibus, vt prius doctũ eſt, donec materia tua fixa ſit. Tum ſublimando aquam tuam ſiccam ſubtrahe, ac pondera materiam tuam. Si tum 3. ℔ fixi habes: ſume denuo 3. ℔ Lunæ tuæ iam dictæ, & 2. lib. tui Mercurij prædicti. Facit 8. lib. ſimul. Tum ſume 8. lib. aquæ tuæ ſiccæ iam dictæ, ac congrega, ac fixa vt prius. Tum aquam tuã ſiccam ſublimando ſubtrahe denuo. Tum 8. lib. materiæ fixæ habes. Item ſi 4 lib. demere vis, licet: Habes album Solem, ac

facere aquam rubram, ac tingere, ac commodnm ea facere: Ac ex alijs 4. lib. medicinam facere, modis omnibus, vt prius doctum est. Sed in duobus vitris pone, in singulis 2. ℔. Nam si in vno vitro poneres, materia nimis magna esset: nam aquam paradisi ei addis. Ac si ex 8. lib. omnibus medicinam facere voles, in quatuor vitris pone, ac medicinam para, vt ante doctũ est. Ac scies, te in singulas libras quas congregabis additurum libram vnam aquæ siccæ.

Aqua Rubificans.

CAP. CLIII.

Recipe crocum Martis, antimonium, vt ex minetis venit, arsenicum rubrum singulorum vnam libram, auripigmẽti lib. I. vitrioli Romani 3. Salnitri, quantũ est pondus reliquorum omnium. Contunde omnia simul, & sicca vt puluerent. Ac libram I. Salis armoniaci immisce. Cumq; probe permistum fuerit, inde vasi terreo, quod ignem facile ferre possit, nec intus vitrificatum sit. Ei alembicum superimpone, ac firmiter luta super id, ac compresse, pone super fornace, receptaculo addito, atque aquam fortem, vt oportet, destilla: primum igni pusillo, ac semper ipsum augendo. Ac tibi aqua alba destillabit, quæ vbi destillarit, alembicus rubere incipiet, aut croceus fieri. Tum receptaculum cito aufer, ac aliud adde: ac solide luto operi: ac ignem tuum auge, donec spiritus albus transeat, is est sal armoniacum, quod vltimum omnium transit ac tamdiu ignem strue, donec alembicus omnino lucidus fiat. Cum iam ruber spiritus transit, nihil cum eo transit. Ac simulatque transierit, spiritus atque aqua simul transeunt. Tum alembicus intus albus fit, quasi niue plenus esset. Ac tum ignem strue tamdiu, donec spiritus ac aqua exhalatione per rostrum educta sunt: quemadmodum homo vi halitum exhalat: ita spiritus ac aqua sicca per fistulam expirat alembici, in receptaculum, ac ignem augent. Cumque spiritus & aqua sicca transiere; alẽbicus fit mũdus, clarus & albus, ac pellucidus. Tum sinas frigefieri, ac remoue ab igni, atque aquam vitro inde: ac arcte obtura. Ac sume caput mortuum, ac tenuissime in puluerem contunde, ac in aqua munda clara pone ad horas 2. sine subsidere, ac clarum superne diffunde: ac denuo aquam mundam claram superfunde, vt prius. Ac

Regimen ignis. Aqua alba.

Similitudo hominis halitũ exhalantis.

Ac sine etiamnum per horam bulliat, vt prius. Tum sine denuo subsidere, ac rursum priori adde. Tum fæces abiice. Atq; id quod effudisti euapora: ac puluis croceus tibi remanebit, eum pondera, ac tum tantundem salnitri adde, ac inter se misce, ac ollæ vitreæ inde: atque aquam tuam destillatam superfunde, ac alembicum superimpone, ac solide luro operi, ac pone super fornacem, receptaculo addito, ac per dies 3. super fornacem relinquito, antequam ignem subijcias. Tum ignem tuum accende, ac primum igni pusillo destilla, ac post interdum auctiore, donec spiritus albus transierit. Tum desine, atque aquam rubram habes interdiu ac noctu lucentem, quæ Lunam fixam soluit, sicuti Luna solui solet, ac tincturam assumet perinde ac Sol mundissimus, qui vnquam visus sit: imo omnia metalla alba colore Solis tingit.

Aqua rubra interdiu ac noctu lucẽs.



FINIS.



IN LIBRVM DE LAPIDIS PHYSICI CONDITIONIBVS PRÆFATIO.

In qua diuersi ac varij artificum labores recensentur, & Auctoris intentio declaratur.

QVICVNQVE Chemiæ operam dant, scopum quidem omnes vnum sibi proponunt, hydrargyrum aut metalla vilia & impura in aurum argentumve conuertendi, sed vt id assequantur varias ineunt vias, & diuersam fere ab aliis singuli materiam assumunt. Hi enim in animalibus illam quærunt, & propterea è basiliscis, salamādris, viperis, bufonibus, aliisque venenatis eliciendam putant; eo quod Philosophi nonnunquam hæc nomina per similitudinem quandam Lapidi suo accomodarint. Adeo vesana auri fames hominum mentes inuasit, vt eius potiundi cupiditate vitam ipsam cuius prorogandæ conseruandæque gratia cuncta comparantur, negligant; vt non immerito exclamauerit Poeta quamvis alio respectu. Chemistarū varia studia. In animalibus artē supponētes.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Illi non tam periculose insanientes, nihilo tamen prudentiores ea quæ ex animalibus ortum habent scrutantur, & in ouis, sanguine, melle, lacte, crinibus, & quod dictu fœdum, spermate, menstruis, vrina, aliisque excrementis laborem suū frustra impendunt. Absit enim à Sapientia Dei gloriosi & sublimis, vt auri argentique semē, & thesaurū tam preciosum in vilibus huiuscemodi In animalium partibus, humoribus, & excrementis.

& abiectis præter naturæ ordinem absconderit. Non negauerim in quibusdam supradictorum pulcerrima latere Naturæ arcana, ad metallorum tamen metamorphosin inualida constanter affirmo, nisi in argentum viuum & sulphur quæ metallorum sunt principia prius redigantur; quod fieri non posse verisimile est. Quamvis enim mihi quidam ex sale vrinæ se minuta grana hydrargyro similia vasis lateribus adhærentia eduxisse asseruerint, speciem tamen quandam potius quam reuera argentum viuum fuisse credendum est, cum grana illa non instar Mercurii liquidi inter se coirent, nec alias eius proprietates referrent. Si autem lapidem physicum aut eius principia siue elementa his aut similibus vocibus quandoque nuncupauerint Philosophi, non abs re factum fuisse iudicandum. Nec enim his nominibus vsi fuere tantum, vt artem celarent, & imperitos indignosque secluderent, sed etiam vt doctiores prudentiorsque allicerent, & insitatarum vocum & rerum proprietatibus eandem docerent & aperte declararent.

Quare Philosophi variarum rerum vocabula lapidi accõmodarint.

In Vegetabilibus artem supponentes.

Alii vegetabilia præferenda existimant, & Philosophorum Lunariam, cum mercuriali, chelidoniaque & similibus solliciti peruestigant, montes, valles, sylnas, plana, decliuia, roscida & arida percurrunt, & cum omnia tentauerint, operam & impensam amisisse se conqueruntur: deinde ad diuersarum arborum gummi & lacrymas, resinasque conuertuntur, nec tamen in his etiam fructum laborum suorum quisquam inuenisse se lætatur. Quamvis enim supradicti possibilia præsupponant per naturam, tamen citius, *vt ait Geber*, præ labore deficientes vita excedent, quam vt incepta ad finem deducere valeant.

Tinctura auri p vini spiritũ

Quidam subtilius naturæ secreta rimantes, vini spiritum addito proprio sale quam potuerunt maxime subtiliarunt,

liarunt, & ad quintam quandam naturam deduxerunt, & cum eo auri colorem & tincturam elicientes non minimum arcanum nacti sunt ad deploratissimos morbos profligandos, coloremque naturalem fouendum, augendumque singulare remedium, in chrysopœia tamen parui momenti, nisi auri tincturam à vini spiritu segregatam proprio corpori albo in argentum viuum redacto, quod maxime probatur, aut saltem spiritibus aliorum corporum metallicorum variis sublimationũ modis expurgatis & subtiliatis quis coniungere, & tincturis sæpius repetitis, postea simul figere nouerit.

educta, quomodo ad transmutationem metallorum accommodanda.

Nonnulli animalia vegetabiliaque tanquam ab opere physico aliena damnantes, coralia, crystallum, gemmas, aut lapides lucidos, vel etiam obscuriores sed coloribus imbutos in metallorum mineris repertos, quos à fluendo Germani Flüsse / *metallici fluores vocant, quod igni calore facile liquescant, eligunt, hos putrefactionum modis quibusdam soluunt, solutos percolatione aut per lacinias depurant, depuratos iterum coagulare nituntur, & quandoque in lapillos crystallinos & visu iucundos concrescere vident: sed quoniam post eorum proiectionem super metalla, ingressum non habere deprehenduntur, eosdem labores reiterant, nec quenquam tamen eorum tantæ operæ pretium retulisse vnquam intelleximus, aut etiamnum vlla ratione referre posse iudicamus.*

In lapidibus, fluoribus & gemmis ártem ponentes.

Alii cum salibus, atramentis & aluminibus metallorum vilium immunditiem & sordes extrinsecus aduentitias omnino auferri posse crediderunt, & postea per decoctionem conuenientem in aurũ argentumque mutari: aut metalla puriora ad intensiorem coloris & tincturæ gradum per illorum admistionem & cæmenta promoueri, vt deinde exuberanti sua tinctura argentum viuum

In salibus, atramentis & aluminibus perfectionem inquirentes.

uum & impuriora metalla in argentum aurumve conuertant: vel vt non modice peculioso compendio æs ferrũve, aut etiam arg. viuum præcipitatum, vt vocant, horũ adminiculo auro inseparabiliter permisceant. Non inficias iuerim cum his alterationes quasdam, & forte etiam transmutationes, quibusdam adiunctis & simul cõpositis, fieri in metallis, iuuare etiam quandoque ad solutionem & mundificationem, nec non coloris augmentationem: opus tamen philosophicũ intrare vnione partium inseparabili, aut ex iis solis Elixir posse componi nego; quinimo talia opera laboriosa admodum & difficultatum plenissima semper cum Philosophis existimaui.

In marchasitis artem supponentes.

Qui vero in magnesia & tutia, præsertim vero in marchasitis operam impendunt, id commodi assequi videntur, vt quoniam metalla omnia & ipsum Elixir *ex sulphure & arg. viuo componi oporteat, non necesse habeant ea aliunde cum labore petere, quæ in horum intimis abunde & leui opera inueniuntur, sulphur enim in se habent purum, & insuper argentum viuum mortificatum, & mediocriter præparatum, vnde excusantur ab acceptione argenti viui vulgaris, & à labore mortificationis eiusdem, cum Mercurius necessario mortificandus sit & coagulandus, antequam Elixir fieri possit ad alia metalla transmutanda. Sed hos non minus falli quam supradictos, propter proportionem & mistionem elementorum in his à metallorum natura alienam, inferius ex naturæ principiis, vt spero docebimus.*

In spiritibus metallicis artem ponentes.

Quidam profundius naturæ penetralia scrutantes, putarunt in spiritibus mineralibus solis, argento viuo scilicet, sulphure & auripigmento vel arsenico perfectionem consistere: nec, omnino temere, aut inani coniectura. Cum enim necesse sit subtilissimæ & purissimæ substãtiæ ac celerrimæ liquefactionis esse rem quæ hydrargyro &

ro & metallis impuris adhæreat & formæ alterationem inducat, in nullis melius quam in ſpiritibus has Elixiris proprietates reperiri poſſe crediderunt. A terreſtreitate igitur, quæ ingreſſum impedit ac fœdum colorem dat, per ſublimationem eos mundant, ſic enim ſplendidores & magis peruii, ſubtilioresque multo redduntur, & facilius corporum denſitatem ſubintrant & penetrant. Duplex tamen incommodum in iis deprehenditur, quia videlicet non fixi, in examinatione à corporibus recedunt, firmiter enim & cum vtilitate iis adhærere non poſſunt ob naturæ ſuæ volatilitatem & fugam, imo quandoque corpora ſecum eleuant, & ſimul aufugiunt. Si vero figantur, in terream ſubſtantiam rediguntur, prout apparet in argenti viui fixione; quæ per præcipitationem peragitur: proinde ingreſſum non habent neque liquefactionem, niſi forte vitrificatoriam.

Quæ animaduertentes alii, vtilius in corporibus Elixiris materiam quærendam cenſent. Itaque impura metalla in calcem redigunt, vt ſulphureitatem aduſtiuam corrumpentem per ignem deleant; deinde denuo in corpus reducunt, idq; multoties reiterant, tandem corpora iuxta intentionem ſuā ſic purgata igne ſolo ad ſummum perfectionis gradum deducere, aut imperfecta cum perfectis iungendo ſimul perficere conantur. Sed cum nō ſufficiat philoſophis auri vel argenti fruſtum facere, ſed potius Elixir quærant, quod ipſo auro & argento decuplo, centuplo, aut millecuplo ſit perfectius, videntur merito hi labores tanquam parum vtiles fugiendi & reiiciendi. In metallis ignobilibus artem ſtatuentes.

Quocirca prudentiores nonnulli videntes corpora imperfecta in radice ſua immunda, nec facile niſi per medicinam extrinſecus aduentitiā purgari, quæ ſuperfluitates illorum tollat, argentumq; viuum eorundem conſolidet & figat, in perfectioribus corporibus eandē perquirendam In metallis perfectis art. ſtatuentium opinio.

rendam merito existimauerunt. Sed cum nulla fiat generatio nisi post corruptionem, hæc autem corrumpi difficilimum sit, propter fortem ipsorum compositionem & difficiliorem resolutionem, argentum viuum ipsis homogenium pro ratione asciscendum censuerunt, quo crebris digestionum sublimationumque modis corpora perfecta ita subtiliarunt, & in vegetabilem quodammodo, vt putant, naturam deduxerunt, vt non solum in arborem auream argenteamve in cucurbita excrescerent, sed etiam aliud argentum viuum in sui naturam perpetua augmentatione seu fermentatione conuerterent & coagularent stupendo sane naturæ miraculo; si postea debitè ea fixare, fixis ingressum, & facilem fusionem cum alteratione inuariabili conciliare nouerint.

Alia operantium opinio.

Sunt tamen qui supradicto secreto non contenti cum sibi persuadere non possint, duo in opere naturæ extrema, prout est argentum viuum in vna parte, & in alia metallum perfectissimum rite coniungi aut simul manere & tingere posse, dispositionem quandam mediam inter mollitiem argenti viui & duritiem metalli inquisiuerunt, quæ sit causa coniunctionis horum duorum: Istud autem medium dixerunt sulphur naturæ, quod crebris imbibitionibus Mercurio è corporib. perfectioribus educto turgidum, & per sublimationem philosophicam à terrea fæculentia segregatum & mundum, corpus perfectum tanquam sibi simile ob puritatem facile amplecti & sic fixũ & proprio Mercurio sæpius imbutum, ad Elixiris *complementum perduci posse sperant.*

In auri spiritu artem statuentes.

Quidam secretiorem indagationem moliti, & videntes auri puriorem partem crassiore impurioreque abiecta, quam nonnulli verum auri semen, auri spiritum, vel auri sulphur appellant tanta virtute pollere, vt hydrargyro ad ignem feruenti superiectũ ipsum in aurum permutare,

tare, valeat, ita tamen vt quantitatem corporis à quo detracta sit non superet, eam ipsam spiritu metallico amplius subtiliare & ad naturam magis spirituale deducere conantur, vt non decem, viginti aut triginta pondera argenti viui, aut imperfectorũ metallorũ, vt prius, sed mille & amplius, imo infinita in aurum verum transmutet.

Alii aurum recens è mineris excisum, necdumq; ignẽ expertum & cuius spiritus nondum exhaustus sit, vt opinantur, ideoq; spirituosum vocant, in opere præferunt, & argento viuo iunctum magis attenuare, & postea simul figere conantur. Sed quia Philosophi constanter affirmãt lapidem omni loco & regione fieri posse, & vbique inueniri, videtur hæc scrupulosa nimium inquisitio. Aurũ spirituosum quærentes.

Atq; hæc sunt Chemistarum diuersa opera generatim mihi enumerata, quibus medicinam tam corpora humana quã metallica infirma & corrupta curantem, & naturæ defectum supplentem componere nituntur; quæ præmittenda huic nostro tractatui iudicaui. Neq; est animus singillatim omnia complecti, cum id fieri non possit: vnum enim quamvis sit opus legitimum, & à philosophis descriptum, errores tamen artificum à tramite recto deuiantium in infinitum extendũtur, quoniam innumera est materiarum miscibilium, quemadmodum & proportionum, diuersitas. Et quantumvis quis in conuenienti materia operã collocet, tamen ex superabundantia vel diminutione etiamnum peccare, & labi facile potest, in quibus tamen possibilis est per doctrinã & philosophicorum librorum inuestigationem correctio. Si quis vero speciatim magis operantium varios labores cognoscere desideret, scribentium de hac arte libros euoluat, qui errores suos & aliorum scriptis mandarunt, & forte damnatos ab aliis labores se quoq; sequutum, & pedem ad eundem lapidẽ offendisse dolebit: nec minus quandoq; erroris Errores operantiũ infiniti propter rerum & proportionum diuersitatem.

Auctoris intentio. *roris causam deprehendisse lætabitur. Generaliter igitur de supponentibus artem in animalibus, vegetabilibus, mediis mineralbus, spiritibus, corporibus metallicis, aut mistione vtrorumque loquutum esse sufficiat, vt videlicet tamquam ad Capita vniuersalia singula Chemistarum opera relegari & examinari possint. Decreui enim hoc libello septem Medicinæ siue lapidis physici proprietates à Gebro, Cap. 2. libri de Inuentione perfectionis accuratissime traditas, & in opere omnino requisitas, totidem Capitibus prosequi, easque adductis philosophorum huius artis auctoritatibus pro ingenii mediocritate explicare, & artificum varios labores cum opere physico conferre, vt quilibet veritatis studiosus in errorem non sponte prolapsus tanquam ad normam aliquam opus suum dirigere, & peccatum corrigere poßit. Cum enim hæc ars obscure admodum à veteribus tradita sit, nec absque ratione, ita vt vix humanus intellectus nisi diuinitus illustratus ad eam pertingere possit, fit insuper vt plures obliquis & deuiis tramitibus insistentes à recta semita aberrent, siue impostorum & Sophistarum fraude & speciosis verbis argumentisque Sophisticis illusi, seu chartis & schedis nebulonum & Sycophantarum auaritia & dolo confictis seducti, vel quod Philosophorum libris ad literam & superficie tenus intellectis, & sententiis paucis ac verbis quibusdam à vero Auctorum sensu perperam & violenter detortis, & suis intentionibus ac phãtasiis applicitis contenti, verum nucleum qui sub duro putamine sæpius latet eruere, aut auctores auctoribus cõferre, & eos conciliare, sicubi dissentire videntur, non conentur. Cum quibus sane melius ageretur si audirent Seniorem dicentem.* Operationem secundum intellectum literarum esse dissipationem diuitiarum. *Item Comitem Bernardum pulcre monentem; & alios suo exemplo*

Causæ errorum diuersorũ.

In claui Sap. magna.

exemplo instruentem, dicentemq; : Attente cõsiderandum esse, in quo conueniant maxime Auctores, ibi namque latere veritatem, quæ vnica tantum, & simplex esse potest. *Si quis vero plures lapides aut diuersas ad lapidis compositionem dispositiones esse imaginatur, is perbelle sibi & aliis imponit: cum vnanimi consensu scribant Philosophi vnum esse lapidem, vnam medicinam & vnum opus. Imo subtili arcanorum naturæ indagatori & in arte versato conspicuum & certum est ratione inconcussa & firma, lapidem in infinitum multiplicabilem, per naturam esse non posse, nisi vnicum. Si autem quandoq; pulueres reperiantur plura aut pauciora pondera conuertentes, id non ex Medicinæ diuersitate, sed eiusdem maiori vel minori subtiliatione contingit, vel quod virtus eorum pluribus proiectionibus diminuta vel exhausta sit. Dixi, in infinitum multiplicabilem, siue innumeras partes tingentem, quia non dubito, quin aliæ tincturæ componi possint imperfecta metalla tingentes & alterantes, formamq; veram auri vel argenti inducentes, sed eæ certis limitibus & gradibus coarctantur, nec vlterius se extendunt, in quibus sæpe laboris plus & sumptuum, quam lucri. Quare si Theophrasti Paracelsi sectatores, & in ipsius verba iurati, alium sibi lapidem magis compendiosum ex magistri sui doctrina spondent, tu veritatis amator illis aures ne præbeas, sed antiquorum Philosophorum securiorem & naturæ amicum progressum imitare, eorum scripta & libros euolue, & in iis veritatem inquire, cum Paracelsus forte æquo iactantior solus sit, qui veterum processum inuentionibus suis se progressum glorietur, & paucissimis verbis iisq; obscurissimis & supra modum ambiguis, quæ tamen ignorantibus plana & aperta videntur, intentionem suã diuinari magis quam cognosci voluerit, Sapiẽtum vero*

[Margin: Vnus lapis multiplicalilis in natura.]

[Margin: Contra Paracelsi sectam.]

oo anti-

antiquorum numerus maximus sit, qui vnum nobis lapidem eiusq; processum singularem, Cabalistico quodam more, & certis verbis ac nominibus, quibus se mutuo intelligunt, tradiderunt, è quorum collatione & mutuo consensu veritas, quamuis cum labore aliquo erui facilius potest. Quinimo asseuerare ausim Paracelso philosophorum lapidem nunquam innotuisse, nec Raymundi Lullii vel aliorum huius artis doctorum scripta intellexisse. Quod meum iudicium præter rationes certas, quibus vt id credam adducor, confirmauit mihi epistola quapiam sua vir quidam Illustri genere natus, cuius pater Paracelsum familiariter nouerat. Neq; tamen propterea ipsius in spagyrica arte peritiæ quicquam derogatum cupio, cum satis liqueat ipsi plurima naturæ arcana cognita fuisse, & in ea Medicinæ parte, quæ Chirurgica dicitur, excelluisse, sed habent sua dona singuli, nec cuiquam omnia concessit Deus.

Paracelso lapidis cōpositionē non innotuisse.

Quisquis igitur septem quas describemus Elixiris conditiones in opere suo inuenerit, aut si manum nōdum operi admouerit sola theoria contentus, inueniri posse speraт, is secure ad opus accedat, sibiq; prospera omnia polliceatur: si tamen præterea ignem philosophicum, cum fornace & vase, proportionesq; miscendorum probe nouerit, sine quibus reliquorum cognitio parum iuuat. Qui vero vnam aut plures dicendarum proprietatum desiderauerit, certo sciat laborem suum inanem & sine fructu futurum: proinde ab opere tanquam nimis arduo abstineat, aut librorum bonorum studiis incumbat, donec plenam artis notitiam assequutus fuerit, & tum demum operi se accingat: alioqui de errore in errorem cadet, & impendia tempusq; inconsulte amissum dolebit. Oportet enim vt in hoc studio doctrina exprimentum præcedat, & nō contra, & vt exemplum Rhasis, Auicennæ, & aliorum

Doctrinā experimētum præcedere debere.

Phi-

Philosophorum sequamur, qui nobis scripto prodiderũt, hæc ipsis cognita fuisse ante experimentum, cum cogitatione subtili, vehementi, & longa. *Septem itaq; capitibus Geberi explicationem finiemus, nihilque dicemus, quod non rationibus aut Sapientum huius professionis auctoritatibus confirmemus. Sed primo loco Geberi caput de septem Medicinæ proprietatibus, cuius potissimum interpretationem pollicemur, præmittemus, ne si cui Geber ad manum non sit, vtilitate & fructu lectionis ipsius defraudetur. At quoniam secundum caput à primo eiusdem libri dependet, & quia necesse est easdem conditiones, quas habet elixir perfectum, esse in rebus elixir constituentibus, si non effectu & operatione, saltem potentia & natura, frustra enim alioqui in re quæreremus, quod in ea non est, vtrumque caput lib. de inuentione veritatis adnectemus.*

LIBRI DE INVENTIONE VERITATIS seu perfectionis.

CAP. I.

De sex proprietatibus rerum, ex quibus Medicina elicitur.

Consideravimus in nostris voluminibus, ex secretis principiorum naturalium facultatibus, quin etiam per experientiam nostram & inuestigationem inuentionis nostrę omnino certam, quod ea ex quibus elicitur nostra medicina corporum tuansmutandorum, habeant in se has qualitatum proprietates. Primo quod habeant terram subtilissimam in se, & incombustibilem, aptamque ad figendum, omnimodo fixam cum suo radicali humore. Secundo, humiditatem aeriam & igneam vniformiter illi terræ coniunctam, sic quod si vnum fuerit volatile, sit & reliquum, & quod ipsa humiditas sit super omnes humiditates expectans ignis calorem, vsque ad sui sufficientis inspissationis terminum completum, quoad indigentiam completionis ipsius, cum permanentia inseparabili terræ sibi annexæ, sine euaporatione. Tertio, quod humiditatis dispositio naturalis sit talis, quod per beneficium suæ oleaginitatis in omnibus suarum proprietatum differentiis, terram sibi annexam, conuersione vtriusque in alterum homogenice, sic contemperet vnctuose, & vnione totali, & vinculo coniunctionis inseparabilitatis æqualiter, vt post finalis præparationis gradum fusionem bonam præstet. Quarto, quod hæc oleaginitas sit tantæ puritatis essentiæ, & ab omni re combustibili seu vrente artificialiter emundata, quod omnia cum quibus per minima coniungitur, non comburat, sed à combustione præseruet. Quinto quod claram & splendidam habeat tincturam in se, albam vel rubeam, mundam & incombustibilem, stabilem & fixam, & quod ignis nequaquam valeat ipsam permutare, neque sulphurea adustiua seu acuta corrodentia ipsa corpora corrumpere & defœdare. Sexto, quod totum compositum inceratum cum suo complemento finali, sit tantæ subtilitatis, materiæque tenuitatis, quod post finalem suæ decoctionis terminum, in proiectione tenuissimæ maneat fusionis ad modum aquæ, & penetra-

netrationis profundæ, vsque ad occultum rei permutabilis cuiuscunque fixionis ipsum extiterit in complemento: & cum vicinitate sua seu affinitate adhæreat suo simili naturaliter, cum inseparabili consolidatione contra impressionem ignis in ipsa hora, sua spiritualitate corpora in volitum reducens.

DE SEPTEM MEDICINAE PROprietatibus.

CAP. II.

HIs consideratis, inuenimus inuestigatione nostra septẽ proprietates rerum in nostro lapide necessarias & opportunas, & sunt hæ. Oleagenitas, materiæ tenuitas, affinitas, radicalis humiditas, puritatis claritas, terra figens, & tinctura.

Prima vero differentiarum proprietas, est ipsa oleaginitas, dans in proiectione vniuersalem fusionem & apertionem materiæ. Nam primum quod necessarium est post medicinæ proiectionem, est ipsius medicinæ subita & conueniens fusio, quæ cum oleaginitate minerali perficitur, ac inuisceratur.

Secunda, est materiæ tenuitas, siue ipsius subtilitas spiritualis, tenuissime fluens in fusione ad instar aquæ, penetrans in profundum rei alterabilis: quia secundo post fusionem medicinæ, necessaria est ingressio eius immediate.

Tertia est affinitas siue vicinitas inter Elixir & rem transmutandam, dans adhærentiam in obuiatione sui similis, & retentione, quia tertio post medicinæ ingressionem immediate adhærentia conueniens est & necessaria.

Quarta est radicalis humiditas, ignea, congelans, & consolidans partes retentas, cum adhærentia sui similis, vnione omnium partium consimilium inseparabiliter in æternum: quia quarto post adhærentiam opportuna est partium consolidatio, cum sua radicali humiditate viscosa & necessaria.

Quinta, est puritatis claritas mundificatiua, dans splendorem eminentem, à combustione preseruans, non adurens. Non post consolidationem partium purificatarum relinquitur, quod ignis actualis habet comburere omnes superfluitates extraneas, non consolidatas: quare sequetur purificatio immediate, & est necessaria.

Sexta, est terra figens, temperata, tenuis, subtilis, fixa, incombustibilis, dans fixionis permanentiam in solutione adhærenti secum, stans & perseuerans contra ignem: quia sexto necessaria est immediate fixio post purificationem, & opportuna.

Septima, est tinctura dans colorem splendidum & perfectum, album aut citrinum intensum, & Lunificationem seu Solificationem rerum transmutabilium: quia septimo post fixionem necessarius est & vltimus, color tingens seu tinctura colorans materiam conuertibilem in verum argentum vel aurum cum omnibus suis differentiis certis & notis. Hucusque Geber.

LIBER

DE LAPIDIS PHYSICI CONditionibus.

De Medicinæ subita & conuenienti fusione, quæ cum Oleaginitate minerali perficitur.

CAP. I.

In quo metallorum materia prima, quid sit in arte oleum, quotuplex, vnde petendum, eius præparatio & augmentum, dignitas & necessitas, diuersa nomina & variæ facultates explicantur: Demum quid sit ceratio apud Chemistas, & quot modis subita & facilis fusio Medicinæ concilietur, cerationisq; perfectæ signa ac commoda inuestigantur.

Liquescentium materiam primam esse aquam.



Mnium quę liquescunt materiam primam esse aquam, cum ex Arist. & aliis Philosophis constat, tum ratione etiam naturali deprehenditur. Quãdiu enim liquida sunt, quærunt terminum alienum, nec quiescunt intra terminos proprios, quod est humoris: non enim alia de causa liquescunt quæque, nisi quod humor eorum astrictus soluatur, redigaturque ad propriam vim & actionem. Præterea quæ a frigore congelantur, abundant in sua materia prima humido aqueo: metalla autem frigore aeris & aquæ congelari quotidiana experiẽtia docet, igitur aqua abundant & ea constant. Sed quoniam humor omnis siue proprio corpori innatus siue alieno affusus, facile euapo-

euaporat ab igne quantumuis lentissimo, prout testantur eruditæ Spagirorum destillationes, nam aqua ignis calore subleuata per operculi narem destillat, terra arida in fundo cucurbitæ residente, metalla autem in fornacibus ardentib. suam conseruant humiditatem, non obscure intelligimus, eam non esse simplicis aquæ, sed vnctuosam & lentam. Neq; enim videmus alios humores difficulter separari ab iis quib. sunt naturales, nisi glutinosos, ita enim eorum partes inter se cohærent, vt non facile diuelli possint. Sic singulari quadam prouidentia diuina humor animantibus ingenitus pinguis est factus, vt à calore naturali cito non exsiccetur, qua gratia diu viuunt & vigent. Quocirca vt natura aquæ in metallis permaneret cum durabilitate, alia esse non potuit, quam viscosa & lenta. Sed quia humidum vnctuosum videmus in pluribus inflammari & comburi, metallorum autem humorem igne nō dissipari nec cōsumi, aut difficulter admodum, non videtur solum humidum vnctuosum & viscosum metallorum esse materia, sed vt est passum à terreis partibus tenuissimis, ita adæquatis, & forti vnione commistis, vt minimum vnius sit idem factum cum minimo alterius, & vnius plurimum cum plurimo alterius; quo contingit vt terra non permittat humidū alteri adhærere quā sibi, neq; in toto diffluere, sed quasi per globulos constare, humidum vero siccum terreum sic cōtemperet, vt fluat & currat in superficie plana, & vndiq; protegat, ne ab igne cōsumatur. Quocirca pars humida non derelinquit partem siccā, nec è conuerso, sed a it cū tota sua substantia recedit ab igne, aut cum tota permanet.

Metallorū humidum viscosum.

Quare humidum vnctuosum metallorū non comburatur.

Metallorum igitur materia omnium prima est humidum viscosum siue vnctuosum, incombustibile, subtile, incorporatum terrestri subtili æqualiter & fortiter commisto per minima in cauernis terræ. Sed sicut in multis rebus duplex est vnctuositas, quarum vna est quasi interna, retenta in radicibus rei ne per ignem possit euelli, nisi per consumptionem & destructionem substantiæ cui inhæret, altera quasi externa, fœculentum & cremabile aliquid admistum habens; ita in metallis omnibus excepto auro duplicem quoque vnctuositatem constituimus. Vnam quidem externam sulphuream & inflammabilem, quæ per accidens illis accessit, nec pertinet ad vnionem totalem cum terrestribus partibus rei, aliā vero internam subtilem valde, non cremabilem, quonia

Prima metallorum materia.

Vnctuositas duplex in metallis.

est de substantiali compositione argenti viui, ideoque per ignem eradicari non potest, nisi cum totius substantiæ deperditione. Vnde patet quare metallorum quædam plus vel minus in igne perdurent: quæ enim magis abundant interna illa vnctuositate, minus consumuntur, vt patet in argento, & maxime in auro, quæ vero externa, magis, vt plumbum & ferrum: adurens enim sulphur illorum substantiæ inclusum per inflammationem illa diminuit & exterminat in fumum. Hinc Rosarius:

Quare metalla quædam magis vel minus ignē tolerent.

Nullo modo inuenire potuimus, nec Philosophi vllo modo inuenire potuerunt aliquam rem perseuerantem in igne, nisi solam illam vnctuosam humiditatem perfectam, nō cremabilem: Vtramq; etiam insinuat Geber his verbis. Habent corpora imperfecta humiditates superfluas & sulphureitatē adustibilem nigredinem in ipsis generantem, ipsaq; corrumpentem: habent etiam terrestreitatem immundam fœculentam & combustibilem, nimis grossam, ingressionem impedientem & fusionē. Et quia hæc superflua accidentaliter in his superuenerunt corporibus, & non radicaliter, & spoliatio accidentium possibilis est, oportet nos cum igne artificiali his prædictis mundatis superflua demere accidentalia, sola substantia argenti viui & sulphuris radicalis permanente. Et alibi. Ex præcedentibus sermonibus relinquitur duplicem esse in corporib. sulphureitatem: vnam quidem in profundo argenti viui in principio suæ mistionis, alteram vero superuenientem. Quibus in locis quamuis vnctuositatis mentionem non faciat, tamen cum sulphur vtrumq;, adustibile videlicet & radicale nominet, satis intentionem suam declarat, cum sulphur absq; vnctuositate esse non possit. Vnctuositatis puræ & mundæ meminit etiamnum B. Thomas Aq. Terra, inquit, id est, turbulentia terreitatis ab vnctuositate intrinseca radicali pura & incombustibili separatur. Et eximius Raim. Lull. Hæc est illa vnctuositas intrinseca, multum subtilis, nō cremabilis, continens admistum subtile terreum deductum ad actum igneum vel aerium fortiter digestum, quod retinetur in radicibus rei taliter, quod per ignem amplius nō possit euelli. Hanc itaq; vnctuositatem internam, puram, in radicibus metallorum retentam, & ignis violentiæ non obnoxiā Oleaginitatem vocat Geber, aut potius ipsius interpres: alii Philosophi Oleum & Vnguentum. Sicut venerabilis Lūll. in primis

De Inuestigat. perfect. cap. 5.

Sum. perfect. cap. de natura Veneris.

In Comment. sup. Fab. Her.

In Codicillo.

Vnctuositas interna dicitur oleum. Test. cap. 15.

primis in hanc ſententiam. Extremitates lapidis in primo gradu ſunt argentum viuum & ſulphur, in ſecundo Elixir completum: ſed media harum duarum extremitatum ſunt vngueta & olea, quorum aliqua ſunt magis cocta, magis pura, & magis digeſta quam alia, & iſta vocamus medicinam perficientia, & Elixiris fermenta. Et Auicenna. Hoc eſt Elixir, quod tingitur tinctura ſua, & ſubmergitur oleo ſuo, & figitur calce ſua: Cuius aquam inuenimus ſicut aquam in mineralib. & oleum eius, ſicut eſt ſulphur aut arſenicum in mineralibus, & calx eius eſt, ſicut calx in mineralibus. Epiſt. ad Aſten. de Recia.

Oleaginitatem igitur inter medicinę proprietates primo loco ponit Geber, non quod ordine prima ſit in opere Phyſico, cum aliæ præparationes hanc neceſſario præcedant, ſed tãquam digniorem & reliquarum reginam, & ex qua totum artis ſecretum dependet, & in qua Sapientes ſub diuerſarum rerum nominibus totam ſcientiam occultarunt. Huius naturam admirans exclamat in turba Parmenides: O natura illa cæleſtis, virtutis naturas multiplicans? O natura fortis ſua victoria omnia ſuperas? maxima huius eſt ſed naturalis proprietas, cui tribuit Deus, vt ignis ei non noceat, ideoque illam magnificamus, quia nihil ea pretioſius: in natura enim nihil ſimile inuenitur, quæ cum corporibus ſuis mundatis liquefactione coniungitur, altiſſima operatur. De hac natura item Hermes. O natura fortis naturas vincens & ſuperans, ſuasque gaudere faciens naturas. Item Aros. Ipſa eſt totum in toto, & id totum quod quæritur, & quod cogitatur, in ipſa enim eſt fugiens & fixum, tingens & tinctum, album & rubeum, maſculus & femina, ſimul compoſita compoſitione inſeparabili. Hanc eandem naturam nobis commendans Lullius, inquit: Spiritus ſecretus eſt aqua ſecunda, à qua omnis res accipit nutrimentum, & omne germen vegetationem, & omne lumen illuminationem. Hæc ſecum portat lumen, vitam & ſpiritum. Quare autem aquam ſecundam vocet, quod ipſemet pluribus locis, & alii Philoſophi ſimiliter, oleum dixerunt, ratio eſt, quia ſecundo loco extrahitur, poſt ſpiritum videlicet, prout ex infra dicendis patebit.

Quare primo loco de Oleag. loquatur Geber.

Teſt. c. 47.

Quæ autem hæc eſt oleaginitas aut oleum à Deo pretioſum, cui in rerum natura nihil ſimile inuenitur? Poſſem paucis verbis diffinitionem eius veram proponere, & dicere vt ſupra, Oleaginitatem hanc nihil aliud eſſe quam humidum

Olei diffinitio prima.

radicale metallorum, purum & incombustibile, in quo essentia & forma metallica potissimum consistit: sed quoniam nō desunt Philosophorum in hac arte excellentium definitiones aliæ, eas potissimum in medium adducam, nonnihil diuersas propter olei dissimilitudinem, non quidem in re, sed propter corporum, è quibus educitur varietatem, & in primis venerabilis Raym. Lullii, qui oleum definit substantiam corporis per aquam depuratam, & portatam in ventre venti. Dicit substantiam, quia est merum argentum viuum maturum & sufficienter a natura in mineris excoctum. Corporis videlicet Solaris, Solem enim siue aurum per excellentiam quandam corpus metallicum vocat, quia reliqua omnia metalla necdum perfectionem illam adepta sunt, ad quam tamen per naturam peruenire possunt. Hæc substantia præparatur & depuratur per aquam Philosophorum, & tandem portatur in ventre venti, id est, destillationibus crebris sursum eleuatur & leuigatur, reduciturq; ad venti, hoc est, ad aeris & spiritus naturam. Cuius interpretationis auctor est Albertus explicās illud Hermetis. Portauit eum ventus in ventre suo. Argentum enim viuum, vt ait idem Lullius, quod à corporibus perfectis extrahitur per dissolutionem, destillationem, sublimationem & subtiliationem, dicitur oleum incombustibile, anima & aer, & splendor corporum, quia corporibus metallicis mortuis & imperfectis vitam tribuit immortalem, & ea illuminat. Definitio tamen est generalis, quę tam corpori Solari & Lunari, quam calci etiam metallorum imperfectorum, quæ etiam in arte corpus dicitur, accommodari potest. Secundam olei definitionem ex eodem Ray. Lullio, ni fallor, adfert Innominatus, dicitque Oleum nihil aliud esse, quam limositatem omnium metallorum, natantem super menstruum post dissolutionem ipsorum. Limositatem vocat limum siue terram metallorum, non quidem grossam & fœculentam, sed eius partem subtiliorem, quæ cum grauioribus partib. mista fuit ante suam eductionem, estque instar luti cuiusdam vel cœni, pars enim Mercurii maior in ea quam terrę, vt in lib. Lucis Mercuriorum asserit Lullius; & idcirco extracta per menstruum, quod aquam & phlegma ibidem vocat, menstrui similitudinem quodammodo refert, nisi quod aeriæ magis & igneæ sit naturæ: quocirca non mirum est, si aquæ seu phlegmati innatet, cum leuiora gra-

Secunda. Pract. test. cap. 12.

Lib. 1. de mineralibus. cap. 3.

In tab. Smarag.

Clang. Buc.

Tertia olei definitio.

grauioribus naturaliter superstent. Vnde Rhasis: Omne oleum congregatur supra suam aquam. De hac olei natura aeria Arnold. de Villa noua. Olei perfecti signa sunt, gutta spissior, abscolor, intensior, & leuitas aeria, ita quod si ipsum aquæ nostræ miscueris, natabit superius. Et Lullius. Si miscueris ipsum aquæ, supernatabit, & congelabitur ad modum tenuissimæ pelliculæ diuersorum colorum. Item Ioan. Rupescissa: Posita calce, mediante calore eleuabitur quædam pellicula in modum olei. Tertiam olei definitionem adducit Albumasar Arabs asserens, Oleum nihil aliud esse quam aquam mutatam in aerem valida impressione aliarum qualitatum, per coniunctionem ab illis susceptarum. Per alias qualitates innuit calidum & siccum, quæ in igne & terra latent, a quibus sæpius eleuata & denuo coniuncta aqua qualitatem calidam assumit frigiditatemque sibi naturalem deponit, & in aeris naturam transit, fitque calida & humida, de olei natura.

Rosa. part. 1. cap. 10.

In Codic.

In Lum. Lum.

Circa fin. lib. de fermento.

Quarta olei definitio.

Ex quibus definitionibus colligimus, Oleum Philosophorum nihil aliud esse quam aquam, non quidem fontis aut pluuiæ, quæ a metallorum natura aliena est, sed Mercurialem maxime vnctuosam, crebris destillationibus leuigatam, & ad aeris quodammodo naturam redactam, in qua calidum radicale seu formale metallorum delitescit, eorum materiam mundatam excoquens in verum argentum & aurum, adiuuante tamen naturam & internum calorem mouente & excitante, igne artificiali extrinsecus adhibito. Aut, calcis metalli cuiusque humiditatem radicalem multum glutinosam, calidam, & subtilem, (quæ verum & auri argentique semen) per Mercurium solutam & leuigatam, ita vt nullam amplius vnctuositatem, aut aliquam humiditatem euaporabilem, nec phlegmaticam in se contineat, quæ quidem sentiri possit, cum impossibile sit alioqui calcem omnino à suis viribus, quæ in humido vnctuoso consistunt, euacuare.

Definitionum collatio.

Sed attentius omnia perpendendo, triplex inuenimus in arte Oleum. Primum Solare, de quo Geber cap. 10. lib. de Inuestigat. perfect. Accipiatur aurum & præparetur (modis ibidem enarratis) donec totum fuerit in aquam clarissimam resolutum. Hoc est fermentum ad Elixir rubeum pretiosum, & verum corpus spirituale factum. Secundum

Quotuplex oleũ in arte. Solare oleum.

Oleum Lunare. cundum est Lunare, de quo cap. seq. lib. eiusdem. Aqua Lunæ dissolutæ, est fermentum ad Elixir album, spirituale factum. De vtroque Raym. Lull. Non erit fermentum de hoc vel illo, sed de Sole & Luna tantum, nihil enim petimus, nisi quod lapis conuertatur in suum simile, quia de ipsis est totum temperamentum, nec fermentum est antequam dicta corpora in suam materiam primam conuertantur. Fermentum autem non esse diuersum ab oleo, ostendit Geber, his verbis: Accipe fermentum Lunæ, quod est eius oleum, & appone ei duplum arsenici sublimati, &c. Et alio loco: Fermentum Lunæ ad album fit, cũ Luna dissoluta fuerit in aqua sua corrosiua: & si hanc aquam decoxeris ad tertiam, & in aere posueris per se, aut in balneo, vel in fimo per aliquot dies, erit oleum Lunæ, & ipsum fermentum, quod serua ad album. Quo loco pulcrum & admirãdum artis arcanum reuelatur, quod omnes Philosophi maxime celarunt. Nempe corpus Lunæ simpliciter resolutum non esse, aut dici Oleum, quod tantopere prædicant Philosophi, sed tantum tertiam eius partem magis glutinosam videlicet & puram, in qua corporis Lunaris essentia potissimum & tinctura consistit. Quod autem dicit aquam Lunæ decoquendam ad tertiam, non intellige, ita decoquendam, prout iusculum aliquod carnium, donec duæ tertiæ euaporauerint, sed ita aquam Lunarem assuefaciendam vaporario, vt duæ tertię aquæ argenti ascendant vna cum spiritu, simulque vniantur, vna vero reliqua sit, quæ olei nomen & proprietates obtineat. Oleum Solare quamuis Geber capite vigesimo sexto eiusdem lib. dicat eodem modo decoqui & præparari vt Lunam, digestiones quidem eius seu decoctiones vel præparationes esse easdem non nego, sed vt ad tertiam tincturæ suæ partem redigatur, non opus est, neque fieri potest absque damno & corruptione spiritus, cum aurum multo plus digestum & decoctum sit à natura, & verisimile sit parum de eo cum spiritu post præparationem ascendere, nisi igne vehementi vrgeatur, quod in artificis commodum non cedit. Imo Raym. Lullius asserit corpus Solis totum essentiale esse respectu argenti. Essentiale autem vocat, eo quod aurum non sit nisi mera argenti viui puri, fixi, & incombustibilis substantia, æqualiter temperata & proportionata cum suo sulphure interno, qualem desiderãt Philosophi ad Elixiris sui facilem fusionem & tincturam. Quod

Margin notes: Test. c. 52. — Lib. forn. cap. 27. — Cap. 25. — Artis secretum. — Verba Gebri interpretãtur. — Solaris olei præparatio. — Pract. test. cap. 13. — Aurum totum transire in oleum.

Quod ipſum confirmat in arte intellect. dicens: In compoſitione auri eſt maior quãtitas argenti viui, & per cõſequens minor corruptio, quoniam tota ſua materia eſt pure eſſentialis & incorruptibilis. Tertium Oleum non eſt niſi tinctura ſulphuris, de qua Geber: Sulphur eſt lumen, alumen, & tinctura. Et Lullius: Iſtud eſt argentum viuum, quod apte & vtiliter noſtri ſulphuris tincturam accipit, in quo lapis noſter ſolutus eſt. Item in Codicill. Tinctura ſeparatur à ſuo terreo groſſo fœculento per deſtillationes lentas. Cum autem dico oleum ſulphuris, non intelligo tantum ſulphur auri & argenti, quod manifeſtum eſt omnium Philoſophorum teſtimonio tincturam in ſe continere, quodque etiam efficacius eſſe fatemur, in compoſitione elixiris, ſed etiam ſulphur imperfectorum, quorum humidum radicale & primigenium in terra potiſſimum conſiſtit, illique pertinacius adhæret: quod quamuis paucum ſit & exiguum in ſeipſo, olei tamen metallorum perfectorum additione mirum in modum augeri poteſt, quæ artis periti non tam in ſulphur redigere ob fortem illorum compoſitionem (auri præſertim) curarunt, quam in Mercurium, qui ſufficiat ſulphuribus ignobilium metallorum ad ſuam naturam & ſubſtantiam redigendis. Si tamen ſulphur auri haberi poſſit, non aſpernandum erit, cum in illo via ſit breuior paulo, abſolutior, & perfectior. Sulphuris oleum poſſet item diſtribui in tot ſpecies, quot ſunt metalla, ſed quia humidum primigenium metallorum, quod quæritur, non eſt diuerſum, ſed idem in ſuis principiis & qualitatibus, quamuis in vno paulo plus, in alio minus abundet, diſtinctionem hanc conſulto præterimus. Illud tamen admonendum, oleum ſiue humorem radicalem imperfectorum, quamuis exiguus ſit valde, & pauciſſimæ quantitatis, tamen extendi poſſe & augeri ad libitum iuxta quantitatem calcium præparatarum. Cuius modus hic eſt. Cape calcem ſiue terram cuiuſque corporis imperfecti præparatam & ablutam, ſicut cap. 6. docebitur, ei ſuperfunde Mercurii ſimiliter purgati tantum, vt ſupernatet digitis duobus aut tribus in vaſe longi & stricti colli, deinde ſubde ignem lentiſſimum, ne Mercurius aſcendat, quouſque videris oleum inſtar pelliculæ diuerſorum colorum ſuper Mercurium eleuari, quod ſepara, & repone. Hinc iterum clauſo vaſe ignem accende per aliquot dies, donec totum oleum

[Margin: Oleum ſulphuris. — Teſt. c. 10. — Auri ſulphur cæteris perfectius. — Oleum corporum imperfect. non diuerſum ab oleo perf. niſi quantitate. — Olei ſulphuris præparatio & augment.]

extraxeris, & nihil amplius videris ascendere. Tunc Mercurium tuum separa à calce, & eundem alteri quantitati calcis cuiuslibet corporis purgatæ affunde, & fac vt prius, lentum continuando ignem, quousque traxeris ab ea etiam viuificatiuum humorem omnem. Istam operationem reiterare poteris, quotiescunque volueris, iuxta quantitatem olei quam desideras, addendo alium Mercurium, si diminutus fuerit. Tandem oleum omne collectum in cucurbita pone, & adde Mercurii eius, quo oleum extraxisti partes sex ad singulas olei, & si quantitas magna fuerit, poteris eam diuidere per plures cucurbitas, simul digere per mensem, tandem Mercurium lento igne separa, ne cum eo ascendat oleum. Cum vero nihil amplius euaporauerit eo gradu ignis, quod deprehendes superposita vasis ori lamina ærea aut ferrea, scito in fundo residere oleum pretiosum sulphuris, quod duodecim vel quindecim destillationibus subtiliandum erit per se, vt fæces terreas, si aliquas forte continet, deponat, & fluat tenuissime instar olei communis excalefacti. Nec alia de causa Philosophi oleum istud seu humidum vnctuosum primigenium tanto molimine ab aquosis suis partibus siue phlegmaticis, & grossis terrestribus eruere studuerunt, nisi vt perfectissime subtiliari & mundari à sulphureitatibus superfluis naturaliter sibi agnatis, digerique possit amplius per artem, quam à natura digestum fuit, & postea terræ purificatæ & à fæcibus liberatæ, dealbatæque melius & perfectius coniungi, quam postea tingit, consolidat ac fluere facit: cum humidum vnctuosum in metallis abundans maxima causa sit extensionis illorum sub malleo, & conuenientis liquefactionis.

Quare oleum in arte requisitum.

Olei facultates infra explicantur.

Sed olei facultates circa finem capitis huius, & aliis locis explicabimus; nunc quoniam Geber primo loco inter medicinæ proprietates facilem eius fusionem desiderat, quæ cum Oleaginitate minerali siue Philosophorum oleo perficitur, de ea potissimum sermonem instituemus.

Quid Philosophos mouerit ad olei inquisitionem.

Philosophi multi cum primam operis partem, quæ per mundificationem fit & coagulationem, naturaliter per artificium complessent, existimantes se medicinam perfectam & omnibus numeris absolutam habere, eam super metalla ignobilia proiecerunt, sed tanquam puluerem inutilem viderant liquefactis corporibus supernatare, nec ingredi, qui-

quinimo puluerem vna cum imperfectis absumi & euanescere. Itaque in stuporem versi medicinæ aliquid deesse iudicarunt;& tandem animaduerterunt radicalem metallorum humorem liquefactionis causam esse pręcipuam. Quocirca eundem à metallis magna diligentia segregarunt, & pulueres suos siccos & non fluentes imbiberunt sæpius, & tandem compererunt eos non solum fundi proiectos super corpora imperfecta, sed etiam ingredi cum alteratione. Quam operis partem quod Medicinam desiderent, instar ceræ igni admotæ facilime liquescentem, vt equidem credo, cerationem appellarunt. Hæc definitur à Gebro, duræ rei non fusibilis mollificatio ad liquefactionem. Corpus igitur siccum & durum per calcinationem priuatum humore & arefactum, mollificandum, & ad fluiditatem reducendum imbibitione olei iterata, donec fluat vt cera super igne, & alia corpora penetret, & ingrediatur, quod hoc loco apertionem materiæ vocat Geber, perfectionemque inducat argenteam vel auream à fermento auri siue argenti, & decoctione maiori vel minori inductam. Atque hoc est quod requirit Magister, dicens: Primam & maxime necessariam esse post Medicinæ proiectionem ipsius subitam & conuenientem fusionem, quæ cum oleaginitate minerali perficitur. Ait autem cum oleaginitate minerali, vt excludat omnia alia olea, pinguia, resinosa, vnctuosa, quæ vel è vegetalibus, & animalibus, aut ortum ex iis habentibus, destillatione, expressione, aut alio quouis modo educuntur, aut sponte effluunt; cum omnia illa ab igne recedant, aut velociter comburantur, humidum autem radicale metallorum propter homogeneitatem & fortem elementorum vnionem non consumatur, sed fixum sit & incombustibile. Vnde Auctor Ros. min. Quantumcunque aliquid cum oleis ceratur, non valet quicquam, nisi oleum prius sit fixum. Sed dicet quispiam. Nonne ipsemet Geber hoc eodem lib. de Inuent. perfect. cap. vlt. docet componere olea inceratiua alba pro Elixire albo, & rubea pro opere rubeo? & pro albo quidem sumi oleum albuminum ouorum, & teri cum medietate salispetræ & armoniaci partibus æquis, vel cum sale alkali, & denuo destillari, ac pluries reiterari? aut prædictum oleum ouorum coniungi cum oleo tartari, & simul destillari? Pro Elixire item rubeo non-

Sum. perfect. ca. de ceratione.
Ceratio quid sit.

Oleum fixum esse debere.
Par. I. c. 12.
Obiectio.

nonne præcipit ſumi oleum vitellorum ouorum aut capillorum humanorum,& adiungi tantundem ſalis arm.& iterum deſtillari,idque ter repeti?ibidemque etiam oleum viridis æris & fellis componi? Similiter & Raym. Lull. & alii præſcribunt non ſemel oleum tartari, ſanguinis, balſami. & ſimilia multa. Fatemur hæc quidem & alia plura ſcripta ab iiſdem, ſed vt decipiant incautos &imprudentes,qui abſque ratione præuia aut cauſarum exploratione vlla operibus naturę tam arduis ſeſe immiſcent: neque enim decebat artem ita tradi, vt tam imprudens quam prudens eam ſibi vſurparet indigne cum ſic iuxta Rhaſim ſapiens inſipienti,& doctus indocto æquaretur,quod iniquum eſſet. Quinimo Geber in ſum. perfect. expreſſis verbis errorem hunc reprehendit. Putauerunt aliqui, inquit, cerationem debere de oleis liquidis & aquis fieri, ſed erroneum eſt illud, & à principiis huius magiſterii naturalis ſemotum penitus, & ex manifeſtis naturæ operibus reprobatum. Et conſequenter rationem addit: quia non videmus naturam in ipſis corporibus metallicis humiditatem cito terminabilem, imo diu durabilem, ad illorum fuſionis & mollificationis neceſſitatem poſuiſſe. Si enim talem illis poſuiſſet, relinqueretur neceſſario, vt citiſſime ſcilicet ignitione vna corpora totaliter humiditate priuari contingeret: vnde ſequeretur, poſt vnam ignitionem corpus quodlibet nec malleari,nec fundi poſſe. Et cap. vlt. præallegato affirmat ſimiliter, hæc olea non dare humiditatem radicalem mineralem,quod ſi non præſtent,vt non præſtare certum eſt, nullus profecto illorum vſus erit. Quod autem addit, ea tincturam ſaluare à combuſtione, donec ingrediatur,& poſtea fugere expreſſione ignis,ratio plane friuola eſt, ſolum adiecta ad fallendos improuidos, & quæ à mediocri etiam ingenio explodi facile poſſit. Quomodo enim ſaluabunt à combuſtione tincturam, quæ ſeipſa præſeruare non poſſunt,quominus igne conflagrent? Sed, ad tempus ſaluabunt. Id quoque non minus abſurdum: duo enim corpora quamuis cognata ſimul coire & commiſceri nequeunt, niſi remotione tertii, quod commiſtionem illorum impedit. At olea iſtiusmodi tam tincturam quam corpus tingendum vnctuoſitate ſua inficiunt, & commiſceri prohibent, donec plane receſſerint ignis calore: nihilo igitur plus profeceris illis adiunctis, quam non adiunctis, cum neceſſum ſit ea

prius

Reſpōſio.

Cap. de ceratione. Oleum non aliud quam minerale requiri.

Lib. de Inuent. perfect.

prius absumi, quam tingens & tingendum vnum & idem fieri possint. Idem plane iudicium faciendum de alijs quibuscunque oleis, è salibus, atramentis, antimonio & reliquis marchasitis, & medijs mineralibus vi ignis eliquatis, quæ quamuis flammam non concipiant, cum naturam potius aquarum separationis auri & argenti obtineant, quam oleorum propriæ dictorum inflammabilium, tamen nec ipsa in igne persistunt, sed euaporatione recedunt; deinde tincturæ per intima commisceri nequeunt, sed tantum superficiem eiusdem humectare, proinde nec ingressum illi in alia corpora metallica conciliare sed potius impedire. Oleum autem medicinam fusilem reddens oportet vt minimas partes eius non solum ingrediatur, sed etiam ijs per vnionem incorporetur; &, vt loquitur Geber, inuisceretur, & vt vna aliam in fluxione non dimittat. Sed forte olea metallorum id præstabunt quod quæritur, scilicet vt corpus, durum non fusibile emolliant, & fluere faciant, ac ingredi cum alteratione? cognata enim cognatis facile iunguntur, nihil autem magis alteri cognatum, quam metallum metallo. Proinde ad incerationem Elixiris albi, quidam præscribunt oleum hydrargyri, stanni & argenti, siue Mercurij, Iouis, & Lunæ; ad elixir vero rubeum, oleum plumbi, æris, ferri & auri, siue, vt Chemistarum vocabulis vtar, Saturni, Veneris, Martis, & Solis. Sed profecto neque hæc olea tincturæ non fusibilis rigiditatem & duritiem tollent, aut citius fluere facient, cum intima ipsius non penetrent magis quam prædicta, quia à metallorum natura plane remota sunt; & Mercurialem essentiam qua corpora metallica subsistunt plane exuerunt, aliamque prorsus ipsi contrariam assumpserunt: deinde & ipsa, non minus quam supradicta quæcunque, ignis violentia absumuntur, & euanescunt.

Olea mediorum mineral. operi inutilia

Metallorũ olea inualida.

Sed insurget forte quispiam & dicet? Tu superius oleo philosoph. aeriam & volatilem naturam attribuisti, iubens illud destillatione mundari, & eleuari: at si volatile factum est per artem, quamuis naturaliter antea fixum fuerit in totum, aut ex parte, certe neque istud ignem tolerare poterit, quin à facie eius fugiat. Respondeo humiditatem hanc radicalem, quam oleum dicimus, aut esse argenti viui Lunaris vel Solaris partem puriorem, & magis glutinosam, quæ cor-

Quæstio.

Solutio.

porum suorum, quæ fixa sunt, naturam refert, iuxta illud Raimundi Lullij. Argentum viuum corporum perfectorum est fixum, cum sit calore sulphureo in ventre terræ decoctum actione caloris temperata: Argéteitas vero fixa in profundo substantiæ auri & argenti est substantia fixa, & substātia subtilissima & purissima, facillimæ ac tenuissimæ liquefactionis ad modū ceræ, & est fixa super ignis pugnā. Aut, metallorū imperfectorū radicale humidum, subtile, igni impermium, q̄ è calcibus illorum difficilime nec nisi magno artificio educi potest propter adhæsionem eius firmam & tenacē admodum cum reliquis partibus metalla constituentibus: proinde magna quantitas argenti viui ipsi additur, vt volatile superet multis partibus summam fixi, & illud educat, & tanquam sibi simile & cognatū retineat. De quo Senior loquutus videtur, cum ait. Lapis est viuus & immortalis, quem nō potest ignis comburere, & propter hoc extrahitur tinctura vera, id est, fixa & incombustibilis, cuius granum erat prius incombustibile. Combustibile, quia videlicet corpori imperfecto immersum, & per totam ipsius substantiam dispersum se contra ignem defendere nequibat, sed postea vnitum potest: fortior enim est virtus vnita quam dispersa. Istud autem radicale humidum imperfectorum corporum, quod granum vocat Senior, est quasi semen quoddam argenti & auri, quod natura ijs inseruit, vt data occasione in aurum argentumque excoquerentur per naturam longo tempore, vel per artem breui. De hoc grano & semine doctissimus Auctor Rosarij minoris part. 2. cap. 3. Corpora submersa in Mercurium per conuenientem putrefactione reuertuntur in argentū viuum, quod prius fuerunt: & grana metallica in propriam terram purgatā proiecta multiplicantur, & mirabiliter crescunt. Et cap 4. ibidem. Sitque semen seu fermentum mundissime purgatum, cuius vna pars sufficit ad duodecim lapidis purgati. Et potest illud auri argentique semen visibiliter ostendi, & erui è plumbo, in quo aurum vel argentum inuenitur, vt ab expertis accepimus, sicut & ex argento aurum, & ex alijs metallis similiter alterutrum, si artifex non desit. Nec est aliud in substantia quam aurum & argentum naturale, omnes auri & argenti conditiones & differentias retinens: quocirca non mirum est si magis igni resistat, quam ipsa corpora, in quibus occul-

Lib. de figuris.

Omnibus metallis granū auri vel argenti inesse.

cultatur. Non tamen in arte requiritur vt aurum & argentum in specie ex imperfectis eruantur corporibus, sed tantū vt illorum mundatorum calx habeatur, in qua granum hoc siue semen absconditum latet, donec per Mercurium soluatur, & educatur, qui purus Solem vel Lunam puram absorbet. Quod ipsum satis aperte indicat Raim. Lullius explicās illud auctoris innominati: Test.c.61.

Nam sub eius vmbra latet hac substantia quinta.

Mercurij substantia quinta, inquit, non est nisi pura & incōbustibilis, & nō est nisi aurū & argentū, quæ corpora sunt virtute ignis menstrualis (Mercurium intellige) liquefacta & fusa intus & extra, & post depurata, & separata ab ea, & à tota sua originali labe ac macula. Nam aurum quod est incōbustibile, remanet fusum & liquefactum, & est aurificans in dicto Mercurio: & Mercurius est in re seminali totus fermēmentatus propter dulcedinem auri, quæ nutrit semen, mouet & multiplicat. Præter fixam autem humiditatem radicalem habemus insuper in opere terram figentem, cui tanquā proprio corpori redditur, corpus vero illam tanquam propriam naturam amplectitur, inspissat, & figit, vt tandem omnem ignis violentiam pati possit: oleum vicissim siue humor radicalis corpori suo non fusibili & natiua humiditate priuato fusionem tribuit & ingressum in metalla liquata, vt ea ad naturam suam conuertat. Igitur dicimus oleum Philosophorum volatile quidem factum per artem, habere tamen in se naturam fixi, quod illud figere possit, leui scilicet adminiculo corporis siue terræ, in quam refunditur: alioqui si corpori alieno permisceatur & sibi heterogeneo, nō minus figi posse quam prænominatorum oleorum vllum, quia alteri corpori per minima non commiscebitur, teste Morieno. Anima corpus suum cito ingreditur, quam si alieno corpori iungere studueris, in vanum laborabis. Animam autem nihil aliud quam Philosoph. oleum esse, latius infra ostendemus. Terra oleū fixionem adiuuans.

Sed forte auebit scire quispiam, quomodo fusio hæc facilis tincturæ concilietur: vt scilicet corporibus transmutandis sine difficultate commisceri possit, eaque subito ingredi, & alterationem inducere. Geber in Sum. perfect. tres modos tradit, quibus id commodissime assequi possumus: quartum addunt Raim. Lullius, & Arnaldus de Villa Medicinā fusilem reddendi modi quatuor.

Rab. Quomodo medicinis ingressio per artificium concilietur.

Primus per dissolutionem.

la noua. Gebri modos prius excutiemus. Vnus est per solutionem eius quod ingreditur; & per dissolutionẽ eius quod non ingreditur, & per commistionem ambarum solutionum. Locus videtur prima fronte intellectu difficilis, quid enim illud quod ingreditur, quid vero illud quod non ingreditur? Sed facile seipsum explicabit Geber; si meminerimus medicinam constare partibus fixis & non fixis, quarum si aliæ alias proportione superent, medicina facilius fluet, aut difficilius: fluxio enim & ingressio præstantur medicinæ adiunctione rei non fixæ. Sed quoniam suspicari quis posset solutionem tincturæ non esse viam ad trãsmutationẽ alterius corporis in aurum vel argentum, cum solutio tincturam volatilem faciat, tacitæ obiectioni occurrens postea subdit. Non fiat tamen omnium partium solutio, sed quarundam. Loqui autem Philosophum de solutione medicinæ, quamuis multa alia more suo inseruerit, satis declarant ipsius proxime præcedentia verba. Soluantur res, quarum intẽtionis sit ingredi cum alteratione. Quarum autem partium solutionem requirit Philosophus? facilis coniectura est. Earum nempe quæ minus fixæ tincturæ fixæ non penetranti adhærent. Num igitur tinctura Physica pro parte fixa erit, pro parte non fixa? minime gentium. Tincturam enim omnimodo fixam quærimus, & figentem, alioqui enim metalla vilia radicitus non mutaret in aurum & argentum, quæ sunt metalla fixa, sed cuius partes artificio Chemico denuo reincrudari & solui possunt; iterumque à partibus fixis condensari & figi; donec vnum inde compositum inseparabile factum sit. Si enim non penetret aut non fluat medicina; indicium est, ipsius partes non esse satis subtiliatas, aut perfecte mistas. Vide Raim. Lul. Non subtiliat qui non coniungit per minima, nec ille qui desiccat priusqum imbibat, nequit coniungere per minima. At, quid cum partibus fixis agendum sit, has enim innuit Geber, cum dicit solutionem faciendam eius quod non ingreditur, satis manifestum erit, si ad alios Sum. Perfect. locos & capita præsertim de Calcinat. & Solut. recurramus: videbim⁹ enim partes fixas quas resolui cupimus necessario calcinari debere, cum calcinatio causa sit facilioris solutionis. Sic enim Cap. super allegato subdit. Per solutionem completur fusio in rebus non fusilibus, & hæc est causa quare quasdam res calcinamus,

In Codicillo.

Calcinata facilius solui.

namus, ſcilicet, vt melius ſoluantur, & ob hoc ſoluuntur, vt melius ab eis corpora impreſſionem ſuſcipiant. Et Cap. de Calcinat. Omne calcinati genus facilioris eſt ſolutionis, quia partes calcinatæ, per ignem ſubtiliatę, facilius cum aquis commiſcentur, & in aquam conuertuntur. Et Cap. de Solut. Videmus omnia vere calcinata ſolui per reiterationem calcinationis & ſolutionis. Modus igitur huius eſt, vt Elixir non fuſibile ſoluatur, quantum fieri poteſt, partes vero ipſius fixę calcinentur, poſt calcinationem ſoluantur calore balnei vel fimi. Si vero omnes eius partes nondum ſolutæ ſint, reiteretur ſuper eas calcinatio, & ſolutio donec maior pars reſoluta ſit: ſolutiones ſimul fundantur, ac denuo coagulentur, figanturque donec Elixir ingrediatur & tingat. Iſtius interpretationis auctor eſt ipſemet Geber. Sic enim in Cap. De medicina Lunari tertij ordinis. Cum fixa fuerit, ſolue quod ex ea eſt ſolubile, quod vero non fuerit ſolubile, ad calcinationem mittas, & ab hinc ſuper idem ſolutionem reitera, donec iterum quod ex ea ſolubile eſt, ſoluatur omnimode. Sic igitur ordo iſte ſeruetur, donec maior ſoluatur quãtitas: Poſt hæc vero ſolutiones omnes commiſce, & coagula: dehinc vero leniter aſſando, in ignis temperamento conſerua, quouſque illi maior, ad illius exigentiam, ignis adminiſtrari poſſit. Atque hic quidem primus modus eſt ſubitæ liquefactionis inducendæ in Elixir, ſed quia multi laboris & lõgi temporis, ideo faciliorẽ ſecundũ addit Geber dicens. Aut ingreſſum damus his quæ ſua ſpiſſitudine ingredi nõ permittũtur cũ multiplici ſublimationis reiteratione ſpirituũ non inflãmabilium ſup illa, arſenici videlicet, & argenti viui non fixorum. Et Cap. de Solut. Ad hoc vt penetret & transmutet medicina, ſine magiſterio non peruenitur, quod eſt, ſcilicet, vt poſt ſolutionẽ & coagulationẽ illius, adminiſtretur illi aliquis ex ſpiritibus purificatis nõ fixis, & toties ab illa ſublimetur, quouſque ſecũ maneat, & illi velociorem pręſtet fuſionẽ, & ipſam in fuſione à vitrificatione conſeruet. Itẽ cap. de Ceratione. Modus cerationis eſt, vt toties ſuper rem cerandã multiplicitet ſpirituum prædictorum ſublimatio, quouſq; in illa cũ humiditate ſua manentes fuſionẽ bonã pręſtẽt. At hos ſpiritus deſcribit ibidẽ his verbis: in nullis rebus melius & poſſibilius ac propinquius hæc humiditas ceratiua inuenitur, quam in his, videlicet, ſulphure, & arſe-

Modus operandi.

In Sum. perfect.

Secundus Cerationis modus.

arſenico propinque, propinquius autē & melius in argento viuo. Et ſubdit rationem, quia horum humiditatem non videmus terram ſuam relinquere propter fortē, vnionē quam in opere miſtionis naturæ habuerūt. Si quis autē dicat, Cō-

Quæstio. cedimus quidē in ſpiritibus ſupradictis vnionem terræ cum humiditate fortiſſimam, humiditas enim ſulphuris a terra ſua non recedit, donec totum combuſtum ſit, nec eius oleū per deſtillationem auferri poteſt, quemadmodum ab alijs rebus oleum habentibus, idemque accidit in arſenico: argētum viuum etiam multoties ſublimatum nullas in fundo fæces relinquit: nam cum tota ſua ſubſtantia ex igne recedit, aut cum tota ſubſtantia permanet, prout omnes aſſerunt Chemici, & rerum magiſtra experientia docet: ſed quomodo hæc quæ tam facile ab igne recedunt poterunt fuſionem facilem tincturæ præſtare, cum Geber Cap. de cerat. & Lullius, alijque Philoſophi requirant ad id humiditatem, quæ ſuper omnes ſit humiditates expectans ignis calorē? Reſpon-

Solutio. demus. Gebrum non de ſulphure vel arſenico vulgari, prout ſunt in natura ſua, loqui, cum illa dicat corrumpere omnia & denigrare, ideoque moneat cap. de Sulphure, vt eo

Sum. perfect.c.58. non vtamur ſine magiſterio, ſine quo nihil præſtat eorum quæ quærimus, ſed de media illorum ſubſtantia quæ, vt inquit, per terreitatem non turbatur ab ingreſſione, quæ per fuſionem bonam perficitur, & cuius impreſſio non remo-

Sum. perfect.c.17. uetur de facili, propter ſubtilitatem. Sed neque de argento viuo vulgari, verba eius intelligi, cum expreſſe dicat, quod in fuſione corporum ſpiritus illa dimittunt, nec eis adhærent, imo ignis aſperitatem refugiunt. Et Cap. præcedenti. Spiritus omnes fugam habent, plus argentum viuum, & ſal armoniacum, minus vero ſulphur, adhuc vero minus compar illius, ſcilicet, arſenicum. Quale igitur erit illud argentū viuum? per artē videlicet præparatum quale ſupra docuimus. Hinc Roſ. minor cap. 12. part. 1. Cerantur corpora calcinata cum corporibus (perfectis ſcilicet) reſolutis, & hoc imbi-

Sum. perfect. cap. bendo & ſublimando. Seu media Mercurij ſubſtantia de cuius proprietate eſt, vt inquit Geber, nō aduri, ſed ab aduſtio-

Pract. teſt. cap. 25. ne defendere, ac etiam figere ac fixum reddere. De qua Lullius. Natura in radice nō ceſſat ſuū incerare corpus cū humiditate fuſibilium, ſcilicet, ſulphuris & argēti viui, quia nullū aliud corpus magis cōueniens natura reperit quā in ſulphu-

re,

re, sed bene credas quod totum procedat ab argento viuo, & ista humiditas non est terminatiua neque consumptiua, sed potius perfectiua radicalis, multum subtilis, in qua calor naturalis omnium liquabilium conquiescit. Hunc secundum inceratioinis modũ latius persequitur Raim. Lul. in Codicillo, in hanc sententiam. Sumatur lapis, videlicet corpus incerandum, & terendo illum imbibe in suo vase imbibitione per minima per vices, postea decoque cum ĩgni leni, donec pars illa fuerit in lapidis substantiam congelata. Postea vigora ignẽ de carbonib⁹ paulatim, donec sublimetur ex eo quidquid resolutum fuerit, tam de aqua sulphuris sicca, quam de argenti viui humida. Tunc iterum quod sublimatum extitit reduc super fæces suas, terendo & imbibendo cum dicto spiritu qui magis in humiditate exuberãter abũdat, & hoc iterata imbibitione, rorida decoctione, cõgelatione, & sublimatione cum ignibus suis successiuis, & diligenter continuatis, donec per continuam sublimationis reiterationem spirituum non inflammabiliũ super illas, & cõtinuum motũ, totum figatur deorsum. Tertius fusionis conciliandæ modus a Gebro traditur his verbis. Ad ingressum rebus impermiscibilibus dandum, bona cautela est, vt soluatur corpus, de cuius intẽtione est per has mutari & alterari, & soluantur res quarũ intẽtionis sit ingredi cũ alteratione. Vult igitur Philosophus & tincturam Physicam non permiscibilem solui, & similiter corpus quod alterari cupimus, & ambas solutiones confundi, simulque coagulari, quod fieri posse ostendimus, quoniã Elixir completum quamuis non fusile naturã fixi in se habet. Ratio huius est euidens. Quælibet enim res propria natura gaudet, eamque amplectitur magis quam alienam, sicut videmus in aqua, quam si alteri aquæ affundas, facile commiscebuntur ambæ. Si igitur & medicina soluatur, & similiter corpus metallicum transmutandum, vtraque in Mercurium conuertentur: cum itaque vtrimque sit Mercurius, facile alter alteri commiscebitur. Sed quæret quispiam, num Elixir non fusibile, & corpus metallicum, in Elixir mutabuntur per huiusmodi solutionem, an in aurum, argentumue? Respondemus in Elixir, cum hoc loco non de proiectione agat Geber, sed quomodo medicinæ ingressio per artem concilietur. Sed medicina ita soluta, & denuo cum corpore itidem resoluto coagulata, postea ingredi

Modus operandi.

Tertius Cerationis modus.

Quæstio.

Solutio.

Quartus Cerationis modus.

gredi & alterare poterit metalli speciem, cuius spiritus ei admistus fuerit, de quo latius infra. Quartus cerationis modus a Lullio & Arnaldo descriptus est iste. Vt medicina alba siue rubea ponatur in catillo super ignem leuẽ & stilletur super ipsum olei gutta vna post aliã, donec fundatur prout requiritur.

Rubr. de præparat. medicinæ adhib. vt differ. ꝓpriet. debitas acquirat.

Cautela in ratione concilianda.

Sed ad fusionem metallicam non sufficit prædictorum notitia, sed desideratur etiamnum perfecta cognitio administrationis ignis in medicinæ coagulatione, seu reditu in terram post ipsius solutionem. Vnde Geber in Sum. Perfect. Non præstat fusionem perfectam, nisi in illius fixione cautela adhibeatur, vt scilicet exercitetur artifex in administratione ignis in modo suæ fixionis, quo possit ex illo deleri humiditas intantum, quod sufficit ad fusionem perfectam complendam. Et est, scilicet, vt si quæras, per hanc corpora fusionis duræ mollificare, in principio suæ cerationis lentus adhibeatur ignis: ignis enim lentus humiditatis est conseruatiuus, & fusionis perfectiuus. Si vero mollia indurare, cõponatur ignis vehemes, talis enim ignis humiditatis est consumptiuus. Vide quam diligens sit Philosophus, & quam nihil prętermittat corũ quæ artifici in perfecta medicinæ præparatione cognitu necessaria sunt, quamuis pro more Auctorum hanc artem tradentium non omnia ordine & cõtinua orationis serie doceat, sed sparsim & per capitula diuersa, ne omnibus ex æquo pateat. Quare autem requirant Philosophi tam velocem in Elixire fusionem, ratio est, quia non solummodo metalla imperfecta, sed etiã hydrargyrum quærunt in aurum argentumque conuertere: si autem Elixir non fuerit facilimæ liquefactionis, argentum viuum ignis violentiam tolerare non valens, antequã ipsum ingrediatur Elixir & tingat, euaporabit. Sic enim Geber. Argẽtum viuum cum fugitiuum sit de facili, absq; inflammatione, aliqua medicina eget, quæ subito ante fugam eius in profundo illi adhæreat, & per minima coniungatur, & illud inspisset, & sua fixione in igni cõseruet, quousq; adueniat illi maioris ignis tolerantia, eius humiditatẽ cõsumentis, & cõuertat illud per hoc artificiũ in momento in Solificũ & Lunificium verum, secundũ illud ad ꝙ medicina fuerit pręparata.

Quare velocissima fusio requiratur in Elixire.

Sum. perfect. Cap. de medicina coagulãte Mercurium.

Signum perfectæ cerationis nobis describunt Philosophi, & præsertim Lullius, & Arnald. si super laminam ignitam

se re-

ſe reſoluerit velociſſime ſicut cera ſine fumo. Alius. Quando volueris tentare medicinam, pondus vnius grani tritici ſuper laminam candentem cupri ponas, & ſi intrans cum pauco calore laminam, ſe diffuderit per totum intus & extra, eſt perfecte tingens, & in igne perſeuerans.

Hactenus diximus quomodo facilitas fuſionis medicinæ cōcilietur, nunc diuerſa aliquot olei nomina, & alias quaſdam eius facultates explicemus. Quo fine audiamus in primis Raim. Lul. in Codicillo loquentem hoc modo. Quanta erit multitudo olei, tanta etiam erit multitudo tincturæ, quia hoc oleum eſt tinctura, aurum, & anima, & philoſophorum vnguētum, quo totum perficitur magiſterium. Idē: Nos clamamus meliorem partem totius compoſiti digeſtā & ſeparatam, vnguentum, animam, aurum noſtrum, & oleum. Et cap. ſeq. Noſtra ſecreta bene temperata & humida in quę corpora verſa ſunt per artem magiſterij, ſunt vnguenta, olea, fermenta, anima, & ſoles, qui lucere non ceſſant ſuper terram noſtram & radiare. In eadem ſententiam Arnald. de Villa noua. Aerem ſic ablutum ſerua ſeorſum, quoniam eſt oleum, tinctura, & aurum, anima & vnguentum philoſophorū, quod colorat & tingit, & figit & fluere facit. Oleū itaque Philoſophorū, ſicut ex ſupradictis patet, dicitur tinctura, anima, fermentum, vnguentum, aurum & argētum, & alijs pluribus nominibus inſignitur. Tinctura nominatur quia colorat & tingit terram mundatam & puram ab omnibus ſordibus tam terreſtribus quam phlegmaticis, comparaturque tincturæ tinctorum, quæ in aqua deportatur ſuper pannum, deinde recedit aqua per deſiccationem, & remanet tinctura in panno fixa propter oleaginitatem: ſimili modo hic ſpiritus in quo deportatur tinctura corporum perfectorum ſolutorum reducitur ſuper terram ſuam albam & purgatam, deſiccatur ibidem, remanente in illa tinctura quæ dicitur oleum. Vocatur idem anima, quia ſicut per animam animalia & vegetabilia omnia viuunt, creſcunt, vegetantur, multiplicanturque, ita lapis Phyſicus cum poſt ortum ipſius anima illi affunditur, fulgore metallico illuſtratur, condecoratur, nutritur, creſcit, augetur, & ſui ſimile producit, artifice ei miniſtrante, naturamque adiuuante. Non quod lapidis anima ſit vegetabilis, ſicut plantæ, aut vitalis, habens in ſe vitæ poteſtatem, quod materia naturæ

Olei nomina diuerſa & facultates.

De 2. practic. principio.

Teſt. c. 46.

Roſ. part. 2. cap. 10.

Oleum quare tinctura appellatur.

Oleum cur anima dicatur.

turæ suæ terrestris & siccæ non patitur, sed sicut artifex in suo opificio informans materiam ad libitum. [Test. cap. 83. & 49.] Idipsum affirmat Raim. Lul. Anima est in semine naturæ sicut magister in suo artificio. Item. Ab anima totus prouenit effectus, quia nulla forma excepta anima est moues naturá secundū ꝓprium suum actum: & sine motu res generari non potest. Non tamen intelligas quod sit organicum corpus physicum, & habeat potestatem vitalem & animalem, sed sicut operator est in artificio suo. [Test. c. 83. Oleum forma metalli.] Ab eodem Lullio oleū istud alibi dicitur forma metalli. Appellatur præterea fermentum, quia sicut fermentum totam pastam cōuertit ad naturam fermenti, ita & hoc oleum totū lapidē vertit in suam naturam, ipsique suam vim & actionem imprimit, tingendi & fluendi. [Oleum fermentum dicitur.] Ad hoc propositum aptissime Raim. Lullius. [Test. c. 38.] Fermenti proprietas est lapidem vertere in naturam fermenti, scilicet, in naturam liquabilem, & fundentem, ratione oleaginitatis subtilis, & olei incombustibilis, & fermētabilis, quod leniter intrat partes dictæ materiæ, quæ in liquore permanente submergitur.

[Oleum dicitur aurū Philosophorū & argentū. Test. cap. 47.] Nominatur similiter aurū philosophorum, non vulgi, quia videlicet non amplius corpus solidum est, vt prius, sed attenuatum & spirituale factum; quod & de argento intelligendum. Sic enim Lul. Laborare te oportet in attenuatione naturæ ad formandum corpus philosophiæ, quousque sit aqua clara, quæ vocatur aqua sapientiæ, nam tota est aurū & argentum delata in actionem elementalium spirituum, in quibus quiescit & gaudet quintæ essentiæ spiritus, qui totum facit. [* Oleum dicitur vnguētū.] * Nūcupatur etiam vnguetum, quia sicut pinguedines omnes & vnguenta emolliunt & lubrica reddunt ea quibus adhibentur, similiter oleum hoc partes duras lapidis emollit, asperas lenit, & fluere facit. Cuius quidem facultatis potissimum & primo loco meminit Geber, hoc Cap. de med. propriet. cæterum quod tingat, coloret, & figat, reticet more suo, cum idipsum alijs locis significet, sed nomine mutato. Quod enim hic oleaginitatem vocat, nomine admodum conueniente actioni scilicet facilem fluxum inducendi. hoc [Sum. perfect.] infra humiditatem radicalem igneam, & tincturam vocat, & alibi Sulphur. quia nimirum agit in materiam instar sulphuris coagulando & figendo. Sic enim Cap. de Sulphure ait. Per Deū altissimum ipsum illuminat omne corpus, qu. c- [illegible] est lumen, alumen, & tinctura. Et Cap. eodem. Cum suo

ſuo compari fit tinctura, & dat pondus completum vnicuique metallorum, & ipſum a fœditate depurat & illuſtrat. Vocat lumen, reſpectu animæ, quæ corpus mortuum & tenebroſum illuminat: dicitur namque corpus tenebroſum, quãdiu anima ei deeſt. Sic enim Morienus. Omne corpus quamdiu anima caruerit, obſcurum & tenebroſum reperitur. Dicit Alumen, reſpectu fixionis, aut medij coniungentis ſpiritum cum corpore, ſimilitudine deſumpta a tinctoribus, qui tincturis ſuis alumen plerumque addunt, vt in pannis alijſque rebus tingendis colores firmentur, & pertinacius adhæreant. Tincturam appellat cauſa coloris rubei, vel albi fixi, quem inducit. Et hoc quidem pulcherrimi exempli loco nobis eſſe poteſt, quomodo Philoſophi ſub diuerſis nominibus facultatem & naturam rei doctis aperte deſcribant, & eadem nominum varietate indoctos & imprudentes ab arte arceant. Quod eodem Cap. dicat. Sulphur cum ſuo compari fieri tincturam, Compar Sulphuris Geber pluribus locis vocat arſenicum, id ipſum hoc quoque loco poteſt intelligi, vt videlicet arſenicum ſit tinctura albedinis, ſulphur vero rubedinis. Quod aperte teſtatur cap. ſeq. de arſenico, dicens. Arſenicum eſt de ſubtili materia, & ſimile cum ſulphure, idcirco non oportet illud aliter diffiniri quã ſulphur. In hoc autem diuerſum eſt a ſulphure, quod ſit albedinis tinctura de facili, rubedinis autẽ difficilime, ſulphur vero rubedinis de facili, albedinis autem difficilime. Poteſt tamen hoc loco compar ſulphuris etiam conuenientiſſime vocari Mercurius ipſi homogeneus, ſub cuius ſpecie, vel in cuius vẽtre abſorptu latitat, donec actione ſuam in decoctione ꝓdat colore firmo, albo vel rubeo. Quod ipſum inſinuans Raim. Lul. ait. Hoc oleũ naturas incerans & coniungens, & indiuidua in medicinam inducens, ſpiritus colorem retinet vſque ad ſui reinſpiſſationem, & tunc induit citrinitatem & formam metallicam. Et Lilium. Spiritus eſt lator virtutum animæ, id eſt, ſulphuris, per corpus, magneſię ſiue terræ. Quod autẽ ea mẽs Gebri eſſe poſſit, hinc patet, quia paulo ante dixerat. Qui ex eo quærit opus elicere, illud per ſe præparãdo non eliciat, quoniã cum miſto perficitur, & ſine illo protelatur magiſteriũ vſque ad deſperationẽ. Per ſuum compar igitur intellige ſpiritũ ſiue Mercuriũ, in quo abſcõditur, ſiue ſub cuius ſpecie latet ſulphur ſiue corpus perfectũ ſolu-

Cur Geber oleũ ſulphur lumen & alumen, ac tincturam vocauerit.

Philoſophi quomodo ſub diuerſis rerum nominibus artem doceant & celent.

In Codicillo.

Oleũ ſpiritus ſiue Mercurij figuram & colorẽ refert.

tum, cuius vi aeria & ignea lapis digeritur; & figitur, formamque argenti vel auri induit. Quod vero addit sulphur fieri tincturam, & dare pondus completum vnicuique metallorum, & ea à fœditate depurare & illustrare, respexit finem decoctionis completæ: tunc enim lapis perfectus sulphur dicitur à Lullio, & Gebro in hunc modum scribente. Qui sulphur commiscere & amicari corporibus nouerit, inuenit vnum de secretis naturæ maximum. Quasi dicat, qui lapidem ad hoc perduxerit, vt fluxione ipsius facili mediante commisceri & coniungi metallis imperfectis possit, ijsque firmiter adhærere, penetrare & transmutare, is viam perfectionis inuenit. Ab eadem conditione oleaginitatis, ad quam inceratiue totus lapis perducitur, vocatur etiam sępius gumma. Hinc Comes Bernardus. Lapis perfectus est gumma & sulphur. Ex supradictis manifestum est, oleum istud non solum facilem fusionem inducere medicinæ, sed eandem etiam tingere. Teste etiam Aschane siue Astano in Turba. Corpus imperfectum coloratione firma coloratur fermento mediante, quod fermentum est anima corporis imperfecti. Figere quoque, ratione qualitatis eius siccæ, & igneæ, quamuis in manifesto oleum istud sit humidum in forma spiritus. De quo plura, Deo dante, Cap. 4. Alias quasdam olei facultates complectitur paucis Auctor Scalæ his verbis. Oleum est tinctura viua, consolidatiua, multiplicatiua, colorificatiua, clarificatiua, purgatiua, perpetuatiua, & confirmatiua. Et Richardus Philosophus Regis Persarum. Lapis fit folium currens, penetratiuum, coloratiuum, perpetuatiuum, oleum viuum, perseueratiuum, depuratiuum, color viuus, viuificatiuus, faciens resurgere mortuos. De tinctura & colore nonnihil dictum est, & dicetur diffusius annuente Deo cap. vlt. Consolidat, ratione liquabilitatis qua partes lapidis non fluentes, & per calcinationem discontinuatas, & humore priuatas soluit, & currere facit, ita vt humidum siccum suum nō derelinquat, nec contra. Idque per cerationem perficitur, cuius modum descripsimus, Penetrat, ratione subtilitatis, & similitudinis ac affinitatis, qua facile suum corpus ingreditur, alienum vero respuit. Multiplicat, quia ipsum est merus sulphuris cibus & nutrimentum, quod in veram quoque sulphuris substantiam conuertitur. Vnde Lullius. De sanguinis substantia quæ est humidum exuberatum, spiritus generatur

Lapis perfectus vocatur sulphur. *Sum. perfect. c. 28.*

Epist. ad Thomam de Bononia.

De alijs facultatibus nōnullis.

Oleum cōsolidat.

Penetrat.

Multiplicat.

Pract. test. cap. 27.

ſatur in ſubſtantia corporis medicinalis, &de illo nutrimentaliter vigoratur. Vocat autem oleum iſtud ſanguinem, cum ratione coloris, qui poteſtate ſanguineus eſt, tum ratione ſimilitudinis. Sicut enim ſanguis in animalibus vniuerſas partes corporis peruadit, alit, fouetque, & viuificos ſpiritus creat, ita etiam oleum ſiue radicalis humor in lapide. Hinc Auctor Roſ. minoris. Aqua corporis, cum corpus redactum eſt in Mercurium, dicitur ſanguis. Et vt ſeipſum interpretetur, addit: Et iſtud oleum non habetur niſi ex metallis fixis. Propter hanc alendi nutrientique facultatem Hermes in tab. ſmarag. Nutrix eius eſt terra. Quod nō intelligendū de terra, ſiue ſulphure, quod nutritur potius, quam nutriat, ſed de humido radicali cui terreum ſubtile & purum immiſtum eſt, ſine quo ſpiritus lapidis vt inquit B. Thomas Aq. nullo modo detineretur, nec complementum poſſideret ſuæ virtutis. Oleum clarificat ratione animæ corpus illuminantis, vt diximus. Purgat & depurat, amouendo impedimentum quo lapis prohibetur ſui ſimile generare, & generandi vim & potentiam procurando. Vel quia in fine decoctionis completæ lapis cuius maxima pars & præcipua, ac cauſa totalis perfectionis eſt humidum radicale, purgat & depurat imperfecta à ſordibus, ea transformando in aurum & argentum. Viuificat, quia ab anima, lapidis forma dependet, & totus eius effectus, qui alioqui in rerum natura nomen non haberet, nec per ſe ſubſiſteret, quia ſepararentur vnita. Perpetuat & confirmat, quia ipſum incorruptibile cum ſit, nec ignem timeat, eandem proprietatem corpori infundit, & quia ſpiritum cum corpore coniungit, eſt enim medium quoddam inter illa, naturam vtriusque in ſe retinens, & ſine cuius adminiculo facile à ſe inuicem dilaberentur. Vnde Philoſophus in Turba: Vnum coniungit, duo componunt medicinam. Et Aſtanus ibidem. Spiritus mediante anima cum corpore coniungitur, & ligatur, & cum ea ſimul in colore fermenti conuertitur; & fit vnum cū eis. Et Raim. Lullius. Anima habet viuificare & ligare duo contraria, ſcilicet, corpus & ſpiritum, ſubtiliando & miſcendo corpus cū ſpiritu; & congelando & retinēdo corpus in ſpiritu, & ſpiritū in corpore fixione permanēte. Idem. Illud mediū defendit elementa à cōbuſtione, & adiuuat & iungit per proprietatē ſuæ naturę corpus cum ſpiri-

Oleum cur ſanguis dicatur.

Cap. de Cerat.

In comment. ſuper candē tab.

Oleum clarificat & purgat.

Oleum viuificat.

Perpetuat.

Oleum coniungit naturas contrarias.

In Apertorio.

Teſt. c. 55.

ſpiritu, & ſpiritum cum corpore. Roſarius. Anima vinculum eſt ſpiritus, ſicut corpus vinculum eſt animæ, anima coniungit, copulat, & tingit. Et vt concludam cum Seniore præparatio rerum a principio vſque ad finem, eſt aqua fixa honorata, nam illa manifeſtat tincturam in proiectione, & ipſa eſt mediatrix inter contraria, & ipſa eadē eſt principiū, medium & vltimum.

Epilogus capitis primi.

Enarratis Olei vtilitatibus & commodis quæ in medicinam inducit, quis cum Philoſophis eius naturam non admiretur, & exoſculetur, auroque & argento pretioſiorem exiſtimet? cum aurum & argentum corpora mortua ſint, nec quicquam in ijs commodi, præter communem quem habent in vita hominum vſum, reperiatur, iſta vero natura tota aurum & argentum ſpirituale ſit, quæ corpus Phyſicum tingat, figat, & fluere faciat, tincturasque iungat & vniat, & præterea ſpeciem ſuam augeat, & in infinitum extendat & multiplicet. Si aurum cauſa fulgoris, ſoliditatis, & perpetuitatis ergo commendatur a Philoſophis, hæc natura tanquam ab auro prognata, & auri quaſi filia fulgorem eundem in ſe habet, quamuis oculis non conſpicuum, cum ſub Mercurij forma latitet, vt diximus, donec decoctione & ignis virtute oculis omnium ſe manifeſtet, ſoliditate eadem prædita eſt, quippe quæ corpus calcinatum & diſcontinuatum conſolidet, & ad auri pondus perducat: durabilitatem & permanentiam in igne non minorem, quam ipſum aurum, aſſequuta, cum in igne nata ſit, & idcirco ignis quodammodo dicatur filia, gaudens igne, & in eodem perpetua, ſi in terram reducatur mundatam & dealbatam, niſi enim fixa eſſet, & figendi in ſe poteſtatem haberet; non figeret. Cum igitur eaſdem cum auro proprietates obtineat, & multo plures, ac tanto auro vulgari præſtet, quanto corpori ſpiritus, oleum hoc imprimis cuicunque veræ chemiæ ſtudioſo diligentiſſime perueſtigandum erit, & cum oleis aliarum quarumcunque rerum ex animalibus, vegetabilibus, medijsve mineralibus deſumptarum conferendum, num ſimile in rerum natura reperiatur. Quod ſi non inueniatur, prout certum eſt non inueniri, huic vni adhæreat repudiatis cæteris.

DE

DE MATERIÆ TENVITATE & ſubtilitate ſpirituali.

CAP. II.

In quo de Solutione Philoſophica ſecretior inſtituitur diſputatio, & modi quibus corpori ac ſpiritus attenuentur, enumerantur: tenuitatisque materiæ commoda recenſentur.

EXcuſſa prima Elixiris proprietate quæ ab Oleo ſeu à radicali humore metallorum dependet, ad ſecundam tranſeo, quæ in attenuatione materiæ ſiue ſubtilitate ſpirituali conſiſtit, quam ideo requirit Philoſophus, vt non ſolum facile, ſed vt inſuper tenuiſſime fluat medicina ad modum aquę penetrans in profundum rei alterabilis. Sed antequam attenuandi modos tradamus, ſciendum primo erit, quę attenuanda ſint; cognito enim ſubiecto attenuando, facilius operationum modi innoteſcent. Attenuanda autem ſunt omnia elementa lapidis, quorum quædam materiam nobis ſubminiſtrabunt, quædam formam. Materiam ſuppeditabunt elementa grauia magis ac denſa, terra ſcilicet & aqua; formam leuia & rara, aer videlicet & ignis, ſiue ignis in aere hoſpitatus, nam ignis per ſe ſubſiſtere non poteſt, ſed opus eſt vt aliud corpus aſſumat & ſubintret, in quo moueatur, & actionem ſuam exerceat. Aqua & terra ſunt elementa patientia, aer & ignis agentia. Actus autem actiuorum iuxta Philoſophum ſunt in patiente bene diſpoſito: quo melius igitur materia fuerit præparata, & magis ſubtiliata, eo quoque aptior erit ſuſcipiendæ formæ. Et quo nobilior fuerit materia, eo nobilior erit forma. Et contra, quãto materia magis compacta fuerit & terreſtris, & à ſublimi natura remotior, tanto ad ſuſceptionem formæ erit debilior. Ideoque Elixiris materiam attenuari oportere nos monent ſedulò Philoſophi, & in primis Raim. Lullius. Niſi res, inquit, ex quibus Elixir componitur ad perfectiſſimam & maximam ſubtilitatem reducantur, non poteſt in eis paulatim augeri nec induci tam altus gradus & exaltatio ſupra naturam, vt decies, centies, aut millies naturam ſuperent. Idem. Materia non bene præparata non poteſt facere aut creare cauſam præparationis. Præpara ergo primo tuam materiam,

Quare materiæ tenuitas requiratur.

Quæ elementa lapidi materiam, quæ formam ſuppeditent.

De Intẽt. alche. c. 6.

In apertorio.

teriam, & separa subtile à spisso, & nobile à vili, & quando res præparatæ fuerint, tunc exibit causa præparationis. Sed elementa lapidis attenuari, imo ne haberi quidem possunt testimonio omnium Philosophorum, nisi è corporibus dissolutis: igitur corpora primum subtilianda erunt per dissolutionem, qui primus est operis gradus.

Dissolutio prim' operis gradus.

Dissolutio autem hæc nihil aliud est, quam vt corpora reuertantur in Mercurium & sulphur; vnde originem habuerunt. Resolui autem in Mercurium aliud corpus non potest, quam metallicum, Mercurio & sulphure constans. At cum metalla perfecta sint, aut imperfecta, iure dubitari potest, num hæc, illave assumenda sint pro Elixiris materia ad solutionem hanc peragendam. Et imperfecta quidem facilioris solutionis videntur, perfecta difficilioris, quia hæc densam & compactam adeo habent naturam, vt vix ignis aut ars in ea agere valeat, illa contra: Sed cum sulphur & argentum viuum contineant impurum & immundum, videmur excusari posse à labore præparationis eorum & depurationis; cum habeamus corpora à natura müda, & quæ per artem subtiliari & à corporalitate ad spiritualitatem deduci possunt. Et in hoc quidem maximus Philosophorum consensus inuenitur præcipientium Solem & Lunam dissolui, & in primam materiam redigi. Vnde Versiculi:

Quæ metalla solutioni magis vel minus apta.

Tu qui gliscis donum Dei,
Contemplare huius rei
Fontem per amabilem.
Lunam, Solem transmutare,
Tibi mando voce clara,
Lympham instillabilem.

Sed si corpora perfecta sumenda iudicemus, cum illa sint duo numero, ambigemus merito, num vtrumque simul capiendum sit, an vero sufficiat alterutrum, videlicet, aurũ pro lapide rubeo, argentum vero pro albo. Posterius innuere videtur Arnald. de Villa noua, cum dicit. Consulo vt non operreris nisi cum Mercurio & Sole, ad Solẽ, & cum Mercurio & Luna, ad Lunã. Item Geber. Aurum est pretiosissimum metallorũ; & tinctura rubedinis, quia tingit & transformat omne corpus. Et Cap. seq. Argentũ est albedinis tinctura. Et rationi con-

Rosar. part. 1. cap. 7.

Sum. perfect. c. 32.

consentanea creduntur dicere: si enim duo corpora coniungantur, forma Elixiris confundetur, & procreabitur corpus mixtum, neque omnino aureum neque argenteum. Apparet igitur Gebrum & Arnaldum duo diuersa Elixiria constituisse; vnum ad rubeum, alterum ad album, respiciendo simpliciter verba eorum. Sed cum ijdem dicant non semel lapidem esse vnicum tantum. (Sic enim Geber. Inuenimus modernos vnum tantum nobis scribere lapidem, ad album & rubeum completum; quod & verum esse concedimus. Et Arnald. Est lapis vnus, vna medicina, cui nihil extranei additur nec diminuitur, nisi quod superflua remoueantur. Item Raimund. Lullius. Vnus est lapis, vna medicina, vna dispositio, vnum opus ad album & rubeum sulphur simul & semel faciendum. Et paulo post. Non igitur oportet te si sulphur album in rubeum conuertere volueris albedinem extrahere, sed solum coquere, donec totum rubeum fiat, atque fixum, quod erit signum completæ decoctionis. Idem plane inculcant omnes alij, & ipsemet Arnald. & addit similitudinem. De mane, inquit, quando video vrinam meam albam & indigestam, statim cognosco me parum dormiuisse: repono itaque me in lectum, & somno recepto vrina citrinatur, quia citrinatio non est nisi plena digestio) non immerito quis hæsitauerit, num duo Lapides sint, an vero vnicus, tam ad album quam ad rubeũ, præsertim cum magna Philosophorum pars vtrumque corpus perfectum iungi præceperit, & vnum Elixir constituerit. Sic enim aperte & dilucide Hermes. Pater eius est Sol, mater Luna. Et alio loco. Draco non moritur, nisi cum fratre & sorore suis interficiatur, non per vnum, sed per ambos simul, scilicet, per Solem & Lunam. Et Morienus. Sine stultos quærere, & quærendo errare, quoniam ad propositum non peruenient, donec Sol & Luna in vnum corpus redigantur. Quare vero vtrumque corpus in arte iungi præceperint Philosophi, rationes ab Auicenna, Hortulano, & Via Vniuersali proponuntur fere tres. Quarum prima est, quod aurum quamvis sit magis perfectum, compactum & fixum, quam reliqua omnia metalla, tamen post suam dissolutionem fiat totum spirituale & aerium instar Mercurij, nullis relictis fæcibus, quia aurum nihil est, quam Mercurius decoctus & inspissatus in ventre terræ actione caloris, separatus à suo sulphure externo. Argentum vero quamvis

[Margin notes: Quomodo philosophi quãdoque vnum, quãdoq; duos lapillos cõstituãt. — De Inuest. perf. ca. 3. — Rosf. part. 1. cap. 6. — In Codicil. circa finem 3. pract. principii. — Rosf. part. 2. cap. 17. — In tab. smarag. — Quare vtrumque corpus perfe. iungi præceperint philosophi. — Ratio prima.]

vis calcinatum & diſſolutum ſæpius, tamen eſt magis fixum quam aurum. Secunda ratio eſt, quod argentum paucam habeat in ſe tincturam, ſed promptum ſit ad auri tincturam recipiendam:& niſi aurum ſolutum habeat retinaculum tincturæ ſuæ, nunquam figeretur, proinde neque corpora imperfecta figere, nec ad auri naturam fixam deducere poſſet. Tertia ratio traditur, quia cum vtrumque corpus per ſe ſit difficilis fuſionis & liquefactionis, tamen ſi coniungantur, facilius fluunt & liquefiunt, quod ſcientes aurifabri faciunt ex vtroque ſimul mixto ſolidaturam ad aurum. Quorum exemplum ſequuti Philoſophi, hæc duo corpora coniungi præceperunt, vt facilius multo medicina flueret, & ingrederetur corpora alteranda. His non obſtantibus, vt Philoſophorum ſententias verbis quidem diſſonas, re vera autem mirabiliter conſentientes conciliemus, eorumque mentem explicemus, quod noſtri potiſſimum officij eſſe iudicamus, qui nihil plus dictis eorum addere cupimus, nec noua in medium producere curamus, dicimus duo eſſe Elixiria, & itidem vnum tantum, diuerſo tamen reſpectu. Opus enim Solare vtrumque, album videlicet & rubeum, in ſe comprehendit, quia aurum ſolutum & terræ Phyſicæ mandatum non tranſit in aurum & Elixir perfectum rubeum, niſi per albedinem, quæ Elixiri Lunari ſufficiat: & ſic merito vocatur vnum opus, & vna medicina. Natura enim ſemper per media operatur, nec aliter ars facit quam natura. Videmus enim in mineris quarundam regionum, in quibus argentum merum abſque admiſtione metallorum imperfectorum cupri videlicet, ſtanni, vel plumbi, generatur, argento ſæpiſſime admixtum aurum, totumque tandem argentum tempore longo tranſire paulatim in aurum, ſi naturæ operatio non interpellatur effodientium auaritia & cupiditate. Quinimo animaduerti dum quondam metallorum mineras ſtudioſius perueſtigarem & adirem, vt loca, & generationis eorundem modum, & naturas addiſcerem, vnam eandemque mineram argenti auro prægnantem quanto profundius cauaretur, tanto magis auri fuiſſe feracem, & multo plus auri continuiſſe argentum ex imis cauernis, quam è medijs aut ſuperioribus, effoſſum. Non alia equidem ratione, vt autumo, quam quod magis depuratum & prolixiori tempore excoctum digeſtum-

Secunda.

Tertia.

Auctoris propoſitũ.

Quare philoſophi dixerint vnum eſſe lapidẽ.

Auctoris conſideratio.

gestumque à natura fuisset: vapor enim commistionis naturalis argenti viui & sulphuris sursum delatus proxima quæque loca generationi congrua primum occupat, deinde illis oppletis ad alia transit, & sic tandem post aliquot secula ad montium altissima fertur, donec tandem in superficie eorundem vel lateribus, aquarum illuuie aut alio quocumque casu prodatur, vel etiam metallicorum exercitatorum & eiusmodi peritorum industria, vel virgula, quam diuinam vocant, deprehendatur. Philosophi etiam expresse affirmant nullum esse aurum, quin prius fuerit argentum. Si autem cum Luna sola quis elixir perficere tentet, is vltra albedinem Lunarem progredi non poterit, nec metalla imperfecta conuertere in aurum, sed tantum in argentum. Et sic duæ erunt medicinæ, Solaris vna, Lunaris altera. Et ratio satis euidēs est, quia omne simile producit sibi simile: Sic ex homine homo generatur, ex Leone Leo, nec formā auri dare quid poterit, nisi formam auri prius habuerit. Solius enim formæ auri proprium est aurum generare, & solius formæ argenti argentum generare. Vnde Morienuus: Omnis tinctura à suo simili procedit. Quæ dixi confirmantur auctoritate Raim. Lullij citati ab Innominato. Eius verba sunt hæc. Spiritus, id est, aqua non coagulatur nisi mediante corpore quod in ea sit dissolutum, cum corpora sint coagulum lactis huius, & tale coagulum debet esse Sol & Luna, in ipso Mercurio soluti: sed tantummodo Luna ad album, & Sol ad album & rubeum opus. Non inficias tamen iuerim, tam calcem argenti quam aliorum metallorum in aurum transire, & Elixir rubeum fieri, si oleo solari postmodum imbuatur, & ad plenum decoquatur. De Sulphure enim Lunæ id aperte testatur Raim. Lul. inquiens. Quando sulphur Lunæ est circulatum, debes illud imbibere aqua corporis solaris paulatim; & coquere, donec suum habeat pondus. Et de calce aliorum metallorum ibidem, Fili tu potes facere elixir ex calce cuiuscunque corporis volueris, ad album vel ad rubeum, hoc modo, Accipe dictum sulphur ad album vel rubeū, & incera, vel imbibe ex oleo corporis Solis vel Lunæ, iuxta album vel rubeum quod facere vis. Sed calx Lunæ per se, hoc est, Mercurio Lunari decocta, & oleo eiusdem incerata, tantum in Lunam seu Elixir lunare digeritur, nec albedinem potest prætergredi, nec ad citrinita-

Quo pacto duo sint lapides.

Omnis forma à suo simili procedit.

Clangbuc.

De intentione Alchemistarum.

tem pertingere. Et quamvis possit per naturam, hominibus tamen non est datum tam longum vitæ spatium, vt decoctione sola argenti in aurum, siue sulphuris albi, vt loquuntur Chemistæ, in rubeum mutationem expectare possint. Quocirca si Lunaris medicina in Solarem conuertenda sit, id fiet admistione rei tingentis eam, quæ sit suæ naturæ, quæ alia non potest esse quam aurum. Quod ipsum intelligit Geber his verbis. Medicina tertij ordinis duplex est, est tamen essentia vna, & in agendi modo similiter, & ideo vnica medicina nuncupatur. Est tamen additamentum citrinantis coloris, qui à sulphuris fixi mundissima substantia perficitur, differentia inter hanc & illam, Lunarem scilicet & Solarem, quod hæc quidem illud in se contineat, illa vero non. Hæc itaque cum ita sint, & elixir album non virtute propria, sed aliena, rubeum fiat, rectissime Philosophi duo diuersa opera constituerunt, & album à rubeo destinxerunt; nec minus vere respectu operis Solaris, vnam medicinam ad album & rubeum affirmarunt.

Quo pacto elixir albũ possit ad auri colorẽ pertingere. Sum. perfect. c. 84.

Dixi superius posse nos excusari à solutione metallorum imperfectorum, quod non ita intelligi velim, quasi solutio illorum omnino inutilis sit, aut quod illorum substantia mundata elixir album aut rubeum non ingrediatur, quod esset contra Philosophorum sententiam, qui tam Mercurium eorundem quam sulphur depurate docent, Mercurius autem eorum nisi per solutionem haberi nequit. Imo ex omnibus metallis elixiris materiam peti posse locuples in primis testis est Arnaldus de Villa noua. Ex corporibus Solis & Lunæ cum suo sulphure & arsenico præparatis nostra elicitur medicina, & ex corporibus similiter alijs elici potest ipsa. Deinde Aristot. non quidem Stagyrita ille, sed Auicenna & Rhasi posterior. Noui verissime quod quodlibet corporum & spirituum si perfecta præparatione fuerit præparatum; album & rubeum est elixir per se solum. Et Geber postquam corporum imperfectorum præparationis & depurationis rationem ostendit, tandem subiungit. Meliorationis & subtiliationis horum substantiæ puræ in generali modus hic est. Primo hoc corpus purgatum & reductum est iterum calcinandum cum igne, & adiutoriis mundatiuis prædictis, deinde cum his quæ sunt solutiua, soluendum. Hæc enim aqua lapis noster est, & argentum viuum de argento viuo, & sulphur de sulphure ex

Omnia corpora elixiris materiã suppeditare posse. Rос. part. 1. cap. 7. De perfe. mag. De inuest. perfect. cap. 5.

re ex corpore spirituali abstractum & subtiliatum : quæ meliorari potest, confortando in ipsa virtutes elementales, cum alijs præparatis, quæ sunt ex genere sui generis, & augmentando colorem, fixionem, pondus, puritatem, & alia omnia quæ pertinent ad elixir perfectum. Quo in loco tria obseruatu digna veniunt. Primum est, corporis imperfecti solutio, deinde post solutionem sulphuris ex eodem extractio, postremo eorundem decoctorum videlicet & congelatorum melioratio, & confortatio cum rebus sui generis, scilicet metallis perfectis in Mercurium seu potius oleum redactis, quæ sola colorem, fixionem, pondus, puritatis claritatem imperfectis infundere possunt, cum in ijs præcipue sit: Deinde frustra doceret Geber omnium metallorum solutionem in Mercurium, nisi elixiris materiam præbere possent. Sic enim eiusdem libri cap. 6. Iouis aquam honorare debemus, ipsa enim est quam quærimus ad album. Eodem modo de aquis Saturni, Martis & Veneris differit. Nec Geber, Arnaldus & Aristot. soli, sed etiam Raimund. Lullius pluribus locis idem affirmat, prout capitibus sequentibus diffusius ostendetur. Nec repugnat Gebri auctoritas alio loco dicentis, à perfectione corpora diminuta fœda existere, & nihil in eis fulgidum inueniri, cum in eis secundum naturam non sit. Quia cum dicit nihil in eis fulgidum reperiri, respexit tincturam, quam non ex illis, sed ex perfectis solis peti debere auctor est Lullius, in hunc modum scribens. Fili scias non opus esse vt te molestes in extrahendo oleum & tincturam, nisi ex duobus corporibus perfectis, quia in illis est liquor, qui est oleum, aurum, tinctura, quæ proprie dicitur Lux, & lumen illorum corporum, (intelligit autem imperfecta, de quibus egit cap. præced.) aut in album aut in rubeum, ex quo proprie nostrum sulphur fit album aut rubeum. Sed cum dico tincturam è solis nobilibus metallis peti debere, non propterea affirmare velim alia corpora tinctura occulta omnino carere, quod dictis Philosophorum citatis & in medium adducendis refragaretur, sed quod faciliori opera, maiori copia, & vberiori fructu tinctura Solis & Lunæ inceretur corporum imperfectorum sulphur, quam propria.

Sum. perfect. cap. 69.

De intét. Alchemista. cap. de modo ol. faciendi & tincturam.

Imperfecta corpora non omnino tinctura carere.

Inperfectis tinctura copiosior.

Cognita materia dissoluenda non minor quæstio oritur circa dissolutionis modum. Qui in salibus, atramentis, &

alumine, aut ſimilibus horum naturam imitantibus operam impendunt, perbelle diffinitioni ſolutionis à Gebro traditæ ſatisfacere videntur, qui dicit Solutionem nihil aliud eſſe niſi rei ſiccæ in aquam reductionem. Et poſt aliquot lineas addit. Omne quod ſoluitur, neceſſe eſt ſalis, aluminum, vel eorum conſimilium naturam habere. Item. Ex operibus naturæ probare poſſumus, ſola ſalium & aluminum, & ſimilium naturam ſeruantia ſolubilia eſſe: non enim in operibus illius omnibus conſiderantes, inuenimus alia ſolui, præter illa. Item, qui in gummi arborum & planetarum laborant, Gebri mentem ex parte aliqua aſſequi videntur, ſicut & hi qui ex animalibus & vegetabilibus aut ortum ex ijs habentibus aquas deſtillatione eliciunt, terram ſiue fæces in vaſis fundo relictas calcinant, calcem deinde aqua propria imbibunt & ſoluunt; maxime cum Geber ſubiungat omnem ſolutionis perfectionem adduci cum aquis ſubtilibus & maxime acutis, & acribus, & ponticis fæcem nullam habentibus. At quis neget in tanta animalium & vegetabilium diuerſitate huius notæ aquas non reperiri? Sed Philoſophi non laborant de aquis tangenti adhærentibus, aut diaphanis, quæ cum metallis miſceri non poſſunt. Vnde legimus in Turba. Inſipientes audientes aquam, putant eam eſſe aquam pluuiæ aut fontis, ſed ſi libros noſtros legiſſent, ſcirent vtique eam eſſe permanentem. Proinde etiam illos non minus errare certum eſt, qui aquas validas ſeu fortes vt vocant ex ſale petræ, calchanto, & ſale communi addito etiam armoniaco, aut alijs ſimilibus, deſtillatione excipiunt, & in ijs corpora metallica corrodunt, non ſoluunt, vt exiſtimant, ſolutione naturali & Phyſica, quæ requirit corporis reductionē in argentum viuum. Nec ſecus peccant, qui ex hydrargyro currente, ſiue per ſublimationem cum ſalibus mortificato, aquam vi ignis validam exſugunt, eaque ſe aurum & argentum in primam materiam reducere poſſe ſperant. Videntur quidem ad ſolutionis cognitionem proxime accedere quæ per cognata & homogenea fieri debet, Mercurius autem & mella perfecta non differunt, niſi quod hæc per naturam plane decocta ſint, illud autē tantummodo incoat; & imperfectum relictum; ſed tamen quid faciant, non ſatis aſſequuntur, corrumpunt enim naturam Mercurij ſpermaticā & proportionem, q̄ nullū reſtaurare poteſt

Sum. perfect. c. 52.

Errores operātium.

potest humanum ingenium. Mercurius autem semel corruptus & disproportionatus opus Philosophorum non ingreditur, cum perdiderit naturam metallicam: denique neque hæc aqua, quam isti Mercurialem vocant, magis quam prædictarum vlla corpus perfectum soluet, aut postmodum dissoluto adhærebit, sed ab igne euaporabit & recedet.

Mercurius disproportionatus operi inutilis.

Quæ igitur tandem erit Solutio Philosophica? Circa huius cognitionem multa desudarunt præclarissima ingenia, & tamen eam assequi non potuerunt: est enim totius operis chemici secretissimum arcanum, quod si quis sua industria, vel per doctrinam alterius inuestigatum nouerit, profecto neque reliqua artis regimina eum latebunt, si libri non desint, & in eos gnauiter incumbere non cesset. Asserunt quidem Philosophi corpora perfecta conuertenda esse in materiam primam, hoc est, in Mercurium, quod fieri non potest nisi per corruptionē, vnius enim corruptio generatio est alterius: sed ijdem corruptionem inducendam dicunt per vias naturæ contrarias, ac metalla perfecta lento calore excocta sunt in visceribus terræ, ibidemque humiditas eorum paulatim inspissata & fixa, igitur si in materiam primam deducenda erunt, calcinari & solui ac reincrudari ea oportebit: calcinationem & solutionem vocat Raimundus Lullius operationes naturæ contrarias. Reincrudatio autem hæc siue potius destinctio corporū non videbitur via ad constructionem. Atque vt maxime sit, modum nō descripserunt Philosophi, quo fieri id possit, aut debeat. Præcipiunt quidem aurum & argentum solui aqua sui generis, siue per Mercurium in Mercurium, sed tentaui ego per plures annos, tentarūt & alij, nec tamen audio quenquam laborum suorum fructu potitum, nisi immutata operis ratione. Quidam argentum viuū forti & vehementi ignitione sublimarunt ab auro, ita vt eius subtilitas ascenderet, & citrinissimum cum eo crearet colorem, putauerunt magnum quippiam se consequutos, cum tamen nec ad primum operis Physici regimen peruenissent. Decipiuntur enim, vt ait Raim. Lullius, qui existimant posse coniungi spiritus cum corporibus in eorum crassitie, & diuersitate naturæ, quoniam id fieri non potest, donec deducantur ad vnam æqualitatem formæ. Qua pulcerrima & aureis literis notanda sentētia duas nobis proponit Philosophus rationes, quib. corpora cum spiritibus aptissime coniungantur. Si enim

Dissolutio Philosophorū secretissima.

Test. cap. 19.

De Intēt. Alchem.

ad æqualitatem formæ sunt deducenda, oportebit spiritum in corpus solare vel lunare prius decoquere, & ita auro & argento coniungere, quod factu difficile videtur: aut corpus auri vel argenti reducere in naturam Mercurialem, & argento viuo addere, quod facilius erit: dedit enim nobis Deus media mineralia, quibus id commode præstari possit. Hinc est quod Geber ait, perfectionem magisterij conficere in consideratione rerum tam materialium, quam iuuantium. Quæ autem sint iuuantia satis declarat lib. de Inuestig. perfect. ca. 4. Res, inquit, præparationem iuuantes sunt istæ, scilicet omnia genera salium, aluminum, & atramentorum, &c. Et Raimund. Lullius. Sunt in ordine primo quatuor practicalia principia, quorum duo sunt naturalia, & reliqua duo contra naturam. Naturalia sunt sulphur & argentum viuum, & ex his duobus amor metallicus gignitur, per quem fit generatio rei petitæ. Et paulo post. Contra naturam sunt natura vitrioli, & natura salis communis, ex quibus amor alterius generis oritur, generationis tamen propinquæ, & sub ipsis fit corruptio rei petitæ. Vincent. in spec. doctrin. Proprietas salis est quod liquefacit aurum & argentum cum vehementia ignis, & augmentet in ijs colorem, scilicet in auro rubedinem, in argento albedinem, conuertitque ea à corporalitate ad spiritualitatem, abluitque à sordibus corpora, & eorum sulphureitatem corrodit. Dicit salem deducere aurum & argentum à corporeitate ad spiritualitatem, quod nihil aliud est, quam reducere ea in materiam suam primam, siue in Mercurium. Quod addit salem abluere à sordibus corpora, imperfecta intellige, nam perfecta exteriores sordes & sulphureitatem non habent. Ex quibus colligere licet, quam parce paucisque verbis maximum huius artis arcanum describant Philosophi, absque cuius cognitione nemo aurum argentumque in primam materiam, seu in Mercurium currentem reducere potest.

Metalla cū salibus in Mercurium reducenda.

In Codicillo.

Obiectio prima.

Sed insurget non nemo, & dicet, Philosophi in solutione desiderant vnitatem & permanentiam soluentis & soluendi, at sales quamvis corpora soluant, tamen cum eis non permanent, sed recidunt facile per ablutiones aquæ calidæ, aut alterius humoris. Item: Asserunt Philosophi solutionem corporis & coagulationem spiritus fieri, eodem momento ac tempore, nec corpus solui, nisi cum spiritus coagula-

Secunda.

gulatione, nec ſpiritum coagulari, niſi cum corporis ſolutione: at in hac metalli ſolutione nulla poteſt eſſe coagulatio ſpiritus, cum ſpiritus nullus corpori iungatur, ſed ſales, qui corporis ſpiſſitudinem tantum reſoluunt, deinde ſeparantur ab eodem. Reſpondeo Philoſophos quidem vera docere, ſed nobis circumſpiciendum eſſe, de qua ſolutione loquantur: Philoſophi enim ſæpius more Poetarum ὕςερον πρότερον libros ſuos incipiunt, principium in fine interſerentes. Dicimus itaque cum Raim. Lullio, Marſilio Ficino, & alijs huius ſcientiæ peritiſſimis, tres eſſe ſolutiones præcipuas in opere Chemico. Primam crudi corporis metallici, ſecundam terræ Phyſicæ, & tertiã quæ in lapidis nutritione ſiue augmento conſiſtit. Nec aliud ſignificant Philoſophi cum dicunt, opus nihil aliud eſſe, quam perfectam ſolutionem & congelationem, non quidem vnicam, ſed ſæpius repetitam. Quod autem Philoſophorum tantopere decantata ſolutio, non ſit prima crudi corporis, hinc liquet, quia ſtatim poſt ſolutionem corporis præcipiunt elementa ſeparari, & ea purgari, purgataque denuo coniungi. At dicunt ijdem in vera ſolutione ſpiritum cum corpore ita vniri vt vnum poſtea ab altero ſeparari non poſſit. Quod ſi verum eſt, ſicut innumeris teſtimonijs huiuſce artis auctorum probari poteſt, quibus allegandis breuitatis cauſa ſuperſedeo, quæ elementorum ſeparatio aut purgatio nobis expectanda erit in corpore duro & ſolido, quod diuidi non poſſit? Aſſerunt inſuper Philoſophi veram corporis & ſpiritus vnionem non fieri, niſi vtraque prius perfectiſſime mundata fuerint: at ſi vnio nulla fiat corporis cum ſpiritu, ante perfectam eorundem mundationem, profecto neque vlla conueniens ſolutio fieri poterit, cum per ſolam ſolutionem, eorundem fiat vnio. Si quis mediam affectet viam, & putet in ſolutione Phyſica ſpiritum non in corpus ſiccum coagulari, ſed tantummodo inſpiſſari, aut denſiorem reddi, non ſecus ac ſi quis lacti aut aquæ farinæ aliquid addens pulmentum inde decoquat neque plane tenue neque denſum, is audiat Roſarium, & Aſſoten in Turba. Niſi omnia in puluerem verſa fuerint, nondum ea contriuiſtis, propterea coquite & terite, quouſque conuertantur & natura puluis fiat. Loquuntur autem de ſolutione Phyſica. Et Zinon ibidem. Niſi corpora vertatis in non corpora, & incorporea in corpora, nondum opus inue-

Reſpõſio ad obiecta.

Tres ſolutiones in opere.

Solutionẽ metalli crudi non eſſe ſolennem Philoſophorũ ſolutionẽ demonſtratur.

In ſolut. Phyſica omnia in puluerem verti.

nistis: fiunt autem corpora incorporea, cum ethelia teritur, quousq; fiat puluis, qui non sit, nisi fortissima decoctione, & contritione continua. At si in vera solutione omnia in puluerem vertenda sint, nullus relinquitur locus elementorum separationi, quæ in liquido corpore fieri debet, in sicco fieri non potest, cum præsertim per destillationes & sublimationes ea peragenda sit, separando ignem a terra, & subtile à spisso, iuxta Hermetis præscriptum. Igitur cum Philosophi dicunt solutionem corporis non fieri absque coagulatione spiritus, & contra, intelligemus eos loqui aut de secunda solutione in qua aqua sic terræ vnitur, vt vna alteram non facile deserat, aut de tertia, in qua elementa volatilia fixantur, & in terram rediguntur tingentem, fundentem ac penetrantem: primam vero solutionem existimabimus simplicem auri vel argenti, aut alterius metalli in argentum viuum, quod argentum viuum corporum iam ad æqualitatem formæ redactum cum argento viuo vulgari, facilime illud amplectetur, illique iungetur per minima, non secus ac lac lacti iunctum. Hinc Geber. Vnum argentum viuum alteri argento viuo magis adhæret, & amicabilius est, deinde vero aurum, postea vero argentum, reliqua vero corpora tantam affinitatem siue conformitatem cum illo non habent, quia minus de illius natura participant. Et Raim. Lullius. Solutio fit in lapide nostro, vt lapidem faciat omnino subtilem, & postea melius cum spiritibus coniungatur, quia quod subtilis & raræ est substantiæ, cum subtili & rarefacto citius coniungitur, & celerius augetur quam spissum, durum, & opacum. Vides quomodo eximius Doctor Lullius, spiritum non coniungendum censet cum corpore duro & solido, sicut plerique omnes hodie & ego quondam maximo errore, sed è conuerso, corpus subtiliatum & solutum cum spiritu? Geber etiam expresse fatetur, nullum corpus quantumcunque cum Mercurio conueniat in natura, illi firmiter adhærere, aut ipsum coagulare posse. Sic enim ait. Nō videmus corporū aliquod in natura sua argentum viuum coagulare, sed ab eis ipsum fugere, quantumcunque fuerint suæ conuenientiæ: ideoque considerauimus nullum corpus illi in profundo adhærere. Quid his Gebri verbis apertius, quid dilucidius, quid etiā verius? Nullū corpus, inquit, quantumcunq; maxime cū Mercurio conueniat, eum coagulat, pcipue autē cum illo conuenit aurum

Marginalia: Solutio physica quæ sit. / Solutio prima qualis. / In Codicillo. / Corpus solutum iungendū esse spiritui & non contra. / Sum perfect. cap. 53.

aurum, vt testatur passim: quod si aurum nō potens sit Mercurium coagulare, profectò neq; Mercurius satis efficax erit ad aurum soluendum, cum vnũ opus sit coagulationis & solutionis, nec vlla temporis differentia inter hæc duo. Hoc enim modo Calid, filius Iasichi. Solutio corporis & coagulatio spiritus sunt duo, sed habent vnam operationẽ, quia spiritus nō coagulatur, nisi cũ solutione corporis, & similiter corpus nō soluitur, nisi cum coagulatione spiritus Et paulo post. Scias ꝙ inter solutionem corporis & coagulationẽ spiritus, non est differentia temporis, neq; opus diuersum, ita quod sit vnũ sine alio, sed eorum est vnus terminus, & vnum factũ, & vna & eadem operatio circuit super illa duo. Idem Cap. 1. non minus dilucide quam Raim. Lul. aut Geber corpora prius subtilianda dicit, quam spiritus cum eis cōiungantur. His verbis. Dico quod in corpore nō morabitur spiritus, nec in eo erit, nec cũ eo vllatenus remanebit, quousq; ipsum corpus habeat ex subtilitate & attenuatione, vt habet spiritus: & cum ipsum iã attenuatum fuerit & subtiliatũ, & exierit à sua densitate & spissitudine ad tenuitatem, & à grossitie & corporeitate ad spiritualitatem, commiscebitur tunc spiritibus subtilibus, & sic euadent vnũ & idem, & nō separabuntur, sicut nec aqua mixta aquæ. Ex supradictis satis euidenter liquet, quanto in errore versati sint hactenus, & versentur etiamnum hodie, qui aurum argentumq; vel alia metalla cum argento viuo vulgari solui posse sperant, & veram solutionem Philosophorũ prætereunt. Vnde nec mirum est, si in principijs laborantes debitum finem non assequantur. Sed dicet alius, In lapidem nostrum nihil extranei ingreditur, nec ei admiscetur quippiam quod non sit de natura sua metallica, quomodo igitur suades vt corporibus sales & atramenta addamus, quæ à metallorum natura aliena sunt? Respondeo, aliud esse, simpliciter aliquid addere ad expurgationem vel attenuationem spirituum vel corporum, aliud ingredi & permisceri per minima in radice cum vtriusq; permanentia. Ita Philosophi salis quidem addunt spiritibus vt expurgentur, corporibus vero vt soluantur, sed eadem substãtia eorundem intimam non ingrediuntur, neq; pondus eorum augent, neq; vllo modo adhærẽt, sed leuissimo lauacro aut ablutione recedunt, nec quicquã præter naturam metallicam & Mercurialem in opere simul iungitur, ex qua sola totum opus completur.

Nullum corpus Mercuriũ coagulat nisi solutum.

Lib. secretorum.

Solutionis & coagulationis vnum opus.

Aurum & argentum per Mercuriũ solui nō posse.

Tertia obiectio.

Respōsio.

Soluun-

Solutionis ratio duplex. Quid intersitinter solut. corp. perfect.& imperfect. De inuest. perfect. cap.2. Corpora perfecta ante sol. præparatione non egent.

Soluunturitaq; corpora perfecta & imperfecta, sed diuerso respectu: Hæc enim soluuntur vt Mercurium habeamus quo cum terra imbibatur, abluatur & sublimetur: illa, vt spiritus firmentur, figantur, ac cingantur, quia spiritus in terra figi non possunt, nisi per aquam corporum perfectorum. Hoc etiam interest inter metalla quod perfecta non egent depuratione aliqua ante solutionem, quia perfecta sunt & munda, sed tantum attenuatione. Hoc ipsum nos docet Geber. Præparare, inquit, est superflua demere, & absentia supplere, & sic notam eis immittere perfectionem: Hac vero præparatione non indigent corpora perfecta. Indigent vero præparatione tali, qua eorum partes magis subtilientur, & à corporalitate sua ad spiritualitatē reducantur. Imperfecta vero cum contineant terrestreitatem immundam, fœculētam, & incombustibilem, nimis grossam, ingressionem impedientem, & fusionem, & humiditatem similiter combustibilem, & corrumpentem, & raræ substantiæ & porosæ, habentem fusionem sine ignitione debita, vel nullam, nec tolerantem extensionem sub malleo sufficientem: oportet depurari ante solutionem, & superflua hæc, quæ non radicaliter, sed accidentaliter iis superuenerunt, demere per artificium:

De inuestiga. perfe. cap.5. Imperfecta quo modo præparanda ante sol.

Cuius modum elegantissime tradit Geber in hanc sententiam. Primo eleuanda est, cum igne proportionali tota humiditas superflua & corrupta in illorum essentia, etiam superfluitas subtilis & comburens, & hoc calcinando: deinde totalis substantia remanens corrupta in illorum calce superfluæ humiditatis comburentis, & nigredinis, corrodenda est cum aquis mundatis, corrosiuis, acutis, seu acerbis, donec calx fuerit alba vel rubea, aut secundum corporis naturam & proprietatem colorata & munda ac pura ab omni superfluitate seu corruptione. Postea vero delenda seu deponenda est, totalis terrestreitas immunda & fœculenta, combustibilis, & grossa, cum rebus prædictis, mundatis, vel puris, fusionem metallicam non habentibus (sales intelligit) cum calce prædicta depurata commistis & bene tritis, quæ in fusione seu calcis reductione retinebunt secum terrestreitatem grossam & immundam, remanēte corpore puro ex omni superfluitate corrumpēte mundato, & hoc totum descendendo. Descensionis autem modum & causam quoniam aperte & dilucide præter morem suum tradit Geber, nos ne longiores simus, lectorem eo amandabimus.

Sum. perfect. cap. 49.

Enar-

Enarrata attenuatione metallorum quę per reductionem in primam materiam hoc est Mercurium peragitur, & operis principium nobis exhibet, consequens est, vt de elementis lapidis sermonem instituamus, quæ non minus subtiliari præceperunt Philosophi, quam ipsum corpus metallicum durum & compactum. Modi vero quibus ad hoc perueniatur traduntur sex potissimum. Putrefactio, destillatio, calcinatio, solutio, sublimatio, & ceratio. Horum nonnulli parti lapidis superiori, quidam inferiori subseruiunt, alij vtrique. Sic enim diuisit lapidis partes Hermes inquiens, Quod est superius, est sicut quod inferius. Superiorem autem voco spiritualem non fixam, leuem & volatilem; spiritum videlicet & animam, quæ mortificatum lapidem viuificat & resurgere facit. Inferiorem dico terram quæ manet fixa, & remotis ac consumptis omnibus superfluitatibus miscetur cum superiore; ex quibus coniunctis & vnitis fit opus perfectum. Superiorem partem attenuat destillatio, inferiorem calcinatio, solutio, ceratio; vtramque putrefactio & sublimatio. Posset his addi colatio per filtrum, siue depuratio per lacinias, cum ea quæ depurantur magis quoque subtilientur: item maceratio & infusio, qua virtutes & subtiliores rerum siccarum partes euocantur & liquoribus vini, aquæ, vel olei infunduntur: similiter circulatio, qua perpetua rotatione, seu ascensione & descensione continua, liquores quidam supra modum ita attenuantur, vt calcem quæ nullis destillationibus ab ijs amoueri potuit, deponant, & in fundo relinquant, aeriamque quodammodo naturam assumant. Sed hæc & similia quoniam vegetabilibus & ijs quæ ex animalibus procedunt, magis conueniunt quam metallis, quibus tamen eadem opera per similitudinem nonnunquam accommodantur, consulto præteribimus, præsertim cum ab alijs, qui de Quinta rerum essentia extrahenda scripserunt, hæc sine ambagibus tradita sint. Nec tamen in metallicæ metamorphoseos arte omnino repudianda: licet enim de Elixiris perfectione non sint, tamen ad præparationem rerum non parum adiuuant quandoque. Colationi tamen per filtrum non inepte substitui potest compressio per corium aut pannum duplicem, qua exploramus num argentum viuum corpus aliquod metallicum in se contineat, nec ne. Si enim in corio aut panno aliquid remanserit quod traiici

De elemẽtis lap. attenuãdis.

Quot operationum modi.

Lapis in superiorẽ & inferiorem partẽ diuisus.

Operat. superiori aut inferiori lapidis parti deseruiẽtes.

traijci non possit, hydrargyrum tale operi physico inutile iudicandum erit.

De putrefactione. Rosſ. part. 2. Cap. 4. Codicil. circa finē primi prӕcti. princi. pij. Lib. 1. de simpl. medi. facul. cap. 35. Putredinis definitio. Lib. 4. meteo. Lib. methodi meden. cap. 8.

Solutionē itaq; sequitur putrefactio teste Arnaldo de Villa noua, qui id ipsum adfirmat his verbis. Lapidē dissolutū accipe, & pone super calorē temperatū, vt putrefiat & digeratur melius, videlicet per mensem philosophorum. Hermes in Turba. Secundus gradus est putrefacere. Raimund. etiam Lullius in eandem sententiam scribit. Intentio quam debes habere fili, est vt lapidem dissolutum accipias, & illum in secreto fimo collocare non differas, vt stet ibi per 40. dies, quia elementa alterantur, & ad inuicem corrumpuntur. Talis corruptio est argenti viui nostri solennis generatio, quæ haberi nequit nisi post putrefactionem. Putredinem autem attenuare minime ignotum est vel Platonis testimonio, quod Galenus adducit. Nam de ijs quæ sapore sunt acri verba faciens, Eadem ista, inquit, interdum à putredine attenuata angustas ingrediuntur vias, acidusque inde sapor emanat. Putredinem definit Aristot. corruptionem propriæ & naturalis caliditatis in vnoquoque humido, ab aliena caliditate. Gale. vero dicit putrefactionem esse mutationem totius putrescētis corporis substantiæ ad corruptelam à calido externo. Galeni definitio magis vegetabilibus & animalibus quadrare videtur, Aristotelica vero Chemistarum operationibus, eamque amplexus est Raim. Lullius, dum loco superius citato sic dicat. Effectus putrefactionis est propriæ & naturalis caliditatis ab innaturali caliditate corruptio. Et paulo post. Sic complexionem mutat innaturalis calor, quæ substantiæ metalli conuenit in complexionem oppositā, quod tamē facere non valeret, quamdiu staret humiditas calore naturali informata, & ideo oportet vt prius corrumpat calorem naturalem sub conseruatione illius. Dicit sub illius conseruatione, vt intelligamus calorem innatum non omnino tolli per externum calorem putrefactionis auctorem, sed tantum hebescere, & deficere propter humidum superfluens, donec eo amoto per destillationem, aut exsiccato per decoctionē, elementa actiua per calcinationes acutoria & ignea magis redita vires suas denuo exerant, & demonstrent. Putredinem itaque elementorum diuisionem præcedere necesse est: nam si partium diuisionem quærimus quas natura iunxit, putrefactio-

Putrefactio elemētorum diuisionem præcedit.

factio ad eam diuisionem via est. Vt enim mixtio, teste Aristot. est vnio, ita putredo dissolutio. Ideo omnia putrefiunt, vt magis digesta melius separentur. Vnde Lullius in Cod. In tali materia simplici corrupta insunt quatuor elementa cõposita, separabilia, & resolubilia in aquam Mercurij post putrefactionem. Vocat autem materiam simplicem corpus solutum, ad differentiam corporis solidi & duri. Dicit item elementa composita, quia veri Chemistæ non quærunt elemẽta simplicia, ex quibus nulla fieri potest generatio, sed elementa composita, quorum singula reliqua etiam tria annexa & adiuncta habeant, prædominante tamen vno præ reliquis tribus. Ita aquam vocant Philosophi in qua aquæ vincunt qualitates, frigidum videlicet & humidum; aerem in quo superant calidum & frigidum: ignem in quo caliditas & siccitas excellunt: terram in qua siccitas & frigiditas exuperant. Putrefaciendi autem modus est, vt lapis solutus in vitro clauso sub fimo collocetur, calorque eius ad tempus præfixum conseruetur, siue vrinæ aspersione, aut calcis viuæ substratione, siue fimi adiectione, aut eiusdem octauo quoque die immutatione. Est & alius modus subtilior, quem insinuat Raim. Lullius, vt videlicet totum compositum dissolutum collocetur in fimo prius posito in æneo quodam vase subtus & circũcirca perforato, quod intret in aliud vas similiter æneum, in cuius fundo sit aqua distans à fundo vasis perforati digitorum sex aut octo altitudine, vt vapor aquæ excalefactæ sursum eleuatus fimum in superiore vase contentum humectet continuo & calefaciat; habeatq; a latere item canalem æneum, qui extra furni fabricã promineat, epistomioq; suo stricte claudatur, cum opus erit, per quem aqua calida denuo infundi possit pro arbitrio artificis mensurantis aquæ diminutionem, vt tantum videlicet infundat mane & vesperi quantum euaporauerit. Superius etiam operculum ex ęre sit, intrans stricte putrefactionis ollam, vapores eleuatos cohibens & remittens, quod amoueri & addi possit pro libito.

Elementa Chemistarum qualia.

Putrefactionum modi aliquot.

Pract. artis intellect.

Putrefactionem consequitur elementorum separatio, quę ideo fit, vt singula separatim melius possint mundari. Hęc vero per destillationem peragitur. Est autem destillatio partium cuiusq; rei humidiorum in halitus seu vapores à calore extenuatio, atque in æthera sublimatio, qui frigidis alembici for-

Element. separationem fieri per destillationem.

Destillat. definitio.

fornicibus, aut recipientis vasis lateribus occursantes, & inibi residentes frigore densantur, coeuntque in guttas, ac stillatitij facti refluunt, & in humorem abeũt. Destillationis diffinitio à Gebro tradita mutila potest videri quibusdam, cum inquit destillationem esse vaporum aqueorũ in suo vase eleuationem. Sed Geber non tam destillationes vulgares respexit quam physicam, cui hęc definitio sufficere putabatur. Causa inuentionis duplex describitur ab eodem. Vna quidem purificatio à fæcibus: altera, conseruatio à putrefactione: experientia enim ostendit destillata quęq; puriora effici & melius à putrefactione præseruari. Maxime autem indigebant philosophi aqua purissima & mundissima sine terra, vt si quãdo imbibenda esset terra siue medicina mundata, aquam haberent quæ fæcem post illius resolutionem non dimitteret, qua medicinæ & spiritus mundati possent infici & corrumpi. Sed obijciet quispiam me superius paulo docuisse ex elementis simplicibus nihil generari, & nunc me requirere aquam puram sine terra, quod fieri vix potest, terra enim alimentũ aquæ est, sicut aqua aeris, & aer ignis. Respondeo philosophos desiderare aquam puram, non quidem absque omni terra, sed quæ percipi non possit in operatione, quemadmodum Cap. I. idem dixi intelligi debere de terra omni vnctuositate vacua, quantum ad sensum, sed non in rei veritate Triplicem autem statuunt periti artifices destillationis modum. Vnum per ascensum, secundum per descensum, tertium per latus siue inclinationem, inter vtrumque medium. Postrema destillatio cucurbita incurua, quam retortam vocant, vel cucurbita quidem recta sed in latus inclinata, & collum augustius habẽte: ventremque prominentiorem, peragitur. Media cucurbita recta, sed inuersa. In vtraque vero receptaculum tantum additur vasis ori, in quod immediate propulsi vapores intrant, ibidemque condensantur in liquorem siue aqueum, siue oleosum. Prima vero, cucurbita seu matula etiam erecta indiget, sed ei alembicus seu pileus rostratus superponitur in quem primo halitus feruntur, eiusque cameras & parietes irrorant, deinde in humorem densati per canalem eiusdem & rostrum in receptaculum dilabuntur. Destillationis ratio non modo per vas, sed etiam ex ignis administratione plurimum variat: alia enim calore fit balnei, alia cinerum vel arenæ, alia item nudi ignis carbonum, aut flammæ; taceo ignes

Margin notes: Cur inuẽta. — Obiectio. — Responsio. — Destillatio quotuplex. — Ignis variatio in destillãdo.

ignes inter hos medios Per balneum enim subtiliores, & sine colore, & ad naturam aqueitatis simplicis approximantes partes tantum eleuantur, aqua enim ignitionem non suscipit; per cineres vero colores & grossiores partes terreæ etiam ascendere solent, cum ignitionem recipiant. Per ignem vero nudum destillantur quæ contumacius liquorem remittunt, vel ob siccitatem & paucitatem, vel quod ob viscositatem & homogeneitatem terreis partibus pertinacius adhæreat. His destillationum modis vti possunt Chemistæ, ea tamen cautione, vt per ascensum destillando cucurbita non nimis alta sit, os eius amplum, & alembicus magnus. Prohibent autem cucurbitæ altitudinem philosophi, ne aquæ eius parietibus adhæreat, & ad fœces relabantur, sicque reiteratione destillationis & laboris magnitudine occupatus detineatur artifex. Os amplum eadem ratione quærunt, vt videlicet facilius vapores sursum in alembicum ferantur, absque vlla adhæsione; alembicum vero magnum & altum, vt aqua destillanda magis purificetur. Nam res non clarificatur, vt ait Hamech, nisi prolongetur iter suum in sublimatione. Sublimationem autē Arabibus pro destillatione sæpissime sumi, quemadmodum & neotericis quibusdam, notius est, quam vt exempla in medium adferre necesse sit.

Vas destillat. quale sit.

In comment. super quarta Plat.

Sicut per destillationem humida, ita per calcinationem metalla imperfecta & pars lapidis fixa & terrea mundantur & attenuantur. Ea diffinitur à Gebro rei per ignem puluerisatio per priuationem humiditatis partes consolidantis. Sed quid intelligis ô Philosophe per priuationem humiditatis? num corpus ita omni sua humiditate priuari vis, vt non fluat, aut vitrificatoriam tantum det fusionem? Scribis enim Cap. de Calcinat. & vere quidem. Omne corpus propria priuatum humiditate nullam nisi vitrificatoriam dare fusionem, & tamen eodem capite etiam asseris corpora per reiterationem calcinationis & reductionis mundari; sicut & Cap. de descen. & mundat. per pastillos idem docuisti. Si igitur calces denuo reduci possunt in corpora, quomodo humiditate priuatæ sunt? Hærerem nisi teipsum explicares; dicens. Cum corpus solidum sit, & propter soliditatem & latitationem occultæ sulphureitatis in concauitate substātiæ argēti viui defendatur per illud ab adustione,

De Calcinatione.

Definitio.

Definitionis explicatio.

necesse fuit continuitatem eius separare, vt ignis liberius ad quamcunque minimam eius partem perueniens sulphureitatem ex eo comburere possit, & non defendat ipsum continuitas argenti viui in illo. Itaque ad calcinationem perfectam metallorum, non requiritur, vt omni humiditate priuetur corpus calcinandum, sed tantum vt continuitas eiusdem diuidatur, & in minimas particulas redigatur. Sicut autem diuersitas magna est rerum calcinandarum, ita & causæ calcinationis variæ. Calcinatur siquidem terra Philosophica, vt omni vnctuositate liberetur, & vt aperta fiat & spongiosa, vt aqua melius possit ingredi, & peragere opus suum, & sicut ait Raim. Lullius, vt possit crescendo dilatari, & in ipsa præfocari, conuolui, mundari, & purificari, atque in naturam illius conuerti. Calcinantur etiam corpora metallica imperfecta, calcinantur & perfecta: Calcinantur item spiritus, & aliæ res extraneæ à natura horum, vtpote, sales, atramenta, alumina. De vegetabilibus aut animalibus, eorumque partibus quæ in cinerem aut in calcem rediguntur hic non agimus, cum ijs in opere Philosophico non indigeamus. Cur metalla imperfecta calcinentur supra diximus, vt videlicet eorum sulphureitas adustiua ea corrumpens & comburens tollatur, & vt liberentur à terrestreitate grossa ingressionem impediente & fusionem, deinde vt humiditate superflua combustibili & euaporabili exonerentur. In calcem autem rediguntur aut solo igne, aut expositione eorum super vapores acutos, veluti aceti & consimilium, aut cum adiutorio salium, aluminum, & aliorum corrosiuorum: calcinantur etiam cum sulphure vel auripigmento misto cum laminis vel linaturis eorum. Corpora perfecta calcinatione non indigent vt mundentur vel à terra, vel sulphure, aut humiditate superflua corrumpente, quibus carent, cum munda sint & perfecta, sed tantum vt magis attenuentur, & soluantur facilius, quia omne calcinatum facilius soluitur. Itaque horum calcinatio melior est per ignem solum, cum salium adiutorio, aut per Mercurij abstractionem per sublimationis reiterationem super illa. Calcinantur etiam sales, alumina, & atramenta, non quod tincturam aut aliquam perfectionem in illis quæramus, cum ea careant, sed ad præparationem corporum & spirituum. Spiritus calcinari non possunt nisi prius figantur: modus itaque calcinatio-

nis

Calcinandorũ magna diuersitas.

Test. cap. 66.

Calcinatio varia.

nis eorum est; vt eis ad fixionem approximantibus ignis successiue & paulatim augeatur, quousque maximum eos tolerare contingat. Optima tamen eorum calcinatio erit si rebus sibi propinquis & conuenientibus coniungantur, & calcinentur simul, sic enim fiet calx præstantissima, cuius effectum nunquam satis admiretur quispiam aut prædicet. Vnde Geber. Sulphur cum commisto facilius calcinatur. Quod & de alijs spiritibus similiter intelligendum. Sum. perfect. cap. 28.

Signum perfectæ calcinationis est, teste Raim. Lullio, quando res calcinata in aqua calefacta soluitur, & soluta post euaporationem aqua coagulatur, & post coagulationem in igne funditur, & iterum coagulatur. Vas calcinationis sit rotundum, planum instar paropsidis siue scutellæ, vndiq; contectum & clausum. Lib. de Mercurio solo. Perfectæ calcinationis signum. Vas calcinat.

Calcinationi proxima est solutio tam corporis metallici de qua supra egimus, quam terræ calcinatæ & mundatæ, in qua sicut spiritus terram soluit, ita vicissim à terra coagulatur, atque ita simul vniuntur, vt postea ab inuicem non separentur, sed per animam colligentur & firmentur, vt ignis omnem vehementiam tolerent. Vnde hæc Philosophorum solutio fit, quando partes terræ siccæ humore perfunduntur & mollescunt, ita quod earum siccitas quæ est durities vertatur in mollicíem, vt fluant, & ingressum habeant, nec non virtutem, & formam metallicam repræsentent. Soluuntur autem non solum corpora, sed etiam spiritus, verum post eorum fixionem præcedentem. Eius auctor est Geber cum ait. Causa inuentionis solutionis fuit, subtiliatio eorum quæ nec fusionem nec ingressionem habent, de quibus magna vtilitas amittebatur spirituum fixorum, & eorum quę sua naturę sunt. Quod autem spiritibus fixis contingere potest, id etiam intelligendum est corpori & spiritui simul coagulatis & fixis accidere posse. Soluuntur etiam alia quæcunque in calcem aut cinerem redacta, & ad salium naturam accedentia, vt per lacinias depurentur eorum aquæ, & postea denuo coagulentur, si opus sit, & sic spiritibus & corporibus ad eorum mundationem vel subtiliationem coniungantur. Hæc posterior solutio fit per fimum aut per balneum, vna intentione, nec diuerso effectu. Differt tamen in eo, quod quandoque rei calcinatæ humor De solutione. Quæ soluenda. Sum. Inuestig. cap. 52. Solutio quomodo fiat.

aliquis addatur ad solutionem eius faciliorem reddendam; quandoque vero non, prout materia ad fluxum prona fuerit aut tarda. Si quid solutionem primam subterfugerit, denuo calcinetur, & eius solutio reiteretur, donec omnia fluāt in aquam redacta.

De Sublimatione. Definitio. Quintus attenuationis modus est Sublimatio, quæ definitur à Gebro rei siccę per ignem eleuatio, cum adhærentia sui vasis. Et ab Auicenna. Eleuatio partium subtilissimarum à partibus fixis. Ab vtroque recte, nisi quod Auicennæ definitio magis generalis, videtur posse etiam destillationi accommodari: Sed is finem sublimationis respexit, qui consistit in remotione terræ, à qua liberandi sunt spiritus. Geber vero ipsum sublimandi actum magis expressit, & quæ sublimanda sint, docuit. Quid in sublimat. necessarium. In sublimatione enim duo requiruntur, quorum primum est, vt res sicca eleuetur; secundum, vt vasis lateribus aut parietibus adhæreat, nec in guttas coeat. Vt autem res sicca eleuetur, oportet eam esse aut de natura spirituum, aut quæ naturam corporis & spiritus in se contineat. Spiritus Chemici quid, & quales. Spiritus autem dicuntur in hac arte corpora volatilia, quę ignem fugiunt, & euolant in fumum, & sunt primarij tres, argentum viuum videlicet, sulphur, & arsenicum. Secundarij quatuor, sal armoniacum, tutia, magnesia, & marchasita. Et argento viuo quidem, sulphuri, arsenico, & sali armoniaco res aliquæ fixæ adduntur, quæ illorum grossitiem terrestrē detineant, ne simul cum sublimandis ascendat, & immunda vt prius remaneant. Quæ cum fęcibus sublimāda, quæ non. Tutia, magnesia, marchasita materiæ alterius adiectione non indigent, quia in seipsis fæces habent sufficientes, imo superfluas, cuius signum est difficultas sublimationis eorum, quæ absque ignitione non perficitur. Corpora vero metallica in calcem redacta si sublimanda sint necessario indigebunt spiritu ea subleuante, videlicet sale armoniaco, quanquam Geber & alij scribant quædam etiam absque additione spirituum sublimari igne vehementissimo, Martem tamen propter fusionis suæ tarditatem indigere arsenico, Venerem tutia, cum quibus facile eleuantur propter affinitatem & naturæ conuenientiam. Sed spirituum horum secundariorum breui mentione contenti, ad sulphuris, arsenici, & Mercurij (quæ naturæ principia dicuntur in metallorum procreatione) sublimationes transibimus, si primum causam inuentionis sublimationis, vtilitatemq; eius breuiter

per-

pexſtrinxerimus. Hæc duplex eſt ſecundum Gebrum. Vna, vt vnctuoſitas ſulphuris & arſenici de cuius proprietate eſt facile inflammari, & per inflammationem denigrare, auferatur: Altera vt à terrea ſuperfluitate mundentur tam hæc, quã argentum viuum. Tota igitur intentio ſublimationis non eſt alia, quam vt remota terreitate ſpirituum prædictorum, & abiecta ſimiliter ex ijs ſubtiliſſima & fumoſa illorum parte, quæ aduſtionem cum corruptione inducit, relinquatur nobis media illorum ſubſtantia, ſiue pars illa quæ in æqualitate conſiſtit, quæ ſimplicem fuſionem ſuper ignem facit, ſine aduſtione aliqua ab igne fugiente. Corpora vero cum ſpiritibus ſublimantur, vt denſitas elementorum per eleuationem transeat in raritatem, videlicet ſiccitas terræ in humorem aquæ, & frigiditas aquæ in colorem aeris, & humor aeris in ſiccitatem abeat ignis. Sed cogitabit quiſpiam. Si per deſtillationem aqua ſiue Mercurius à terreitate mundatur, & terra per calcinationem à ſulphureitate illam defœdante & corrumpente, quid ſublimatione opus erit, cum hæc nihil amplius præſtet operationibus prædictis: aut ſi per ſublimationem ſolam vtraque hæc imperfectio tolli poteſt, cur deſtillationem calcinationemq; ſuperaddimus? fruſtra enim fit per plura, quod æque commode fieri poteſt per pauciora. Reſpondeo. Per deſtillationem quidem purgari aquam quantũ poſſibile eſt humano ingenio, & terram per calcinationem, non tamen ita mundari, quin in ſolutione terræ noua denuo corruptio ſe prodat, & demonſtret, tam terreitatis ſuperfluæ, quam aqueitatis, & ſulphureitatis cuiuſdam tenuis & ſubtilis, quæ omnia per ſublimationes ingenioſe reiteratas tolluntur. Iterum dicet alius, Plures philoſophorum affirmant totum opus phyſicum peragi per ſolam ſublimationem, proinde calcinationem & deſtillationem, & ſi qui alij recenſentur operationum modi nihil niſi ad veræ artis obſcurationem conferre, & ad veritatem celandam. Fateor id dictum à pluribus, & quidem vere, ſi ſane intelligantur; ſiquidem ſolius ſublimationis voce omnes alios operationum modos à philoſophis deſcriptos comprehendunt, quibus materia philoſophica vilis & abiecta, reſpectu finis, ita depuratur, & tam alte euehitur & promouetur, vt nulla res mundi inferioris, excepta anima rationali, huic comparari poſſit. Vnde cum admiratione exclamans Hermes, inquit. Hæc eſt totius forti-

Quare inuenta ſublimatio.

Quæſtio.

Reſpõſio.

Alia obiectio.

Dilutio.

Quomodo totum opus non ſit niſi ſublimatio.

In tabula.

Lapidis physici potentia.

fortitudinis, fortitudo fortis. Quasi dicat, nullã potentiã totius mundi, nullas diuitias, nullos thesauros huic lapidi adæquari posse, cũ hęc omnia deficiant paulatim, & exhauriatur, lapis vero quo prius subtiliatus fuerit, & eius operatio repetita, tanto virtute & quantitate magis crescit & augetur, si velit artifex. Supradictæ meæ interpretationis luculẽtissimus auctor est vnus Arnald. de Villanoua, qui in flore florũ sic ait. Nostrũ sublimare nõ est superius ascendere vel eleuare: sed sublimare philosophicũ est de re vili preciosam facere. & de re infima & minima altã facere & magnã & puram. Cum igitur dicimus corpora sublimata, intellige subtiliata, & in altam, puram, mundam & nobilissimã naturam conuersa. Hac itaq; ratione cum depuratur & subtiliatur lapis ab initio operis ad finem, totum opus non dicitur nisi sublimatio.

Sublimare quid sit apud Philosophos.

Quantũ aũt ad sublimationis horum spirituum modos, Mercurij sublimatio duplex est. Vna, q̃ fit per sales ꝑparatos ad scorias ipsius seu immũditiẽ exteriorẽ amouendã, quę toties reuerã facta est, cũ resuscitationib. successiuis eiusdẽ, donec albissimus sit, & liuor omnis illi naturalis recesserit. Et in hac sublimatione parua quãtitas Mercurij deperit, quia facile ab eo sales separãtur ꝑ eorum solutionẽ. Altera Mercurij sublimatio perfectior, fit a calcib. metallorum. Hoc.n. vult Geber dũ ait. Qui cum calce alicuiꝰ corporũ sublimauit, bene sublimauit, & perfecte mundare potuit cũ facilitate. Quorum autem corporũ calx assumenda sit, satis innuit, cum eodẽ cap. dicat ꝓbationem administrationis fœcũ cũ proportione sua esse, vt eligatur materia illa cum qua plus cõueniunt spiritus sublimãdi, & cui ꝑmiscentur profundius. Et subdit rationẽ quare talis materia sublimandis conueniens potissimũ eligenda sit, quia videlicet illa cui magis vniuntur sublimanda, potẽtior est in retentione fœcũ sublimandorum, q̃ cui non vniuntur. Nulla aũt corpora metallica Mercurio magis conueniunt q̃ perfecta, aurum videlicet & argentũ, idq; c. 45. expressis verbis subdit, dicens. Ab istis.n. (scilicet salibus, calce ouorũ, marmore trito. & similib.) mundatur, ab alijs vero rebus habentibus affinitatem cũ eo (nisi sint pfectionis corpora) corrũpitur potius, quia sulphureitatẽ habent omnia talia, q̃ ascendens cum eo in sublimatione ipsum corrũpit. Sed num igitur corpora perfecta limata aut in tenuissimas bracteolas reducta Mercurio ꝓ fęcibus addẽda erunt? minime, quia nihilo plus mundabitur, q̃ si fęces nullas haberet. Quod experiẽtia verum depre-

Mercurij sublimatio duplex.

Altera à calce auri & argẽti. Sum. perfect. cap. 41.

hędit, qui cum sublimasset Mercuriũ ab auri scobe multoties, illũ nihilo mundiorem reperit. Quocirca subtiliter addit Geber. Ideo à calcibus melior est sublimatioq̃ à rebus omnibus. Nec Geber solus a calce auri & argenti Mercuriũ sublimari pcipit, sed etiam Auicenna, Arnaldus, & Raim. Lullius qui oẽs sublimationem Mercurij a calcib. duorũ luminariũ facilem esse & breuioris tẽporis, artificiq; vtilem asserunt. Sic.n. inter alios venerabilis Lullius, in Codicil. c. De inquisitione causæ quare fiat dissol. secunda. Si cũ calcibus duorum luminarium sublimaueris, vtiliter sublimabis, & mũdabis cũ facilitate. Sed hæc quidẽ de sublimatione argẽti viui vulgaris intelligi cupio non de Mercurio corporũ, qui melius sublimari nõ potest, q̃ à calce ppria, cum nulla ei magis affinis sit quã hęc. Remotio vero aqueitatis Mercurij superfluæ est, vt quando cõmiscetur calcibus a quib. sublimari debet, teratur & misceatur illis cum imbibitione, quo vsque de illo nihil appareat, & postea igne lentissimo, ita vt per eũ Mercurij substantia non ascendat, aqueitas imbibitionis remoueatur, qua recedente etiam argẽti viui aqueitas recedit, residuumq; per sublimationis reiterationẽ remouetur. Signum perfectæ sublimationis argenti viui nobis indicat Geber his verbis. Quod si fusionem bonam dederit, lucidumq; & albissimum habuerit colorem, & peruium, tunc sufficienter sublimationem administrasti.

Mercurii aquositas, quomodo remoueatur.

Signũ perfectę subli mationis

Sum. perf. cap. 45.

Sulphuris & arsenici eadem sublimatio est, sicut eadẽ quoq; est materia, hoc solummodo differens, q̃ cum arsenico elixir album, cum sulphure rubeũ perficitur. Sublimantur aũt recte à sale præparato, vel à vitriolo, aut alumine in calcem rubeã redacto, vel à squamis ferri, vel æris cõbusti, vt auctor est Geber, vel à calcibus metallorũ, q̃ melius est, donec optime dealbentur, & candorem niuis assumãt, siquidem similis est sublimatio horum cum Mercurij sublimatione, hinc Geber ca. de arsenico. Figitur arsenicũ sicut sulphur, vtriusq; vero sublimatio à calcib. metallorũ melior est. Sed optime faciunt qui hos spiritus purgatos & subtiliatos coniungunt cũ cõtritione & imbibitione, deinde leni decoctione coagulãt, postmodũ magna ignis violẽtia sursũ pcrudũt: inueniũt.n. eos pfectissime tã à terrea fœculẽtia, q̃ a tenui & fumosa illorũ parte adustionẽ cũ corruptione inducẽte, mũdatos. Atq; id pculdubio intellexit Geber, cũ de Sulphure verba faciẽs inq: Qui q̃rit ex eo op⁹ elicere, illud per se pparãdo nõ eliciat, quoniã cũ misto

Sulphuris & arsenici sublimatio quæ melior.

Sum. per. cap. 41. Quæ sublimatio melior.

perficitur, & fine illo procelatur magisterium vsq; ad desperationem. Nulli autem rei facilius miscetur sulphur quam argento viuo. Quod sciunt pharmacopœi, qui ex hydrargyro vnguenta aut malagmata componentes, illi aliquid sulphuris plerumq; addunt, simulq; terunt, atq; eo modo & hydrargyrum celant, & vt facilius reliquis simplicibus idem compositum intrantibus iungatur, efficiunt. Id ipsum quoq; docet Geber dicens. Argentum viuum commiscetur cum sulphure, arsenico & marchasita de facili propter cõmunitatem in natura sua. Idem sublimationem quoq; hanc insinuat Cap. de Sulphure. Cũ Mercurio miscetur sulphur, & fit ex eis per decoctionem cælestinus color & delectabilis. Decoctionem intellige, quam sublimatio subsequuta sit, subticente hoc loco id Gebro pro more suo, qui in diuersis capitulis sparsim artẽ tradit, sed seipsum alio loco declarãte, dum cap. de Sublimat. sic scribit. Ex multiplici contritione & leni assatione aqueitatis argenti viui maior pars deletur, cuius residuum per sublimationem tollitur. Et cum videris illud albissimum excellens niuem albedine sua, & quasi mortuum aludelis spondilibus adhærere, tunc reitera sublimationẽ eius absq; fæcibus. Quod decoctionem superius appellauit, hic leuem assationem nominat, quod ibi de sublimatione reticuit, hic addit, & si nõ addiset tamen ex ipso effectu sublimationis intelligi posset, dũ ait, cũm videris ipsum quasi mortuũ aludelis spondilibus adhærere, quod absq; sublimatione fieri non potest. Nec est ꝙ quispiam imaginetur, Gebrum aut ipsius interpretem per cælestinum colorem intelligere, cæruleum, purpureum vel violaceum, aut cinnabarim factitiam, nam eodem Cap. 28. præmiserat Sulphur Mercurio associari, & per sublimationem fieri vsifur. Vsifur autem Arabum nihil aliud est quam Cinnabari artificiale nostrum. Nec auctores chemici fere aliter vsurpant nomen cælestis siue cælestini coloris, quam pro eo qui albedine sua omnes totius mundi albedines supergreditur, magisq; cælestis videtur quam terrestris. Sic Rosarius. Sublima Mercurium donec cælestinũ habuerit colorem hoc est, albissimus fiat. Hunc colorem mirabilem albedinis insinuat Mireris dicens. Hoc si subito videris, admiratio, timor & terror tibi eueniet. Quasi dicat. Si hunc colorem albissimum præter exspectationem tuam videris, admiraberis quasi rem supernaturalem, & timebis simul ne aliqua subsit elusio,

&ab

Sum. perf. cap. 53. Geber explicatus.

Cælestis siue cælestinus color quid Chemistis.

& ab oculis tuis euanescat. Dixi fere quia aliquando cæleſtinus color pro cæruleo ſiue lazurio capitur. Veluti apud Gebrum cap. de argento hoc modo loquentem. Poſitum ſuper fumum acutorum, ſicut aceti, ſalis armoniaci, & agreſtæ, fit cæleſtinus color mirabilis. De hac coniunctione ſpirituum ſublimandorum aperte quoque differit Geber alio loco. Ne ſis in præparatione argenti viui, quæ per ſublimationem fit, negligens, quia qualis erit mundatio, talis & perfectio ſequetur, vnde quoſdam contingit ferrum, quoſdam vero plumbum, & quoſdam Venerem, & quoſdam ſtannum formare, quod contingit propter purificationis negligentiam, quandoque illius ſolius, quandoque ſulphuris ſibi admixti, vel eius comparis, ſcilicet arſenici. Atque hæc de ſublimationis modis ſufficiant.

Sum. perfect. c. 32.

Cap. 45. Sum. perf.

Vaſa ſint vitrea inferius lata in acutum deſinentia inſtar figuræ, quæ mathematicis Conus appellatur, vel etiam conuexa & teſtudineata absque roſtro, inſtar alembici cœci, quorum cameris & lateribus ſublimati ſpiritus adhæreant. Scutella inferior ſit terrea, quæ ſuperius vas apte intra parietes ſuos recipiat.

Vas ſublimationis.

Probatio vero bonitatis & perfectionis ſublimationis horum duorum ſpirituum eſt, vt inueniatur clara & lucida, & nō aduratur. Vt docet Geber Sum. perfect. cap. 45.

Signum perfectæ ſub. ſulph. & arſenici.

Inter attenuationum modos etiam Ceratio non infima eſt, per quam medicina dura & non fuſibilis aptatur ad liquefactionem, ita vt fluere poſſit & ingredi, quod non fit niſi per contritionem & imbibitionem. Quæ autem imbibuntur, mollificantur, & quanto plus mollificantur, tanto magis partes groſſæ & duræ ſubtiliantur. Sed quia de hoc attenuandi modo, eiusque definitione & inuentionis cauſis abunde dictum eſt Cap. primo, ea hic repetenda non putaui, cum inſinuaſſe tantum ſufficiat.

Ceratio attenuat.

Nunc in vniuerſum tenuitatis Medicinæ commoda recenſeamus, quæ potiſſimum ſunt tria. Primo enim ſi ſubtiliſſima non fuerit medicina non penetrabit in inſtanti corpora transmutanda; ſi vero non penetret, nec miſcebitur quidem, ſi non miſcetur, non alterabit, nec tinget. Ideo terram omnem & aquoſitatem groſſam accuratiſſime remouendam certis operationum modis docuimus, remanente ſola media Mercurij ſubſtantia tenuiſſima & aeria: terreſtre enim

Tenuitatis commoda 3. Primum.

& densum penetrare non potest, sed tenue & aerium penetrat facile & tingit. Hinc Philosophus quidam in Turba. Corpus non penetrat corpus, sed subtilis substantia congelata, quæ corpus penetrat & colorat. Hanc tenuem lapidis substantiam philosophi non potuerunt melius quam aeri comparare. Sic enim Rosarium. Si hic lapis non esset aeriæ naturæ, non coniungeretur Mercurio, nec ei commisceretur, nec ingrederetur ipsum, sed quia similes sunt, commiscentur & coniunguntur, adeo vt ignis non separet inter eos. Vbi considerandum Auctorem Rosarij lapidem perfectum conferre cum Mercurio, non quidem decoctione, quæ in Elixire maxima est, minima in argento viuo, aut nulla, sed natura & radice, quia ijsdem principijs constant, & quia materia Elixiris ad perfectionem deduci nequit, nisi reducta fuerit in Mercurium, & subtilis facta instar argenti viui vulgaris, cui Philosophi non minus aeriam tribuerunt naturam. Sic enim de eo Auicenna, Lullius, & Arnaldus, Argentum viuum est homogeneum in natura, quoniam aut remanet totum in igne fixum, aut totum ex eo volat in fumum, cum sit incombustibile & aerium, quod perfectionis est signum. Quare sicut argentum viuum sublimari potest, & in aerem propelli, ita etiam necesse est totam Elixiris materiam volatilem reddi, & Mercurium fieri, vt in alembicum siue in aludel ascendere possit. Vnde Aristot. Nihil lapidi nostro conuenit, quod viuum non fuerit, & cælum aeris non petierit. Quæ Lapidis aeria natura non mediocrem aliam vtilitatem adfert, cum causa sit æqualis & vniformis omnino fusionis, quam aeri adscribit Raimund. Lullius his verbis. Si lapis de subtili substãtia non esset, non posset habere fusionem vniformem, neque dulcificationem continuam, nec vna pars bene consequeretur aliam. Et per hanc proprietatem opus est, vt aer in dicta substantia dominetur, hoc est, quod lapis noster de natura aeria sit generatus, nam alio modo proprietas aeris in eo dominari non posset, nisi de vera eius substantia sit generatus. His duabus commoditatibus quas præstat in Elixire materiæ tenuitas, accedit & tertia non minoris momenti, quod videlicet ea sit causa ponderis. Spissitudo enim ponderis metallorum causa est, quæ sequitur bonam terræ cum aqua mistionem: quanto autem terra & aqua subtiliores fuerint, eo magis & melius permiscentur, coadunãtur, & densantur, quæ densatio perfecta pondus adfert.

[Margin notes:]
Medicina attenuata aeri comparata.

Secundũ subtilitatis commodum. Test. c. 72.

Tertium.

fert. Qua ratione aurum & argentum viuum videmus reliquis metallis præponderare, aquæ enim eorum non patitur terram poros habere, propter eorum internam & per minima permistionem, quod secus est in reliquis metallis, in quorum coagulatione propter scoriam à Mercurij natura heterogeneam iisdem metallis permixtam, pori insensibiliter fiunt, vnde superuenit leuitas, quæ non est aliud, quam absentia materiæ & eiusdem porositas; vt grauitas non est aliud, quam solida appositio materiæ. Quod ipsum confirmat Geber, dicens. Causa ponderis magni est subtilitas substantiæ corporum, & vniformitas in essentia: per hanc enim tantum illorum possunt densari partes, vt nihil intercidat, & partium densatio ponderis est adductio, & illius perfectio. Idē de Auri natura loquēs, ait. Quia aurum subtiles & fixas habet partes, ideo potuerūt multum densari, & hæc fuit causa magni ponderis. De argenti viui ponderositate. Idem. Argentum viuum densam habere substantiam manifeste videt vel monoculus per ipsius aspectum, propter grauedinem sui ponderis immensi, quoniam præponderat auro, cum in sua natura est. Hæc igitur tam de materiæ ex qua Elixir conflatur, quam de Medicinæ perfectæ attenuatione omnino necessaria, subtilitatisque cōmodis dicta sint: pergo ad affinitatem Lapidis cum metallis declarandam, de qua in Cap. sequenti.

Ponderis metallorum causa.

Sum perf, cap. 75.

Lib. eod. cap. 61.

Cap. 63.

DE AFFINITATE SEV VICINITATE INter Elixir & rem transmutandam.

CAP. II.

In quo demonstratur opus Chemicum mere esse naturale, principia artis & naturæ explicantur, aurique generatio per naturam exempli loco proponitur, & in quibus ars naturam imitari valeat, in quibus vero non, ac quomodo medicina sibi simili adhærendo metalla peruadat, docetur. Tandem Sophistarum opera examinantur, & quid ad propinquiorem Elixiris cum metallis vicinitatem desiderent philosophi, exponitur.

DEmocritus, & Sapientes Turbæ nihil tam frequenter lectoribus inculcant, quam naturam, hinc illæ propositiones. Natura natura lætatur. Natura naturam cōtinet. Natura naturam vincit ac superat. Item. Natura natu-

Opus Alchemicũ per naturã solam compleri ministerio artificis.

naturam putrefacit, gignit, & renouat. Quibus verbis significare voluerunt, opus Chemicum mere esse naturale, & naturam esse, quæ appetit, retinet, digerit, expellit, corrumpit, generat, & informat tam lapidem ipsum quam metalla per commistionem eiusdem, ministrante tantum illi artifice, & calorem conuenientem suppeditante. Quomodo enim natura gaudet natura, nisi appetitu & attractione eius quo indiget? quomodo continet, nisi retinendo quod appetit, & illi familiare est? Quomodo natura vincit naturam, nisi retentum digerendo, & transmutando ab vna dispositione in aliam & superflua sibique non conuenientia expellendo? Eodem modo natura seipsam putrefacit; nisi enim in ea sit causa putrefactionis, quæ ex elementorum siue qualitatum eorundem distemperantia oritur, frustra conabitur ars rei putrefactionem inducere; prout patet in compositione auri, quod propter omnium qualitatum temperiem nullo tempore putrefactionem sentit, nisi prius eiusdem forma per vim naturæ illatam destructa fuerit, cum alioqui in sua compositione manens perenne sit & incorruptibile. Potest quidem ars velociorem quandoque rebus putredinem inducere, & aliam fortassis quam natura nisi præoccupetur, corruptio tamen rei ex sua natura proueniat necesse est, ad quam tandem omnia sub Lunæ globo existentia sponte deuoluuntur. Eadem ratione Natura seipsam gignit, nisi enim in re sit gignendi procreandique potentia, nequicquam laborat artifex, vt eam inducat. Sic non tantum gallinæ incubatu, sed etiam arte ex ouis educuntur pulli, nec miratur quispiam, sciunt quippe omnes natura id fieri, quam Deus ouis indidit, vt calore conuenienti fota producant speciem auis eius cuius fuerint oua: nec refert vtrum calor ille naturalis sit gallinæ, aut alterius auis, vel etiam hominis industria excitatus. Illud magis admirandum, posse artificio humano anguillas, aut alia animalcula produci per putredinem animalis cuiuspiam, vel herbarum aliquot simul commistarum, vel etiam vnius solius conuenienter & debito modo administratæ. Ars tamen dici non potest istiusmodi animantia produxisse, sed natura, quæ nisi ijs rebus arte dispositis insita fuisset, nunquam inde prodijsset animal viuum. Quod hinc maxime liquet, quia non ex quibusvis animalibus aut herbis putrefactis & eodem modo dispositis,

Anguillas & alia animalcula p putredinẽ ab artifice procuratã gigni naturaliter.

ſitis, quævis, ſed ex certis quibuſdam certa & determinata producuntur. Similiter Natura ſeipſam renouat. Lapis enim noſter, non ſecus atque phœnix alter veterum figmentis nobis cognitus, per naturam ſeipſum mortificat, & ſeipſum reſuſcitat. Nam, vt Haly, ſicut moritur ſpiritibus ablatis, ita ad eum redeuntibus ijſdem ſpiritibus viuificatur, ſicq; remoueatur per ſuam ipſius naturam, neque opus eſt vt aliunde aliquid mutuetur. Lapis ſeipſum occidit & viuificat.

Simili modo dixerunt Philoſophi. Naturam non emendari niſi in ſua natura. Quod tam de emendatione rerum elixir conſtituentium, quam metallorum per lapidem conuertendorum poteſt intelligi. Si elixiris materiam primam conſideremus, quamvis in ſe naturaliter tincturam ſuam contineat, tamen hæc tinctura non ſufficit alijs metallis transmutandis, quia natura operatur ſimpliciter ad ſui perfectionem tantummodo, nec gradum illum tranſcendere poteſt ideo emendari deſiderat, artificis quidem induſtria & labore, ſed tamen per propriam naturam, hoc eſt, vt tinctura naturalis ipſi inſita ſubtilietur, virtusque eius augeatur, quod fieri non poteſt, niſi ſpiritualis primum reddita ſit, & è corpore compacto duro & ſolido exempta: omnia enim ſpiritu quodam ſe multiplicare, & ſimile ſibi producere videmus. Et ſic, quamvis artifex adiuuet naturam, & quodammodo corrigat, tamen absque natura quæ ad perfectionem adipiſcendam prona & inclinata eſt, nihil proficit, neceſſe eſt enim naturam in arte occulte & intrinſecus laborare, artifice extrinſecus ſolummodo miniſtrante. Ideo artifex adiutor tantummodo eſt naturæ, & miniſter, eam ſubtiliando, & calorem internum in materia ſopitum & languentem calore ignis externi mouendo & excitando, qui calor internus deinde actione naturali totum opus perficit ſine adiectione rei extraneæ. Quamvis igitur ars emendet naturam & quandoque eam tranſcendat & ſuperet, tamen nouam naturam non producit, ſed tantum naturæ viritutem ſubtiliat, & ſubtilem naturam in re incluſam detegit & manifeſtat. Sic ars è cinere filicis aut alterius plantæ vitrum educit cuius ſubſtantia ſi in cineribus per naturam occultata non fuiſſet, fruſtra inde artifex vitrum eliçere moliretur; nullis enim è rebus prolici aliquid poteſt, quod in ipſis non ſit per naturam. Quare apte & appoſite ad rem Senior. Non eſt natus, neque naſcetur in poſte-

Omnia ſpiritu inſito multiplicantur.

Natura intrinſecus, ars extrinſecus laborat. Artifex naturæ miniſter.

In lib. de figuris. In principio Rof. posterum, qui hanc scientiam possit complere sine natura, natura cælitus indita rebus, & infusa. Et Arnaldus. Manifestum est operationem medicinæ esse operationem naturæ; ipsamque medicinam esse eandem naturam, eo quòd ipsa medicina solummodo composita sit ex natura. Si metallorum vilium per Elixir emendationem per hæc dicta, naturam non emendari nisi in sua natura intelligamus, duplicem enim interpretationem innuimus supra, illa quoque non nisi per naturam fit, prout ex infra dicendis patebit. Nunc Naturæ definitionem perpendamus, quam prætermissis ambagibus & longis disputationibus, dicimus cum Marsilio Ficino esse vim quandam rebus insitam ex similibus similia procreantem. Item, Naturam esse ignem inuisibilem, seu igneum quendam vigorem rebus creatis insitum, quo cunctæ res se multiplicant, cum absque calore nihil generari possit. Hic ignis inuisibilis, siue hæc potentia procreandi sibi simile in rei cuiusque forma consistit, per formam namque rei natura perpetuatur, eiusque vis summa in procreando simili maxime cernitur. Forma autem lapidis est anima metallica, quæ calore suo materiam eiusdem digerit, & siccitate tingit, ac formam auri ac argenti ei imprimit. Sed cum omnis forma debeat eiusdem esse generis cum sua materia & potentialiter in materia sua, (nam sola anima humana introducitur ab extrinseco materiæ suæ) necessario hæc anima dans formam Elixiri erit eadem cum materia lapidis. Similiter Elixir perfectum cum se habeat secundum Philosophos chemicos tanquam forma ad materiam, & sicut anima ad corpus, oportet vt eiusdem plane sit generis & materiæ, cuius sunt corpora metallica. Sed omnia metalla constant argento & sulphure, attestantibus omnibus philosophis, ergo & Elixir necessario ijsdem principijs constabit. Quæ autem eadem habent principia & eundem mixtionis modum, in radice maxime conueniunt, & maxime vicina sunt: & hæc est ea affinitas siue vicinitas inter Elixir & rem transmutandam, adhærens & retinens sibi simile, quam tertio loco inter medicinæ proprietates requirit Geber. Ad quam magis explicandam de metallorum vnica materia, & forma, generatione, & transmutatione ad inuicem secundum naturam, & quo modo ars eandem imitetur, venerabilis Raimund. Lullij in

Naturæ diffinicio ex Mar. finito.

Omnis forma educitur ex materia sua.

Vicinitas Elixir. & metallorũ qualis.

primis

primis, & M. Petri Boni Ferrarienſis qui Philoſophorum anti-quorum opiniones diligentiſſime collegit, ſententiam auctoritatemque ſequuti, paucis agemus: deinde quomodo Elixir conformitate ſua & ſimilitudine metalla ingrediatur, iisque adhæreat, docebimus.

Imprimis omnium metallorum materiam vnam & eandem eſſe manifeſte demonſtrat eorundem liquefactio: ſi quidem omne metallum, ex quo liquatum eſt, oſtendit naturam & accidentia argenti viui, vnde Philoſophus 4o. meteor. Plumbum cum liquatur proculdubio eſt argentum viuum. Item coagulatio, & ductibilitas, & quod de facili ſimul commiſceantur, omnis enim mixtio fit ratione ſimilitudinis & identitatis. Sic aqua aquæ, oleum oleo, vitrum vitro, metallum cum metallo facile commiſcetur, iungitur, & adhæret, propter conuenientiam videlicet naturæ. Demum, quod omnia metalla reduci poſſint in argentum viuum, vnde ortum habuerunt, prout conſtat varijs experimentis doctorum virorum, & confeſſione etiam aduerſariorum, qui artis chemicæ veritatem conuellere nituntur, inter quos eſt Thomas Eraſtus Medicinæ doctor. Ea autem metallorum materia omnium prima ſicut diximus Cap. 1. eſt humidum viſcoſum, incombuſtibile, ſubtile, incorporatum terreo ſubtili, æqualiter & fortiter commixto per minima in mineris. Propinquior vero eorundem materia, vt docent Philoſophi, eſt argentum viuum, ex illorum forti commiſtione generatum. Sed cum materia non producat ſeipſam in eſſe, ideo ſagax & ſapientiſſima natura adiunxit illi agens proprium, vt ipſum digerendo & decoquendo in metalli formam conuertat. Eſt igitur materia propinquiſſima & proxima metallorum, non argentum viuum in natura ſua, ſed vt eſt ab agente proprio, ſcilicet ſulphure liquabili coagulatum, & cum ipſo ſulphure commixtum, & in terræ quandam ſpeciem conuerſum; è quibus duobus ſic mixtis oritur vapor per calorem temperatiſſimum aſcendens, & ſuper terram propriam reuerberãs, quouſq; per temperatã decoctionẽ in longo tempore fiat ibidẽ fixio quædã metallica, & iuxta naturam loci corpora diuerſa. Et quia metalla conueniunt in materia proxima, & agente, & mixtionis modo, ideo inter cętera mixta generationem habent circularem ad inui-

Metallorũ omnium materiam vnam & eandem eſſe probatur quinque rationibus.

Metal. materia omnium prima. Propinquior.

Propinquiſſima.

Metallorum generatio circularis ab

ccem

Inuicem, vnde cognoscatur.

cem vt auctores sunt Hermes, Rhasis, & alij philosophi. In habentibus autem symbolum in materia, & virtutibus, & potentijs naturalibus, facilis est transmutatio ad inuicem; non tantum per artem, sed etiam per naturam. Signum autem transmutationis eorum à natura in aurum & argentum, est mixtio eorum in vna minera, & successiua mutatio. Siquidem in multis mineris argenti & æris aurum inuenitur, sicut etiam in mineris plumbi, æris, & stanni, argentum. Hæc imperfecta tempore decoquuntur; & in aurum vel argentum secundum generationis locum transmutantur. Vna siquidem metallorum forma vltima, & perfecta, est aurum, quā natura sola dat in mineris; nisi per accidens impedita fuerit, & ars extra mineras Si enim reliqua metalla essent perfecta, & completa in natura illa in qua sunt, tunc proculdbio non essent conuertibilia ad aliam, nisi prius in materiam primam, hoc est, argentum viuum & sulphur reducerentur. Sed natura duplicem modum assumit in generatione auri, vnum per se, & primo, scilicet, quia generat aurum purum in mineris proprijs & ex suis principijs; absque admistione aliorum metallorum: alterum per se quidem, sed non primario, quia primo generat aliquod metallorum imperfectorum ex ijsdem principijs in sua minera, & conuertit vltimo ipsum in aurum. Si igitur artis intentio sit sequi naturam omnino; & in quantum fieri potest; vt faciat idem aurum quod ipsa, cum omnis generatio fiat ex conuenientibus & proximis, quæ & qualis erit materia apud naturam, eadem erit necessario & apud artem. Cum autem materia sit vna & determinata omnino apud naturam & non multiplex, ergo necessario illa determinta materia, & eadem; erit similiter & apud artem; & non multiplex.

Vna sola metallorū forma perfecta in auro.

Duplex modus generationis auri per naturam.

Materia vna naturæ & artis.

Hæc autem materia quæ naturæ subijcitur vt diximus; est argentum viuum, secundum omnes Philosophos tam naturales quam Chemistas, ergo & apud artem alchemiæ materia erit similiter argentum viuum. Et quia materia non producit seipsam in esse ad generationem & formam; sed ab agente proprio dirigitur & informatur, oportet necessario, vt illud argentum viuum, quod est materia, dirigatur, digeratur, & informetur à suo agente proprio ad terminum intentum naturæ, qui est generatio metallorum

Idem āgēs naturæ & artis.

rum & auri. Hoc autem agens est sulphur sibi in mineris propriis coniunctum, potestatem habens illud argentum viuum coagulandi & digerendi per calorem naturalem mineralem, secundum omnes Philosophos naturales, ita vt in fine digestionis necessario aliquod metallorum inde generetur, & vltimo aurum. Videtur ergo necessarium, quod illud idem agens, in arte coniunctum esse debeat argento viuo, vt illud dirigat, digerat & informet, ita vt in fine digestionis & complemento generet idem aurum omnino ex eo sicut facit natura. Idem ergo argentum viuum & idem sulphur omnino quod subiicitur operationi naturæ, subiicitur etiam arti, & non aliud: ex quibus simul commistis in arte orietur similiter vapor, qui postea vertitur in aquam subtilissimam, quæ dicitur anima, spiritus & tinctura, quę cum reducta fuerit in terram propriam, facit ibidem quandam fixionem, & tandem fit elixir completum.

Quomodo ars naturā sequatur.

Et in his quidem imitatur ars naturam, sicut & in secundo modo generationis auri paulo superius expresso, quam tamen in omnibus sequi non valet. Ideo Geber: Carissime fili secretum tibi pandimus, quod in hoc artifices errant, quod naturam in omnibus differentiis proprietatum actionis imitari desiderant. Modus enim agendi, digerendi & informandi artis diuersus est à naturali, & similiter organum siue locus & tempus, quamuis æquipolleant ad eundem vltimum finem. Ars etiam calorem æqualiter metallorum elementa inspissantem imitari non valet, nec metalla siue eorum principia de nouo generare, sicut natura, cum determinatam in iis elementorum proportionem & eorundem mixtionis modum ad inuicem ignoret: sed ea mutuatur à natura, & quod natura præstare non potuit, quæ simpliciter tantum operatur ad perfectionem ea deputat & subtiliat, & calore artificiali tandem in aurum, & vlterius in Elixir conuertit. Et hæc quidem de generatione metallorum in genere, nunc de auri procreatione particulari paucula subiicere non abs re fuerit, vt quomodo ars naturam in eo etiam sequatur, euidenter appareat. Natura, vt diximus, ad generationem metallorum omnium pro proxima materia recipit argentum viuum cum sulphure mixtum, generatum simul in mineris eorum cum bona digestione & liquefactione metallica, & ipsa simul suauissime subli-

Sum. perf. cap. 1.

In quibus ars sequi naturam nō possit.

De auri procreatione per naturam.

mando, conuoluendo, & lauando decoquit & digerit. Sed quia sulphur in metallis aut cum Mercurio eorundem remanens, ea impura, porosa & adustioni obnoxia reddit, magis vel minus, iuxta quantitatem & qualitatem suam, nec ad auri perfectionem, quæ in puritate, tenuitate, soliditate, & fixione potissimum consistit, peruenire permittit, ideo natura in fine actionis. illud separat ab argento viuo, in quo tota naturæ intentio fuit, illudque deinde informat forma auri, fixat, & perficit absque sulphure, ex cuius remanentia ante completam digestionem ab auri substantia & forma degenerat, & fit aliud metallum, aut aurum cum eo commistum. Et sic patet quæ sit materia metallorum apud naturam, & quid agens, & quis finis in agendo.

Sulphur externum perfectionem metallorum impedit.

Quia igitur hæc ars in mineris metallorum non reperit aliquid, quod sit argentum viuum in natura sua, nec aliquid quod sit sulphur similiter in natura sua, nisi rarissime, nam omnino non reperiri falsum est, sed aliquid ex iis generatum & commixtum, & in naturam terream redactum: quinimo cum videat vnumquodq; illorum separatum nasci per naturam in minera sua propria: ideo ars sequens naturam non recipit argentum viuum solum, nec sulphur solum, nec etiam argentum viuum & sulphur coniunctim, sed eandem materiam commixtam, & ex iisdem principiis compositam, quam natura præparauit arti, sicut filiæ prouida mater, & coniunxit à principio generationis metallorum, non secus ac in lacte, butyrum, caseum, & serum: sed postea ars eandem separat & sequestrat, purgatamque denuo coniungit & digerit calore tantum extrinsecus adhibito & natura intrinsecus operante, donec sulphur istud externum ab argento viuo separetur. Qua separatione facta necessario cogitur artifex informare argentum viuum forma lapidis, animam ei infundendo propriam, & de materia sua desumptam, & non aliena, operique finem imponere; quoniam omnis materia recipit formam suo tempore, prout est capax formæ, & non prius, nec posterius. Sed in eo differunt ars & natura, quod natura vnica decoctione argentum viuum perficiat in aurum, ars vero ad Elixiris perfectionem duplici decoctione indigeat, sed breuissima naturæ respectu, & in qua naturam mirabiliter supergreditur. Naturæ enim operatio vltra auri formam non procedit

Artis materia præparata à natura.

In quo differant ars & natura.

cedit, cum is sit eius finis vltimus: ars vero hoc non contenta, cum ad auri terminum peruenerit, vlterius illud decoquit & amplius colorat, ita vt abundantia coloris & digestionis imperfectis & vilibus metallis auri formam communicet & imprimat.

Dixi supra, quod natura post completam actionem sulphuris externi argentum absque sulphure fixet, & perficiat. Quod non ita accipi velim, quasi argentum viuum proprio interno sulphure careat, cum in prima sui creatione multas partes habeat terreæ substantiæ sulphureæ albæ in actu, quæ sunt de substantia materiali ipsius, & sine quibus substantia argenti viui constare non potest: est enim compositum, veluti patet per Philosophum 4. meteor. ostendentem compositionem eius, cum inquit: Argentum viuum est vt aqua, quæ miscetur cum terra subtili nimium sulphurea mixtione forti, donec non quiescat in superficie plana, & hoc est ex siccitate magna terrea quæ inest illi, & ideo non adhæret tangenti; Et per Gebrum dicentem, Argentum viuum, quod etiam Mercurius appellatur antiquorum vsu, est aqua viscosa in visceribus terræ substantiæ subtilis, terræ albæ per calorem temperatissimum vnita tali vnione per minima, quousque humidum contemperetur à sicco, & siccum ab humido æqualiter. Ex quibus philosophorum dictis argenti viui compositio manifesta est. Nec etiam intelligo, quod omnino deinceps absque vllo sulphure, decoctio perfecta fiat argenti viui in aurum, sed quod sulphur externum, quod in principio argento viuo iunctum fuit & separatum ab eo, extrahat per digestionem in actum illud sulphur quod est album manifeste in argento viuo, & rubeum in potentia, quod deinde informat ipsum argentum viuum forma auri, & fixat actione sua. Ex prædictis liquet igitur & aurum naturæ & lapidem sola argenti viui substantia constare. Sed obiiciet mihi quisquam Gebri auctoritatem naturam auri & eius compositionem explicantis. Aurum creatum est ex subtilissima substantia argenti viui, & clarissima, fixa, & ex substantia pauca sulphuris mundi, & puræ rubedinis, fixa, clari, & à natura sua mutati, tingens illam. Quibus verbis Geber videtur asserere aurum constare non solum argento, sed etiam sulphure. Cui respondeo: Gebrum per substantiam sulphuris istius à natura sua mu-

Argēti viui cōpositio.

Sum. perf. cap. 50.

Aurum omni externo sulphure expoliatum.

Quæstio.

Solutio.

tati

tati non aliud intelligere quam ſulphur internum argenti viui, ſine quo argenti viui ſubſtantia ſubſiſtere nequit, quod prius ſopitum actionem ſuam manifeſtare non potuit, ſed poſtea per ſulphuris externi actionem excitatum, & à natura ſua mutatum argentum viuum ſuum coagulauit & fixauit, ſimulque cum eo fixum factũ fuit. Quod autem ea mens ſit Geberi, hinc liquet, quia omne ſulphur externum ſiue fixum ſiue non fixum adurit & aduritur, argentumque viuum, quantumque bonum & fixum, ſecum in fumum reſoluit. Cuius rei teſtis mihi erit ipſemet Geber hæc habens. Per hoc inuentum eſt inuentione veridica duorum ſecretorum genus mirabile duplex. Vnum ſcilicet cauſa corruptionis vniuscuiusque metallorum per ignem: quarum vna eſt incluſio adurentis ſulphuris in illorũ ſubſtantiæ profundo per inflammationem illa diminuentis & exterminantis in fumum vltima conſumptione, quantumcunque in illis argentum viuum bonæ fixionis extiterit. Altera vero eſt multiplicatio flammæ exterioris ſuper illa penetrantis, & ſecum in fumum reſoluentis, cuiuscũq; fixionis in eis ipſum ſit. Tertia vero eſt rarificatio eorũ quæ per calcinationẽ fit. Tres ponit cauſas corruptionis metallorum. Primam, quod in omnibus excepto auro ſit incluſum ſulphur externum adurẽs & inflammans argentum viuum, illudque diminuens quantumcunq; bonum & fixum ſit: ſicut patet in argento, quod quidem argentum viuum purum & fixum continet, ſed propter admiſtionem pauci ſulphuris ipſum tandem diminuitur, & totum etiam conſumitur. Quod autem eius exterminationis cauſa ſit ſulphur ipſius non Mercurius, teſtis Geber, Argentum, inquit, non ita fixam habet ſubſtantiam vt aurum. Signum eſt, diminutio per ignem, & ſulphur eius quod nõ eſt fixum nec incombuſtibile eſt cauſa illius: & quod ſulphur in eo huius ſit diſpoſitionis, per illius paululam inflãmationem probatur. Secundam cauſam corruptionis ponit, quod omne ſulphur exteruum iunctum argento viuo illius ſubſtantiam poroſam & ſpongioſam faciat, quo fit, vt flamma exterior multiplicata ſuper corpus metallicũ, ipſius corpus ingrediatur, & argẽtum viuum & ſulphur eius quãtumcumq; fixum exterminet, eo quod argentum viuum ſulphur illud ſibi heterogeneum non poſſit protegere ab ignis violentia. Quod ipſum notat etiam Geber in natura argenti, his verbis: Argentum diminutam

Omne ſulphur externum vrit & vritur.

Sum. perf. cap. 63.

Tres cauſæ corruptionis metallorum.

Sum. perf. cap. 62.

Secunda corrup. metal. cauſa.

nutam habet puritatem ab auri puritate,&ſpiſſitudinẽ groſſiorem, cuius ſignum eſt, quod non denſantur partes eius. Tertiam dicit rarefactionem corporis per calcinationem; quia tunc flamma ignis ad minimas quaſq; partes corporis humiditate eas cõſolidante priuati penetrare poteſt, & ipſas reſoluere. Cum igitur omne ſulphur externum quamuis fixũ comburat &comburatur,ſulphur vero auri nequaquã,quod patet per omnem examinatione ipſius in igne, quia nec deterius fit, nec minuitur vnquam,neceſſario ſulphur iſtud auri,cuius meminit Geber non externum ſed internum erit,ex quo argenti viui ſubſtantia conſtat:proinde & tota auri ſubſtantia erit ex ſolo argento viuo. Id ipſum confirmat Geber hoc argumẽto:Argentum viuum nihil recipit, niſi quod ſuæ naturę eſt,at argentum viuum maxime recipit in ſe aliud argentum viuum, poſt illud vero aurum eidemq; magis adhæret & amicum eſt quam aliud quoduis metallorum. Igitur relinquitur ipſum magis eſſe ſuæ naturæ. Maior & minor probantur per experientiam, quia omnes res mundi quantumcunq; graues, modo quantitatem argenti viui mole ſua non ſuperent,tanquam lignum aquę,ei innatant,etiam ipſa corpora metallica, præter aurum, quod parui ponderis in ipſo mergitur, ob identitatẽ & conſenſum naturæ,ac cognationem maximam quam inter ſe habent. Cum igitur aurum ex ſolo argento viuo ab externo ſulphure digeſto, & vltimo ab eo exſpoliato ſit generatũ & perfectum,ergo & lapis philoſophorum ex eo debet generari. Quia itaq; Elixir ſolo argento viuo conſtat, propter conuenientiam naturæ & ſimilitudinem ſuper corpora metallica liquefacta proiectum,argentum viuum eorundem corporum apprehendit, ingreditur &penetrat,idq;in aurum transmutat,ſulphur vero externum illis admixtum tanquam alienum à natura ſua reſpuit, nec ei commiſcetur, ſed ſeparat & ſeiungit, ſolumq; derelinquit, quod deinde ignis vi facile abſumitur, remanente puriſſima argenti viui ſubſtantia in aurum mutata. Idipſum aperte indicat venerabilis Raym. Lull. his verbis: Cum medicina ſit ex ſubtiliſſimis partibus Mercurii,ipſa quærit in metallis ſuum comparem,& ſibi ſimilem propter affinitatem & amicitiam naturalem. Et Geber: Medicina Mercurii eſt,quæ maxime illi in profundo eius adhæret,&ei per minima commiſcetur ante illius fugam. Ex rebus ergo ei conuenientibus

Tertia.

Sum.perf. cap. 59.

Quomodo lapis adhæreat & retineat ſibi ſimile.

Lib. de mer. ſolo.

Sum.perf. cap. 57.

necesse est illam colligere: debet autem esse subtilissimæ & purissimæ substantiæ illi adhærentis natura ex sua. Et ibid. Natura propriam naturam amplectitur amicalius, & ea magis gaudet quam extranea.

Sophistarum in vegetab. aut animalib. labores examinantur.

Ostendi auri generationem per naturam & quomodo ars eam proxime sequatur, ac qua ratione Elixir metalla ingrediatur & peruadat, sibiq; vicino & affini adhæreat, retineatq; nunc Sophistarum & eorum qui in vegetabilibus & animalibus eorumq; partibus aut excrementis, lapidibus, vitris, salibus, aliisque mediis mineralibus philosophorum lapidem inquirunt, opera paucis examinemus, & quomodo naturam imitari conentur, & quam affinitatem eorum materia cum metallis transmutandis habeat perpendamus.

In primis ii, qui in vegetabilibus & animalibus, eorumq; partibus aut excrementis, vel ortum ex iis habentibus laborant, vnam fere intentionem habent, quoniam reperiunt in libris philosophorum lapidem componendum ex quatuor elementis per artem depuratis, & iterum iunctis, vt præmissis putrefactionibus in fimo, per destillationes recipiant primo aquam limpidam per se, secundo oleum album, quod aerem dicunt, remanente in fundo fæce siue terra, in qua est ignis, siue tinctura quam vt extrahant, reaffundunt fæcibus aquam abstractam, iterumq; putrefaciunt, ac paulatim aucto igne post euaporationem aquæ oleum rubicundum, quod ignem putant, destillant: vel post album, nulla interiecta maceratione illud excipiunt. Hæc sua elemēta pluries destillando rectificāt, vt vocant, tandemq; terras omnes a destillationibus singulis residuas simul iungunt, & in calcem seu cinerem redigunt, cinerem imbibunt paulatim, primo aqua, seu phlegmate, deinde oleo albo, & in fine rubeo, atq; eo modo elementis rite coniunctis se elixir composuisse arbitrantur. Sed quando super metalla liquefacta materiam sic præparatam proiiciunt, vident eam partim euanescere in fumum, partim non ingredi, multo minus alterationem vllam aut transmutationem, quam expectabant, inducere. Causa erroris manifesta est, quia principia, ex quibus natura metalla in mineris perficit, inuestigare aut assumere non curarunt, sed aliena & extranea, quæ comburuntur & euaporant, & vicinitatem cum metallis nullam habent. Qui rectius audirent Parmenidem in Turba dicententem. Nisi veritatis naturas

Causa erroris.

tas dirigatis, eiusque complexiones bene coaptetis, & consanguinea consanguineis iungatis, nequicquam operamini. Et paulo post: Intendite noscere quæ naturaliter habeat propinqua & longinqua, & quis lapis cui lapidi sit amicus, & quomodo se inuicem diligant & complectantur, quibus notis manus vestras operi applicate. Quod si dictas qualitates ignoratis, nolite huic operi appropinquare. Sed dicet forte quispiam eorum, qui in huiuscemodi friuolis operam impendunt, philosophos affirmare, Lapidem constare spiritu, anima & corpore: per spiritum autem intelligere aquam, per animam oleum siue humidum radicale, per corpus terram, igitur cum nos eadem possimus demonstrare in opere nostro, quid obstabit, quo minus ex iis lapis producatur? habemus enim aquam, habemus oleum, habemus & terram siue calcem Habetis hæc, fateor, sed non solum a metallica natura aliena, sed etiam à vegetabili aut animali, vt etiam si velitis ex iisdem, quæ appellatis principia & elementa, eandem plantam, herbam aut animal, eiusve partem, aut excrementum componere, tamen id facere non possitis, quamuis ex iis elementa vestra eduxeritis: multo minus igitur metallum inde componetis, aut elixir ad alia corpora imperfecta transmutanda, cum quibus nihil similitudinis habent. Elementa enim vestra disproportionata sunt, nec vlla arte ea denuo vnire aut permiscere potestis, vt oleum & aqua terram suam non derelinquant & euaporent: cum in metallis humidum sicco sic vnitum sit, vt alterum ab altero nũquam derelinquatur; sed simul in igne permaneant, aut simul euolent. Si autem elementa metallorum vel elixiris disproportionentur, vt videlicet ex iis aqua educatur limpida aut diaphana terra per se derelicta, vt faciunt ii qui ad mulierum cosmeticen vasi oblongo igne excandefacto hydrargyrum iniiciunt, & eius aquam excipiunt, profectò nec ipsa magis apta erunt lapidi producendo; quam supra memorata. Deinde si sufficiat habere aquam, oleum & terram, cum nihil sit in rerum natura, quod aqua & terra non constet, & humore aliquo radicali, ex omnibus rebus iuxta illorum iudicium metalla & elixir fieri poterunt, neque hæc solum, sed aliud quodcunque, animal, planta, lapis. Cur enim metallum potius quam aliud quippiam? sicque inualescet & renouabitur opinio illorum, qui asserũt quodlibet è quolibet fieri:

Quæstio.

Solutio.

quod quam absurdum sit, ne dicam impium erga Deum, qui omnibus fere à se creatis semen proprium indidit, vt vnumquodq; speciem sibi similem produceret, nemo non videt.

In lapid. & gem. elixir inquirentium opinio præpostera.

Sed forte qui in gemmis & lapidibus laborem insumunt affinitatem hanc cum metallis in materia sua inueniunt. Sicut enim metallum generatur in montibus & mineris, ita lapides & gemmæ, sicque eundem generationis locum habent: & sicut metallum vnctuoso humido constat & misto cum terra, sic & lapides, nisi enim glutinosa esset humiditas lapidum, siccum terrestre non retineret humidum, nec humidum aqueum existens intra siccum faceret continuationem, sed exhalaret, & terra sicca remaneret & friabilis. Dicimus ad hæc, quod non sufficiat ad hanc vicinitatem eundem habere generationis locum, aut eadem multum remota principia, & gradibus distincta quibusdam, sed ea debere admodum esse propinqua & proxima: Quamuis autem humidum viscosum terræ mixtum sit proxima lapidum materia, tamen metallorum est valde remota, nec in mistionis modo conueniunt, nec in subtilitate substantiæ. Humiditas enim in lapidum substantia terrestri non est ligata per siccum in minimis partibus vnius & alterius, sed in grossis partibus humidi & sicci, ita vt partes humidi cum terrestribus coniaceant sicut hami catenarum, vt ait Albertus; in metallis vero minimum terrei est mixtum cum minimo aquei, & è conuerso, & plurimum vnius cum plurimo alterius, & vnum ab altero non separatur, ratione homogeneitatis partium, & vnionis elementorum, quod contra est in lapidibus. Videmus enim eorum humidum in igne facile euanescere, & lapidem in calcem redigi, quia humidum euaporat, nec terram suam vbique protegit. Neque tam vnctuosum humidum habent lapides, neque tam copiosum: in metallis enim humidum vincit siccum, & propterea igne liquantur, in lapidibus vero humidum vincitur à sicco, & ideo lapis teritur. Cum igitur lapides non liquentur exceptis paucis, cum extendi non possint sub malleo, nec misceri cum metallis, eorum principia non possunt esse eadem, proinde neque aurum ex iis, neque elixir componi potest.

Lapides in quo couenire videantur cum metallis.

Humidum lapidum quomodo differat ab humido metallorũ. Lib. 10. de minerali.

Vitri similitudo cũ metallis.

At vitrum magis vicinum censeri poterit quibusdam. Sicut enim metalla liquantur à calore ignis, sic & vitrum: & quem

quemadmodum metalli humiditas non euaporat, ita neque vitri. Vitrum præterea viscosam ac tenacem admodum habet substantiam: propter quas rationes ars vitriaria non inepte subalternatur huic arti, vnde & monet nos Geber, Vt vitrum capiamus in exemplum. Negare hæc omnia non possumus; quantum tamen à metalli natura recedat vitrum, facile videbunt, si perpendant fusionem metallicam fieri per conseruationem humiditatis naturalis argenti viui, vitrificatoriam vero ex vltima consumptione radicalis humiditatis vniuscuiusque rei adustibilis, quę per combustionem in cinerem redigitur: ideoque fere ex cinere cuiusque rei fieri potest vitrum. Et videmus, quod cum plumbum & stannum fuerint calcinata & combusta per ignem cõgruum postea conuertantur in vitrum, sicuti faciunt figuli vasa terrea vitrificantes. Similiter de proprietatibus & passionibus metallorum est, extendi sub malleo, id enim proprie metallo conuenit, cum nulla res mundi talem humiditatem habeat, qualem metalla: vitrum autem percussum dissilit & comminuitur, post ignitionem etiam in aqua extinctum, aut in aere frigido detentum facilime rumpitur & crepat, non autem metallum. Item, metalla omnia in conflatione ad inuicem commiscentur, propter similitudinem materiæ, vitrum autem & omnia vitrificata non miscentur in liquefactione metallis, sed supernatant sicut oleum, & omnis pinguedo aquæ. Vitrum etiam liquefactum ponderi superposito cedit, metalla liquefacta non item, nec magis quam argentum viuum. Quibus notis facile percipitur vitrum à metallorum natura esse alienum, proinde nec ex eo aurum aut elixir componi posse. Quinimo monent nos philosophi, vt si quis laborantium casu opus aliquod vitrificatorium fecerit, ab ipso manum suspendat & operi finem imponat.

Differẽtia.

Cautio in opere.

Sed si vitrum quod humiditatem vaporabilem non habet, non potest esse materia lapidis Physici, quid de salibus, atramentis & aluminibus iudicandum sit, nemo non videt, cum non solum humido facilime in aquam soluantur, sed eorum etiam humor aqueus & oleosus arte spargirica per destillationes elici possit, relicta terra, quæ ingressum nullum aut fusionem metallicam habet, quod secus est in metallis, quæ facile commiscentur propter affinitatem & humidum eorum à sicco propter homogeneitatem & fortem

Sales, atramenta, & alumina quam sint ab arte remota.

vtriusque mistionem non separatur, sed simul in igne manent aut simul euanescunt.

Marchasita, magnesia, thutia quomodo à metallis differant.

At secus forte de aliis mediis mineralibus iudicandum quis putabit, vtpote magnesia, thutia, marchasita, quæ de eadem humiditate participant qua metalla, constant enim omnia argento viuo & sulphure, quamuis immistas habeant multas partes terreas ac lapideas. Dico hæc humiditatem quidem eandem habere, sed indigestam, & alio modo terminatam per suas formas, quæ illis accidunt propter diuersam proportionem mixtionis elementorum propinquorum componentium, quamuis alioqui elementa sint eadem. Idque manifeste animaduerti potest ex metallorum passionibus propriis, & proprietatibus, quæ sunt fusio, ductibilitas, & mistio, quæ metallis omnibus communes sunt: Media autem hæc mineralia, neque sub malleo extendi possunt, neque misceri per liquefactionem cum metallis. Imo terrea illorum pars multis partibus vincit aqueam, quod contra est in metallis. Itaque his consideratis quilibet facilè percipiet hæc auri aut argenti vel medicinæ materiam nobis suppeditare non posse.

In spiritibus solis lap. quærentes frustra.

Sed ex spiritibus metallicis solis, videlicet Mercurio, sulphure, & arsenico, quidam Medicinam facilius fortasse elici posse, existimabunt, maximam enim affinitatem habent cum metallis, quandoquidem sunt eorum principia. Videmus etiam hæc leui opera præparata, & super corpora quædam proiecta alterationem quandam inducere, quamuis non perfectam, quæ si forte debite præpararentur, lapidem etiam omnibus numeris absolutum præberent. Quam opinionem illorum confirmat Geber, dicens: Non inuenerunt antiqui, nec nos, nec qui post nos erunt aliquid quod vniretur corporibus, nisi spiritus solos, vel aliquid quod naturam corporis & spiritus in se contineat. Et eodem cap. Quia in nullis aliis quam in spiritibus vidimus adhærentiam ad corpora cum alteratione, per nullam causam fuimus ab eis excusati, quin necessarium fuerit illos præparasse cum mundatione illorum, quæ fit per sublimationem. Et alio loco: Quæcunque alterantur, per argenti viui virtutem vel sulphuris, vel horum similium necesse est alterari, quoniam hæc sola communicant in natura cum corporibus. Esto sane, concedimus vtique omnem alterationem fieri per spiritum, propterea

Sum. perf. cap. 32.

Sum. perf. cap. 60.

non

non sequitur alterationem fieri debere necessario per argentum viuum vulgare, aut sulphur & arsenicum, cum argentum viuum metallorum etiam spiritus dicatur, nec minus sulphur album aut rubeum ex iisdem eductum, quæ sulphuris & arsenici nomine a philosophis sæpe vsurpantur. Deinde admittamus vt etiam hi spiritus vulgo cogniti alterationem inducant metallis, id profecto nunquam facient, quamdiu fuerint in natura sua, quia in fusione spiritus hi corpora dimittunt, nec eis adhærent, imo asperitatem ignis refugiunt propter fugam quæ ab illis non est ablata. Itaque si mutandi sunt a natura sua, corruptionum causæ illis adimi prius debebunt, quæ in sulphure & arsenico est inflammabilis substantia, in argento viuo aqueitas superflua, & absque inflammatione adustiua in omnibus vero terrea fæculentia. Et a sulphure quidem & arsenico inflammatio tolli potest per calcinationem, ab argento viuo vero aqueitas per præcipitationem: Sed hoc modo in terream substantiam rediguntur fusione carentem & ingressu. Quomodo auté metalla transmutabunt si non ingrediantur, nec penetrent? Quibus difficultatibus non repugnantibus, dicimus ex philosophorum omnium, & præsertim Gebri sententia, mediã quandam ex his substantiam elici posse, quę per terreitaté non impeditur ab ingressu, qui per fusioné bonã perficitur, & cuius impressio nõ facile remouetur propter subtilitaté eius. Sed tamé cũ hæc mediocris illorũ substantia nõ fixa sit, quia è nõ fixo fixũ elici nõ potest, licet eius impressio non facile recedat, non tamen firmiter perpetuatur. Igitur cũ ad Mercurium corporũ perfectorum ad hanc mediã substantiam figendam necessario sit deueniendum, cõsultius fuerit in iis medicinã inuestigare. Qui igitur medicinã quærit metalla conuertentem, relictis supradictis omnib. nihil aut parũ ad rem facientibus metalla capiat, atq; in iis metallorũ principia inquirat, argentum viuum scilicet & sulphur, cum in iis sit per naturam, & metalla ex iis generata sint. Meminerit tamen auri argentique formam nihil dare posse, quod non prius eam habuerit, proinde nec imperfecta metalla nec argẽtum viuum, nec sulphur formam & fixionem elixiri necessariam adipisci posse, nisi auri argentive forma prius informentur, & figantur. Vnde consulit Plato quarto 2. vt in perfectis potissimum operam impendamus. Sic enim ait: Quare calcinatis & solui-

Spirituum incommoda.

Sum. perf. cap. 58.

Metallorũ medicinã à metallis petẽdam.

In perfect. corporib. vtilius & minori labore inquirendam.

solutis alia corpora magno labore, cum in his (scilicet perfectis) quod quæritis inuenire possitis. Si indigueritis vsu eorũ oportet primum vt conuertatis ea in similitudinem duorum corporum perfectorum. Et Hamech commentator in Platonem, ibid. Hæc corpora, scilicet immunda, egent præparari primum, donec fiant in subtilitate & qualitate præparationis sicut sol & luna, tunc præparentur iterum, donec perueniant ad id quod oportet. Et Arnaldus de Villa noua; Si in prima naturæ materia opus nostrum vellemus incipere, esset longissimum, & etiam impossibile, & magnæ, & infinitæ requirerentur impensæ ad hoc perficiendum. Et cum per difficilimum artificium lapis fuerit factus de natura metallorũ, tamen opus physicum nondum esset inceptum, quippe quia est necesse, vt lapis philosophorum elici possit de natura duorum corporum perfectorum, antequam de eo fixat elixir cõpletum, quoniam est necessarium quod illud quod est elixir sit magis depuratum & digestum quam aurum & argentum. Dicit, antequam de eo fiat elixir completum, respectu formę auri vel argenti, sine qua elixir compleri non potest: elixiris tamen materiam ex aliis corporibus peti posse, non est quod dubitemus, vt supra ostendimus, & latius infra auctoritatę philosophorum comprobabitur.

Ros. pat. 1.

Recapitulatio ante dictorum.

Diximus hactenus quomodo elixir & metalla transmutanda conueniant in principiis, & quomodo eadem conuertibilia sint ad inuicem, item quomodo aurum naturæ & elixir constent ex sola argenti viui substantia semoto omni sulphure extraneo: demum quomodo elixiris forma non procedat nisi de materia sua, quæ alia non potest esse, quam est in metallis in principio creationis suæ. Atque in his omnib. maxime elucet affinitas elixiris, & corporum transmutandorum, tamen ad hanc vicinitatem augendam desiderant aliquid insuper Philosophi: nempe vt corporis conuertendi pars in lapide ponatur. Exempli gratia: Vult quis lapide physico plumbum in aurum argentumve mutare, opus est vt plumbi substantiam prius cum eo misceat, ita vt simul vnum quid fiant. Similiter de stanno, ære, & argento faciendum. Idipsum expresse indicat Raymundus Lullius his verbis: Quando vis facere medicinam, considera primum ad quam perfectionem præparationis eam ducere proponis, & supra quale corpus vis proiectionẽ facere: nã de illo corpore super quod

Corporis conuertendi pars elixiri misceri debere.

Pract. test. cap. 22.

quod vis proiectionem facere, debes in ea ponere. Et in Repert. Si volueris facere proiectionem super corpus, pone de eius spiritu in elixir,&per tale artificium in illud habebit ingressum Medicina. Et Arnald. Si non misces de ipso corpore super quod vis facere proiectionem in elixir, & non mitigas, non diliget corpus spiritum. Ad hoc exequendum variæ nobis proponuntur vię à philosophis,ad vnum tamen finẽ tendentes, qui est, vt corpus elixiri addendum subtilietur. Sed quoniam diuersi sunt attenuationum modi, prout supra dictum est, dubitari merito posset,quomodo corpus istud subtiliandum sit. Raym.Lull.cap.supra allegato videtur innuere quod sufficiat corpus tale amalgamari cumMercurio,terendo & miscendo,donec sit quasi butyrum,nec partes eius vllæ amplius sentiri possint, deinde amalgama istud supersterni sulphuri rubeo vel albo; cuius vapor hoc amalgama penetrabit,coagulabit, & in suam naturam conuertet. Quæ quidem operatio est facilis,breuis,&verisimilis,&credimus philosophum expertum talia scripsisse: tamẽ alio loco dicit spiritum corporis conuertendi elixiri admisceri debere. Geber etiam monet corpus esse soluendum. Ait enim:Est tamẽ bona cautela ad ingressum rebus impermiscibilibus dandum, vt soluatur corpus de cuius intentione est per has alterari & mutari. Arnald.de Villa noua dicit alibi corpus in calcem redigendum. Cum vis,inquit,proiicere elixir, facies calcem de illa materia,cuius fuerit corpus super quod proiicere volueris. Geber quamuis calcis expresse non meminerit, videtur tamen mediam sequutus viam, vt videlicet partes corporis solubilis soluantur,reliquæ calcinentur,& ea calx cum elixire iuncta spiritu suo imbibatur. Sic enim pergit:Non tamen fiat omnium partium solutio,sed quarundam,dehinc illud & non aliud imbibatur corpus vice post vicem, per hoc enim beneficium in hoc solum ingressum habet necessario,nõ autem in quocunq; alio corpore necessario hoc contingit.Nisi autem ea mens esset Gebri, non diceret, dehinc illud & non aliud imbibatur corpus. Quod enim corpus imbibendũ nisi propriũ, & quod ex solutione superfuit, cũ alterius corporis non meminerit? Illud autem in elixir intrare non potest nisi purum,& à sulphureitatibus adurentibus & terrea fæculẽtia, quæ per calcinationem potissimũ tolluntur mundatũ: nihil enim elixir ingreditur iuxta philosophos,nisi mundum, & a super-

Ros.ca.21.

Opiniones philosophorum diuersæ recensentur.

Sum.perf. cap. 59.

superfluitatibus omnibus purgatum. Quare autem Geber illud corpus siue calcem multoties imbibi iusserit, causa fuit vt possit deinde sublimari & magis adhuc purgari quam antea: quia calx sursum omninò non, aut difficulter scandit, nisi spiritu adiuta. Quod autem calx corporis sublimãda sit, imo omnia quæ in elixire ponuntur, conceptis verbis affirmat Raym. Lull. Arnaldus, Albumasar, & alii in hunc modum. Si non sublimas omne id quod ponis in elixir, neq; aurum neq; argentum quod inde fiet, erit perfectum integre. Et rursus: Ideo oportet vt calx quæ mittitur in elixir sublimetur, vt sit omnino simplex & singularis. Nos ad concilianda hæc dissimilia Philosophorum dicta, putamus non referre vtrum calx, an spiritus corporis conuertendi elixiri admisceatur, modo eius portiuncula aliqua medicinæ iuncta sit; faciliori tamen & breuiori via spiritum in fine cum elixire misceri quam calcem, quæ melius initio operis additur. Vtrumque tamen fieri posse absque detrimento. Tamen meminerit quisque, mundis nõn nisi munda conuenire. Oportet igitur corpus illud subtiliari & mundari modis in secundo huius libri cap. enarratis, & sic demum elixiri adiungi. Hinc Mars. Ficinus: Si perfectius ex imperfectis exemeris, & corpori perfectiori addideris, totum effici perfectum quid ambigitur? Quin imo vt lapis virtutem suam omnibus metallis infundere possit, eaq; transmutare, poterit spiritu omnium imperfectorum vice post vicem solui & augeri. Quod idem Ficinus satis indicat his verbis: Quid refragetur lapidem ex omnibus metallis compositum, totum mundum non posse tingendo rubefacere? Quod non de omnibus rebus, quæ in mundo sunt, intelligendum, alioqui vegetabilia & animalia, lapides etiam quoscunq; & saxa, terramque cui inambulamus tingeret, quod absurdum & à veritate alienum est, sed de omnibus totius mundi metallis, continens pro contento, & totum pro parte licenter vsurpando. Quibus cap. huic de affinitate elixiris cum corporibus transmutandis finem imponentes, dicimus, radices minerarum simplices & compositas imprimis cognitas esse debere artifici: quia si principia naturæ ignorauerit remotus valde erit ab opere, cum non habeat basim supra quam intentionem suam fundet. Non igitur adhæreat huic arti, nisi eam penitus inuestiget.

Omnia elixir in trantia sublimanda.

De Intẽt. Alch. c. de fixatione.

Conciliatio Auctorum.

Vt lapis omnia metalla transmutet, quid faciendum.

DE

DE RADICALI HVMIDITATE ignea, congelante & consolidante partes retentas cum adhærentia sui similis vnione omnium partium consimilium inseparabiliter.

CAPVT IV.

In quo ostenditur, tres humores, primigenium videlicet seu radicalem, nutritium, & elementarem non solum in animatis, sed etiam in metallis reperiri. Quid sit radicalis humor metallorum, & qua ratione congelet & consolidet partes retentas, & quomodo in metallis augeri possit, in viuentibus non item. Tractatur insuper de humore alimentario siue spiritu lapidis, de eius variis effectibus & operationibus. Vnde educatur, & quomodo præparetur, & an ex aliis rebus quam ex metallis elici possit, examinatur.

DIctum est superius, quomodo medicina Physica oleaginitate sua quam citissime fundatur, materiæ tenuitate penetret in profundum metallorum transmutandorum, affinitate vero & naturæ vicinitate adhæreat suo simili videlicet argento viuo eorundem, idque retineat: nunc porro quomodo retentum coagulet & consolidet examinandum est, quod eam radicali sua humiditate ignea efficere asserit hoc loco Geber. Vt autem melius intelligatur, quid sit ea humiditas radicalis ignea, paululum excurrendum est. Philosophi naturales & Medici triplicem statuerunt in viuentibus omnibus, tam stirpibus quam animantibus humorum differentiam. Et vnum quidem alimentarium siue nutritium vocant, quod eo nutriantur & alantur animata: qui quidem quamuis ex concoctione iam mutatus fuerit, nondum tamen in corporum viuentium essentiam ex toto conuersus est, estque aquosus & frigidus, parum a fontana aut puteali aqua distans, si vaporario euocetur, & vase excipiatur inhibetq; quamdiu rebus inhæret combustionem. Alteru nominant primigenium siue vitalem, & radicalem, pinguem & oleosum, qui quamuis oculorum effugiat aciem, arte tamen & industria secerni etiam potest, non secus atque prior, per destillationem, in forma olei albi siue rubei,

Tres humores in omnib animatis.

Alimentarius.

Primigenius siue vitalis.

vel coloris inter hos medii. In hoc ſpiritum & innati caloris fundamentum, atque primam ſubſtantiam conſtituunt, cum ſit primus & viuentium omnium communis, in quo ſpiritus calore perfuſus primum & per ſe conſidit. Ab his diuerſus eſt aqueus ſiue elementaris humor, quo tanquam viſco terreæ corporum partes iunctæ cohærent, quique rerum omnium ex elementorum permiſtione concretarum eſt communis, vniuerſumque inanimorum ſiue lapidum ſiue metallorum genus hoc ipſo glutinatum ſuſtinetur. Triplex id humorum genus, vt plenius cognoſcatur, exemplo omnia clariora reddentur. Si quis ligneam materiam viridem recensque cæſam igni mandet, principio videbit ægre incendi, propterea quod multo ſcateat humore quem è terra pro alimento ſibi hauſerat, is enim eſt qui ab eius extremis dum incaleſcit emanare ſolet. Hoc conſumpto, reliquam ſubſtantiam prompte flamma depaſcitur, quia purior manet pinguis illa, quæ olei ſpeciem gerit, alio liquore nullo madefacta. Hanc cum omnem ignis depopulatus fuerit, flammæ quidem tum nihil prorſus erumpit, aut euolat, in ſubiectis tamen carbonibus ſua inſuper ineſt ſoliditas ex relicto aqueo humore tenaci & cohærente, quem in elementorum concretione acceperunt, quo tandem exeſo diſſipatoque, cinis duntaxat aridiſſimus, vt apparet, reliquus eſt, quamuis nec ipſe cinis prorſus viſcoſo illo & tenaci humore careat, ſubtili & fixo, nihilque inflammabili, qui in vitrum tranſire poteſt, & diaphanitatem vitream præſtare. Et hunc quidem elementarem humorem philoſophi naturales tam animatis, vt plantis & animalibus, quam inanimatis, veluti lapidibus & metallis omnibus communem dicunt, radicalem vero humiditatem & alimentariam viuentibus duntaxat tribuunt. Chemici vero philoſophi profundius naturæ arcana indagantes, non tantum in viuentibus, ſed etiam in metallis, & præſertim in lapide ſuo tres iſtos humores inueſtigarunt & inuenerunt, non quidem prout ſunt in animam habentibus, ſed prout ſunt in metallis. In primis enim ſicut in oleoſa & pingui ſubſtantia vita præditorum, calor natiuus, ſpiritus, & anima, & ſui ſimilis generatio conſiſtit, ita in radicitus metallis infixa humiditate eorundem etiam propagatio, calor internus materiam digerens, & anima conti-

Elementarius.

Exemplũ trium humorum in vno ſubiecto.

Elementaris humor omnibus reb. communis.

Tres humores in lapide.

Eorum comparatio cum animantium humoribus.

Radicalis metallorũ humor.

continetur. Animam autem dico Proprietatem fundendi fluendi, & extensionis sub malleo, (neque enim hęc tam viscositati aquæ & terræ, earumque subtili & per minima mistioni tribuenda sunt, quam radicali humori, qui aquam terræ, terramque aquæ indissolubili modo iungit) formam præterea lapidis; sine qua materia eiusdem subsistere non potest: Et, veluti deperdito humore pingui & natiuo animantia & stirpes vita priuantur; ita metalli materia non manebit, nec lapis forma induetur metallica, si radicalis iste metallorum humor igne nimio dissipatus fuerit. Item sicut alimentarius viuentium humor a primigenio secerni & separari potest, & veluti eodem nutriuntur & crescunt animata, tandemque concoctione transit in radicalem; eodem modo nutritio suo humore, separabili à radicali; philosophi chemici lapidem irrorant, qui eundem sibi apponit & digerit, crescitque tam quantitate quam virtute; non secus atque infans qui primum parcè & paulatim aqua & lacte nutritur, deinde sensim augetur, donec copiosiori & solidiori cibo digerendo sufficiat. Tertius humor in metallis maxime manifestus est, cum aqua terram suam nunquam derelinquat, sed simul maneant, aut simul euaporent, neque Chemistæ eum separare student, cum in his iunctis proportio metallica nobis à natura data cõsistat, quæ semel interrupta aut disiuncta vllo modo restaurari nequit. De hoc itaq; loqui supersedebimus; & ad priores duos transibimus.

Alimentarius metal. humor.

Elementaris metal. humor.

Radicalem humorem in hac arte Raim. Lullius dicit esse argenti viui substantiam calore sulphuris impregnatam. Ex qua definitione colligimus argentum viuum purum, quo magis digestum fuerit suo à suo sulphure, quodque magis virtutis sulphuris particeps fuerit; plus humoris natiui & primigenij in se habere. Aurum itaque cum sit nisi argentum viuum digestum virtute & calore sulphuris sui interni; ab externo excitati & in actum deducti, magis quoque quam reliqua metalla humiditate radicali abundabit, post aurum vero argentum: ideoque Raim. Lullius aurum vocat merum humidum radicale. Alia vero corpora quamuis interno illo sulphure non careant, tamen admistione sulphuris externi vrentis debilitantur, vt internum actionem suam exerere non possit; oportetque omnia prius

Radicalis humor. definitio. Test. c. 55.

Lib. Mercuriorum cap. 26.

externo sulphure spoliari, antequam ad eorum radicali humidum peruenire possit. Si autem aurum quod non est nisi argentum viuum perfectissime digestum in gradu naturæ, tantum caloris & humidi radicalis in se habet, quod à sulphuris sui proprij qualitate adeptum fuit, vt respectu Mercurij vulgaris passim a philosophis merus ignis dicatur ipsius substantiam digerens & decoquens, quid de tinctura physica censendum erit, quæ aurum humore radicali & calore superat, & merum sulphur philosophis dicitur, & reuera est? Sic enim Raimundus Lullius. Tinctura metallica non est nisi sulphur, ex quo fit multiplicatio per suum proprium naturalem calorem in argéti viui substantia digerente illud & conuertente substantiam sulphuris per certum digestionis modum. Ergo multiplicatio tincturæ non est nisi per augmentationem & multiplicationem caloris naturalis, qui est sulphur non vrens nec ardens in materia argenti viui. Ex quibus verbis colligitur radicalem humorem seu calorem naturalem, qui in radicali humore consistit, non esse nisi sulphur, non quidem externum & vrens, quale metallis imperfectis in generationis loco impuro adiectum est, sed internum nō vrens, quod argenti viui substantiam sibi ab artifice appositam transmutat, & in se conuertit. Nam sicut aer qui est materia ignis induit eius formam in eo, ita argentum viuum est materia sulphuris, & conuertitur in ipsum propter affinitatem naturæ, & cum sulphur illud non sit nisi tinctura, argentum viuum etiam ab ipso digestum nō nisi tinctura erit, quæ pluribus modis multiplicata & aucta, calore etiam extermo materiam magis magisque semper digerente tam magnæ virtutis & efficaciæ facta est, vt suo exuperante calore igneo metallorum liquefactorum Mercurium coagulet & consolidet, quod vero de sua natura non est, absumat vel separet. Sulphuris itaque huius iam dicti respectu radicalis humor oleum dicitur à philosophis, quia sulphur oleagineum est & pingue (cum à Gebro definiatur pinguedo terræ per temperatam decoctionem inspissata in minera quousque indurata & sicca facta sit) de quo cum abunde dictum sit cap. 1. hic parcius loquemur, illud tantum significantes eundem etiam humorem ratione caloris sui interni sæpius ignem vocari. vnde Raimundus Lullius. Fili impraegna corpus ab igne, & multiplica suam combustionem

Marginal notes:
Test. c. 64.
Radicalis humor nō est nisi sulphur.
Radic. humor sulphuris respectu oleum dicitur.
Rad. humor ignis dicitur.

nem, & fortem habebis tincturam: vbi per ignem non aliud intelligit quam humorem istum radicalem quo lapis imprægnandus est siue imbibendus. Et Arnald. Ignis totum compositum maturat, subtiliat & rubificat, & aerem permiscet & consolidat, ac terræ & aquæ constringit frigiditatem, vt ad incolumis redeant æqualitatem complexionis. Et non ineleganter Rhodianus. In occulto lapidis nostri est caliditas & siccitas, quæ caliditas est elementum ignis: oleum quoque est siccum, hoc enim siccum figit, quoniam siccitas ignis tingit. Vbi quamuis ignem ab oleo videatur distinguere, tamen ignis huius qualitates caliditatem nempe & siccitatem declarat, eiusque proprietates aperte describit. Vocatur, inquam, humor hic ignis, propterea, quod in eo, sicut dictum est, calor seu ignis naturæ absconditus sit, nõ secus atque animãtium calor natiuus in humido primigenio, ꝙ quãto magis lentũ & glutinosum fuerit, ac copiosius, tãto diutius calori sufficit, & tãto perẽnius est. Sed calor iste natiuus in animantibus paulatim restinguitur, videlicet, absumpto à se humido cui inhabitabat, & ꝙ ipsi vice pabuli erat; quæ consumptio si sisti posset, perpetuari, & non finiendis ætatibus sustentari posset animal. In metallis autem & præsertim lapide physico cõtra est, quia in eo non solum conseruatur humidum radicale, sed etiam mirum in modum augetur, & sicut humidum accrescit, ita etiam calidum, ita vt merito ignis dici possit, qui suo calore digerit metallorum imperfectorum humiditatem non satis à natura concoctam, & suo superfluo humore radicali eorum humidum primigenium maturat, multiplicatque. Et propterea lapis dicitur non habere humiditatem terminabilem; licet enim siccus sit contactu, copiosus tamen est in humiditate vnctuosa in eius occulto, quæ nunquam potest destrui aut exterminari. Ad antedictorum & Gebri maiorem elucidationẽ visum fuit in medium adducere quid de igneo isto calore sulphuris sentiat Raimundus Lullius in hunc scribens modum. Fili nõ mireris, quando res videbis mutari coram oculis tuis per potentiam sulphuris, quia multum calidum est & siccum. Ideo necessarium est quod proprietatem ignis habeat, videlicet aperiendi partes totius corporis & argenti viui, & penetrandi, & terminandi, quia per calorem quem habet in se naturaliter aperit poros clausos

Test. c. 29.

Ros. c. 24.

Quare ignis dicatur.

Humidũ primigenium metal. augeri posse, animantiũ non item.

Interpretatio antedictorum.

Pract. test. cap. 22.

& feratos. Et cum ignis fit fubftantialiter colligatus in fubftātia fubtili, cum tota illa etiam vaporabiliter intrat totum corpus; cum eius fubftantia per quam ligatus eft & collectus fit multum ficca, terminat & congelat humiditatem quam intrauit, fecundum fui caloris informationem. Dicit fecundum fui caloris informationem, propter fulphuris iftius fiue humidi radicalis duplicem naturam, prout ca. 1. declarauimus, quarum vna Lunaris lapidi tantum formam argenti impartitur, altera vero Solaris, auri: & propter maiorem minoremue decoctionem ex artificis voluntate directam, qui argētum vel aurum facere nititur. Nō autem exiftimet quispiam Raim. Lullium per vocem fulphuris hoc loco intelligere terram philofophicā, aut aliud quoddam fulphur externum, fed folum radicalem iftum humorem igneum, de quo nobis fermo, qui materiam philofophicam hoc eft, terram & aquam, quæ corpus & argentum viuum nominat, aperit, penetrat, & terminat, fcilicet, formam inducendo & figendo.

Teft. c. 55. Cuius interpretationis auctor eft mihi ipfemet Lullius, fic loquēs. Humida radicalia per eorum naturalem calorem excitatione folius ignis terminantur & finiuntur in fubftantiam metalli, quod nunquam poffibile effet fieri, nifi naturæ metalli participarent. Spiritus dixit fulphur iftud corpus & arg. viuum calore fuo igneo aperire, penetrare, & terminare, id ipfum nulla fulphuris mentione facta nūc de radicali humore afferit, & quod hic tacet de corpore & arg. viuo terminandis per calorem fulphuris, hoc fupra expreffit: neque enim putandum eft, quod per fe terminetur, fed in & cum terra fua. Affirmat etiā hęc humida radicalia participare naturam metalli, quia videlicet verfantur, vt alio loco ex Lullio quoque oftenfum, inter duo extrema, quorum vnum eft argentum viuum & fulphur, alterum elixir perfectum, quod nifi metalli naturam haberet, metallorum perfecta medicina non effet. Cum igitur humor hic radicalis medius fit inter duo extrema, oportet, vt ficut metalli naturam, ita etiam fulphuris & arg. viui obtineat, & propterea vicinius fit metallo, quam duo prædicta, quæ remota admodum funt à metalli natura, nifi prius informentur & terminentur à fecundo hoc fulphure, è quibus oritur tertium fulphur. Sed ficut in fuperioribus virtutem & vim humidi iftius primigenij in materiam fuam attigit Lullius, ita fequentibus poteftatē

Humorē rad. lapidis metalli naturā participare.

lapi-

lapidis qui nihil deinceps est quam radicalis humor & mercurius ignis in conuersione metallorum dilucide & præclare, vt semper, demonstrat. Medicina, inquit, debite præparata quando super corpus fusum vel argẽtum viuum calefactum proijcitur ratione subtilitatis & igneitatis metallum figit & decoquit, inspissat & coadunat: inspissando autem & coadunando pondus præstat, partes vero terreas magis crassas pro scoria relinquit. Atque hęc de radicali humiditate ignea quam medicinę necessariam affirmat Geber, vt partes retentas cum adhærentia sui similis congelet, & consolidet, dicta sufficiant. Transeo ad humorem alimentarium, qui vnus est ex tribus præcipuis chemicæ artis principijs seu lapidis elementis, comparaturq; nonnunquam aeri, quemadmodum radicalis humor igni.

De Mercurio solo.

Hic humor in arte spiritus, aqua, Mercurius, ventus, fumus, acetum dicitur, & infinitis alijs nominibus à philosophis insignitur, sæpiusque cum radicali humore confunditur. Spiritus definitionem inuenio in Innominato quodam auctore, qui eam vt suspicor à Raim. Lullio mutuatus est. Vbi dicitur esse virtus mineralis, in qua naturæ metallorum quiescunt. Virtus, quia spiritualis & aeriæ, chemico loquendi more, est naturæ, nec absque suo corpore subsistere aut ignẽ tolerare valet; & quamuis talis sit in natura propria, tamen tota metallica natura in ea quiescit, & ea constat, quia metallicum corpus non est aliud quam argentum viuum à natura sua mutatum, & coagulatum, & iuxta sulphuris sibi agnati proprietatem digestum, & informatum.

De humore alimẽtario.

Eius nomina diuersa.

Definitio.

Huius effectus & beneficia sunt varia. Corpora enim à cõbustione præseruat. Vnde Philosophus in Turba. Si corpus absque aceto super ignem ponatur, comburetur, & in fauillam redigetur. Vstionem autem inhibet sua frigiditate & humiditate, quæ qualitates sunt aquæ. Soluit præterea omnia corpora metallica, præcipue vero aurum & argentum, solutione vera philosophica in aquam ex qua ab initio fuerunt; quod partiũ tenuitate efficit, eo quod terrestri materia plane expoliatus sit pet frequentes destillationes, & circulationem diuturnam, ac penetrationis acumine, quod à metallico sale cum eo digesto & eleuato acquisiuit. Lauat insuper & abluit, quia nigredinem & sordes corporum dissolutorum & terræ eorundem per lotionem aufert; vnde non semel sa-

Spiritus beneficia varia.

po Sapientum appellatur, similitudine ducta à sapone vulgi, quo interulæ & vestes sudore aut alijs sordibus inquinatæ mundantur. Has ipsius proprietates Raim. Lullius paucis complexus est in hanc sententiam. Proprietas quæ est aqua refrigerat multum, dissoluit & lauat. Et ibidem. Argentum viuum est liquor inundans & fluens, præseruans a combustione & arsura. Huic præterea spiritui diuersæ ac contrariæ adscribuntur operationes. Dicitur enim congregare & diuidere: Congregare quidem homogenea, partiri autem & diuidere heterogenea. Quod ea fit ratione, quia homogenei & de natura sua Mercuriali existentibus adhæret, heterogenea vero, hoc est, vnctuositatem inflammabilem & terream substantiam corporis seponit, & tanquam alienam non attigit, neque complectitur, aut si complexus fuerit, tandem deserit. Dicitur etiam mortificare & viuificare, Mortificare quidem animam & tincturam à corporibus separando, quæ deinde mortua remanent, cum nullus in ijs amplius sit splendor, nec vita vlla quæ in fulgore consistit, & humido radicali iuxta dictum Morieni. Corpora cum suas non retinent animas, mortua & tenebrosa apparent. Viuificare autem, cum animam, id est, Mercurium corporum perfectorum in terram mundam & puram inducit. Dicitur etiam corpora viuificare, cũ metalla ad naturam suam, hoc est, in argentum viuum conuertit, hinc Lullius. Aqua nostra facit totum corpus spiritum, & corpus mortuum in substantiam viuam vertit. Vbi corpus mortuum ea ratione dicitur, quia vires suas exerere non potest quamdiu compactum & durum est, sed demum post solutionem spirituale factum. Nec dissimilibus rationibus dicitur dura mollificare, & mollia indurare. Mollificat, cum corpora soluit, & cum terram exuccam & aridam irrorat; indurat, cum humorem radicalem, qui metallorum fluxui sufficiebat, educit, & ne amplius fluere possit, inhibet. Item albificat & rubificat, Albificat, terram lauando, mundando, & extollendo, rubificat tincturam auri vel eius oleum infundendo. Hos omnes Mercurij seu spiritus effectus breuibus verbis complectitur Auctor Rosarij minoris, in hunc modum. Cum ista aqua laudabili corrosiua poteris in momento resoluere cuncta corpora tam cruda quam calcinata, omnes spiritus & omnia mineralia,

Pract. test. cap. 17.

Cõtrariæ operationes in spiritu lapidis.

Test. c. 61.

Part. 2. cap. 20.

nec

nec non lapides pretiosos, & coagulare quando volueris. Ista aqua habet tales effectus mirabiles & laudabiles, quod resoluit solidum, & reddit liquidum, mundat immundum, corrodit superfluum, figit fugitiuum, consolidat disgregatum, augmentat tincturam albam optime, & rubeam, omnia penetrat, durum mollificat & molle indurat, & discordantes concordat, & est clauis totius artis. Quod addit, hanc aquam discordantes concordare, id dicit ratione animæ & corporis, quæ se inuicem non amplectentur propter distantiam remotam, nisi per medium spiritus. Hinc Raimundus Lul. Animæ corpora ingredi non possunt, nisi mediante spiritu. Vnde & ab Arnaldo de Villa nova dicitur Mercuri⁹ solutiuus philosophorum, faciens matrimonium. Et alius. Hæc aqua coniungit corpora diuersa tali coniunctione, quod non potest ignis ea separare. Ipsa facit matrimonium inter corpus & fermentum, & eorū vnum mutat in aliud, & ab ignis combustione defendit. Hic humor quemadmodum albificat & rubificat, ita dicitur etiam denigrare. Vnde Marchos apud Morienum. Aqua nostra soluit corpora, congelat, & denigrat ea. Quod facit ratione putrefactionis, in qua nigra omnia redduntnr. Vnde Rosarius. Aqua putrefacit, ac postea facit germinare res nouas & diuersas. Huius spiritus naturam non satis admirari nec commendare potuerunt philosophi. Vnde Auctor Lilij. O natura cælestis, qualiter vertis corpora in spiritum. O quam admirabilis natura, qualiter omnibus eminet, & omnia superat. Et ne de alio elemento loqui existimetur, addit. Et est acetum acerrimnm, quod facit aurum merum esse spiritum, sine quo aceto nec albedo, nec nigredo, nec rubedo fieri potest.

Spiritus quare humor alimētarius dicatur.

Præter superius enumeratas facultates hic spiritus lapidem æris vel lotonis etiam nutrit & alit. Vnde non immerito alimentarius siue nutritius humor dicitur. & à Raimundo Lullio lac virginis, sanguis reincrudatus, menstruum dealbatum, nutrimentum infantis, cibus cordis, venenum viuentium, cibus mortuorum vocatur. Et ibidem. Operatio huius est nutrimentum vel multiplicatio lapidis in substantia Mercurij, & cum nutritur aqua, augetur & multiplicatur sicut cæteræ res. Sed dicet quispiam. Idem Raimundus Lullius alio loco Codicilli affirmat hanc

Codicil. c. de subl. Merc. & nutrimento per multipl.

Quæstio. Ca. de modo fermētat. rerū cerandarum.

humiditatem non generare nec augere. Sic enim ſcribit volens radicalis humiditatis differentiam oſtẽdere ab alijs humiditatibus lapidis. Ne putes hanc humiditatem, fore ſecundam, quia phlegmatica eſt, nec generat vel augere poteſt, quantum eſt de natura ſui, niſi ſolum humectat lapidis partes, illas vaporabiliter deſerendo. Reſpondeo, humiditatem hanc multum quidem phlegmatis continere, quod facile ab igne recedit, mediam tamẽ ipſius ſubſtantiam nutrire & augere, donec lapis ad quantitatem debitam perueniat: quæ tamẽ etiam facile cum ſuo phlegmate ab igne euaporat, niſi conuenіente igne regatur, & poſtea per animam detineatur.

Solutio.

Propterea concinne admodum Calid. Aqua non plus põderis adijcit vel dat corpori, niſi quantum de humiditate metallina in ſe habet, quia humiditas aquæ tranſit, & metallina manet. Metallinam autem humiditatem vocat mediam Mercurij ſubſtantiam incombuſtibilem. Propter hanc nutritionis proprietatem Lullius hunc ſpiritum non vno loco vocat Mercurium vegetabilem, vel aquam vegetabilẽ Mercurij, vel menſtruum vegetabile, eo quod vegetet, nutriat & creſcere faciat. Iterum obſtrepet alius & dicet. Nonne Raim. Lullius & alij philoſophi pluribus locis affirmant humorem radicalem verum eſſe nutrimẽtum lapidis? Sic enim Lullius:

Teſt. c.14.

In tertia digeſtione lapis nutritur cum perfectione, & augmetatur in creſcendo, & lapis cõfortatur ad faciẽdum ſuas actiones in reſtaurãdo rem deperditam in terra alba foliata. Tertiam autem decoctionem fieri cum humore radicali, qui etiam oleum & anima dicitur, notum eſt, cum eo lapis animetur, & tingatur, & abſque eo terra dealbata & munda in medicinam perfectã mutari non poſſit, ſed mortua & nullius effectus remaneat, aut euaneſcat. fatemur id quidem, ſed propterea non ſequitur alium nullum humorem nutrire.

Solutio.

Quod enim de vno aſſeritur, de alio recte negari non poteſt. Sed eam Lullius vbique fere conſtituit differentiam, quod humorem alimentarium, de quo loquimur menſtruo comparet, radicalem vero lacti. Sicut enim infans ante partum menſtruo ſanguine per vmbilicum attracto tantum alitur, cum non valeat propter impotentiam digeſtionis & cruditatis per os alimentum attrahere, poſt natiuitatem vero lacte, & paulatim adauctis viribus cibo ſolidiore: ita & lapis terræ cum ſit frigidiſſimus in principio indiget alimento ſibi

Differẽtia humoris alimentarij, & radicalis.

conue-

conueniente, non nimis calido ne suffocet aut extinguat digestiuam in eo virtutem, sed sibi in complexione simili: post ortum vero suum & partum, calidiore cibo & magis digesto, cum ipse quoque sit calidior, & plus attrahere meliusq; concoquere valeat; cui si tum frigidius alimentum suppeditaretur, mortificarentur in eo virtutes conuertētes. Cum autem dico lapidem frigidissimum in principio, non intelligi velim nisi respectu finis, cum alioqui nisi caloris aliquid in se contineret, humidum suum coagulare, & retinere non posset. Quod satis indicat Lullius in Codicil. his verbis. Prima terra calida est, secunda calidior, tertia calidissima. Non negauerim tamen differentiam hanc quam dixi de menstruo & lacte aliquando confundi, cum secundus lapidis humor nonnunquam lacti comparetur, & etiam mediocris humor radicalis a Raimundo dicatur. Sed tum tertium humorem caloris nutritiuum & conseruatiuum, generantem viuificos spiritus & sanguinem, ignem, & animam vocarunt philosophi, manifesta satis vtriusque differentia. Sed interrogabit quispiam, si spiritus hic, siue humor alimentarius non sit ita calidus, prout radicalis, quare Philosophi illum quandoque ignem vocauerunt, vel aquam igneam, igneum venenum, aquam cholericam igne calidiorem, cum nihil possit igne esse calidius? Sic enim Menardus in Turba. Argentum viuum est ignis corpora comburens, mortificans, & confringēs. Et Dardarius ibid. Notate argentum viuum esse ignē omne corpus comburentē, magis q̄ ignis, & corpora mortificantem, & quod omne corpus quod ei miscetur teritur & morti datur. Respondeo cum Raimundo Lullio hanc aquam siue argentum viuum dici ignem à Philosophis non quod intrinsecus de natura sua calidior sit oleo aut humore radicali iam dicto, sed quod igne elementali potentior sit in actionibus suis, videlicet comburendo aurum, & quia in se continet naturalem proprietatem & virtutem scindentem & rumpentem, & sine vi aurum dissoluentem, quod ignis facere nequit.

Questio.

Differētia humoris alimentarij, & radicalis.

Sed quæri posset vnde humor iste alimentarius siue spiritus educatur potissimum? quem non esse argentum viuum vulgare hinc conijci potest, quod passim dicant Philosophi, Mercurium suum non esse Mercurium vulgi: deinde quod argentum viuum vulgare non efficax sit in auro argentoue

Vnde petēdus spiritus.

ſoluendo, nec etiam in calce corporum coagulari poſſit ob cruditatem: denique quod alias proprietates quas aquæ ſuæ attribuunt Philoſophi non obtineat. Dicimus itaque ſpiritum hunc non eſſe niſi argentum viuum è corporibus eductum. Vnde Auicenna. Intentio operis non eſt niſi vt eligatur puriſſima Mercurij ſubſtantia ex ipſis corporibus, quoniam Elixir conſtat ſolummodo ex ipſis; Item Roſarius. Lapis noſter apud oēs philoſophos dicitur Mercuri⁹, qui nō eſt natus, ſed de corpore extractus. Et Raimundus Lullius. Intentio tertij practicalis principij eſt, vt argentum viuum à corporibus abſtractum per diſſolutionem ſui ſulphuris, & illius vapore per reductionem cōgeletur. Quo autē corpora perfectiora fuerint, eo etiam ſpiritus perfectior erit, melius enim congelabitur, & humiditates ſuperfluæ minus continebit. Cum itaq; aurum metallorū omnium perfectiſſimū ſit, & maxime decoctum, ſpiritus ex eo eductus reliquorum ſpiritibus perfectior erit, poſt quem argenti, deinde cæterorum metallorum, prout puritate & abundantia Mercurij magis argento vicina fuerint. Quæ autem illa ſint ex libris philoſophorum addiſcendum eſt. Sed quoniam hæc duo metalla perfecta multum de virtute ſulphuris non vrentis, in ſe habeant, & proinde etiam radicalis humoris plurimum, plus aurum minus vero argentum, ne caliditate nimia terra ſuffocetur, adſciſcēdum erit pro ratione argentum viuum vulgare, quod horum corporum partes minus fixas ſecum euehat, & per miſtionem earundem & digeſtionem debitam qualitates Mercurij corporum perfectorum induat: ſpiritus vero minus decoctorum metallorum plumbi, videlicet, vel ſtanni additione argenti viui vulgaris non indiget, cum crudus adhuc ſit iuxta corporum naturam è quibus eductus eſt, cui ſi Mercurius vulgaris crudior coniungeretur, profecto timendum eſſet, ne à ſulphure parum caloris in ſe habente congelari non poſſit, & ſic opera & labore fruſtremur. Quod autē ſpiritus hic tam ex imperfectis quam perfectis corporibus elici poſſit, ſatis indicat Raimūdus Lullius his verbis. Noueris quod metallorum ſpiritus eſt altera pars & materia noſtri lapidis, quem oportet te à corporibus omnium metallorum euacuare. Et iſta euacuatio fit dupliciter, quia in duobus corporibus perfectis diuiditur per putrefactionem & elementorū diuiſionem: ſed in metal-

Spiritum è corporibus petēdum.

In Codicil.

Quorum corporum Mercurius melior.

In compend. trāſ. animæ.

metallis imperfectis diuiditur per putrefactionem & sublimationem simplicis vnitatis. Et alibi: Si fixas per aquam corporis imperfecti, incera cum oleo Solis vel Lunæ, vt facias solem perfectum & Lunam. Sed si fixas per aquam corporis perfecti, sufficit vt modo fundatur: etsi vis leuioris fusionis, incera cum oleo corporis perfecti. Quibus verbis Lullius non solum ex imperfectis metallis aquam siue spiritum educi scribit, sicut ex perfectis, sed manifestam vtroruque differentiam tam in resolutione quam coagulatione eorum in terram, & incerationem diuersam docet. Geber etiam aquarum Iouis & Saturni, Veneris, & Martis præparationes tradit; quod superuacuum esset, nisi spiritus iste ex omnibus metallis educi posset. Quinimo libro fornacum cap. 17. expresse affirmat spiritum hunc siue Mercurium ex omnibus metallis peti posse. Ex hoc magnum elicias secretum, quod Mercurius atque sulphur extrahi possunt tam à perfectis quam ab imperfectis corporibus debite præparatis. Sunt hæc adminicula spiritus purificati & media mineralia. Quomodo autem corpora metallica dissoluenda sint, quoniam dictum est cap. 2. hic repetendum non putaui. De intent. Alch. De inuestig. perf.

Præparatio huius spiritus est ipsius subtiliatio quæ per multiplices destillationes perficitur, donec splendorem & crystallinam consequutus sit serenitatem. Auctor Scalæ. Aquæ depurantur multum ab illarum sordibus cum destillationibus, & subtiliando vertuntur in naturam aeris per leuigationem. Et Lullius. Aqua destillatur ad perfectæ ablutionis signum, quod est splendor transparens, & fulgens vt crystalli serenitas. Qui ad hoc signum peruenerit, Mercurium habet philosophorum omnia corpora soluentem, præcipue Solis & Lunæ, ob naturæ vicinitatem; qua de causa subtilitas spiritus illorum densitatem facilius penetrat, & intima corporum subiens illa emollit, & tandem in Mercurium currentem conuertit putrefactione conuẽienti præmissa. Spiritus præparatio. In codicil.

Reliquum est, vt excutiamus an in alijs rebus hic spiritus inueniri possit. Philosophi lapidem suum animalem dicunt, vegetabilem & mineralẽ, ratio eos mouens alibi declarata est. Sunt tamen qui putẽt lapidẽ physicum ab hoc spiri- Opinio quorundã reprobata.

tu an-

tu animalem dici, siue vegetabilem, siue mineralem, atq; ita tres lapides constituunt. Animalem, si hic spiritus ex animalibus depromatur, videlicet, si lac, sanguis humanus, vrina, vel mel varijs destillationum circulationumque modis subtilietur, donec aurum & argentum soluat, & in liquorem deducat. Vegetabilem vero, si spiritus iste ex vegetalibus sumatur, qualem existimant, quintam vini essentiam, chelidoniæ, lunariæ maioris, radicis frumenti, maluæ & Mercurialis, cæterarumque herbarum, fruticum, vel arborum, quæ natura calidæ sunt vel humidæ. Mineralem autem, si aurum argentumve per Mercurium in Mercurium deducatur. Sed quoniam argentum viuum deleteriæ esse naturæ, & venenum perniciosissimum, aurumque per illud dissolutum venenatis eiusdem qualitatibus imbui existimant, studentes potius incolumitati corporis humani, quam vilium metallorum in aurum argentumque Metamorphosi, conati sunt ex animalibus aut vegetabilibus aquas elicere, quibus aurum argentumve in liquorem resoluerent, eodemque metalla imperfecta transmutarent. Quod quam absurdum sit & à veritate alienum, ex supradictis quilibet colligere potest, cum ostensum sit nihil elixir intrare posse, quod non sit de metallorum natura & substantia, & quod corpora metallorum penetrare ac peruadere, atque argentum viuum illorum sua affinitate retinere & ignea vi transmutare nequeat. Liquorem quidem saluberrimum cum quibusdam supradictorum, vel forte etiam alijs, addito auro vel eius tinctura componi, & aurum etiam in liquorem redigi posse post calcinationem cum similibus concedo, quando auro eximiæ facultates sanitatis conseruandæ, lętitiæ inducendæ, melancholiæ minuendæ & temperandorum quorumcumque corporis humorum à natura collatæ sint, tamen eo liquore chrysopœiam vel argyropœiam compleri, vanum est credere. Atqui concedamus Mercurium toxici naturam in se habere: nemo philosophorum vnquam asseruit Mercurium solum absque auro vel argento metallorum impuritatem tollere, & ea in aurum argentumve mutare: imo axioma philosophorum generale est, nihil ignobilitatem metallorum posse tollere, nisi prius fuerit aurum vel argentum. Mercurius etiam & sulphur cum sint lapidis extrema ab vna parte, in elixir completum

quod

quod est aliud extremum conuerti non possunt, nisi per sua media, media autem sunt ipsa metalla. Cum igitur Mercurius supra terrã per artem, in mineris autem per naturam in argentum aurumque conuertatur, qualitates proprias exuit quas ante concoctionem habuit, inducendo alienas, quas per digestionem acquisiuit, videlicet, primo argenti, deindè auri, & postremo Elixiris, quod auro 100000. salubrius & perfectius est. Vnde nulla Mercurij venenata qualitas amplius timenda est cum in aurum & elixir conuersus sit, quod infirmitatem corporum tam humanorũ quam metallorum tollit. Insuper cum Philosophorum testimonijs, corpus, spiritus, & anima misceri debeant per minima, vnumque quid fieri ante elixiris complemẽtum, quomodo hic spiritus siue ex animalib. siue vegetabilib. desumptus corpori & animæ, quæ è metallis petenda ipsimet confitentur, miscebitur per minima, cum diuersarum plane sint naturarum, nec sub vno genere comprehendantur? quinimo cum spiritus huiusmodi ne vel minimum quidem ignem ferat quin à copore separetur? quo euascente, & animam à corpore separari necesse est, cum per spiritum anima penetret, & in terram ingressum habeat. Nec obstat quod Philosophi animam lapidis siue tincturam comparent tincturæ tinctorum, cum dicunt, animám deportari in spiritu, sicut portatur tinctorum tinctura per aquam super pannum, aquam recedere, & remanere tincturã in panno fixam, propter oleaginitatem. Non enim ijs verbis demonstrare voluerunt philosophi spiritus euaporationem à corpore, sed quomodo spiritus vehiculum sit animæ, & quomodo auxilio spiritus anima in corpus reducatur. Quod manifeste colligere licet ex verbis Arnaldi de Villa noua ex Ros. cap. 11. desumptis. Spiritus est in quo portatur tinctura aeris, quę cum reducitur super terram albam foliatam, statim siccatur aqua spiritualis, & remanet in corpore anima, quæ est tinctura aeris. Terram foliatam vocat sulphur perfecte mundatum & dealbatum. Et ne possit aliqua deinceps oriri dubitatio, addit expresse sequentia. Spiritus igitur retinet animã, sicut anima retinet corpus, quoniam anima non moratur in corpore nisi mediante spiritu: cum vero coniunguntur, nunquam separantur, quia spiritus retinet animam, sicut anima retinet terram. Tria dicit, quorum primum est, aquam statim siccari: at si siccatur vna cum

Mercurius per digestionẽ venenatã qualitatẽ exuit.

Corpus, spiritũ, & animam oportet vniri in opere.

Cõparatio animæ lap. cum tinctura tinctorũ.

cũ anima, non euaporat. Secundum, animã non morari in corpore, nisi mediante ſpiritu. Quod ſi verum eſt, neceſſario ſequitur ſpiritum nõ recedere. Tertio ſubiungit hæc tria nũquam ſeparari, quia vnum eſt retinaculum alterius, neq; vllum eorum per ſe ſubſiſtere poteſt absq; mutuo adminiculo, cum hæc tria corpus phyſicum conſtituant, non ſecus ac humanum: ita vt locus nullus relinquatur ſpiritui animalium aut vegetabilium euanido.

Salium, atramẽt. & aluminũ aquã ſpiritus vicem non poſſe ſupplere.

Sed fortaſſe aqua ſalium, atramentorum vel aluminum ſeparatim vel coniunctim per ſolutionem ſiue deſtillationem procurata, ſpiritus iſtius ſolutiui locum ſupplere poterit? Quod an verum ſit expendamus. Imprimus ſi calore balnei aut fimi ſoluta hæc addantur corporibus metallicis ſiue terræ philoſophorum, cum primum ignis calorem ſenſerint, ſubtiliſſimarum partium euaporatione facta, in ſalem, atramentum, vel alumen redibunt, & ſic denſitate ſua ingredi nõ poterunt, multo minus corporum compactam molem ſoluere, ac per minima commiſceri & vniri. Si aqua è ſingulis vel coniunctis deſtilletur, phlegma eorum ab aqua communi non multum diſtabit: ſi ſpiritus eorum vrgeantur igne, & vaſe excipiantur, metalla corrodent, & naturalem terræ calorem igne ſuo contra naturam mortificabunt, inutilem reddent ad animam ſuſcipiendam, ſine qua perſiſtere non poteſt, nec metalli aut elixiris formam adipiſci. Et quamuis his incommodis carerent, tamen quod omnino in Elixiris compoſitione neceſſarium eſt, in ſulphur conuerti non poſſunt, cum quod affinitatem cum eo nullam aut valde remotam habeant per naturam, tum quod paulatim ab igne euaporent. Idem de Mercurij & ſulphuris aquis diaphanis & transparentibus iudicium eſto, quæ quamuis principia ſint quodammodo metallorum, tamen cum terram ſuam, in qua proportio illorum & virtus metallica latet, amiſerint, in igne non magis quam antedicta perdurare poterunt, nec cum terra vniri denuo, neque in terram conuerti, imo & iſtiusmodi aquæ non minus corroſiuæ ſunt quam prædictæ. De liquoribus lapidum, & gemmarum, corallorum, cryſtalli, & ſimilium, eadem cenſura erit, quia aut aquæ ſimplicis aut ſalium naturam referent, cum fere non reſoluantur hæc niſi calcinata, & omne quod ſoluitur iuxta ſententiam Gebri, ſalis, aluminum & conſimilium

Mercurij & ſulphuris aquæ diaphanæ reprobantur.

Liquores lapidum nullius in arte momenti.

tium naturam habere debeat. Sed argentum viuum vulgare prout est in natura sua spiritus physici vicem forte supplebit, cum sit propinqua metallorum materia? Quod quam verum sit, philosophi satis declarant, qui asserunt nullum argentum viuum à terra coagulari, quod antea coagulatum non fuerit, at Mercurius vulgi in mineris terræ nunquam coagulatus fuit, proinde neque à sulphure siue terra purgata coagulari poterit: habet enim nimis crudam, grossam, & indigestam substantiam, quam vt ipsam penetret, & in naturam eius vertatur, aut cum anima misceatur eamque in corpore detineat. Non inficior tamen quin auro vel argento soluto iunctum post digestionem debitam, subtiliationumque modos philosophis vsitatos spiritus vice fungi possit, & in sulphur conuerti, aliasq; omnes spiritus physici conditiones obtinere, in natura autē sua permanēs, minime. At si vulgare argentum viuum prout est in natura sua, spiritum arti præbere non potest, quomodo Mercurius antimonij cæterumque marchasitarum, & thutiæ, & magnesiæ in examine persistet, cum is sit multo ignobilior, contaminatior, minusque fixioni idoneus, imo proportione & mixtione elementorum, ac specie, ab hydrargyro vulgari, aut metallorum Mercurio plurimum differens, hæc cum ita se habeant, necessario ad argentum viuum metallorum recurrendum erit, cum id sit verum artis principium, & clauis vnica. Atque hæc de radicali humiditate ignea, & alimētario humore siue aquæ elemento dicta sint, nunc ad reliquas medicinę proprietates properemus, & ad quintam progrediamur.

An argentum viuū vulgare spiritus locum obtinere possit.

Mercurius marchasitarū in arte reprobatur.

DE PVRITATIS CLARITATE mundificatiua, dante splendorem eminentem, à combustione præseruante, nec adurente.

CAPVT V.

QVo Axioma Philosophorum, Imperfectum perficere non posse, nec immundum mundare, explicatur; ostenditurq; aurū magis ab Elixiris perfectione remotū esse, quā metalla imperfecta ab auro, ideoq; debere mundari & subtiliari magis quam per naturā depuratū & subtiliatum

liatum sit. Qualis puritas in opere requiratur, ac vnde metallorum fulgor procedat, exploratur. Locus corruptus Gebri restituitur. Deinde num in alijs rebus ista puritatis claritas deprehendi possit, examinatur, ac postremo num aurum & argentum per artem factæ excedant aurum & argentum naturæ disputatur.

Axioma philosophorum quomodo intelligẽdum.

Philosophorumpropositio est satis nota. Imperfectũ perficere nõ posse,nec immundũ mũdare. Quod nõ ita accipiendũ est,quasi imperfectũ perfici nõ possit,aut immũdum mũdari,id.n. philosophorum auctoritatibus veritatiq; refragaretur. Sic nãque Geber: Perfectũ imperfectũ adiuuat, & perfectũ in nostro magisterio per se perficitur, sine administratione alicuius rei extraneæ, & imperfectũ hoc eodẽ magisterio perficitur. Et per Deum, se inuicẽ alterant, & se inuicem perficiunt, & perficiuntur, & per se tantum vnumquodque perficitur sine alicuius adminiculo. Quibus verbis Geber asserit elixir non solum è perfectis corporibus componi posse, verum etiam ex mistione horum cum imperfectis, imo ex ipsis imperfectis solis. Nec dissimilia dicunt Rhasis & Aristot. chemicus, qui ex vnoquoque corporum si præparatione perfecta fuerint præparata, album vel rubeum elixir constitui posse scribunt. Eadem cum Gebro affirmant Raim. Lullius, & M. Arnaldus de villa noua. Frustra etiam à philosophis descripta essent tam varia artis regimina, nec tam seduli & diligentes fuissent in vasorum & ignium doctrina, nisi imperfectum perfici & impurum depurari posset. Vanum etiam esset lapidis compositionem tentare, etiam si ex auro vel argento solo eundem elicere possemus, nisi eadem magis depurari possent, & subtiliari per artem. Quamuis enim in gradu naturæ hæc metallorum perfectio sufficiat, tamen si elixiris sublimitatem & excellentiam respiciamus, longius aurum ab Elixiris puritate & digestione recedere videbimus, quam imperfecta metalla ab auro. Quod vel inde colligere licet, quia imperfecta metalla in vna hora vel minori temporis spatio in aurum per Elixiris administionem transire possunt, aurum autem non nisi longo & prolixo tempore in elixir. Alioqui si mundities & perfectio illius sufficeret, caperemus id vt natura nobis dedit. Vnde Arnald. in Soliloquio. Necessarium est quod elixir magis sit depuratum & digestum quam aurum & argentum, eo quod ipsum debet con-

Ex omnibus metallis lapidem componi posse.

Aurũ magis ab elixiris perfect. distare, quam met. imperfect. ab auro.

conuertere à perfectione diminuta corpora in aurum & argentum, quod ipsa facere nequeunt, eo quod non possint tingere, nisi in quantum se extendunt: quoniam nulla res dealbat nisi secundum suam albedinem, nec vlla res rubificat, nisi secundum suam rubedinem. Nec obstat auctoritas Gebri alio loco dicentis, Corpora perfecta non indigere præparatione, cum perfecta sint, sed tantũ vt magis subtilientur & attenuentur. Quia Geber respexit præparationem primã, qua indigent imperfecta ante eorum solutionem, qua non indigent perfecta, cum humiditatem superfluam nigram & comburentem, ac terream fæculentiam immundam & grossam exteriorem non habeant, sicut imperfecta: sed tamen post solutionem nõ minus eorum calces & Mercurium mundari debere, quã imperfectorum, philosophi satis attestantur. Passim enim cum quæritur cur aurum & argentum solui debeant, rationem aliam non reddunt, quam, vt separetur purum ab impuro, & vt terra ipsorum & Mercurius in profundo seu radicitus mundari possint: ad quam mundationem natura peruenire non potuit, quia simpliciter operatur. Cum igitur legimus apud philosophos: Imperfectum perficere non posse, nec immundum mundare, existimandum est eos nihil aliud his verbis innuere, quam quod nihil elixiris compositionẽ intrare possit nisi purum & mundum, & quod saltẽ in via & motu sit ad perfectionem summã & perpetuitatem adipiscendã, quod fieri non potest, quamdiu corruptio & immundities in materia hæserint: omne enim immundum & contaminatum corruptioni & ignis violentiæ obnoxiũ est. hinc Raim. Lullius. Scito fili, quod cũ nulla res imbuta corruptione possit pati vel tolerare ignẽ, nec ignis in se pati corruptionem, oportet quod lapis mũdus magistraliter trahatur separatus ab omnibus imũnditijs & fæculentijs corruptibilibus, antequam præsumas eum fixare, quousq; sit natura pura. Quocirca lapis perfectus cum nihil inquinatum in se recipiat, etiamsi ad diem Iudicij in igne violentissimo detineretur, & ei omnes putrefactionum modi adhiberentur quotquot excogitari possunt; tamen nec consumeretur, nec corrumperetur. Solus tamen philosophus sciens eius constructionem, eiusdem quoque corruptionem nouit: & quamvis multitudine metalli alicuius ignobilis parua eius quantitas obruta esset, ita vt virtutem suam exercere non posset, tamen ex eo etiam cor-

Gebri locus explicatur. De Inuestig. perfec. cap. 10.

Aurum & argentum solui vt mundẽtur magis.

Omne immundum igni subiectum. Test. c. 51.

Lapis physicus incorruptibilis & perennis.

pore inuiolatus & incorruptus tandem prodiret, impuritate omni & superfluitatibus eiusdem metalli absumptis, quamvis non in forma pulueris vt prius, sed auri purissimi, subtilissima & purissima eius metalli substantia sibi adglutinata. Cum itaque puritas tanti in hoc opere sit momenti, non temere quinto loco inter medicinæ proprietates eam requirit Geber. Sed non solum vult, vt medicina pura sit, sed vt puritas eius sit clara & fulgens, & talis quæ mundificet, & det splendorem non vulgarem, sed eminentem, qualis est in auro & argento, postremo vt puritas illa non adurat, sed à combustione præseruet. Quæ sigillatim pertractanda sunt ad maiorem Auctoris nostri elucidationem.

Qualis puritas in opere requiratur.

In primis igitur puritatem desiderat in medicina Philosophus, omnium videlicet partium lapidis, tam spiritualium quam corporalium, idque vnanimi omnium philosophorum consensu: quia nisi pura & munda omnia fuerint, partes spirituales cum corporalibus non coniungentur, neque fieri poterit matrimonium humidi cum sicco. Si autem humidum à sicco non coaguletur, ad nihilum omnia redigentur. Vnde legimus in Turba. Corpora & spiritus non recipiunt se ad inuicem, ita quod spirituale fiat corporeum, & contra, nisi vtraque sint ab omni sorde perfectissime depurata. Et Calid. Necessaria est in magisterio contritio atque cribratio, & mundificatio, & cum dulcibus aquis ablutio. Vnde qui aliquid huius operatus fuerit, mundificet ipsum bene, & abluat ab eo nigredinem & tenebras quæ apparent super ipsum, in eius operatione, & corpus subtiliet quanto plus poterit, postea miscebit cum eo animas solutas, & spiritus mundos. Et Rhasis. Præcedit operationem perfectæ præpationis quædam rerum purificatio, quæ à quibusdam mundatio, à quibusdam rectificatio, à quibusdam ablutio, à quibusdam separatio nuncupatur, ipsa enim puriores rerum partes disgregat ab impuris, vt grauioribus abiectis partibus, cum leuioribus opus compleatur. Modi autem depurandi præscribuntur à Raimund. Lullio duo potissimum. Destillatio videlicet & calcinatio. Sic enim ait: Necesse est quod post corruptionem lapidis compositum depuretur ab omnibus suis immunditijs post seperationem illius in quatuor elementa, per destillationem & calcinationem. Per destillationem autem spiritualia & vola-

Impuritatis incommoda.

Lib. secret. c. 7.

Lib. perfecti magist.

Test. c. 63.

Depurationum modi duo potissimũ.

volatilia, aqua nempe lapidis & eius oleaginitas mundantur, per calcinationē terra, hinc eodē cap. subdit. Tibi dicimus ꝙ sulphureitates adustiuæ & corruptibiles beneficio calcinationis separantur, & penitus annihilãtur, & per ignem & ab igne terra comminuitur, & multum per talem præparationē subtiliatur: & aquæ suis immunditijs depurantur per destillationē, & subtiliantur, & in naturam vertuntur aeris, per leuigationem. Geber videtur triplicem ponere purificationis modum cum inquit, Metalla mundificãtur & fulgida fiunt tripliciter: Per res mundificantes, aut per calcinationis & reductionis modum, aut per solutionem. Sed Geber loquitur de mundatione imperfectorum metallorum ante eorum solutionem, Lullius vero de purgatione elementorum lapidis post solutionem. Quos depurationum modos cum superius explicauerimus: silentio hoc loco præteribimus: Illud tantum adijcientes per destillationes sæpius reiteratas subtilitatem summam puritatemque aquis metallicis induci, quæ quo magis subtiliatæ fuerint eo quoque magis densantur. Cum itaque puræ, mundæ & perspicuæ fuerint, sicut diximus eas esse debere, partiumque densatio accesserit, claræ euadent & fulgidæ, perspicuum enim condensatum nitet, & fulget. Nec aliunde metallorum fulgor oritur, quam ex aquis subtiliter terminatis & condensatis in ipsis. Ideo quæ subtiliorem habent humorem, puriorem & magis densum, magis quoque fulgent & resplendent. Qua de causa hac parte præstat aurum, quod proxime sequitur argentum, mox æs, stannum, ferrum & plumbum. Albi etiam coloris in metallis causa est, vt aiunt philosophi, humidum mercuriale terminatum per siccum terrestre, multum subtile & fortiter digestum, hoc enim est albissimum, vt patet in calce vulgari, & propterea argentum fulget albedine vera. Si vero metalla habuerint terram lutulentam, nigram, impuram, vel fuliginosam illa etiam fusca erunt, nigra vel fuliginosa, vt in plumbo & ferro apparet. Quocirca non tantum aquæ subtilitas in elixire quærenda, verum etiam curandum vt terra pura, subtilis, & bene digesta sit, vt perfecte possit desiccare suum humidum mercuriale, nec nitorem illius aut splendorem adimere. Si enim vna pars lapidis nitida esset, altera obscura, hæc oblitteraret & impediret splendorem alterius. Propterea tandē etiam sublimanda est, vt fiat vapor vnctuosus. Nisi enim corpus ter-

Fulgoris causæ.

Metallorum fulgor vndē oriatur.

Terrā non secus atq; aquā subtiliandam & sublimandam.

ræ vapor fiat,nihil huius operis direximus, vt inquit philosophus quidam in Turba. Et alius, Si sulphur non fuerit sublimatum substantiam ingredientem,& virtutem penetrantem non habebit, & per consequens ad verum elixir non valebit. Tertio sequitur,vt claritas ista sit mundificatiua,quod vt melius intelligatur repetendum est metalla omnia in radicibus suis esse pura & munda, sed per accidens esse corrupta,ex generationis videlicet loco,vel sulphuris extranei immundi accessione. hoc ipsum affirmante Gebro. Imperfectorum,inquit,& perfectorum substantia vna est vbique,scilicet argentum viuum & sulphur, quæ ante commistionem suam pura sunt & munda. Et per hoc inuenimus corruptionem imperfectorum accidentaliter superuenisse, quæ materiæ nouā & corruptā dedit formam. Cum igitur corruptio imperfectorum accidentalis sit,& non radicalis,& spoliatio accidentium possibilis sit,vt Geber etiam testatur, elixir quod nihil est quā purissima argenti viui fixi,& sulphuris optime digesti materia fulgens & splendida,mundissimam & sui similem tantum apprehendit & retinet metallorum substantiam, relicta terrea & sulphurea, quæ de metallorum compositione prima non est quæ simulatque superfluitatibus sibi agnatis spoliata est, non minus fulgens & nitida euadit quam ipsum elixir, cum per se sit clara & munda, videlicet ex fumis purissimis & tenuissimis in terræ viscerib. creata, nisi propter sulphur adustibile, & terreitatem immundam & fæculentam ipsius splendor obscuratus fuisset. Mundat igitur medicina adhærendo simili & propinquo,separandoque superfluum & extraneum quod de sua natura non est. Quarto requiritur vt det splendorem eminentem; Det videlicet per amotionem contrarij quod fulgorem eius offuscabat,vmbramque inducebat. Splēdorem eminentem,videlicet,non talem qualem metalla plęraque in se habent.nam omnia metalla præsertim polita aliquid splendoris continent, sed qui excellat & præemineat, qualis ęst in argento & auro,quæ splendore suo superant reliqua metalla,non secus atque Sol & Luna in firmamento reliqua sydera. Quinto,vt ea puritas nō sit adurens,videlicet, sulphureitate qua caret,cum omne sulphur externum adurat & aduratur. Sed a combustione præseruans, humore videlicet suo radicali & mercurali fixo, qui argentum viuum metallorum protegat, ne ignis in id agere valeat, inspisset etiam

De inuestig.perfe. ca.vlt.

De inuest. perf. cap. 3.& 5.

Requisita in Elixire.

iam & figat:talis enim humiditas sola ignem superat, & ab igne non superatur, nec se in pares compositionis suæ diuidi permittit, quia cum tota sua substantia in igne permanēs stat, & amicabiliter in eo quiescit, & eo gaudet, & cum quibus iungitur, conseruat, Vnde Geber, Quæcunque videmus plus ab adustione saluari, illa consideramus plus argenti viui naturam possidere: Ideoque relinquitur ipsum argentum viuum esse perfectiuum, & adustionis saluatiuum, quod est perfectionis vltimum.

Vocabuli adurentis mentione occurrit animo codices hoc loco variate. Vulgaris lectio sic habet. Puritatis claritas mundificatiua dans splendorem eminentem in combustione existēti, non adurentis. Nam post consolidationem partium purificatarum relinquitur, quod ignis actualis habet comburere omnes superfluitates extraneas non consolidatas. Quæ si genuina est, quod non puto, non adurentis referendum videtur ad dictiunculam quæ præcessit, puritatis vt intelligamus puritatem illam non esse adurentem siue mundantem per adustionem, prout purgant sulphur, sal, lateres, & similia, ignis adiutorio, nec fieri per opus aliquod chemicum, videlicet, calcinationem & reductionem, siue mundationem per pastillos aut cæmentationem, sed mere esse naturalem, & propriam elixir, quod coniungit se suo simili & puro, separatis superfluitatibus, quæ per ignem deinceps consumuntur. In combustione existenti, scilicet metallo vel corpori igni exposito & in periculo combustionis versanti, vel propter extranei sulphuris sibi adnati abundantiā, ꝙ Mercurium etiam fixum secū euanescere cogit, vel propter ipsius Mercurij cruditatē & paucam fixionem: nisi forte per combustionē ignem intelligamus. Alius codex hoc modo legit. Puritas & claritas mundificata, dās splendorem eminentem in combustione existenti, non adiūctis post cōsolidationem partiū purificatarum quæ relinquūtur, eo ꝙ ignis, &c. quasi diceret, non adiunctis, hoc est separatis extraneis, quæ non consolidantur cum puris, sed per ignē absumuntur. Et quodammodo rectius. Quamvis autē vtrumque exemplar constantissime retineat & legat, in combustione existenti, puto nihilominus mendum irrepsisse quod ita corrigi posse existimo, si scribatur, à combustione præseruans, non adurens. Idq; ex mente Gebri, qui ca. 1. eiusdē libri de eadē puritate loquēs, his verbis vtitur, hæc oleaginitas sit tantæ puritatis

Lectionis varietas.

Quomodo locus restituendus Auctoris iudicio.

ritatis essentiæ, & ab omni re combustibili siue adurente artificialiter mundata, quod omnia cum quibus per minima cōiungitur nō comburat, sed à combustione præseruet. Alioqui quid sibi velit Gebri interpres per hæc verba, dans splendorē eminentem in combustione existenti, fateor me non satis intelligere, quam enim supra attuli interpretationē, coacta est, nec mihi ipsi satisfacit, quámvis alia vix esse possit, si vulgata lectio retinenda est, ꝙ perspicacioribus ingenijs dijudicandū relinquo. Vtcumq; legendum, mens Gebri alia non est, quam vt elixir non modo sit purum & clarum, sed etiam vt puritate sua & claritate superabundanti splendorrm eminētem & fulgentem inducat, corporum imperfectorum partibus purioribus tanq̃ sibi similibus adglutinatis, separatisq; superfluitatibus extraneis, quæ de compositione prima Mercurij nō sunt, sed extrinsecus accesserunt, quas deinde ignis consumit. Quæ autem sint superfluitates metallorum, ex alijs huius lib. locis colligi potest, vt hic repetitione opus non sit.

Nunc in aliis reb. quam in metallis splendor eminens reperiatur.

Nunc num aliæ res extraneæ fulgorē istum eminentē communicare possint metallis viliorib. consideremus, & primum animalia & vegetabilia ortumq; ex ijs habentia examinemus. In quib. aqueū subtile esse non negamus, clarū & purū, & proinde naturā perspicui habere, quæ proprie est materia coloris, fatemur: sed cū illud eorū humidū à terreis partibus segregatū non sit condensatū neq; terminatū, fulgens & splendens esse non potest, multo minus imꝑfectis metallis fulgorem siue splendorē inducere. Quod autē illorum humidum cōdensati nō possit, hinc patet, q nullo ingenio aut arte terra illorū humiditati suæ iterū vniri aut coniungi potest, quin ꝑ artē separetur, ꝙ in humido mercuriali contra est, ꝙ terrā suā nunquā derelinquit. Cum autem terra nisi humori mixta sursum ascēdere & sublimari non possit, non sublimatam autem obscuram & sordidam remanere necesse sit, profecto terra eorum fulgens & clara esse non poterit, proinde etiam aquæ suæ mixta illam quamvis claram & puram obscurabit, & splendorē impediet.

Quæstio.

At dicet quis, fæx vini destillati & mellis, vrinæ item & forte aliorum quorundam in salem redacta clarescit & sublimatur, proinde suū humidum clarū & perspicuū condensare poterit, & fulgorē in id inducere.

Solutio.

Respondeo, sales hos dissolutos in aquæ naturā transire quamdiu liquidi sunt & non posse aquam ita per hos condensari vt ab ea non separentur:

quia

quia aqua euaporat, & sales ab ea separati grossitiem & densitatem retinent, qua corpora metallica ingredi prohibētur, imo sales istiusmodi volatiles supra corpora igne liquefacta proiecti recedunt: si autem cum humido suo permaneant, simul euaporant, nec intrāt, quia à metallorum natura aliena sunt, & nullam alteratione corporib. imperfectis imprimere possunt. Idem de sale gēmæ & armoniaco, atramentis & aluminib. & id genus alijs quamvis perspicuis & nitentib. aut ad perspicuitatem aut nitorem accedentibus iudicandum, quæ densitatem suam retinentia propter grossitiem & à metallis differentem substantiam ea ingredi aut penetrare non possunt, imo calcinant & comburunt. Si vero aquæ & olea ex ijs destillētur, terra eorum in fundo remanet, aquæ suæ nunquā denuo commiscibilis, ita vt simul vniri possint: aqua igitur absq; terra euaporabit, terra absq; subtilitate aquæ nō ingreditur. Et proinde sales omnes, alumina, & atramenta, ad fulgorem in imperfectis metallis inducendum inutilia, cum terra eorū etsi antea ex pelluciditate aquæ suæ aliqd nitoris & claritatis habuerit, eandem per abstractionē amiserit, & quamvis non amisisset, tamen ea magis grossa est & crassa quam prius aquæ suæ coniuncta & vnita, quod inde cognosci potest, quia postea neque aqua neq; igni liquescit, nisi forte fusione vitrificatoria. Corpora tamen imperfecta & calces eorundem per hæc purgari à sulphure extraneo, terraq; superflua, atq; auro & argento intensiorem rubedinis & albedinis colorem conciliari scimus, sed internam metallorū substantiam propterea non mutant.

Sales, atramenta, & alumina, fulgorem non posse aliis communicare.

At gemmæ, margaritæ, coralli, crystallus & vitrū aut fluores metallici; quorum quædam perspicua sunt & splendida corporibus metallicis fulgorem impartientur? Nihilo certe magis quam prædicta, nam propter dissimilem à metallis essentiam & grossitiem non modo ea penetrare, sed ne adhærere quidem ijs possunt. Si vero calcinentur, splendorē suum amittunt, & in calcem aut salem rediguntur, qui non magis rebus prænominatis penetrabit: si vero post calcinationē soluantur, adhibito calore in corpus redibunt, & densitatem retinebunt priorem. Elixiris autem materia quo magis igne exercita fuerit periti artificis industria, eo maiorem claritatem penetrandique subtilitatem acquirit.

Lapides & gemmas claritatem metallis infundere non posse.

An marchasitæ claritatē aliis possint immittere.

Sed forte marchasitæ claritatem hanc metallis imperfectis immittent, pondus enim & splendorem, aut saltem scintillas quasdam splendidas & fulgentes metallicam naturam referentes habent. Ac neque hæ profecto, constant enim corpore denso, tam lapidis quam metalli naturam referente, ideoque inter media mineralia conuenientissime connumerantur, quæ quamdiu in sua densitate permanent, metallis liquefactis & argento viuo supernatabunt, nec ingredientur, aut alterabunt: Si autē ea subtiliare velimus per ignem, lapidea pars in calcem redigetur, sulphurea comburetur, mercurialis euanescet, nec enim liquantur, cum materiam crudam & colorem metalli tantummodo obtineant, non speciem. In calcem igitur redactæ marchasitæ splendorem amittunt, perindeque est, ac si nunquam habuerint, deinde neque eo modo penetrabiliores factæ sunt. Frustra igitur illorum fulgor quæritur, & in ijs subtiliandis labor perditur. At si in marchasitis splēdor & claritas à Gebro requisita non reperitur, multo minus in alijs eius generis medijs mineralibus magnesia videlicet & thutia aut etiam bauracibus quæ tantum fulgorem non habent & depurari omnino non possunt.

An spiritus chemici metallis ignobilib. possint claritatem & splendorem dare.

Sed spiritus chemici sulphur scilicet, arsenicum, & argentum viuum claritatis splendorem metallis vilioribus inducent? habent enim in natura sua aliquid fulgidi, quod per artem quoque intendi potest, & augeri. Sed hos non fixos diximus sæpe non posse vtiliter metallis adhærere, quia calorem ignis facile fugiunt, & quod peius est, sulphur & arsenicum metalla omnia comburunt. Si vero figantur, in terream substantiam rediguntur non fluentē nec penetrantem, Si tamen figi possent absque eorum in terram conuersione, ita vt metallicam dent fusionem, lapidem quendam metalla tingentem ex eis fieri posse non est dubitandum. Sic enim de Sulphure & arsenico Geber. Arsenicum est albedinis tinctura de facili, rubedinis vero difficulter: Sulphur vero rubedinis de facili, albedinis autem difficilime. Et de argēto viuo idem Geber. Figitur & est tinctura rubedinis exuberātissimæ refectionis, & fulgidi splendoris, & non recedit à commisto, donec est in natura sua. Sed cum hæc opera laboris sint maximi, fœtoris intolerandi, & experimenti periculosissimi, consulerem potius cum philosophis vt quisque in auro & argento ope-

Sum. perfect. c. 29. Sum. perf. cap. 30.

to operam impendat: quibus, vt ijdem asserunt, insunt radij lucentes & tingentes cætera corpora albedine & rubedine vera, secundum quod fuerint præparata.

Imperfecta metalla quamuis in compositione sua prima fulgidi quippiam contineant, cum eorum materia non sit alia quam auri & argenti, videlicet ex fumis subtilissimis & claris constans, tamen sulphuris extranei & fœditatis terrestris accessione ex causa loci mineralis ita corrupta sunt, vt Geber testetur nihil fulgidum in ijs inueniri; ideoque existimandum est ex illis fulgidam substantiam quæ elixiris materiam, hoc est, Mercurium & sulphur tingat & illustret, omnino non aut vix elici posse. Quod si verum est, frustra conabimur per vnum eorum alteri fulgorem inducere.

Imperfecta corpora quamdiu corruptionis aliquid in se habent non posse aliis claritatem tribuere.

Quod tamen intelligendum est, quamdiu fœditatis aliquid in se retinent: nam cum ab ea perfecte mundata fuerint, ad auri & argenti perfectionem & claram splendentẽque naturam deduci possunt, vel ipso Gebro teste, cuius hæc sunt verba. Cum corpora imperfecta per nostram experientiam & per ingenium nostrum vidimus præparata, & mundata ab omni superflua corruptione & immunditia fugitiua & terrestri liberata, inuenimus ipsa maioris claritatis & fulgoris seu puritatis quam ipsa corpora naturaliter perfecta. Dicit maioris claritatis puritatis & fulgoris, non quod intelligat metalla ignobilia per elixir transmutata puritate & fulgore excedere aurum vel argentum per naturam generatum, quod fieri non potest, cum ars non nisi satis difficulter naturam imitetur, & sufficiat aurum & argentum artis in eodem esse perfectionis gradu cum naturalibus, sed quod eorum materia præparata & mundata possit fieri elixir, quod in suis principijs multo perfectius est, & puritate, claritate atque fulgore magis exuberat quam argentum vel aurum naturæ, auxilio tamẽ oleaginitatis & animæ, vt diximus, ex perfectis corporibus potissimum petitæ. Alioqui si Geber indicare voluisset metalla imperfecta per elixir transmutata in aurum vel argentum esse maioris puritatis & fulgoris quam naturaliter perfecta corpora, non faceret mentionem præparationis & mundationis, sed diceret, cum vidimus imperfecta corpora conuersa, vel mutata, vel aliquid simile.

De Inuestig. perf. c. vii.

An aurũ & argẽtũ artis excedant naturalia.

Sed refragabitur quispiam, & dicet: Philosophi sæpe asserunt aurum & argentum suum non esse aurum & argentum vulgi.

Quæstio.

vulgi. Item: aurum & argentum suum excedere aurum & argentum naturæ; quoniam additur eis additio magna in tinctura & perseuerantia in igne, & in proprietatibus actionum & multarum vtilitatum ad omnem infirmitatem expellendam. Respondeo. Ab vna extremitate ad aliam transitum non fieri, nisi per media: Mercurius igitur & sulphur quæ materiam præbent, & lapidis extrema sunt ab vna parte, non possunt elixir fieri completum, quod est aliud extremum, nisi prius transierint per media, quæ sunt metalla: quo circa prius conuertenda sunt in argentum deinde in aurum, quæ cum sint in via & motu maioris perfectionis adipiscendæ, & tandem fieri debeant medicina quæ imperfecta conuertat, merito dicuntur argentum & aurum philosophorum non esse sicut vulgaria, imo excedere aurum & argentum minerale, quia videlicet putiora & subtiliora sunt, & in quo totius rei cardo vertitur, spiritualia, ita vt illorum perfectio mirum in modum intendi possit, iuxta arbitrium artificis, quod auro & argento vulgaribus ademptum est, quoniam sunt corpora mortua, & nullam possunt exercere actionem, nisi spiritualia prius facta fuerint, purgata, & digesta, sicut hæc philosophorum. Quod ipsum aperte indicat Aros philosophus ad Regem Nephet, in hanc sententiam scribens. In nostro lapide sunt sol & luna in virtute & potentia, ac etiam natura, quia si hæc in dicto lapide non essent, non fieret inde sol & luna; & tamen ipse sol in lapide existens, non est sicut sol communis, nec luna eodem modo sicut luna communis, quia sol & luna existens in dicta confectione sunt meliores & subtiliores, quam sint manentes in ipsa natura vulgari. Id ipsum quoque ex parabola Comitis Bernardi facile intelligi potest, qui introducit regem balneum fontis ingressum se veste aurea primo omnium exuere, quod fit in solutione seu ipsius in Mercurium conuersione, & tradere illam Saturno, dum videlicet per putrefactionem denigatur, deinde Ioui & Lunæ, Veneri, Marti ex ordine, & demum soli flauo, qui illam diebus 40. asseruat & custodit. Quo medio temporis articulo auri natura præpollet in elixiris materia, sed quia tum tantum est in gradu naturæ, non potest alia corpora tingere, nisi vlterius ad gradum coloris & virtutis altiorem promoueatur. Quocirca addit Comes in Allegoria sua postea Solem pulcerrimum & sanguineum coloremque habentem papa-

Solutio.

Comitis Ber. parabola explicatur.

papaueris rheadis siue siluestris, seu croci sicci, superuenire, qui regis veste se amiciat, eamque retineat.

Sed obstrepet præterea alius, & interpretationem meam cauillabitur prolatis in medium verbis M. Arnaldi de Villanoua ex Ros. petitis, vbi sic ait. Proijce vnum pondus ex eo (scilicet elixire Lunari) super mille partes Mercurij sale & aceto abluti, & fiet pura luna, melior quam de minera. Et cap. sequent. eiusdem libr. Proijce vnum pondus de ipso (elixere solari) super mille partes Lunę vel Mercurij abluti cum sale & aceto, & fiet sol verissimus in omni examinatione, & melior valde quam de minera productus, Quibus Arnaldi verbis bis repetitis videtur interpretatio verborum Gebri quā attuli infringi posse, & ostendi aurum arte & per elixiris admistionem factum melius esse naturali.

Alia obiectio.

Part. 2. ca. 27. & 28.

Possent sane nou exercitatum & philosophorum loquendi formulas ignorantem sententia & loco mouere tanti Doctoris verba.

Sed faxo vti spero, vt dilucide omnibus appareat quid sibi velit ijs in locis philosophus. Affirmant omnes huius scientiæ professores, & ipsemet quoque Arnaldus, Vnum pondus elixiris perfecti tingere mille millia Mercurij vel cuiusuis corporis imperfecti in verum argentum vel aurum, quod etiam exemplo comprobat capit. 31. dicens. Recipe centum partes Mercurii abluti cum sale & aceto, & pone super ignem cum autem cœperit feruere, pone vnam partem elixiris præparati super centum illas partes Mercurij, & fiet totum medicina super alium Mercurium ablutum. Deinde proijce vnam partem istius medicinæ congelatę super centum partes Mercurij in crucibulo feruentis ad ignem, & fiet totum adhuc medicina. Postea pone vnam partem istius medicinæ vltimo congelatæ super centum partes Mercurij abluti & fiet totum aurum vel argentum in omni iudicio, secundum quod primum fuerit elixir rubeum vel album præparatum & compositum. Tres lapidis proiectiones (quas quidam multiplicationes satis male existimant, non videntes elixis virtute & potentia diminui prima statim proiectione, & multo amplius secunda) proponit Arnaldus. Primo enim (capio certum pondus pro incerto) drachmam vnam elixiris supra centum drachmas Mercurij abluti proijcit. Secundo centum has drachmas centies multiplis

Dilutio.

Ros. cap. 29.

tiplicat, nam dicit, Proijce vnam partem istius medicinæ cōgelatæ super centum partes, atq; ita fiunt decem millia drachmarū. Tertio decem hæc millia cēties multiplicat. Ex qua computatione vna drachma elixiris deprehenditur conuertere decies centum millia drachmarum Mercurij. Iam cum superioribus cap. Arnaldus dicat vna parte elixiris albi vel rubei conuerti mille partes argenti vel Mercurij in argētum vel aurum melius quam de minera producatur, non intelligit vltimam & finalem conuersionem lunæ, vel Mercurij in aurum vel argentum compactum & densum, sicut est aurum vel argentum fornacibus liquefactum, & in corpus siue massam reductum, sed tantum mille illas partes Mercurij vel lunæ in puluerem redigi vi & virtute elixiris; vel vt dicit Arnald in medicinam, quæ nihil aliud est quam aurum & argentum, sed in forma pulueris, qui vlterius potentiam suam exerere, & cuius singulæ partes in mille alias adhuc diffundi possunt, & sic excrescere ad numerum elixiris perfectum, qui est decies centenorum millium. Et ea sola intentione, dicit Arnald. locis supradictis illud aurum argentum melius esse argento & auro de minera producto. Ideoq; etiam præter rationes prædictas vocantur aurum & argentum philosophorum: quoniam vt subiungit noster Arnald. additio magna in tincturis ijs adest, & perseuerantia in igne, & etiam maior virtus & vtilitas in infirmitatibus expellendis, quam in auro & argento minerarum. Quæ comprobantur satis verbis eiusdem Arnaldi supra descriptis. Nam postquam ostendit vltimam virtutem elixiris, & eius finalem proiectionem, simpliciter addit, fiet totum argētum & aurum in omni iudicio, quod & verum est.

Aurum & argentum per artem facta eundē gradū perfectionis obtinere cum naturalib.

Proinde non est existimimādum cum plerisq; aurum & argentum per Elixir facta meliora esse naturalibus, sed eodem gradu consistere, & eadem examina perferre posse, easdemq; facultates possidere, nec plures aut pauciores. Explicauimus quintam lapidis conditionem, puritatis nempe claritatem & fulgorem, reliquum est vt de sexta agamus, de qua in Cap. sequenti.

DE

DE TERRA FIGENTE, TEMPERATA, tenui, fixa, incombustibili, &c.

CAPVT VI.

In quo de tertio Lapidis elemento, terra videlicet agitur eiusq; definitione ac proprietatibus. Vnde peti, quibusque modis acquiri possit, & postea mundari atque præparari. Eius in arte necessitas proponitur, & an aliunde quam è metallis educi possit, excutitur. Item *de fixione, figendiq; rationibus tractatur, & quomodo omnia tandem Lapidis elementa in terram verti debeant, ostenditur.*

SIcut actiua non possunt suas virtutes demonstrare, nisi passiuis sociata fuerint, ita nec spiritus minerales, nisi corporibus coniungantur. Spirituum officium est, corpora soluere, abluere, mundare, viuificare: corporum contra, spiritus coagulare, mortificare, & figere. Spiritus ac corporis officia.

Per corpora autem siue corpus hoc loco nihil aliud intelligo, quam terram, quam figentem, temperatam, tenuem, subtilem, fixam, incombustibilem, dantem fixionis permanentiam in solutione adhærenti secum, stantem & perseuerantem contra ignem esse vult Auctor noster. Qualis terra desideretur in arte. Figentem scilicet fixione quadam, sed non perfecta, imo aptam potius ad figendum, vt ait Cap. primo, in principio scilicet operis, quia tunc terra cruda admodum est & indigesta, nec lapidis partem alteram volatilem figere potis est, sed tantum coagulare, cum ipsamet fixa & incombustibilis non sit, sed corruptioni & combustioni adhuc subiecta. Vnde Philosophi nos monent sedulo vt ab igne vehementi caueamus operis initio: paulatim enim terra hæc digerenda & igni assuefacienda est, vt postea vehementissimum tolerare possit, post mundationem videlicet suam & subtiliationem iam fixa & incombustibilis facta, & ideo potens etiam fixionis permanentiam dare spiritui in solutione secum adhærenti, quod ante suam ipsius fixionem non poterat. Idque Geber tanquam per gradus quosdam ascendendo solertissime indicat. Temperatam, conuenientibus digestionibus & decoctionibus præmissis, quia terra hæc, vt attestatur Lullius, in principio natiui-

Test. cap. 54.

tiuitatis suæ frigida & sicca est & quarto gradu, & substantia eius pontica & adstringens, sed per digestiones & decoctiones debitas de natura in naturam mutatur, & de sapore in saporem, ita vt tandem temperatissima euadat.

Terra frigida operis initio per digestionem temperata euadit.

Tenuem, quæ per artis conuenientia regimina crassitiem omnem & spissitudinem corporalem exuerit, terreamque fæculentiam deposuerit, subtilisque reddita subtilitate sua corpora metallica liquefacta celerrime peruadat, & alteret. Fixam, cum proprio radicali humore, & fermento albo videlicet vel rubeo, ignis regimine paulatim augmentato. Incombustibilem, post amotionem nempe pinguedinis & vnctuositatis, quæ spiritus in eo coagulationem impediebat, terram ipsam inquinabat, & vstioni obnoxiam reddebat. Dantem fixionis permanentiam in solutione adhærenti secum. Hoc est, figentem omnimoda fixione partem lapidis spiritualem & volatilem, quæ terram soluendo adhæret, & miscetur cum illa inseparabili vnione. Aut, per solutionem intellige liquefactionem metallorũ, quod huius artis scriptoribus nonnunquam vsitatum: dum videlicet elixir perfectum & in terram redactum metallis vilioribus liquefactis illorum argentum viuum peruadit, relicto sulphure externo corruptionis causam adducente; quod sentiens amicam & propinquam sibi naturam, illi libenter adhæret & commiscetur. Hic admonẽdus iterum Lector codices variare. Communiter sic legitur, dans fixionis permanentiam in solutione adhærentis cum eo. Sed vt ingenue fatear non intelligo quid sit fixo adhærens in solutione, deinde non video quo referẽdæ sunt duæ hæ dictiunculæ, Cum eo. Alius liber habet, dans fixionis permanentiam, in solutione adhærens, secum stans & perseuerans.

Librorum varietas.

Sed nec ista videtur genuina lectio, præire tamen potest ad veritatem eruendam. Vt enim legendum admittamus, in solutione adhærens, vt intelligamus terram abhærere soluenti se, nescio quid sibi velit quisquis ita scripsit, cum dicit terram secum stare & perseuerare. Itaque existimo omnino, prout superius scripsi, legendum, in solutione adhærenti secum, videlicet rei vel parti lapidis spirituali vel argento viuo corporũ imperfectorum, vt dixi, iudicium tamen alijs liberum super ea re relinquens, cum non temere alioqui librorum chemicorum correctioni manus admouenda sit. Stantem & perseueran-

Quomodo legendũ auctoris iudicio.

seuerantem contra ignem, idem intelligit quod supra, cum dixit, fixam & incombustibilem, sed secundo id scribit ad maiorem certitudinem, & vt sciant omnes terram hanc perfectam & omnino completam, quæ nihil aliud est quam elixir, sicut ipsamet fixa est & incombustibilis, ita etiam metalla imperfecta in verum aurum & argentum commutare, quæ omnia ignis examina perferre possunt. Atque hæc quidem pro expositione siue explicatione textus & verborum Gebri dicta sufficiant. Nunc porro terræ definitionem, proprietates, mundationem, fixionem, & vnde peti possit, perpendamus.

Terræ appellatione nihil aliud intelligunt Philosophi, quam sulphur, quod cum argento viuo omnium metallorum materia dicitur, & eadem ratione, elixiris, cum ipsum non fiat nisi ex eadem materia ex qua aurum fit & argentum, sed eo magis purificata, quo ipsum auro & argento præstat. Nominant autem Philosophi hoc sulphur terram plures ob causas, quarum vna est, quod in principio operis qualitates terræ, frigidatem scilicet & siccitatem summam, vt dictum est, obtineat, quamvis postea temperata euadat, quinimo in fine ad ignis actionem accedat, & in ignem quodammodo respectu potentiæ suæ transeat. Secunda est, quod sicut ex spissitudine trium elementorum & præsertim aquæ terra concreta est, & facta subiectum & fundamentum reliquorum, ita in arte sulphur. Tertia est respectu finis, quo omnia fugientia & non fixa in terram vertuntur figentem & fixam. Quarta, quod non potuerint aptius lapidis compositionem describere aut docere Philosophi, quam per elementorum diuisionem, in qua calidum ignis, humidum aeris, frigidum aquæ, siccum, ponderosum, & graue terræ denominatione intelliguntur. Quamvis autem in lapide philosophorum, imo in omni mixto quatuor ad mistionē cōueniant elemēta, duo tamen eorum sunt inclusa, vt ignis & aer, duo includētia, vt terra & aqua, & ideo in omni mixto inuenitur superabundans terra & aqua. Hęc duo videntur & palpantur, eorumque virtus & opus scitur, vt dicitur in Turba, & cognoscitur: alia vero duo nec tanguntur nec videntur, nec virtus eorum percipitur, nisi in duob. priorib. Ignis & aer sunt principia magis formalia & mouētia, aqua & terra magis materialia ac quietē faci-

Cur sulphur philosophis terra dicatur.

In lapide quamvis 4. sint elē. duo tamē videntur tantum.

facientia & fixionem iuuantia. Tamen ſicut virtus formæ non apparet niſi in materia, in qua incluſa eſt, ita ignis & aer non niſi in aqua & terra. Cum igitur incluſa ſunt fortia, includentia vero debilia, tunc mixtum facile corrumpitur, quia principia formalia exhalant per quæ datur forma, color ſapor, odor, ac ſimilia, & materialia remanent, quamvis non omni calore priuata. Si contra, includentia dominentur incluſis, non facile corrumpitur mixtum, quia propter fortitudinem includentium incluſa non facile reſoluuntur. Si autem ambo debilia, tunc vna pars elementi non poteſt aliam retinere; cum vero virtute, ac poteſtate æquantur elementa, ſecundum omnem modum naturæ poſſibilem, tunc pariter inuicem continent & continentur, & pars minima cuiuſque temperatur, ligatur, & retinetur à ſuo compari & contrario æqualiter, & fiunt omnia vnum abſque diuerſitate, & perpetuatur miſtum, cum nulla ſit repugnantia elementorum componentium, nec contrarietas, ſed identitas & homogeneitas totalis. Idcirco aurum propter temperantiam & æqualem omnium elementorum compoſitionem incorruptibile per naturam creatũ eſt, quod nec ignis minuit, cætera omnia conſumens, nec aer, aqua, aut terra fœdant aut deſtruunt. Ad cuius exemplum lapis per artem dirigendus & componendus eſt, vt omnia elementa æquatione vera ſecundum omnem naturæ poſſibilitatem conueniant. De quo Rhaſis loquens de elementis lapidis apparentibus, aqua videlicet & terra. Cum alternatim cõgruo modo deſponſantur, generatur ab eis ſubſtantia temperata, quam non poteſt ignis violentia ſuperare, nec terra fœculentia vitiare, nec aquæ limoſitas contaminare, nec contactus aeris obumbrare.

Lib. per ſect. magiſt.

Simplex elementũ in arte nõ prodeſt.

Igitur neque terra nec aliud elementum ſimplex aliquid vtilitatis in arte confert, ſed omnia elementa depurata coniungenda ſunt & æquanda perpetuo; quod fieri non poteſt, niſi artifex elementa ſimplicia penitus cognoſcat, antequam eorum diuiſionem & compoſitionem incipiat, abſque quorum notitia labor omnis artificum caſſus. Dicimus itaque in hac arte elementa viſibilia & palpabilia eſſe, humidum & ſiccum, id eſt, aquam & terram, in aqua eſſe aerem, in terra ignem.

Sed vetus eſt controuerſia, quod elementum primum & radi-

radicale sit in arte, vnde elementa reliqua originem trahant. Alij enim aquam dixerunt, respectu, vt equidem puto, liquefactionis metallorũ, & quia priusquã coagularentur aqua fuerunt: alij vero terram. Vnde Hermes. Terra est mater elementorum, omnia de terra facta sunt, & ad terram conuertuntur. Et Senior. Terra est mater elementorum, & mater colorum, & mater duorum fumorum, & est totum, & ex ipsa trahitur totum; quo indigemus in opere. Raim. Lullius. In terra debes fixare elementa, in quam opus est vt portetur fumus auri nostri tanquam ad primum elementum, quod est omnium aliorum subiectum & fundamentum. Idem alio loco. Substantia aeris exiuit à substantia aquæ, sicut aquæ substantia, exiuit à substantia terræ. Quare apparet quod à terra exiuit tota lapidis nostri substantia mirabilis. Quorum sententiæ magis accedo; parum enim nobis prodesset aqua viscósa, quæ prima metallorum est materia, aut argentum viuum, nisi coagulatum fuisset, & in terrę speciem redactum. Aliorũ tamen opinio nõ est repudianda, si sane intelligatur. Igitur de terra loquentes dicimus cum Raim. Lullio ipsam esse ens metallicum in quo virtus mineralis spiritus quiescit. Dixi ens metallicum, ad differentiam sulphuris vulgaris aut alterius terrę cuiuscunque ex medijs mineralibus, lapidibus, animalibus aut vegetabilibus petitæ, quia quamuis terra hęc sulphur dicitur respectu materiæ primæ metallorum cũ argento viuo, tamen sulphur in tota natura sua non est, sed quasdam habet qualitates sulphuris in initio, scilicet, vnctuositatem cremabilem, & odorem fœtidum, vnde non raro menstruale fœtens à Lullio nominatur, quæ tamen accidentia cum sint, & non in natura innata, artificio tolluntur. Hinc Raim. sulphur nostrum non est sulphur in tota natura sua, quoniam si esset sulphur cremaret substantiam argenti viui per eminentiam suæ dominationis: Et ideo virtus sulphuris non dominatur super virtutem argenti viui, nec potest ipsius claritatem metallicam consumere specificam, sed solummodo congelat eam & fixat vsque ad gradum potestatis suæ virtutis sub conseruatione speciei mineralis. Præterea si substantia ista terræ seu sulphuris metallica sit, necessario aut metallum erit aut è metallis depromta. Mineralem spiritum vocat aquam seu argentum viuum, cuius virtus in terra quiescit, cum terræ suam virtutem communicat efficiendo

Quod o- lemẽtum primum sit in arte.

Terræ definitio.

Definitionis explicatio.

Test. cap. 56.

eam fluentem & liquidam per vnionem suæ naturæ: terra enim quæ antea per priuationem suæ humiditatis non fluebat, nec liquefactionem dabat, postquam argentum viuum cum ea coagulatum est (cuius proprietas est fluere, & fluxum reddere, & ab igne conseruare) fluit & denuo metallicam naturam assumit, quam ex parte perdiderat. Sed melius interpretabimur per virtutem mineralis spiritus vaporem mineralem è terra egredientem, cuius virtute argentum viuum coagulatur in sulphur, & postea in metallum & elixir perfectum. Qua intentione sulphur Lullio dicitur nonnunquam matrix siue vas philosophiæ, in quo naturæ virtus diffunditur. Virtutes enim terræ ad se conuertentis aquam siue argentum viuum, primo intrant substantiam ipsius & alterant eam, illique dominantes tenent, corrumpunt, & in terram siue sulphur conuertunt, non secus ac virtus lapidificatiua cum diffunditur in aliquo loco, siue sit aqua, siue terra, materiam quam tangit primo alterat, & postea dominans eidem, tenet eam, & postquam tenuerit ac vicerit, conuertit eam in lapidē. Idq; voluit Raim. Lullius dicens. Sulphur non est exterminabile, quum non sit nisi vapor & actio aeris & ignis. De hoc vapore Idem in codicillo. Generaliter terra in se continet fumum illum tenuissimum, subtilissimum & insensibilē congelantē argentū viuum de sua propria natura & substātia existens. Proprietas itaq; huius terræ siue sulphuris est, vt patet ex ante dictis, aquam suam siue argentum viuum attrahere, desiccare, congelare, retinere, depurare & figere, vnde, corpus, hoc est terra, dicitur in Turba habere maiorem vim fratribus suis, scilicet, spiritu & anima. Virtus enim eius ita fortis est, vt post purgationem conuenientem spiritum & animam retineat, nec de cætero separari sinat. Quod insinuans Plato in suis quartis, non retinetur, inquit, res nihil à fortiori illa. Morienus. Omne corpus quod animam inuenerit, facile illam occupat. Et Rosar. Anima vinculum est spiritus, sicut corpus vinculum est animæ: corpus fixum est & siccum, retinens animam & spiritum. Dixi terram proprietatem habere attrahendi, retinendi, desiccandi, depurandi & figendi, nunc qua ratione hæc præstet examinemus. Attrahit itaque primo ratione similitudinis & propinquitatis, quia & sulphur & argentum viuum vnius sunt naturæ & substantiæ, quamquam in hoc humiditas maior, in illo siccitas

Qua ratione argētum viuū in terram vertatur.

Art. intellect. c. vlt.

Terræ proprietates.

Qua ratione terra attrahit.

ficcitas. Vnde Pythag. in Turba. Scitote quod res quam multipliciter narrauerunt philosophi suum absque igne socium consequitur, prout lapidem magnetis consequitur ferrum. Et ibidem Theophilus. Notandum quod si fuerit propinquitas inter ferrum & magnetem, inter æs & aquam permanentem propinquior est affinitas. Itē Belus. Theophilus vobis significauit inter magnetem & ferrum esse propinquitatem, similiter inter æs philosophorum, & aquam eorum permanentem, quorum vtrumq; scilicet attractiuum alterius sit. Æs autem philosophorum nihil aliud est quā sulphur & terra, quanquam non raro etiam pro corpore metallico capiatur, vnde sulphur elicitur. De quo Eximenus in Turba. Scitote filij doctrinæ q̄ non fit tinctura vera, nisi ex ære nostro vel etiam pro ipso argento viuo, seu aqua lapidis. Sicut illud Hyargi, ibidem. Æs de quo prædixerunt philosoohi non est æs nec stannum vulgi, verū corpus nostrum, quod oportet corpori magnesiæ commisceri vt coquatur & teratur absq; tædio. Vocat autem hoc loco argentum viuum corpus ea ratione, quod tangatur, palpetur, videatur, & loco contineatur, quæ propria corporū sunt, sicut alia ratione philosophi ipsum sæpissime spiritum dicunt. Et paulo post. Hinc coquite & ægriptiaco terite aceto, & vtrumq;, vel es ipsum, vel acetū seu aquam, æs vocate. Zimon quoq; sermone sequenti. Dixisti Hyarge q̄ vtrumq; quod in commistionem venit æs vocari consuetum sit à philosophis, & bene quidem, &c. In cōmistionem autem veniunt sulphur & argentū viuū, itaq; vtrumq; æs quandoq; philosophis dicitur. Retinet autem terra suum argētum viuū causa affinitatis eadē, qua attrahit. Vnde Raim. Lulli⁹. Spiritū per corp⁹ ligare nō possumus, nisi a ꝓpria sua natura detineatur, q̄ ligamenti illorū proprietas est. Ratione etiā vacui, quia hæc terra post calcinationē suam discōtinuata est & poris referta, multum sitiēs & cupiēs restaurare amissum humidum. Idcirco Lullius nō raro vocat eam terrā desertam & depopulatam à suis spiritibus. Et in Turba lapis dicitur concauus, spongiosus, & salsus, propter porositatem videlicet terræ, & quia aquam suam ebibit præ siti. Ex siccat autem & coagulat retentum, propter ponticam suam naturam & vim astringēdi qua prædita est. Vnde Comes Bernard. Terra est adstringēs compositum, & prohibens fluida elementa à sua fluxibilitate cruda, habēs secum ignē symbolice in siccitate. Fugit, propter

Æs quid philosophis dicatur.

Qua ratione terra retineat. Test. c. 24.

Quomodo & siccet & coagulet.

naturalem fixionem : & calorificam & igneam suam vim, quam per calcinationem acquisiuit, quia omne calcinati genus fixius est quam non calcinati, vt ait Geber. hinc Raim. Lullius: humiditas cõuertitur in siccum locum suum, hoc est in terram propriam, quia illa est proprius locus generationis sulphuris. Et hoc tunc apparet manifeste, quod illa terra ante præparationem & calcinationem suam hoc non facit, & tamen post calcinationem id facit, propter calorem ipsius naturalem, qui fuit confortatus per subtractionem humiditatis, quæ eam mortificabat, & totaliter submergebat. Depurat, ratione eadem qua depuratur, quia sicut aqua terram abluit, nigredinem & fœtorem eius auferendo, ita terra vicissim fæces aquæ tenet, ne vna cum aqua ascendant, quia fæces fæcibus adhærent, & aquæ pars magis spissa & densa in terram incidit.

In apertorio.

Vnde terra peteda.

Lib. forn. cap. 18.

De Inuest. perfect. cap. 3.

Descriptis effectibus siue facultatibus sulphuris, quæri posset, vnde ipsum potissimum eruatur. Dicimus è metallis tã imperfectis quam perfectis. Id enim expresse affirmat Geber, his verbis supra etiam allegatis. Mercurius & sulphur extrahi possunt tam ab imperfectis, quam à perfectis corporibus debite præparatis. Idem innuit alibi in hunc modum. Ex quocunq; elixir conficiatur album vel rubeum, nihil tamen aliud est quam argentum viuum & sulphur, quorum vnum sine alio nihil agit. Et postea subiungit. Et quia omnia corpora metallica ex argento viuo composita sunt & sulphure, puris vel impuris, per accidens & non in materia sua prima innatis, etiam per præparationem conuenientem tolli est possibile. Quasi dicat. In elixiris confectione argento viuo & sulphure nobis opus est, non minus quam naturæ in generatione metallorum, sed quia hæc duo principia in quibusdam sunt impura & sordida, idcirco purganda prius sunt, & mundanda à superfluitatibus, priusquam elixiris compositionem intrent: quod possibile est, quia accidentaliter & non radicaliter corporibus superuenerunt. accidentium autem spoliatio possibilis est, vt dicit eiusdem lib. cap. 5. Gebri sententiam confirmat multis locis illustris & eximius Doctor Raim. Lullius, Et in primis li. de compend. transmut. animæ: Modi, inquit, mixtionis elementorum cum sulphure natura accidunt dupliciter, quia aut fiunt cũ terra sua, aut cum aliena: cum terra aliena fit multipliciter, quanti videlicet sunt modi mixtionis sul-

ſulphuris naturæ, cum ad beneplacitũ artiſtæ veniunt. Quibus verbis Lullius ſatis indicat ſpiritum ſiue aquã, & ſulphur ſiue terram elixiris è diuerſis corporib. metallicis peti poſſe. Exempli gratia. Si ſpiritus lapidis eductus ſit è corporib. perfectis, ſulphur eiuſdem peti poterit non ex ijs ſolis, ſed etiam ex imperfectis; & propterea diſtinguit inter terram propriam & alienam. Propria eſt quæ ex eodem corpore elicitur, vnde & alia elementa ſcilicet aqua & aer extracta ſunt, aliena vero quæ ex alio corpore petita eſt. Et quia corpora metallica multiplicia ſunt, ideo multiplex etiam eſt elementorum mixtio. Alia enim mixtio eſt aquæ ex argento eductæ cum ſulphure æris vel plumbi, alia cum ſulphure ferri vel ſtanni, quamvis tamen ſulphur metallorum omnium atq; Mercurius eorundem in radice vnum & idem ſint, ſed per accidens diſtincta & variata, quæ tamen per artem poſt conuenientẽ mundationem ad vnam ſubſtantiam puram reduci poſſunt. Idem Lullius. Sulphura creata ex corporibus imperfectis debent eſſe illuminata per tincturã Solis & Lunæ, id eſt, ex eorum oleo, quia alterius non indigent. Et alio loco eiuſdẽ lib. Fili tu poteris facere elixir ex ſulphure cuiuſcunq; corporis volueris, aut ad album, aut ad rubeum. Ex quibus tribus locis Raim. Lullij allegatis prætermiſſis alijs, ſatis perſpicuum eſt, ſulphur artis ex imperfectis metallis peti poſſe. Quod cum verum ſit, dubitare tamẽ merito poſſamus, vnde propinqui⁹ & facilius eliciatur. Reſpondo ex omnibus quidem elici poſſe, ſed facilius ex ære & ferro, quam ex alijs, optime autem & facilime ex ſolo ære. De quo Vincent. in ſpec. doctrin. Cõmiſcetur æs cum auro & argento, & recipit tincturam, fitque ex eo elixir albedinis & rubedinis, nec fugit eius tinctura. Quod non de ære ſicut in natura ſua eſt intelligendum, quia id falſum eſſet, ſed de corpore ſiue terra philoſophica ex ære producta, ſicut poſtea ex eodem clarius patebit, de calce æris, quæ non eſt alia à ſulphure ſiue terra. Idem de ferro quoque affirmat. Ferrum inquit ſeruit magiſterio, præparari enim poteſt, vt ingrediatur & corpus fiat: ſed non niſi grauiter ſoluitur, & cum magno magiſterio. Vbi per corpus non aliud intelligit quam ſulphur ſiue terram artis, quæ ſola poſt preparationem congruam ingreſſum habet in corpora metallica: ſed quia eius præparatio difficilior eſt quam æris, ideo rarius eo vſi ſunt philoſophi. Quare autem in iſtis

De Intẽ alch.

Vnde facilius & propinquius terra petatur.

Rationes duæ cur potissimũ in ære & ferro terra quæratur.

duobus metallis potissimum sulphur inquirendum sit, rationes proponuntur duæ. Vna est, quod hæc duo corpora sulphur in se habent fixum, quod quærimus, nisi enim sulphur artis fixum esset, aut natura a fixi in se haberet, non figeret. Quod autem sulphure fixo prædita sint hæc duo metalla patet manifeste ex difficili eorum fusione: quæ enim plus de fixo habent sulphure tardius, quæ de non fixo facilius & citius fusionem suscipiunt. Vt nobis auctor est Geber, & experientia demonstrat. Non tamen negamus sulphur etiam aliorum, artificio figi posse, & ad eandem naturam deduci. Altera ratio est, quia corpora mollia, vt Iouis & Saturni, ante mundationem suam perfectam quæ per calcinationem fit, facile in corpus redeunt propter sulphur ipsorum non fixum: hæc vero calcinantis igni vim sustinent, donec terrea substantia sulphur illorum coinquinans tollatur & euellatur, cuius gratia potissimum calcinamus imperfecta. Si autem terream substantiam mollium corporum per calcinationem auferre velimus, attentissime & sagacissime regenda sunt, ne calces eorum reducantur in corpus ante perfectionem, & ita labore & tædio reiterationis intolerando afficiatur artifex. Quæ cum ita se habeant, philosophi occulte docentes vnde sulphuris substantia petenda sit, ipsum aliquando ferrum, sæpissime vero æs nominauerunt, vt infinitis exemplis posset ostendi, quæ breuitatis causa omitto. Sunt tamen qui hanc inter metalla impura differentiam ponant, quod putent sulphur elixiris albi ex Ioue & Saturno tantum, rubei vero ex Saturno, Venere & Marte elici debere, sequuti illud Gebri. Pastam fermentandam extrahimus ex imperfectis corporibus. Et ex hoc tibi tradimus regulam generalem, quod pasta alba extrahitur de Ioue & Saturno, pasta vero rubea ex Saturno, Venere & Marte. Per pastam fermentandum autem nihil aliud intelligit quam corpus lapidis, in quo reliqua elementa figuntur, quod sulphur siue terram dicimus, quæ fermentanda postmodum est & animanda fermento siue oleo solari vel lunari. Quæ tamen differentia prout supra ex Raim. Lullio est ostensum, perpetua non est, cum constet vnum & idem sulphur metallorum qualecunque sit per corruptionem primo debere denigrari, deinde dealbari.

Sum. perf. cap. 63.

Differẽtia sulphuris albi & rubei.

Lib. forn. cap. 19.

Plures

Plures fœditatem corporum imperfectorum suspectam habentes, securius putant in perfectis corporibus sulphur artis inquirere, propter munditiem, & quia in illorum calcinationibus primis laborandum non est artifici, ad sulphureitatem adustibilem & fœculentiam terream remouendam, quibus carent, cum perfecta sint, sed in illorum resolutione difficultatem inuenientes, propter homogeniam & fortem illorum compositionem, facile à proposito resiliunt. Eorum qui ex auro argentoque sulphur artis petendum asserunt, facile antesignani sunt Auicenna, & M. Arnald. de Villanoua. Sic enim ille. Fit sulphur album & rubeum ex vna metallorum materia ad plenum depurata, modo tamen diuerso decocta & digesta: idcirco in argento est sulphur album sicut in auro sulphur rubeum. Et omnino non est tale sulphur super terram nec albū nec rubeum nisi quod in istis corporibus existit. Et ideo præparanda sunt corpora subtiliter, vt sulphur eorum & argentum viuum ex ipsis habere possimus, ex quo aurum & argentum efficiebatur subtus terram. Quæ verba Auicennæ quamvis primum legentibus plana & aperta videantur, tamen valde sunt ambigua, & deceptoria, si ea exactius perpendamus, Quamvis enim dicat in argento esse sulphur album, in auro rubeum, non propterea sequitur in alijs metallis sulphur artis non reperiri. Nam primum dicit sulphur album & rubeum ex vna fieri metallorum materia, hoc est, materia omnibus metallis communi, nisi forte per vnam intelligamus solam & vnicam, & velit ex solis metallis sulphur peti, quod non est verisimile ipsum sensisse, quamvis id alioqui verum sit. At si sulphur fit ex materia omnibus metallis communi, profecto eadem erit tam in perfectis quam imperfectis, proinde & sulphur erit in ijsdem. Quocirca adiungit ad plenum depurata, scilicet, aut naturæ beneficio, sicut in luna, & sole præsertim: aut arte & humana industria, sicut in metallis imperfectis. Quod addit modo tamen diuerso decocta & digesta, tam ad imperfecta quam ad perfecta referri quoque potest: quia aliter sulphur decoctum & digestum est in ære & ferro, aliter in plumbo & stanno, non in solis auro & argento. Nec magis eam sententiam confirmant verba ipsius sequentia, cum inquit. Et omnino non est sulphur tale super terram, quale in istis duobus corporib. existit. Per tale intelligo ita perfectū & mundū,

Quare in perfectis corporib. quidam terrā inquirant.

Interpretatio verborum Auicennæ.

& tam bene digeſtum, quod verum eſſe concedo, quia reliquorum metallorum ſulphur internum eam perfectionem nondum adeptum eſt, ad quam tamen per naturam in ipſis mineris tempore longo & prolixo, & ſuper terram tempore breuiori per artem peruenire poſſunt. Poſtremo quoque cum dicit, præparanda eſſe corpora ſubtiliter, vt ſulphur eorum & argentum viuum habere poſſimus, cum generali vocabulo corporum vtatur, quod tam ad imperfecta quam perfecta referri poteſt, tam illa quam hæc inſinuare quoque videtur. Apertius multo Arnaldus ſententiam ſuam expreſſit. A corporibus inquit Solis & lunæ extrahitur ſulphur nimium album & rubeum, cum in ipſis ſit puriſſima ſulphuris ſubſtantia ingenio naturæ ſumme depurata, quod certius & ſubtilius eſt, quia in depuratione ipſius ars debilior eſt natura, nec conſequitur illam licet multum laboret. Quamuis autem & alij quandoque dicunt in auro & argento eſſe puriſſimam ſulphuris ſubſtantiam, meminerit tamen artis ſtudioſus, hæc non ita ſemper intelligenda, quaſi neceſſario ab auro & argento ſulphur petendum ſit: ſed quod eorum ſubſtantia reſoluta, in ſulphur optime conuertatur, & ſulphur fiat. Neque enim eſt quod digeſtionem ſulphuris auri & argenti vſque adeo magni faciamus, cum ſulphur eorundem non ſecus ac reliquorum metallorum reincrudari debeat & corrumpi, ſi elixir ex ijs operari velimus. Oportet enim argentum viuum & ſulphur elixir conſtituentia puriora & ſubtiliora eſſe auri & argenti ſulphure ac argento viuo: depurari autem & ſubtiliari non poſſunt, niſi poſt corruptionem, alioqui non in elixir imperfecta transmutans, ſed in aurum argentumque redirent quod prius fuerant. Quod ipſum affirmant omnes philoſophi, quorum ſententiis adducendis ſuperſedeo. Hoc tamen lucri ex ſulphure auri & argenti capitur, quod in illorum mundatione ante reſolutionem laborandum non ſit, ſicut in imperfectorum corporum præparationibus, quæ temporis multum abſumunt, & laboris plurimum adferunt artifici: proinde breuiori quidem via ſulphur auri & argenti haberi poteſt, ſed maiori diſpendio, ſi artifici minus conſtet de operis ratione.

Roſ. part. 1. cap. 7.

Sulphur & arg. vi. elixiris puriora eſſe debere, quã auri & arg.

Diximus vnde ſulphur petendum, nunc qua ratione educatur è corporibus, inueſtigemus. Geber duos proponit modos

Quomodo ter-

dos quibus id assequi possimus, in hanc sententiam. Separatio terreæ substantiæ in radice metallo vnitæ ab eius commisto fit, aut per eleuationem cum rebus substantiam argenti viui eleuantibus, propter conuenientiam cum eo, & sulphur dimittentibus, vt est thutia & marchasita, quoniam fumi sunt quorum maior pars argenti viui est quantitas, quam sulphuris, Aut cum lauatione per argenti viui commistionem: argentum viuum enim tenet quod suæ naturæ est, alienum vero respuit. Ad quorum verborum explanationem meminisse nos oportet, omnia quæ sublimantur duobus modis potissimum sublimari aut per se, quia spiritus sunt, aut cum alijs, quia se incorporant cum spiritibus. Mercurius igitur, thutia & marchasita quia spiritus sunt, per se sublimari possunt, at calx corporum præcipue durorum non sublimatur nisi incorporata cum aliquo spiritu. Sed cum omnia sublimanda coniugenda sint rebus maxime sibi conuenientibus in natura, prout ex Ca.40. Sum. perfect. aperte colligitur, ideo Geber ca.48. & 71. eiusdem lib. dicit Venerem si sublimanda sit, thutia indigere, Martem arsenico, cum quibus maxime conueniunt. Hoc vero loco absque distinctione asserit per thutiam aut marchasitam vtrumque metallum sublimari posse. Hanc enim videtur differentiam innuere in terra siue sulphure eliciendo è corporibus metallorum, vt duorum videlicet æris & ferri terra, per sublimationem eorum cum spiritibus, educatur, mollium vero, per lauationem cum argento viuo. Modum vtrumque adferemus & tertium addemus in corporibus perfectis vsitatum philosophis, qui nõ differt à primo in agẽdi ratione, sed tantum in mutatione spiritus adiungendi. Sicut enim æs & ferrum multo sulphure abundant, ita etiam spiritu magis grosso terreo illis simili opus habent ad eleuationem: argento vero & auro, quia maxima in ijs argenti viui copia, Mercurius illis quoque consimilis adhibetur, qui si Veneri & Marti commisceretur, verendum esset, ne corporibus in fundo relictis solus ascenderet ob subtilitatem & naturæ dissimilitudinem. Modus itaque terreæ radicalis substantiæ petendæ à Marte & Venere hic est. Venus primum à sulphure adustibili & terrea fæculentia quæ illi accidentaliter superuenit mundetur per calcinationem superius traditam: calx misceatur cum thutia siue marchasita, non sicut est in natura sua grossa, terrestri, & lapidea, sed cuius pars purior mercurialis

[Margin: ra habe-ri pos-sit. Sum. perf. cap. 64.]

[Margin: Ad subli-mationẽ quid re-quiratur.]

[Margin: Modus primus terræ edu-cendæ è metallis.]

iam antea aliquoties sublimata fuerit, nam alioqui frustra sulphur siue terram Veneris in fæcibus marchasitarum quæreremus, & non recte diceret Geber, maiorem eius quantitatem esse argentum viuum: cum fateatur Sum. perfect. cap. 48. eam habere fæces superfluas. Calx commista cum thutia siue marchasita teratur & imbuatur aliquoties aceto stillatio, vt profundius vniantur, post nodum euaporata imbutionis aquositate, sublimetur ab ea thutia siue marchasita igni qui sufficiat thutiæ eleuationi toties, donec multa eius quantitas calcibus adhæserit, & cum ijs vnita sit. Dehinc vero in vase sublimationis quod validissimum ignem perferre possit ponantur, ea tamen cautione, ne quantitas sublimando tum multa sit & fundus vasis non concauus, sed planus, vt possit æqualiter & tenuiter super eum spargi corpus siue calx Veneris, & æqualiter eleuari, quia multitudo sublimationem impediret, & propellantur igne statim ab initio vehementissimo, vt videlicet spiritus corporis partem sibi conuenientem maxime, nempe mercurialem, simul eleuare possit, relicta in fundo terra siue sulphure, quod quærimus. Cum calce Martis eodem modo procedendum est, quousque maneat quantitas arsenici conueniens cum ipsa, deinde igne fusionis & ignitionis protrudantur in aludel, & remanebit terra Martis. Mollia vero corpora Saturnus scilicet & Iupiter adiunctione prædictorum non egent, cum per se igne validissimo ascendere possint, vt docet Geber Sum. perfect. cap. 48. tamen eadem quoque per admistionem argenti viui lauari possunt, & eo modo terra ex ijs prolici. Quod hac ratione peragitur. Capitur calx Iouis vel Saturni optime mundata, cui affunditur octuplum argenti viui per sublimationem prius expurgati. Hæc simul commista in mortario marmoreo terantur, donec nihil de calcibus corporum sentiatur, sed in similitudinem argenti viui redactæ sunt. Tunc adijciatur illis aceti destillati, aut alterius liquoris consimilis, qualis est spiritus calchanti, quantum sufficit vt cooperiantur, & in patellam vitream, aut terram vitreatam effundantur, qua cineribus calidis super posita, agitentur digitis continenter & assidue, donec in similitudinem pulueris albi omnia redacta sint, & acetum euaporauerit, ac omnia redeant iterum in speciem argenti viui vt prius. Tunc puluerem nigrum aut cinereum, qui supernatabit, collige corneo cochleari, vel pergameno

Modus secundus.

gameno, prout aptius poteris, & serua, idemque opus reiteras donec habueris tantum terræ quantum elixiri componendo satis sit, cuius magna quantitate opus non est, sufficit scriptuli vnius aut obolorum duorum pondus, aut paulo minus. Qui à corporibus imperfectis alium sulphuris naturæ extrahendi modum inquirit, aut plura scire desiderat, legat Magiæ naturalis. Raimund. Lull. cap. de naturali euocatione corporum à suis spiritibus. Sulphuris autem è perfectis corporib. educēdi modus hoc loco a Gebro prætermissus talis est. Calx argenti vel auri Mercurio imbuitur, teritur & digeritur calore lento, ita ne Mercurij substantia ascendat, per aliquot dies, deinde Mercurius ab ea sublimatur, igne quam fieri potest moderatissimo: Sublimatum denuo calcibus admiscetur, teritur, assaturque vt prius, donec Mercurius eidem notabiliter adhæserit, quod percipietur facile ex pondere. Tum demum Mercurium a calce iam aliquoties sublimatum eidem redde, & igne quatri gradus sursum pelle. Sic enim Mercurius omne argentum viuum auri vel argenti in calce reliquum secum vehet, relicto in vasis fundo sulphure seu terra argenti vel auri, quam plurimi quæsiuerunt hactenus, pauci vero diligentiores & vigilantiores, quos laboris minus pertæsum fuit, inuenerunt. Paucior tamen in his corporibus præsertim in auro terræ quantitas reperta est quam in ante dictis, sed virtute non nihil præstantior si eo vti, prout decet, nouerit artifex. Hunc sulphuris educendi modum docere voluit Richardus Anglicus, cum inquit. Si corpus non resolueris per Mercurium in Mercurium occultam virtutem ex eo habere non poteris, vtpote sulphur digestum & decoctum per opus naturæ.

Modus tertius.

Correctorii cap. 11.

Laborarunt autem philosophi maxime in terræ huius inquisitione hac præcipue ratione moti, quod viderent naturam non procedere nisi per media: quam imitari volentes philosophi, & scientes non posse fieri transitum de mollitie argenti viui ad duritiem metalli, substantiam mediam duarum proprietatū, scilicet sulphuris incombustilis & argenti viui inexterminabilis participem per artem componere studuerunt in naturæ homogeneitate & proportione conuenientem, quę potestatem haberet colligandi simul animam lapidis cum spiritu, vt ex tribus iunctis fiat elixir perfectum. Ad hoc autem pertingere nō potuerunt nisi terrā prius metal-

Terræ necessitas in arte.

metallicam haberent, in qua lapidis elementa volatilia figerent, & quæ Mercurij mediam substantiam attraheret & retineret, superfluo eius humido deposito. Hanc tanti feceruut, vt eam basim & fundamentum totius operis appellarint non semel. Et Raimund. Lullius monet sedulo omnes antequam opus incipiant, vt prius sciant sulphur diuidere à metallis, quia in eo tota latet vis magisterij, & vt inquit compend. animæ transmut. Totus labor & defatigatio in elementorum & sulphuris est diuisione, & eorundē purificatione, cum postea respectu horum nihil fere amplius peragendum restet; reliquum enim perficit natura, & artifex à labore quiescere potest.

Sulphur quomodo mundandum.

Sed non sufficit habere terram siue sulphur, nisi idipsum depurare, & exacte mundare quis nouerit: Nec enim est quod existimet quisquam auri sulphur adeo purum esse, vt opis humanæ non egeat, quamvis enim reliquorum metallorum respectu mundum sit, tamen si elixiris perfectionem respiciamus, magis immunditie differre & longius ab eo distare videbimus, quam argentum ab auro, siquidem, vt sæpe dictum est, oportet medicinam puriorem, subtiliorem, & magis digestam esse quam sit aurum in natura sua. Sulphur itaque vndecumque eductum sit has in se habet corruptionis causas. Nigredinem quæ ipsius etiam mors est, vnctuositatem cremabilem, & terream fæculentiam. Prima accidentaria est, reliquæ duæ internæ sunt. Nigredo enim ex putrefactione orta est, & humore superfluo qui calorem eius naturalem mortificabat, vt germinare non posset, frigiditas enim magna calorem paruum extinguit. Hinc RosA corpore mortem expelle. Quo dicto aliud nihil quam humorem superfluum putredinis ratione ortum subtrahendum intellexit, qui calorem sulphuris suffocabat, & ne generare posset impediebat. Idem alijs verbis, sed apertius indicat Lullius, in hunc modum. Abijce humorem vbi submersus est draco, vsque quo sit corpus minutum ex cælesti spiritu. Per Draconem autem terram significat, quemadmodum nonnunquam & alij huius artis magistri. Et hic est draco qui post mundationem deuorat caudam suam & caput, hoc est spiritum & animam.

Test. cap.

Duplex mors sulphur.

Est tamen duplex mors coporis, vna quam diximus ad corruptionem, nisi amoueatur: altera ad vitā & resurrectionē gloriosam, ad quā peruenire non potest, nisi post mortē, corpora autem

autem resuscitata perpetua erũt. Hæc autẽ mors illi accidit ex subtractione fæcundæ suæ humiditatis per calcinationẽ. Et sicut prioris mortis causa erat frigidi humoris abundantia, ita posterioris, sitis & humidi radicalis inopia, ꝙ tamen illi postea cumulate restituitur. Quam calcinationẽ insinuans Vincẽtius. Calcinare inquit corpora nihil aliud est, q̃ extrahere humiditatem corrumpentẽ, & intromittere humiditatem igneã rectificantem, per quam est vita illorum & essentia, postmodum stans in igne examinationum. Est autem hæc calcinatio diuersa ab ea quam ca 2. attuli, quod hæc terram philosophicam tantum, illa omnia corpora mineralia generaliter comprehendat. Vnctuositatẽ autem cremabilem lauari præceperunt philosophi aquis, vt dicit Geber, subtilibus, maxime acutis, acribus & ponticis fæcem nullam habentibus, & decoqui sulphur tam diu, donec ab ipso decocto aqua clara & lucida emanet, postea loturas has destillari, & quod in fundo vasis remanet abijci, aquam destillatam reaffundi, donec tota vnctuositas cremabilis ab eo egrediatur, & subtile vnctuosum ignem sustinens & non cremabile tantum remaneat. Quod ipsum indicare voluit Raim. Lullius, his verbis. Intellige quod natura talis sulphuris est multum lucens, fortiter munda, & ad puritatem deducta virtute ablutionũ fortium & acutissimarum, tali modo ꝙ nullam vnctuositatẽ cremabilem adurentem in se habeat, nec aliquam humiditatem vaporabilem, nec phlegmaticam. Quales autem sint hæ aquæ acutæ quibus sulphur abluendum est, expressis verbis indicat Geber, & inter eas nominat acetum destillatum, omphacium, item & aquam pyrorum acerborum, & malogranatorum. Et Ros. minor addit vrinam humanam purificatam, aquam sanguinis, salis, & aluminis, quæ toties destillanda & circulanda sunt donec fæces nullas in fundo relinquant.

In spec. doctrin.

Vnctuositas cremabilis quomodo remoueatur à corpore.

Aquæ acutæ philosophorum. Sum perfect. cap. 52.

Reliquum est vt terreæ sulphuris fæculentiæ remotionem doceamus. Hæc fit dupliciter. Per calcinationem videlicet & sublimationem, sed tamen simul & semel in eodem vase, & vnica operatione. Quæ est, vt terra lapidis imbuatur & teratur cum Mercurio, antea mundato, per se enim ascendere non posset, sed eget adiutorio spiritus subleuantis, & decoquatur lento igne in balneo per triduum, ne Mercurius ascendat, deinde ab ea sublimetur forti ignis expressione sub finẽ, ne q̃d de Mercurio volatili in ea remaneat.

Terrea fæculentia quomodo sulphuri adimenda.

Argen-

Argentum viuum terræ redde, tere simul, decoque, & vt prius sublima, idq; reitera nouies vel duodecies semper augendo ignem in fine, donec terra frequenti sublimatione, & ignis calcinantis vi alba euaserit, & spiritualior iam facta subtilior eius pars cœperit nonnihil ascendere à fundo vasis, & eius lateribus adhærere. Quod cum videris, bene spera, & terram quæ ascendit pluma ad fundum depelle, & iterum irriga adiuncto Mercurio, misce & tere, ac decoque diebus præfinitis donec maiorem terræ partem vasis lateribus adhæsisse videris, relicta in fundo vasis fæce terrea, & scoria nigra, vituperata & abiicienda, cui nihil vitæ aut lucis inest. Has omnes operationes prædictas paucis verbis perstringit Vincentius Monachus.

In spec. doctrin.

Lauatur inquit æs, vt eius immunditia auferatur, calcinatur autem vt eius materia attenuetur, in calce lauatur iterum cum fortissimis aquis, vt humiditatem recuperet quam in calce perdidit: sublimatur autem vt magis attenuetur, & cum argento viuo misceatur, vt natura sua præparetur. Si in terra remanserit aliquid partium puriorum, quod animaduertere poteris ex albedine quadam intermicante, ne tædeat eam denuo cum Mercurio eodem miscere, terram decoquere, & tandem vt dictum est sublimare donec nihil purioris essentiæ in ea reliquum sit. Terræ sublimatæ vasi iterum imponendæ, & tertio ignis gradu si quid Mercurij in ijs remanserit sursum propellendum est in alembicum, terraque omnis in vnum redigenda, & asseruanda, donec vsui esse possit. Hæc autem terræ mundatio quæ per sublimationem peragitur omnino necessaria est, antequam opus physicum quis incipiat. Si enim sublimata non fuerit, substantiam subtilem & ingredientem non habebit, quia in sua corporalitate & densitate permanēs spiritum non admittet, nec virtutem penetratiuam habebit, & per consequens ad verum elixir non valebit: non enim miscebitur metallis tingendis, nec ea poterit in formam perfecti corporis transmutare. Quocirca terra ante compositionem suam cum aqua, per argentum viuum sit abluta, & argentum viuū ab ea abstractum, vt remaneat calx aut cinis purissimus. Neque enim præcipiunt terram sublimari philosophi, nisi vt reducatur ad subtilem materiam & naturam, & vt sit sicut spiritus, & postea ingrediatur & tingat, post fixionem videlicet suam, de qua superest vt aliquid dicamus, quoniam Geber desiderat terrā fixā, & dantē fixionis pmanentiā secū adhętētib⁹.

Terra sublimanda & quare.

De fixione.

Sed

Sed vt de definitione eius auſpicemur. Fixio ſecundum Gebrum eſt rei fugientis ab igne conueniens ad ignem adaptatio. Huius adaptionis modum inuenio in Philoſophorum libris quintuplicem. Vnus fit per Calcinationem : omne enim calcinati genus fixius eſt quam non calcinati, vt ait Geber cap. de Calcinat. & alibi. Per calcinationem omne fugitiuum deletur. Et alius. Omne calcinatum in ſuo genere eſt fixum. Ratio manifeſta eſt, quia per calcinationem corporum metallicorum naturalis humiditas quæ ea faciebat fluere, & liquefieri, & moueri in igne ad modum aquæ, & partes in eis tenebat continuas, remouetur, vt fundi & liquefieri non niſi cum difficultate poſſint, ſed ſtent in igne vt cinis vel calx lapidum. Similiter per calcinationem ſulphur adurens in corporum ſubſtantiæ profundo incluſum & per inflammationem corpora diminuens & in fumum vertens, quantumvis bonum in illis ſit argentum viuum & fixum, tollitur. Et hoc voluit Geber dum inquit, Figuntur corpora à perfectione diminuta per ſuam calcinationē, eo quod abſoluuntur per eam à ſulphureitate volatiua & corrumpente. Secundus fixionis modus contingit per decoctionem lentam & diuturnam, quia omne volatile poſt mundationem ſuam adiutorio ignis figitur calore temperato & continuo. Temperatus enim calor vt ait Geber, eſt humiditatis inſpiſſatiuus, & commiſtionis perfectiuus : ignis autem vehemens eſt humiditatis cōſumptiuus, & fuſionis turbatiuus. Tertius, reſultat ex duobus ante dictis & declaratur à Gebro ca. de calcinat. in hanc ſententiam. Modus calcinationis ſpirituum eſt, vt eis ad fixionem approximantibus, ſcilicet per lentam aſſationem, adminiſtretur ignis ſucceſſiue & paulatim illum augendo ne fugiant, quouſque maximum eos tolerare ignem contingat. Quartus modus eſt, vt ſpiritus mundificati cum calcibus puris corporū ſublimentur, donec figantur, hoc eſt, vt calx corporum imbuatur ſpiritu aliquo, qui ab ea toties abſtrahatur, donec ſimul maneant, & ignis quantumvis magni aſperitatem tolerent, & non fugiant ab eo. Ratio eſt quia ſpiritus ſunt de natura corporum, & maxime cum eis conueniunt, & ijs adhærent, cōmiſcenturq; profundius. Cum itaq; coniungutur, cum illorū calcibus, & lente ſimul decoquuntur, fieri nō poteſt quin ſentiant amicam ſocietatem & naturam, & aliqua illorū pars eis paulatim apponatur, donec tandē p reiteratione imbibitionis,

Fixionum modi quinque.

Sum. perf. cap. 76.

Cap. de fixione.

Secundus.

Sum. perf. cap. 75.

Tertius.

Quartus.

bitionis, decoctionis, & sublimationis omnia simul figantur. Idque indicare voluit auctor Rosarij minoris, dum ait. Si sublimantur spiritus cum immundis, immundantur, si cum adhærentibus remanent magis fixi cum tinctura inferius, quod quærimus. Quintus figendi modus est, per rei fixæ additionē. Ideo Geber, cum Saturni & Iouis indurationem vult docere, vt magis appropinquent fusioni corporum perfectorum cum ignitione. Præparatio illorum est, inquit, vt ingeniemur illis permiscere argenti viui substantiam fixam in profundo eorū, aut sulphuris fixi, aut sui comparis, aut cum rebus duris & non fusibilibus, sicut est calx marchasitæ & thutiæ. Hæc enim illis vniuntur, & amicantur & illa indurant, quousq; non fundantur, antequam igniantur. Et alio loco. Cum talco & Mercurio præcipitato, vel vtilius cum luna pura ad hoc deducta calcinando & soluendo peruenimus ad horum duorum (Saturni videlicet & Iouis) ignitionem & duritiem completam, cum splendore inenarrabili. Per substantiam argenti viui fixam nō aliud intelligit Geber quam duo corpora perfecta argento viuo fixo constantia, quæ necesse erit alijs corporibus minus fixis, aut spiritibus purificatis & sublimatione mundatis, si eos figere decretum sit, coniungi. Idcirco recte quoque Lullius. Qui argentum viuum extractum à corporibus non coagulat in sulphur album ignem patiens per additionem illius cum auro, pro certo nullam viam exigit ad rubedinem. Sciendum tamen, hæc corpora fixa præparanda esse iuxta intentionem Gebri & aliorum Philosophorum, si ijs vti velimus, antequam coniungantur cum alijs corporibus vel spiritibus, quia in sua soliditate & grossitie permanentia commode misceri non possent. Calcinanda igitur sunt & soluenda, vel in bracteolas tenuissimas redigenda, & more aurifabrorum amalgamanda cum Mercurio vulgari, donec instar pultis reddantur, & sic tandem corporibus aut Mercurio vapore sulphuris coagulato addenda, vt diffusius docet Raimund. Lullius & Arnaldus, quos consule. Est autem hic modus diuersus à superiore, quia in eo sublimationis reiteratione opus non est, sed tantum decoctione, & sub finem calcinatione. Sunt quidem & alij figēdi modi, cum spiritus videlicet aut corpora metallica in terram rediguntur per calcinationem, aut præcipitationem violentam ad fundum vasis cum ignitione, aut in vitrum, sed quoniā eos non curat vera Alchemia, nos etiam consulto transimus.

[Margin notes: Quintus. Sum. perf. — De Inuēt. verit. c. 13. — Pract. test. ca. 22. 23. & 24. & in Codicil. 4. pract. principio Ros. c. 25.]

Restat

Restat vt discutiamus an ex alijs rebus quam metallis hæc terra elixiris peti possit. Manifestum quidem est ex principijs naturæ omne corpus coalitum esse ex aqua & terra: sic animantia omnia & vegetabilia ac ortum ex ijs habentia continent in se terram suam, & post ablationem humiditatis in terram & cinerem verti possunt. Sed quia non sufficit simpliciter terra quæcumque, alioquin eam quam pedibus calcamus acciperemus, sed quæ potestatem habeat aquam suam attrahendi, retinendi, coagulandi, & ad naturam suam conuertendi, merito terra vegetabilium & animalium omniumque inde orginem trahentium operi physico inutilis erit. Qualitercumque enim præparetur, aquam suam retinere non potest, multo minus eam naturæ suæ conformem reddere: Aqua enim cum heterogenea sit terræ suæ, calorem vel minimum sentiens euaporabit ea relicta & deserta, idẽque de oleis ex ipsis elicitis sentiendum. Quinimò terræ omnium supradictorum per calcinationẽ vel ignis vehementiam comburuntur, & in cinerem vertuntur amisso humore suo radicali, ita vt fundi aut fluere nullo præparationis modo possint, nisi in vitrum conuertantur, cui postea in metalla ingressus non patet, sed ijs liquefactis innatat sicut aquæ oleum, propter semotam videlicet ab ijs, & alienam naturam: terra autem metallorum humidum suum natiuum etiam post calcinationes nõ deserit, nisi enim pars eius quamuis imperceptibilis in ea residua esset, spiritus ab ea non reciperetur nec retineretur. Sed dicet quispiam. Philosophi sæpius salium faciunt mentionem, terramque suam salem nominant. Sic enim Lullius quodam loco. Quod in cucurbita remanet, est sal noster. Dicunt insuper terram suam debere fieri volatilẽ. Vnde idem Raim. Lullius. Accipe terram quæ volat supra caput tuum; huiusmodi autẽ sales quosdam inuenimus in vegetabilibus & animalibꝰ aut originem eorum referentibus. Sal enim tartari & è vini extractus fęcibus ita volatilis reddi potest, vt vna cum vini spiritu ascendat; sal item è melle eductus, & sal vrinæ, ac forte alij nonnulli. Respondeo hæc quidem vera esse, tamẽ sales huiuscemodi quocunque præparentur modo, aquam suã siue spiritum, quod omnino necessarium est, coagulare non posse, nec figere, imo in naturam aquæ & volatilis spiritus transire. Dicimus etiam eos ab aquis suis siue spiritibus semper esse separabiles,

An sulph. aliunde quã è metallis peti possit.

Quare terra vegetabilium & animaliũ operi inutilis sit.

Quæstio.

Solutio.

terrã autem artis aqua ſua oleo imbutam, & ex philoſophorum præſcripto decoctam ſimul cũ illis in igne manere & figi, nec vllo modo ſegregari poſtea, aut diuidi. Deinde concedamus tales ſales non ſeparari ab aquis ſuis, tamen quamdiu in liquida illa natura permanſerint, nulla arte ſiſti poterunt vt in igne perdurent, & quamuis etiam perdurarent, tamen cum affinitatem nullam cum metallis habeant, eadem ingredi obſtante illorum diſſimilitudine non poterunt, multo minus alterare, & in aurum argentumque conuertere, à quorum natura alieni ſunt, & fixio in ijs nulla aut tinctura.

Terrã ſalium, aluminum & atramentorũ repudiandam eſſe.

Idem de alijs ſalibus artificialibus vel naturalibus, aluminibus & atramentis cenſendum erit, quorum olea vel aquæ diſtillatione prolicitæ non magis cum terris ſuis vniuntur, aut ab ijs congelantur, quam prædictæ, ſed contingit eas per ignem euelli; & quamuis id non fieret, tamen poteſtatem non habent terram ſuam eleuandi, cum elixir nihil intret niſi mundum & ſpirituale factum, depoſitis fæcibus groſſioribus, quæ ingreſſum & penetrandi viam præcludunt.

Lapidum & gẽmarum calx inualida.

Lapidum, gemmarum, vitri, & fluorum mineralium eadem ratio eſt, quæ in calcẽ abeunt non fuſibilem, diſſipato & cõſumpto eorum humido, quod antea colligationis cauſa fuerat, quod eidẽ reddi, vt inſeparabiliter vniatur impoſſibile eſt; & quamuis humiditas eorum à terra non ſepararetur, tamen denſitate ſua corpora metallica ingredi prohibẽtur. Si vero per calcinationem, ad ſalium naturam redigantur & in liquorem reſoluantur, humidior pars ab igne euaporabit, altera in ſalem denſabitur, qui à prædictis ſalibus ſiue artificio paratis ſiue naturalibus non admodum remotus erit, & proinde illis quoque nihilo aptior.

Marchaſitarum ſulphur curarti mins apertum. Sum. perf. cap. 6.

Nec magis marchaſitæ terram hanc nobis ſuppeditabunt, cum terra earum à natuta lapidum non differat. Si quis vero inferat, illas ſulphur & argentum viuum in ſe continere, quod auctoritate Gebri idipſum confirmãtis comprobatur, & proinde hoc ſpiritus, illud terræ locum obtinere poſſe, reſpondeo ſulphur earum & argentum viuum heterogenea eſſe nec vllo modo ita ſociari poſſe, quin ſeparentur, comburantur, vel ab igne aufugiant; aut ſi figantur in terream ſubſtantiam redigi, nullius virtutis aut valoris. Magneſia quo-

quoque & thutia, quamuis sulphur argento viuo immixtum habeant, tamen cum proportione principiorum à metallis differant, & ea habeant magis terrea & inquinata, nec ab inuicem separabilia, nisi cum totalis substantiæ illarum deperditione, in arte parum vtilitatis adferunt, quia illarum materia crudior multo est quam metallorum, ideoq; præparationi minus idonea. Venerab. & eximius Raim. Lul. quatuor in terra physica requirit. Imprimis virtutem attractiuam, deinde similitudinem siue affinitatem cum attrahēdo, tertio calorem naturalem in ea latentem, quarto visu aut tactu imperceptibilem quendam vaporem è terra egredientem, qui præcipua causa est congelationis spiritus, hæc eius sunt verba. In lapide nostro mouet & mouetur spiritus prout in suo corpore, operante tum virtute attractiua nostri lapidis, tum similitudine quam dictus spiritus cum substantia tota nostri lapidis in mixtione prima acquisiuit, adiuuante cum toto hoc potentia magis propinqua, scilicet calore naturali lapidis, qui respicit naturam in maiori proximitate generis & naturæ metallicæ; & similiter adiuuāte virtute lapidis nostri imperfecti perforati & porosi, quę per corporis sui resolutionem continuam insensibilis & sine tactu per certam operationē causata est in eo. Et profecto ad terram physicam describendam nihil potuit à quoquam dici aptius aut verius. Quibus notis cum terræ omnes prædictæ, imo & aliæ quotcunque excogitari possunt, careant, certum est eas opus physicum ingredi non posse. Idem Lullius alio loco his quatuor terræ philosophicæ facultatibus seu signis addit & quintum, nempe subtilitatem. Sic enim in Codicil. Si scire vis causam quare terra nostra magis efficax sit ad penetrandum & congelandum argētum viuum, quam terra Sophistarum, scias, quod hoc est, quia siccitas terræ nostræ per digestionem caloris complexionalis facta est, & ideo magis cōgruit, & subtilius penetrat in profundum, non solū substantiam argentiui viui, sed etiam cæterorū corporū, quibus applicatur, quā penetrationem frigiditas terrę Sophistarum facere non potest, quia nec congruit, eo quod eiusdem cōplexionis non est, nec penetrat, quia per calidū virtutes & subtilitatem non habet. Quibus verbis tria describit impedimenta, quæ alias quascunque terras ab arte excludunt nempe frigiditatem, qua attrahere, retinere, & coagulare aquam

Quatuor terræ physicæ necessaria.

Impedimēta terræ sophorum.

Cap. de 3. humoribus specifice differentibus.

ſuam non poſſunt; diſſimilitudinem naturæ, qua aquæ ſuæ terræ adhęrere eâq; ſibi adglutinare nequit: & groſſitie, qua ab ingreſſu in argentum viuum & metalla imperfecta prohibetur. Quæ cum contrario modo ſe habeant in terra philoſophorum, illa ſola artifici inueſtiganda erit.

An è ſpiritibus terra elici poſſit.

Sed ſpiritus chemicici primarij, ſulphur, arſenicum, & argentum viuum forte nobis terram hãc tantopere expetitam ſuppeditabũt? At iſtos diximus ſæpe eſſe homogeneos in natura, ita vt partes eorum terreæ ab aquoſis ſeu oleoſis ſeparari nequeant, aut difficilime & per conſumptionem ipſorum. Quod experientia verum deprehenditur, nam ſi ad ſublimandum ponantur, tota illorum ſubſtantia aſcendit, nullis in fundo vaſis relictis fęcibus. Si autem figantur per calcinationem, vel præcipitationem multum de illorum ſubſtantia deperditur & diſſipatur, ita vt ex centum libris ſulphuris vix tres reſiduæ fiant, & in terram rediguntur, cui fuſio non eſt neque ingreſſio, argentumque viuum tanquam à ſua natura alienum reſpuentem. Deinde, cum terra philoſophorum debeat Mercurium ſiue aquam ſuam figere, nihil autem figere poſſit, quod fixum non ſit, aut quod fixi naturam in ſe non habeat, fruſtra profecto in ſpiritibus iſtis fugacibus aliquid quod fixum ſit quæritur. non negamus tamen quin per additionem corporum naturaliter fixorum & reſolutorum figi aliquando poſſint cum magna cautela & induſtria. De argẽto viuo enim id expreſſis verbis fatetur Geber. Figitur, inquit, & fit tinctura exuberantiſſimæ refectionis. Per quæ autem figatur ſatis indicauit eodem cap. his verbis. Eſt amicabile & metallis placabile. Sed non ſubmergitur aliquid in argento viuo niſi ſol. In eandem ſententiam de ſulphure loquitur eiuſdem libri cap. 28. Qui in præparatione ipſum commiſcere & amicari corporibus nouerit, ſciet vnum de ſecretis naturæ maximis, & viam perfectionis vnam, cum multæ ſint viæ ad vnum effectum, & vnum intentum. At quibus commiſcendum erit ſulphur? metallis nempe puris, & fixis, quia ſi cum impuris miſcebitur, inquinabitur, ſi cum non fixis, non figetur. Hinc Geber. Cum auro commiſcentur ſpiritus, & figuntur per ipſum. Arſenici eadem ratio eſt, figitur enim teſtimonio eiuſdem Gebri ſicut ſulphur, eo tantum differens quod ſicut ſulphur rubedinis tinctura dicitur & auro conſociatur; ita arſenicum cum ſit albedinis

Sum. perf. cap. 30.

Sum. perf. cap. 32.

nis tinctura, argento melius coniungitur, & per ipsum figitur, fixione videlicet lunari. Quamuis autem hæc vera esse possint, merito enim ea quis in dubium vocet, ne scilicet philosophi hæc non de vulgaribus spiritibus, sed de suis intellexerint, tamen semper existimandum est, mediam substantiam horum spirituum in terra non propria, quæ ab illis separabilis non est, sed in aliena çoagulandam esse, & postea oleo Solari & Lunari inceràdam & figẽdam. Itaque qui otio suo abuti non vult, & rem facere, terram physicam in corporibus coagulatis, hoc est, metallis inquirat, in quibus sulphur per naturam fixum est, quod quamuis impurum, per artem depurari potest: cum in nonnullis etiam purum sit, quod labore non magno ad preparationem sufficientem indiget.

Sed vt huic capiti finem imponamus, dicimus quicquid in elixire graue est, stabile & fixum, terræ nomen sibi vsurpare. Sic spiritus & fermentum, quando in terra coagulata sunt, terrę quoque & sulphuris nomen assumunt, imo elixir perfectum terra & sulphur vocatur. Vnde Hermes. Vis eius integra est, si versa fuerit in terram, id est, Lapis perfectus est & completus, si ipsius partes superiores, leues, spirituales & volatiles, spiritus scilicet & anima siue fermentum in terram vertantur & figantur. Vnde terræ philosophicæ dignitas cum ab ea tanquam parte primaria lapis denominationem accipiat, & necessitas etiam conspici facile potest, cum ea neglecta nemo ad lapidis arcani notitiam multo autem minus complemẽtum vnquam peruenerit, nec vt in posterum perueniat sperare audeat, nisi temere temporis, laborum, & pecuniæ dispendia incurrere velit.

DE TINCTVRA DANTE COLOREM splendidum & perfectum album aut citrinum intensum & lunificationem, seu solificationem rerum transmutabilium.

CAP. VIII.

Quo declaratur lapidis formam esse tincturam, hancque duplicem esse, spiritus videlicet & animæ. Spiritum ex omnibus metallis, animam è solis perfectis peti posse. Vtriusque differentia manifesta, & quomodo in lapide tinctura augeri debeat, indicatur. Item qua ratione lapis perfectus tinctura dica-

dicatur & forma, & quid ad verã tincturã requiratur, postremo quare Sophistarũ tincturæ non proficiant, indagatur.

HActenus præparandę lapidis materiæ studuimus, nunc quomodo eidem forma detur, imo quomodo totus forma fiat, examinandum: parum enim prodesset materia etiam optime præparata, nisi formæ coniuncta & annexa foret, sine qua subsistere non potest: forma autem lapidis est tinctura, quam cum adipiscitur, perficitur. Ideo septimo & vltimo loco eam ponit Philosophus inter medicinæ proprietates. Sed cum tincturam nomino, non intelligo quemlibet colorem album aut rubeum, aut vt colore albo aut rubeo in opere apparente statim perfectus esse dicatur lapis, sed vt habeat colorem albũ vel rubeum intensum & exuberantem, ita vt sua exuberantia alijs metallis eundem colorem albedinis vel rubedinis absque sui coloris & bonitatis diminutione impartiri possit. Habet enim gradus quosdam albedinis & citrinitatis lapis, ita vt quandoque sibi soli sufficiat, nec tingere possit nisi semetipsum. Vnde illud philosophi in Turba. Aurum non tingit nisi tingatur. Et tum lapis est in gradu auri vel argenti per naturam perfecti, sed decoctione continua & rei tingentis additione paulatim ascẽdit, vt primo quantitatem alterius corporis sibi æqualem conuertat, deinde paulatim maiorem, decuplum videlicet sui, centuplum, & millecuplum, & tandem in infinitum, inter quæ tamen gradus etiam sunt, ita vt vna pars quandoque centum & decem, alia 120. 130. & ita deinceps in argentum aurumue conuertat. Quocirca non absurde Rhasis. Ideo per artem melioratur eius tinctura, vt quædam decuplum, quædam centuplum, quædam millecuplum & vltra tingat. Idem indicare voluit Auctor Ros. min. Respice rubeum completum, & rubeum à sua rubedine diminutum & omnem rubedinem fixi & non fixi. Respice album albificantem, & rubeum rubificantem, atque imperfectum proficientem. In quãtum autem albedo perfecti augmẽtatur, in tantum tingit in albedinem; & sic de rubeo. Sed nec intensus quilibet color albus aut rubeus sufficit ad elixiris perfectionem, alioqui multæ. Sophistarum tincturæ lapidis physici nomen sibi vindicarent, sed necesse est, vt det lunificationẽ seu Solificationem rerum transmutabilium, vel vt postea dicit, vt sit tinctura colorans materiam conuertibilem (quæ alia non potest esse quam

Lapidis forma est tinctura.

Gradus quosdam esse tincturæ in lapide.

Qualis tinctura desideretur in lapide.

quam argẽtum viuum aut aliquod metallum im perfectum) in verum argentum, vel aurum, cum omnibus suis differentijs certis & notis. Hoc est, vt corpus metallicum conuersum in argenti speciem sit album albedine pura, mundum, durum, sonans, perdurans in cineritio, sub malleo extensibile, ignibile, fusibile. Hæ enim sunt notæ veri argenti: quibus si corpus aliquod in natura sua alteratum caruerit argẽtum verum dici non poterit, sed sophisticum. Sic si corpus conuersum in auri speciem non sit citrinum, ponderosum, mutum, fulgidum, æqualiter digestum, sub malleo extensibile, ignibile, fusibile, examina cineritij, cęmenti, & antimonij tolerans, aurum verum non dicetur. Neque enim aurum & argentum dici quid poterit, nisi causas diffinitionis & differentias omnes habeat auri vel argẽti. Quid autem sit examen cineritij quod copellam hodie vocant & cęmenti, & qualem ignitionem & fusionem corpora perfecta admittant aut suscipiant qui scire desiderat, is consulat partem vlt. sum. perfect. Gebri, quæ de probationib. perfectionis inscribitur: Auri vero examen per antimonium veteribus in cognitum perquirat apud Philippum Vlstadium, in Cælo Philosophorum. Et hæc quidem ad explanationem verborum Gebri dicta sint, in quibus tamen mentum irrepsisse admonendus est Lector. Communis & maxime vulgaris lectio talis est. Septimo post fixionem necessaria est tinctura splendida, & alterius color tingens, seu tinctura colorans materiam. In alio codice hoc modo legitur: Septimo post fixionem necessarius est & vltimus color tingens, seu tinctura colorans materiam. Et melius meo quidem iudicio, nam præterquam quod in priori lectione bis repetatur vocula tincturę, non video quo referenda sit dictiuncula alterius: nisi intelligere velimus alterius rei tingẽtis accessione lapidi tincturã cõciliari, ꝗ non semper verum est, cum philosophi fateantur lapidem tincturam suã aliquando in se continere. Sic enim Lilium, Raim. Lullius & Arnaldus. Quãuis lapis noster tincturam suam naturaliter in se contineant, per se tamen motũ non habet vt fiat elixir cõpletum nisi moueatur arte & operatione. Et nos supra ostẽdimus elixir lunare si rubeum fieri debeat indigere admistione rei tingentis illud, elixir vero solare non item. Aut expungenda igitur omnino videtur dictiuncula, Alterius, aut legendum vt monui.

Veri argenti notæ.

Auri puri notæ.

Mendũ in textu quomodo emendãdum.

YY 4 Sed

Tinctura duplici modo cõsideratur in arte.

Sed ad tincturam redeundo, dicimus eam in arte perpendi dupliciter. Vno modo quatenus lapis tingitur, altero quatenus tingit. Tingitur item lapis duobus modis. Priore cum post absolutam ipsius depurationem coquitur cum aqua seu spiritu suo, donec omnino albus fiat aut rubeus, iuxta spiritus naturam, hoc est prout spiritus aptus fuerit ad decorandum lapidem colore albo vel rubeo: aquæ enim Iovis, Saturni, & Lunæ lapidem dealbant, Martis vero, Veneris & Solis eundem rubificant: quamuis aqua Saturni propter diuersam ipsius calcinationem, qua aut in cerussam aut in minium redigitur, vtrique operi albo videlicet & rubeo accommodari possit, affirmante id ipsum non vno loco Gebro. Hinc Marsilius Ficinus, Ad sulphur aureum tres rubelli spiritus, ad argentum tres albicantes reducuntur. Quod autem spiritus lapidis tincturam etiam in se contineat, Geber satis declarat, qui postquam docuisset Veneris resolutionem in Mercurium hæc addit. Hanc aquã honora cum qua tingitur elixir in infinitum. Et Cap. de præparat. martis. Solutum honora, aquam videlicet sulphuris fixi mirabiliter colorem elixiris augmentantem. Sed hæc verba Gebri, quod videlicet hæ aquæ possint elixir tingere in infinitum, non simpliciter, vt sonant, capienda sunt, quod videlicet ipsæ solæ sufficiant elixiri componendo & augmentando, quia elixir volatile esset è solis aquis imperfectorum corporum compositum, & non permaneret tinctura in metallis conuertendis, & sic sophistica esset: sed intelligendum est illas hæc præstare post animæ infusionem, quæ sola lapidem figit, & ignis patientem efficit. Postea enim eundem mirabiliter augere & multiplicare possunt. Quod ipsum indicare voluit Marsf. Ficinus dicens. Philosophi lapidem album, videlicet fixum, spermate lunari per totum, aut ei addendo alios spiritus albos, videlicet, è Ioue & Saturno eductos augmentauerunt. Sed objiciet mihi quispiam auctoritatẽ Arnaldi Rosf. cap. 12. dicẽtis. Aqua abluit tantũ & mundificat, oleũ vero tingit & colorat. Quib⁹ verbis Arnald. videtur innuere nullã aquæ vim inesse ad tingendum. Sed Arnal. respexit primarium aquæ effectum, qui in humectando, abluendo & mundificando cõsistit, nec propterea spiritui tingendi potestatem ademit, cui ipsemet tincturam adscribit. Sic enim ait in principio capitis allegati, Differentia est inter tincturam aquæ & olei;

Spiritum tinctura non carere.

De Inuestig. perfect. 2.

Obiectio.

Solutio.

Quod

Quod profecto non diceret si existimaret aquam omni tinctura carere. Sed ea est inter tincturam aquæ & olei differētia potissimum, quod aquæ tinctura in alia corpora extendi non possit ante fermentationem, sed tantum sufficiat lapidi ad simplicē perfectionem albedinis, vel rubedinis: tinctura vero olei elixiri perfecto addita illud figat, & ita abundanter tingat, vt vim suam etiam vlterius in corpora imperfecta & Mercurium diffundere possit, & ea conuertere ad auri argentiq; naturā & perfectionem. Quod autem spiritus lapidis etiam tincturā in se contineat, non solū Geber & Marsil. Ficinus, sed etiam alij philosophi passim affirmant. Sic enim Dardarius in Turba. Aqua contrita cum corpore, corpus in spiritum vertit, &sic ijs mixtis & in vnum redactis corpus incorporat spiritum, spiritus vero corpus in spiritum tinctum prout sanguis vertit: nam omne quod spiritum habet, habet & sanguinem. Bene dicit spiritum conuertere corpus in spiritum tinctum, quia videlicet terram suam tingit, non quidem tinctura fixa & firma, sed volatili donec animæ adiectione firmetur, & in igne perpetuetur. Lilium eadem fere profert. O natura cælestis qualiter vertis corpora in spiritum & est acetum acerrimum, quod cum corpori admiscetur & fit vnum cum eo, vertit ipsum in spiritum, & spirituali tingit tinctura. Et Arnaldus in Soliloquio apertius & dilucidius. Corpus recipit tincturam à Mercurio siue spiritu, & anima, naturaliter secundum gradus suos. Raim. item Lullius & Arnaldus sæpissime aquarum albarum & rubearum mentionem faciunt, non quod vllæ rubeæ aspectu & colore inueniantur, sed quod habeant albificandi tantum aut etiam rubificandi potentiam.

Differētia inter tincturā spiritus & olei.

Secundo modo lapis tingitur cum ipsi iam orto & perfecto, perfectione videlicet qua sibi soli sufficit, anima infunditur, quæ non est alia quam tinctura & ignis agens in materiam iam decoctam, eamque digerens & coquens magis, donec visibiliter virtus ipsius manifestetur in stabilitate, & transmutatione corporum imperfectorum, quod ignea sua virtute efficit, vt diximus alio loco. Hæc anima non aliunde seu à rebus lapidi extraneis, sed ex ipsis corporum perfectorum visceribus post illorum dissolutionem educitur, speciemque induit spiritus, donec terræ indita aquam in ea figat, & tingat amplius, imo exuberanter, gloriosioremque illam red-

Quomodo aliter consideretur tinctura.

Tincturæ definitio.

Lib. de quinta esse distinctio. 3.

reddat millies quam prius. Huius operationis respectu Tinctura definitur a Raim. Lul. esse compositio aeris & ignis argenti & auri. Vel sic Tinctura est compositum ex aere & igne argenti & auri Vel hoc modo. Tinctura est corpus tingens ortum & compositum è duobus elementis, scilicet aeris & ignis, argenti ad abum, auri ad rubeum. Quibus tribus definitionibus Lullius constanter innuere videtur lapidis tincturam non dari, nisi è corpore Lunari aut Solari resoluto in Mercurium. Tincturam autem vocare compositum aeris & ignis, non quod propter spiritualitatem suam aut incorporeitatem videri aut tangi non possint, aut quod sint instar aeris aut ignis in sphæris suis, qualia elementa in arte non requirimus, nec habere possumus, sed vt indicaret hæc duo elementa subtiliora lapidi formam & tincturam potissimum suppeditare, reliqua vero materiam.

Ignis quo modo nō dicatur intrare elixir albū.

Quuamuis autem Luna soluta ad modum aeris, siue tanquam aer, solummodo operetur in lapide, eo quod Luna multo minus digesta sit Sole, in quo iam actu dominatur ignis colore citrino & rubeo se manifestante, qui tantum potestate est in Luna, sicut etiam in lapide argenti, quod ex albedine ipsius dignosci potest; quæ cruda adhuc est respectu coloris citrini & rubei, & propterea dicant philosophi in elixir album non intrare ignem; Et, Elixir album tribus compleri rotis, in quibus non est ignis, elixir vero rubeum quatuor, in quibus est ignis; tamen nec Luna nec lapis albus interno illo suo igne omnino carent. quia in omni composito est ignis naturæ, qui mouet materiam ad aliquam formam, ad quam ex cursu naturæ magis apta est & conuenit, & secūdum quod artifex scit illam informare. Vocat itaque philosophus Tincturam corpus tingens compositum è duobus elementis aeris & ignis, ea videlicet ratione, quia tincturam necesse est esse materialem, alioqui enim ignem suum actu manifestare non posset: tamen licet tinctura hæc sit corporalis, nihilominus potentia non est nisi ignis aeri permistus, imo in aere deportatus, quia aer est aqua leuigata, & ad aeris naturam reducta. Sicut enim ignis materia est aer, qui illi est veluti cibus & pabulum, ad cuius etiam naturam totus lapis reducendus est antequam ignis seu auri tinctura ipsi infundatur, ita aeris materia est aqua.

Ad

Ad propositum Arnald. Aer distillatur cum igne, quia ipse est aqua tincta, & eius tinctura est ignis, quoniã ignis corpus est, & aer spiritus ignem deferens. Et Raim. Lullius in Codicil. Anima est ignis in similitudine & ignis occultatus, & in ventre aquæ deportatus, ex quibus resultat aer, qui est aqua tincta, & eius tinctura non est nisi ignis. Et ipse ignis non est nisi corpus ad vltimum subtiliatum, & lapis est ignis deportatus in ventre aeris. Rosf. part. 11. cap. 9.

Notandum itaque quod quamuis lapis perfectus tincturam suam in se contineat, tamen hanc tincturam nõ sufficere ad alia metalla tingẽda, oportet enim vt elixiri maior tinctura accedat, quam naturaliter in se contineat. Hinc Geber & Arnald. de Villa noua. Ad hoc fit operatio in lapide nostro, vt melioretur eius tinctura in eo plus, quam in natura sua & fiat Elixir iuxta Sapientum allegoriam ex speciebus limpidis condimentum, antidotum, medicina, & purgamentum omnium corporum purgandorum & transmutandorum in Solificum & Lunificum verum. Et Geber. Tingens multiplicandum est super tingendum, donec tinctura appareat in corpore vel medicina. Auctor Rosarij min. cap. 21. part. 1. In quantum plus tinctura cum adiutorijs augmentatur, tanto altius tingit. Senior. Nisi aurum in aurum ponas, nihil habes. Aurum autem vocatur elixir, cum decoctione diuturna iam auri colorem siue rubedinem assequutum est. Quod & de argento intelligendum, cum videlicet spiritus terræ suæ iunctus & coagulatus in albedinem desinit. Quo facto si velimus elixiris tincturam augere, necessarium erit vt ei aurum argentumque insuper addamus, aurum quidem lapidi rubeo, argentum albo, idque non semel sed multoties, eoque sæpius quo medicinam perfectiorem, subtiliorem, ac maiori pondere imperfecta conuertentem volumus. Lapidis tincturam augẽdam esse vt vlterius tingat. Rosf. part. 1. cap. 8. De Inuestig. perf. cap. 5.

Sed aurum medicinam subtiliorem & magis coloratam reddere non poterit, nisi prius subtiliatum sit, ipsiusque siccum conuersum in humidum, & grossum in simplum. Elixir enim post multiplices sublimationes & distillationes decoctionesque totum spirituale & simplex redditum; non recipit nisi ꝙ suæ naturæ fuerit, densa autem & corporea simplicibus coniuncta non bene conueniunt. Quocirca non abs re Raim. Lull. Corpus perfectũ in sua grossitie permanens non potest habere virtutem conuertendi ipsum commistũ imperfectum Aurum & arg. subtilianda ante quam elixiri cõiungãtur.

ad suam naturam perfectam: necesse est ergo quod corpus perfectum subtilietur, antequam habeat talem virtutem. Est autem subtiliatum, quando est in argentum viuum reductum, & cum ipsum argentum viuum corporis perfecti fit fixum, figit argentum viuum non fixum imperfecti. Aurum itaq; & argentum primo dissolue in aqua sui generis, si illam noueris, si non, per sales, vt indicauimus, sufficit enim corpora perfecta in Mercurium reduci, deinde elixiri paulatim coniunge, irrigando, decoquendo & sublimando, donec color ipsius & virtus placeat, nam singulis irrigationibus calcinationibus & sublimationibus lucraberis aliquid. Idq; fit tam ob tincturam quæ in lapide augetur, quam ob digestionem. Quanto enim plus digeritur & decoquitur lapis, tanto ignis illi inclusus actiuior fit, ac lapis augetur quantitate & virtute, non secus atque infans, qui conuenienti cibo enutritus crescit quotidie & robustior fit, & tandem in virum euadit perfectum.

Secundo modo. Lapis dicitur tinctura & forma metallorum. Definitio.

Altero modo consideratur tinctura tanquam forma metallorum imperfectorum, & tãquam ea tingens in Solem & Lunam. Et tum definitur à Richardo Anglico. Substantia quæ tingendo tinctum in naturam suam transformat, & secum sine vlla separatione permanere facit, docens naturam contra ignem præliari, ita vt natura figentis, tingentis, & tincti concordent. Ex qua definitione elicitur, nihil tincturam dici posse, nisi quod tingit. Aurum itaque naturale quamuis albedinem argenti sibi certa proportione commisti celet, tamen tinctura dici non potest; similiter nec argentum æs sibi admistum habens, quia quamuis hæc in se recipiant, & quodammodo abscondant, tamen illis colorẽ non præstant, nisi qui ipsis adimitur. Vnde aurum quod argentum, argentum quod æs commistum habet, perfectionis suæ diminutionem patiuntur. Aurum enim purum & putum viginti quatuor graduum, siue carattorum, vt vocant, per admixtionem partis vnius vicesimæ quartæ argenti, gradu vno descendit, & deterius fit, & postea non nisi viginti trium carattorum censetur. Similiter & argentum quod in perfectione sua duodecim denariorũ statuebatur, additione vnius denarij æris non iam duodecim vt prius, sed vndecim tãtum iudicatur: & eodem modo de reliquis ꝓportionibus decernendum. Deinde cum tingens tinctum in naturam suam

Aurũ non dici posse tincturã.

de-

debeat transformare, & aurum & argentum per naturam solummodo perfecta id non efficiant, tincturę dici non poterunt: per examinationem enim æs argento immixtum recedit, & in fumum resoluitur, auri & argenti quantitate non aucta, argentum vero siue æs etiam ab auro per separationis aquam denuo diuiditur. Idipsum intellexit Auicenna cum ait. Aurum est corpus perfectum sine superfluitate aut diminutione, quod, si imperfecta sibi commista sola liquefactione perficeret, esset elixir ad rubeum. Argentum vero est corpus fere perfectum, quod si fusione sola perficeret imperfecta, esset tinctura ad album, vel elixir, quod non est, quia natura ad perfectionem solum operatur, & perfectio in his tantum est simplex, inseparabilis & incommiscibilis. Si itaque ista perfecta corpora cum imperfectis commiscerentur, non ideo imperfecta perfecta euaderent, sed potius eorum perfectio cum imperfectis diminueretur. Vt tamen ostendat aurum & argentum meliorari posse, addit. Sed si facta fuerint plusquam perfecta in duplo vel in quadruplo, vel centuplo, vel millecuplo, in tantum perficerent imperfecta. Postmodum etiam docet quomodo id fieri possit. Si ducantur, nempe, in fugam cum volatili, hoc est, si debite dissoluantur, ita vt sublimari & destillari possint post resolutionem, & puriora reddi, quam sint in natura sua. In super cum tinctura philosophorum debeat corpus tinctum in natura suam transformare & philosophi aliam transformationem nō quærant, quam in aurum & argentum, tinctura hęc non potest esse alia quam aurum vel argentum, non sicut prius densum & compactum, sed spirituale deposita omni grossitie, & quasi impalpabile propter subtilitatem suam, qua reliqua corpora subintrat, & ignea sua vi consolidat, & exuperanti sua tinctura tingit. Et cum omne simile producatur a suo simili, necesse erit tincturam hanc fore metallicam, & formam eius à forma auri vel argenti procedere. Vnde eximius Doctor Raim. Lullius. In auro & argento sunt tincturæ, per quas nostrum argentum viuum coloratur: & qui sine his tingere credit, cœcus procedit ad practicam, & ad transmutationum suarum effectum, nam aurum tingit metalla colore aureo, rubeo sicut sanguis, & argentum tingit metalla colore albedinis. Et Arnald. Sol & Luna corpora lucentia sunt, quibus insunt radij tingentes cætera corpora rubedine & albedine

Quomodo aurum & argent. meliorari possit.

Formā elixiris ab auro & argēto procedere.

Test. c. 98.

Ros. part. 1. cap. 5.

bedine vera, secundum quod fuerint præparata. Geber. Aurum est tinctura rubedinis, quia tingit & transformat omne corpus. Idem. Argentum est albedinis tinctura. In quibus considerandum est philosophos sæpenumero dicere aurum & argentum tingere reliqua metalla siue corpora rubedine & albedine vera, non quod aurum vel argentum in natura sua manens istiusmodi virtute polleat, cuius contrarium asseruimus, sed quod sint causæ efficientes tincturæ, & quasi principia formalia ipsius Elixiris quia imprimunt eius materiæ formam auri vel argenti, sine qua elixir non perficitur, nec metalla imperfecta conuertuntur in aurum vel argentum, cum a sola forma totus dependeat effectus. Amplius opus est in vera tinctura, vt tingẽs & tinctum inseparabiliter simul permaneant & vnũ fiant, nec ab igne fugiant, ideoque in definitione additur, quod tingens tinctum secum sine vlla separatione permanere faciat, & doceat id cõtra ignẽ præliari. Duæ autẽ res forma distinctæ vnũ quid fieri nõ possunt, nisi in genere concordent. Cum itaque elixir & metalla conuertenda concordent in genere & natura, quia vtraque ex Mercurio originẽ ducunt, quãuis postea metallis imperfectis corruptionis causa superuenerit, facile metalla ꝓpter affinitatem cum elixire commiscebuutur, & vnientur. Et quia elixir fixum est, & omnem ignem tolerans, cum in igne natum sit, & filius quodammodo sit ignis, & propterea igne gaudeat, qui ipsi est loco nutrimenti & cõseruationis, & quia idem ex metallorum materia purissima genitum est, in primis metallorum aliorum substantiam puriorem apprehendit, & sibi iunctã & vnitam per digestionẽ exuberantẽ & excedẽtem quam habet perficit & figit, secumque in igne permanere facit; & ita tandẽm natura figentis, tingentis, & tincti amicabiliter concordant, quod in elixire, hoc est tinctura, requiritur.

Quid amplius requiratur in vera tinctura.

An tinctura prior in alijs rebus quam in auro & arg. reperiatur.

Nunc examinemus an hęc tinctura duplex cuius mentionem fecimus, scilicet ea quæ tingit elixir, & ea quæ tingit metalla, in animalibus aut vegetabilibus alijsve rebus inueniatur. Priorem quidem non reperiri certum est, quia hæc tinctura cum non sit nisi compositio duorum elementorum maxime subtilium ignis videlicet & aeris auri & argenti & hæc non nisi ex auro & argento elici possint, satis constat animalia & vegetabilia omnia, aut ortum ex ijs habentia non

posse

posse eam suppeditare, nisi prius in naturam proximam metallorum, hoc est, Mercurium & sulphur, deinde in aurum & argẽtum conuersa fuerint: quæ quamuis per naturam aut artem possibilia vanum esset tentare, cum ea metalla habeamus per naturam perfecta.

De lapidibus, gemmis, floribus, salibus, atramentis, aluminibus, marchasitis, magnesia, thutia, sulphure & auripigmẽto, alijsque medijs mineralibus, de metallis etiã quatuor imperfectis idem iudicium esto, quę nisi prius in aurum argẽtumque transierint, tincturam seu formam elixiri dare non poterunt, cum solius formæ auri proprium sit in materia auri, quæ omnibus metallis communis est, aurum generare, & solius formæ argenti argẽtum efficere. Proinde cum hæ formæ soli auro & argento insint, manifestum est, nullam aliam rem esse sub cælo quæ hãc ꝓprietatẽ sibi vendicare queat. Quod autem nulli rerum supra nominatarum forma auri aut argenti effectrix insit, hinc patet. Cuicunq; rei forma auri vel argenti inest, id aurum vel argentum actu esse necesse est, nam quicquid præditum est forma hominis homo est, leonis leo, cedri cedrus, magnetis magnes, & sic in reliquis. Forma enim est quæ dat esse rei, & id quod res est, & quæ nomẽ illi adfert, & qua absente res illa desinit esse quod prius erat. Sed neque animalia aut vegetabilia lapides, gemmę, flores, sales, alumina, atramẽta, marchasitæ, magnesia, thutia, Sulphur, auripigmentũ, argentum viuũ, aut metalla imperfecta, aut aliud quippiam simile in rerũ natura actu est aurum vel argentũ. Igitur nullũ horum præditum est forma auri & argẽti: proinde neque lapidi tincturam, quæ nihil aliud est quam eiusdẽ forma, infundere potest, nisi prius naturæ vel artis beneficio in verum aurum vel argentum conuersum fuerit.

Solum aurum vel arg. dare formam elixiri.

Sed ne nobis contradicere videamur, diximus cap. 1. metalla imperfecta humoris quippiam maxime radicalis continere, qui tincturam elixiri quoque dare possit, quamuis non ita abundanter, sicut auri vel argenti oleum; quod cum sit reuera aurum & argentum, omnes passiones & proprietates eorum retinens, quamuis paucum, quin etiam auri & argẽti formam dare queat elixiri, nemo iure inficias iuerit.

Proinde cum affirmamus imperfecta metalla formam auri & argẽti lapidi subministrare non posse, id intelligendum de to-

de tota illorum ſubſtantia quamuis depurata non de partibus mundioribus fixis, ex illorum viſceribus ſecretis.

Sed fortaſſe tinctura poſteriore modo intellecta, qua metalla imperfecta in aurum argentumque conuertuntur, ex animalibus eorumue partibus aut alijs quibuscunque rebus ex ipſis prouenietibus fieri poterit. Quod an verũ ſit proprietates huius tincturæ ſingulas parumper examinemus. In primis in vera tinctura philoſophica requiritur coloris fixio, ſecundo tingentis & tincti affinitas & concordia, tertio colorantis cum colorato inſeparabilis vnio. Quarto tincti in naturam tingentis transformatio. Ex animalibus igitur aut ortum ex ijs habentibus quamuis colores quidam pulchri fieri poſſint, veluti ex ouis, ſanguine, aut ſimilibus, qui in aquam, lac, vinum oleumve infuſi colorem eorum immutent, tamen tincturæ dici non poſſunt, quia coloratum in naturam colorantis non conuertitur, nec cum eo vnitur; aqua enim poſt colorationem ſuam manet aqua vt prius, nec in colorantis naturam vertitur, imo nec colorãs in naturam aquæ, quia poſt euaporationem aquæ per deſtillationem color in fundo vaſis remanet. At dicet quis nonne fumus capillorum humanorum ſuſpenſam argenti bracteam citrino quodam colore inficit? Eſtó, ſed colore nequaquam perdurabili aut fixo, non enim niſi ſuperficiem eius citrinat, neque interiora argẽti peruadit, frictione enim aut ignitione & in aquam conuenientem immerſione color priſtinus ei reſtituitur, tãceó vt liquefactionem & auri examina toleret. Deinde in elixire deſideratur materialis tinctura, quamuis enim lapis abſolutus à philoſophis forma imperfectorum metallorum dicatur, tamen hæc forma fundata eſt in materia, cum ſit corpulẽta; fumus autem capillorum corpus ſeu materialem ſubſtantiam non habet: & cum tinctum debeat verti in naturam tingentis argẽtum ridiculo experimẽto deberet conuerti in fumum ſimilem illi à quo coloratur, aut ſaltem in capillos, quod nemo vnquam cupiuit. Proinde citrinatio talis tinctura non eſt, ſed experimentum artis ſophiſticum, & omnino inutile. Sic in vegetabilibus colores quidam ſpecioſi per naturam inueniuntur, & per artem alij quoque fieri poſſunt, ſicut videre licet in croco, & alijs multis naturaliter ſibi admixta colore ſuo imbuentibus, & in ſaccharo extracto per artẽ quod vino aut eius ſtillatitiæ aquæ permiſtum, nullis

Tincturæ conditiones quatuor.

In animalibus tincturã nullam eſſe.

Experimentum artis ſophiſticũ.

In vegetab. fruſtra tincturã inquiri.

lis ad fundum fæcibus dimiſſis, eam colorat. Videmus etiam æs ignitum ſæpius oleo tartari immerſum candorem quendam argenteum concipere, tincturam tamen metallorum ex his fieri non poſſe certum eſt, quia oportet nõ ſolum eam eſſe fixam, & ignis violentiæ non obnoxiam, ſed etiam fixionis permanentiam dare colorato, imo coloratum in naturam colorantis transire. Cum itaque Chemiſtarum propoſitum ſit metalla in aurum & argentum conuertere, & non in vegetabilia, aut alia illis ſimilia, quæ igni comburuntur, colores è vegetabilibus educti tincturæ dici non poterunt.

Sed fortaſſe lapides, gemmæ, coralli, fluores, terræ coloratæ tincturam chemiſtis exoptatam præbebunt; quædam enim eorum coloribus pulcris inſignita ſunt per naturam. Sed hæc incorporea ſua mole permanentia non ingrediuntur metalla, proinde ea alterare non poſſunt, & quamuis penetrarent ea, tamen cum colorem exuberantem nõ habeant, ſed ſibi tantum ſufficientem, alia corpora tingere nequeunt. Si vero illorum groſſitiem per ignem imminuere tentemus, in calcem redigentur, & ſic colores quibus antea fulgebant perdent, imo nec tunc ſubtiliora erũt quam prius. Et quamuis è terris quibuſdam, gemmis, margaritis, & corallis color ſubtilior per vini ſpiritum, acetum deſtillatum, & alios liquores elici poſſit, tamen cum à metallorum natura alienus ſit; nullaque ei cum metallis propinquitas & concordia, iis non permiſcebitur nec vnietur, demum cum coloratum in naturam colorantis in vera tinctura neceſſe ſit transformari, & non quæramus terram & lapides, ſed aurum & argentum, non ſine ratione videntur hi colores ab omnibus artis ſtudioſis in metallorum metamorphoſi repudiandi.

Lapides & gemmas tincturam præbere non poſſe.

Eadem de ſalibus, aluminibus & atramentis ſententia erit; quæ quamuis alterationem aliquam inducere valeant per cementa: exempli gratia, vt color æris mirum in modum augeatur & illuſtretur, quod auro non nimis magna quantitate additum, eandem cum eo præbeat ſpeciem; tamen cum reuera auro non vniatur, ſed per cementi & cineritii examen aut alia ratione ſeparetur, aut per ignẽ comburatur, tinctura illa fixa dici nõ poterit. Ita auri rubor quamuis intendi nonnihil poſſit per artificium, tamen & ipſum debilius eſt in natura ſua permanẽs, quam vt alia corpora tingere poſſit, quia fuſione & liquefactione crebra color ille euaneſcit, relicto

Sales, alumina & atramenta tinctura carere.

corpore in ſtatu priſtino. Transmutationes tamen quaſdam & miranda quæpiam per ſupradicta nonnunquam fieri non nego, ferrum enim per cementum vitrioli calcinati vel laminas eius tenues candentes chalchāti oleo crebrius reſtinctas in æs transire videmus. Sed propter hoc vitriolum, quamuis ferri naturam immutet, philoſophica tinctura non dicetur, quæ non metallum vile in aliud minus pretioſum transmutare debet, ſed in aurum & argentum, & hoc in inſtanti ſola liquefactione & admixtione elixiris præcedente: quemadmodum nec aliæ transmutationes quælibet artificum induſtria repertæ, quamuis etiam nonnihil fructuoſæ, niſi differentias omnes & notas definitionis ſupra traditæ poſſideāt.

Ferri in æs transmutatio.

At in marchaſitis, magneſia, thutia, ſulphure, auri pigmento, aliiſque mediis mineralibus hæc Philoſophorum tinctura deprehendi poterit. Videmus enim æs admiſtum cadmiæ, & cum eadem liquefactum, naturali rubedine depoſita citrinū colorem aſſumere firmum & perdurabilem. Pondus æris etiam mirum in modum augeri, quod ſignum eſt veræ vnionis colorantis cum colorato; æris enim pondus 100. forte librarum ante ebullitionem ſuam cum cadmia, poſtea cētum triginta vel quadraginta aut circiter libras appendit, & mutato nomine aurichalcum vel quibuſdam Orichalcum dicitur. Hæc vera eſſe negare non poſſum, tamen propterea cadmiam aut ſimile quidpiam æs aut ferrum alterans tincturam dicere nunquam poſſumus. Inprimis enim Cadmia æris pōdus auget, quia plurimum æris in ſe comprehendit, quod per ignem liquatum ſimili ſe aſſociat relicta terra ſua, in qua ante fuſionem continebatur, & quia eadem terra partes non ſatis digeſtas, aut per naturam decoctas includit, ſed magis naturæ Mercurii & ſulphuris adhuc participes, quæ vtraque fumum album exhalant, in æris fuſione hi ſpiritus fugā quærunt, vnde oportet vt eorum fuga ſit per corpus fuſum, ſicque citrinant ipſum, quia fumus hic ſpirituum temperate albus eſt, & album iſtiusmodi mixtum rubeo reprimit rubedinem; ſitq; citrinatio, quæ ſecundum Gebrum nihil aliud eſt quam rubei & albi determinata proportio. Quod autem ſpiritus ſiue vapores horū ſpirituum in cadmia concluſi æs citrinent, hinc patet, quia idem cum thutia fieri poſſe tam Hermes quam omnes alchemici teſtantur. Thutia autem eſt fumus in metallicis fuſionibus ſurſum eleuatus, & laterib. cameriſq; for-

An in mediis mineralibus tinctura inueniri poſſit.

Quomodo Cadmia æs tingere videatur.

Sum. perf. cap. 60.

fornacum inhærens. Seu, vt Geber ait, fumus corporum alborum, aut fumus miſtionis Iouis & Veneris lateribus fornacum & fornacibus adhærens. Itaq; Cadmia non tingit, ſed colorem æris rubicũdum illi naturalem extinguit & palliat. Vnde Geber: Tollitur rubedo Veneris cum thutia & dealbatur, ſed quia thutiæ dealbatio non ſufficit, ideo ſolum citrinat: & citrinatio quælibet albedini eſt affinis. Amplius in vera tinctura neceſſum eſt tinctum in naturam tingentis tráſformari, æs autem non mutatur in cadmiam, ſed potius è conuerſo partes cadmiæ ærariæ conuertuntur in æs, & terreæ ſeparantur, ſpirituales vero & volatiles euaporant. Sum.c.71.

Poſtremo tincturam Phyſicam oportet eſſe homogeneam vt pars a ſuo toto non differat: ſi autem in ſubſtantia quapiam ſint diuerſæ partes, terreæ, metallicæ, ſulphureæ & mercuriales, prout in cadmia eſſe manifeſtum eſt, tinctura vocari non poterit, cum metallum conuertendum in tam diuerſas partes heterogeneas & ſibi diſſimiles tranſmutari ſit impoſſibile. Tincturã homogeneam eſſe debere.

Non admodum diuerſa ratione arſenicum, auripigmentum, argentum viuum ſublimatum aut præcipitatum, aut à præcipitato aliquoties eleuatum, & Lythargyrium, ſingula per ſe præparata, aut quædam eorum ſimul iuncta æs & ferrum dealbant, ſulphur etiam argentum rubificat, quamuis opere difficili & laborioſo admodum. Quidam etiam argentum viuum aut ſtannum indurant, vt argẽtum videatur, denique per hæc media mineralia mille impoſturas committi poſſe non dubito, tamen omnes iſti colores ſophiſtici ſunt, & per ignem recedunt, corporib. in priſtino ſtatu remanentibus, aut quandoq; ſimul euaneſcentibus, quia cum colores hi fixi non ſint, alia corpora imperfecta figere non poſſunt, nec facere vt in examinatione & fuſionum reiterationibus perdurent, quoniam tantummodo fumi ſunt corpora penetrantes ob ſimilitudinem, ſed cito recedentes, cum materiale ſubiectum fixum & figens non habeant, quod corporibus vniatur, & illa in ſuam naturam fixam transformet. Sophiſtica artis experimenta.

Sed dicet quis: Sulphur, arſenicum & argentum viuum nonne tincturæ dicuntur à Philoſophis? Sic enim de arſenico & ſulphure Geber: Arſenicum eſt albedinis tinctura, ſulphur vero rubedinis. Idem, Argentum viuum figitur & eſt tinctura exuberantiſſimæ refectionis, & fulgidi ſplendoris. Quæſtio. Sum.perf. c.28.29. & 30.

Solutio.

Respondeo, Si hæc de sulphure & arsenico Mercurioque vulgaribus prout sunt in natura sua quispiam intelligat, eum non parum falli. Sulphur tamen argento viuo & argentum viuum sulphuri aut arsenico commistum omnibus per artem depuratis & fixis in elixir transire non inficior, nullum autem eorum per se tincturá esse, aut fieri posse assero. Quod iisdem cap. confirmat Geber dicens: Non putet quis quod sulphur per se compleat opus Alchemiæ, non enim esset hoc nisi vanum credere. Item, Non sunt sulphur & arsenicum materia perfectiua huius operis; non enim sunt completa ad perfectionem, habent tamen adminiculum perfectionis in casu.

Medicinã perfectam aliquando sulphur arsenicum & Mercuriũ dici.

Idem de argento viuo: Non est medicina nostra in natura sua, sed iuuare potest similiter in casu. Deinde notatu dignum est Philosophos sæpe numero lapidem suum completum sulphur & arsenicum appellare, & sulphur quidem elixir rubeum, arsenicum vero album propter virtutem sulphuris rubei vel albi in eo dominantis, sicut & eundem Mercurium vel argentum viuum non raro vocitant, quia tota ipsius materia est mercurialis. Quæ auctoritatibus Philosophorum comprobare operæ pretium non duximus, cum alio libro de his dictum sit. Simili modo ex corporibus imperfectis fieri elixir & tincturam dicunt quandoque Philosophi. Sicut de ære Vincentius: Recipit, inquit, tincturam fitque ex eo elixir rubedinis, & albedinis, nec fugit eius tinctura. Idem de plumbo: Et fit elixir maius rubedinis & albedinis, & etiam aquæ, quibus retinetur argentum viuum. Geber etiam postquam causas perfectionis & imperfectionis metallorum enarrauit, & ostendit corpora imperfecta præparanda esse per superfluorum ademptionem & absentium suppletionem cõcludit, hæc postquam sufficienter præparata fuerint esse apta vt de eis elixir fiat album vel rubeum. Sed hæc non ita capienda sunt quasi spiritus, aut corpora imperfecta sola, & per se, tincturam ad alia corpora tingẽda nobis prębere possint, cum illam non habeant nisi paucam, sed quoniam illorum Mercurius & sulphur præparari possint, vt tincturam ampliorem & copiosiorem auri argentique suscipiant. Quocirca bene dixit Vincentius æs tincturam recipere, quamuis hæc ipsius dicta etiam de ære & plumbo Philosophorum, quæ est eorum terra, non male intelligi possint.

In speculo doctrinæ.

De Inuestig. perf. cap. 2.

Sed

Sed vt vnde digressi sumus reuertamur. Inuenti etiam sunt quidam qui auro æs vstum aut ferrum miro artificio præparatum & aquis separationum maceratum ita subtiliter, & per minima coniunxerunt, vt in auri speciem transisse, simulque cum eo inseparabiliter vnitum videretur: sed experientia tandem deprehendit vani laboris imposturam, quia nulla fuit in ære & ferro formæ mutatio, nec vera vnio, sed tantum fucata quædam mixtio. Proinde omnibus veritatis studiosis, vt huiuscemodi opera friuola & sophistica tãquam homine ingenuo & philosopho indigna, imo furibus & impostoribus propria euitent, & ex animo abhorreant, consulimus, præsertim cum in iis inuestigandis non minus laboris, temporis & expensarum requiratur, quam in opere philosophorum, quod nulla examina extimescit. Op' aliud sophisticũ

Sed vt caput istud, imo librum hunc concludamus, dicimus cum Auicenna: Tincturas non proficere, seu quia aduruntur, veluti ex animalibus & vegetabilibus, & omnibus ortum ex iis habentibus desumptæ; siue quia non fixæ sunt, sed euolant & fugiunt, sicut spiritus quocunque modo præparati, primarii quidem sulphur, arsenicum & argentum viuum, secundarii vero magnesia, thutia & marchasita; siue quia non ingrediuntur, sicut omnes terræ & lapides, aut quæ sunt de eorum natura, siue quia non permanent fixæ dispositionis, sed quolibet modo separantur, vt vitrum, & quę eius sunt naturæ, vt in vitrum transeant: siue quia non defendunt aurum & argentum per artem videlicet factum, ne adurantur ab his quæ adurunt reliqua metalla imperfecta, sicut æs & plumbũ, quia videlicet in radice aurum & argentum non sunt, sed solum speciem eorum adulterinam exhibentia, nec perfectionis causam in se habent, quæ est argentum viuum rite inspissatum, purum & fixum, quod ab acutis & adurentibus non corrumpitur aut exterminatur, sed corpora sua protegit & defendit. Quæ tincturæ inutiles.

Inquirenda igitur nobis est ex Gebri auctoritate tinctura coadunata & fixa, quam super ignem positam ignis non exprimat, & quæ liquatis permisceatur, & liquescat cum ipsis, ingrediaturque cum eo, quod est in ea de substantia ingressibili, & permisceatur cum eo quod est in ea de substantia permiscibili, & consolidetur cum eo, quod est in ea de substantia consolidatiua, & figatur cum eo quod est in ea de substan- Qualis sit tinctura Philosophorum. De Inuest. perf. cap. penult.

ſtantia fixatiua, & non comburatur ab his quæ non comburunt aurum & argentum, & adferat conſolidationes & pondus cum ignitione debita & perfecta. Quas tincturæ conditiones ſeu proprietates, qui habere deſiderat, capiat res, in quibus eæ per naturam ſunt, deſpectis omnibus aliis, quæ in proprietate naturæ metallicæ non inueniuntur. Sed quia in anterioribus hæ ſufficienter declaratæ ſunt, huic libro finem imponens, precor omnibus fidelibus catholicis, piis bonæq; voluntatis artiſtis S. Spiritus gratiam, & felicem laborum ſucceſſum: & peto vt ſi quippiam ſcriptum ſit, quod à communi Philoſophorum aliorum ſententia diſcrepare videatur, exiſtiment eo fine factum, quod artis ſtudioſus non poſſit conuenientiori modo aut meliori via inſtrui, aut in ſcientiam hanc introduci: potiusque huius artis profeſſoribus doctrinam & præcepta ſua experientiæ accommodantibus credendum eſſe, quam diſputationibus & nudis argumentis quamuis ſubtiliſſimis, & ex intimis Philoſophiæ penetralibus petitis eorum, qui nihil in hac ſcientia olfecere. Rogo etiam, vt ſi quid minus aperte dictum ſit aut explanatum quibuſdam in locis, id non Auctoris inuidiæ, ſed huius artis profeſſorum receptæ conſuetudini, & Alchemiæ dignitati tribuant. Inuenient tamen, qui legent, in hoc libello, quæ alii prolixis & innumeris fere codicibus ſparſerunt, & abdiderunt, atque tam manifeſtis verbis explicata artis adeo obſcuræ ſecreta, vt minime dubitem, quin chemiæ ſtudium poſthac multo facilius futurum ſit: imo verear, ne aliquando peccati reus accerſar, quod præter morem artis vocabula & elementa hactenus in pretio habita, & modis omnibus occultata in vnum exiguum volumen contraxerim, & cunctis palam propoſita reuelarim.

Cõcluſio.

HER-

Hermeticæ philosophiæ studioso
IVSTVS A BALBIAN FLANDER,
Alostanus, Philochymus S. D.

COnsideranti mihi, benigne Lector, non minorem fere eos mereri laudem, qui veterum lucubrationes è latebris in lucem protrahunt, ac publicas esse volunt, quã eos qui ipsi noui aliquid operis moliũtur ac emittunt, idq; cum in aliis scientiis tum in hac potissimum quæ Alchemiam spectat, quod de ea vix quicquam dici possit quod non dictum sit prius: visum est instituto meo nõ alienum, septem hosce chemicos tractatus auctorum incognitorum in lucem dare. Id autem in eorum præcipue gratiam qui Hermeticæ philosophiæ se studio addixerunt, totiq; in hãc artem incumbunt, artem mea quidem sententia nõ tantum in pretio habendam, sed & venerandam ob admiranda quæ complectitur arcana. Duplex tamen cum à Philosophis qui hanc tradidere offeratur obscuritas, & hinc difficultas non mediocris, altera rerum, verborum altera, rem ipsam quod magna sit & propemodum diuina sub mirandis inuolucris docere voluerunt, & summa istiusmodi arcana, secreta, & sapientiæ mysteria, non nisi admirandis intricata ænigmatibus & figuris tradere. Verbis autem vt plurimum obscurioribus vsi sunt, ex variis linguis vocabula sua petentes, non tam vt probos ab hac absterreant quam vt improbos arceant, cum non nisi piis & vere philosophis, hoc est sapientiæ amatoribus à Deo summo omnium bonorum largitore reseruetur. Porro inter illos qui multis abhinc annis de hac posteris aliquid scripsere paucos extare crediderim, qui minus obscuritatum & difficultatum suis scriptis immiscuerint, sed huius penes vos esto iudicium, qui istiusmodi monumenta manibus teritis, sæpiusq; cũ iudicio & attente perlegitis. Desumpsi autem ab exemplari vetustissimo, ab indoctißimo illius seculi viro aliquo, huiusq; artis ignarissi-

rissimo descripto, ita vt ægre etiam legi potuerit, errorib. denique ac mendis ita referto, vt ingenue fatear, longe difficillimum mihi fuisse ab iis me extricare. Porro autem quod in eo studii genere ætatem fere meam consumpsi, si mihi istiusmodi errores corrigendi hic assumo partes, videor id meo mihi quodammodo iure vendicare. Poteram horum certe quædam mihi adscribere immutatis in iis plerisque quod non pauci id temporis faciunt, sed ego nunquam ingenui esse duxi ex alieno labore sibi laudem quærere Quidquid tamen id tandem laboris & operæ est, quod in ipso emendandis insumpsi, id tu Lector beneuole vti boni consulas velim. Vale, data Gaudæ pridie Calend. Septemb.

1599.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS ROSARII ABBREVIATI.

E manuſcripto vetuſtiſſimo.

ADuerte, cariſſime, quod quæ ſequuntur veriſſima ſunt intelligentibus. Prima præparatio & fundamẽtum artis eſt ſolutio, id eſt corporis in aquam reductio, hoc eſt in argentum viuum; & hoc vocarunt ſolutionem, cum dixerunt: Soluatur aurum, quod in corpore Magneſiæ eſt occultũ, vt in ſuã primam materiã reducatur, vt fiat ſulphur & argentũ viuum, non vt reuertatur in aquam; quia noſtra ſolutio non eſt aliud niſi quod corpus reuertatur humidum, & reſoluatur in naturam argenti viui, ſuique ſalſedo ſulphuris minuatur, quod ſulphur diuinum à duobus ſulphuribus abſtractum, fit cum ſpiritus obuiat corpori. Secunda præparatio eſt cum aqua tranſit in corpus, quod vnum non ſoluatur niſi alterum coaguletur, eo quod corpus argentum viuum concipiens coagulat ipſum, & coagulatur ab ipſo, & fit terra. Iſtud eſt verbum opinionis, de quo dicunt Philoſophi, Aqua de terra procreatur, quia aqua fit terra cum vincunt eam terræ qualitates, & terra fit aqua cum vincunt eam aquæ qualitates; fit enim ſolutio corporis & coagulatio ſpiritus, vt vnam habeant operationem, & fit æs vnum, cui nihil extraneum apponitur, niſi quod in præparatione ſuperflua remouentur cum apparatu. Tertia præparatio: aratur terra & rigatur, & in igne & aqua nutu Dei peragitur, & iſtud eſt tertium verbum huius operis, dicunt enim Philoſophi, Terra cum aqua putreſcit, & mundificatur, tunc Dei auxilio magiſterio relicto finite continuare, quia terra non germinat abſque frequenti irrigatione, & abſque præmiſſa exiccatione; & hoc ſciunt cum pueri tum & mulieres, ſemina & fructus ſuos in hortis ad perfectionem ducentes: ideo Philoſophi dixerunt, Naturæ operatio non eſt niſi opus mulierum, & ludus puerorum, & ideo toties corpus imbibitur, quoties per vices deſiccatur, quia omni ponderi pondus, & omni menſuræ modus, & omni operi opus eſt adhibendum, & nunc recta putrefactio Philoſophorum ſequitur, & eorum putrefactio non eſt niſi morti-

ficatio humidi cum ſicco, eo quod humiditas tantum ſiccitate detinetur, & quamuis humidum frigidum fugiat ignem, tamen retinetur à ſicco, quod fugere nequit, quia non poſſunt grauia niſi leuium adiutorio ſuperius trahi, nec leuia niſi grauium conſortio detrudi niſi cum ſcorpione. Quarta præparatio: gaudet natura cum natura, nam cum natura lætatur, natura naturam vincit, nam naturam continet, nam naturam ſequitur & amplectitur, & nutu Dei opus perficitur, & iſtud eſt quartum verum huius operis, & poteſt dici ſublimatio ſeu aſſumptio, de qua dicunt Philoſophi, Ipſa aqua efficitur aerea, cum prius eſſet inſpiſſata & coagulata cum terra, & hoc obuiatione ſui ſcilicet propinqui, & ideo natura cum natura gaudet & lætatur, quia continentia ipſius eſt eius propinquitas, quia tanta eſt propinquitas inter naturam & naturam quanta eſt inter adamantem & ferrum, atque etiam maior, quia radice ſunt vna & non plures, virtute quoque, quia ſpiritus eſt alterius corporis mortificatio, morte inperceptibili, & ideo natura vincit naturam, mortificando ſcilicet corpus & viuificando, quod ex ipſo radicaliter fuit, & in ipſum conuertitur, augmentatur & multiplicatur, & extrahit Deus ex vno plura, & ideo natura naturam continet, & naturam ſequitur completurque nutu Ieſu Chriſti. Quinta præparatio: noſter ſpiritus eſt delator virtutum animæ, eo quod æs noſtrum vt homo habet ſpiritum, corpus, & animam; & iſtud eſt quintum verum huius operis, de quo dicunt Philoſophi, Spiritus enim eius eſt aqua, anima eius eſt tinctura, corpus eius eſt terra, ſpiritus tamen eſt ſpiritus: & ſicut corpus eſt vinculum ipſius animæ, ſic corpus eſt fixum ſiccum, continens ſpiritum & animam, ſpiritus igitur penetrat corpus, figitque ſpiritum corpus, anima copulat, dealbat & tingit. Sexta præparatio: variatur & mutatur de colore in colorem, quouſque perueniat ad metam albedinis & ruboris, & de hoc dicunt Philoſophi pluries citrinatur, plurieſque nigreſcit, & pluries deſiccatur & liqueſcit. Nota quod lapis philoſophorum eſt compoſitus ex duabus naturis, quarum vna eſt humida, altera vero ſicca, & cum coquuntur fiunt vnum, quia neutrum relinquit alterum, & dicuntur vna natura, & quamdiu humiditas durat nigreſcit, quia calor agens in humido generat primo nigredinem, & agens in ſicco generat albedinem, & in albo citrinitatem,

ſicut

ſicut apparet in plumbo, quando facimus minium. Nota quod humiditas noſtri lapidis eſt acetum acerrimum, de quo ſumme eſt cauendum, ne conuertatur in fumum propter nimium ignem & pereat magiſterium: terra namque ſiccata recedit nigredo & dealbatur, tunc perit tenebroſum & humiditas diminuitur, & ſiccitas accedens aufert ſibi ſuum regimen,& fumus penetrauit ſuum corpus, & ſpiritus ſtringitur in ſiccco, & tunc ceſſabit nigrum comperiens deformatum,& fiet album lucidum clarum: tunc candida mulier ſi rubeo ſit nupta marito, mox eum amplectitur & complectitur; & tunc rex diademate coronatus clamat, Ego ſum albus filius, niger & rubeus, & filius albedinis, & homo mutationis, & ideo dicunt Philoſophi, Coquite eos donec nigri fiant, deinde albi, deinde citrini, & deinde tingens fiant venenum, quia quanto magis coquuntur tanto magis diſſoluuntur & denigrantur,& quanto magis coquuntur tanto magis deſiccantur, & dealbantur. Tertio quanto magis coquuntur, magis rubificantur, quouſque perficiatur. In diſſolutione tamen ignis ſit lenis, in ſublimatione mediocris, in coagulatione temperatus, in dealbatione continuus, in rubificatione fortis. Qui vero in iſtis neſciendo errauerit, caſum ſæpiſſime deflebit, res ergo cuius caput eſt rubeum, pedes albi, oculi vero nigri eſt magiſterium. Si triangulus in quadrangulo perficiatur eſt tum lapis honore decoratus. Septima præparatio: multiplicatur & perficitur lapis benedictus,quando ſumma fixi fixatur cum eo quouſque fluat, & ideo Philoſophi dixerunt, quod iam fixum lapidem cum modo ſublimationis volatilem facias, philoſophice coniungendo per minima, vt eleuetur totum ſubtile in vaſis, deinde fixetur. quod ſi non eueniat, addatur ei non fixæ partis quantitas, vt ſumma volatilis ſuperet ſummam fixi, quouſque ad eleuationem ipſius ſufficiat: nam ſi vincit ſummam fixi volabit; & ſi non vincit, fugiet cum re. Igitur quod eleuatum fuerit reiteretur illius ſumma tum per vicem, quouſque per hanc ſublimationem & congelationem figatur totum,cum autem fixum fuerit totum, tunc non fixi partem reitera, & quantam prius quantitatem imbibe, per ingenium tibi notum quouſque eleuetur totum. Ad vltimum iterato figatur quouſq; fuſionem præſtet facilem ad modū ceræ,& alteretur in compleméto Solifico & Lunifico,

Ita

Ita quantum ex reiteratione ipsius præparaueris tot gradus in medicinam resultant alterationis & bonitatis a multiplicatione, vt vnumquodque imperfectorum corporum & ipsum quoque Mercurium conuertat in infinitum in Lunificum & Solificum verum. Et ideo concludendo debent Philosophi morari prope vas, & intueri mira, quando se de colore transmutat in colorem meliorem, quam dici queat, quousque veniat ad metam albedinis & ruboris. Tota ergo gubernatio in regimine huius operis est in temperamento ignis. Inde cessa ignem & dimitte refrigerari & inuenies lapidem, corpus margaritale in colore papaueris siluestris, & & ista res est incerans, liquefaciens & penetrans, & cadit vnum pondus super mille vices mille millia, & ducentas vices mille, continuo conuertens totum corpus in optimum aurum vel argentum, secundum elixiris proprietatem. Ista autem medicina citissime liquefiet in igne, & congelabitur in aere, quia fumus cum senserit aerem, penetrabit in corpus & spiritus constringetur in sicco, & fiet corpus vnum fixum, clarum, album vel rubeum, sicut fuerit medicina & fermentum, quam diu mundus steterit incorruptibile. Pro conclusione: nota quod argentum viuum, plumbum, æs, minium, sulphur, non sunt vulgi, sed sulphur nostrum est sulphur diuinum, à duobus sulphuribus extractum, quod dicitur sulphur de sulphure, & argentum viuum de argento viuo, à Philosophis appellatum acetum acerrimum: & ipsa duo, scilicet sulphur & argentum viuum, realiter & essentialiter sunt in prædicto aceto, id est, in prædicta humiditate nostri lapidis est vna natura ipsius lapidis. Aurum vero & argentum, plumbum, minium & æs, & huiusmodi essentialiter & realiter continentur, & sunt in corpore physico vulgari, & proprium eius nomen in prædictis septem propositionibus duplicatis reperies. Ideo qui habet aures audiendi, audiat, & qui habet oculos, videat lapidem in septem propositionibus notum, & laudet Deum.

Explicit Rosarium abbreuiatum ignoti.

TRA-

DE LAPIDE PHILOSOPHICO.

Incogniti auctoris.

SCiant artifices Alchemiæ, ſpecies metallorum vere permutari non poſſe, quod quidem verum eſt, quia ſpecies per ſe non ſunt ſubiectæ actionibus ſenſibilibus, cum omnino ſint incorruptibiles: ſed ſubiecta ſpecierum optime permutari poſſunt, quoniam corruptibilia ſunt. Attamen ſubiecta ſpecierum permutari non poſſunt, niſi ipſa prius (vt ſequitur ex dictis Ariſtotelis) ad primam reducantur materiam, & ſic in aliam formam quam prius erant permutantur. Contra hæc autem ratio non ſtat, quia deſtructa vna forma immediate introducitur alia, vt patet in operibus ruſticorũ, qui de lapidibus faciunt calcem, & de cineribus vitrum. Sic multo fortius poteſt ſapiens ſtudioſus indiuidua ſpeciei corrumpere, & nouam formã eis introducere, quia intẽtio ſuæ operationis non eſt niſi vt ligetur Mercurius in dictis corporibus, quoniam elixir Philoſophorum tantum ex ipſis conſiſtit. Et iſtarum operationum aliæ ſunt medicinæ auri, quib. conuenit participare in argento in aliquibus, & in aliquibus diuerſificari. Nam in prima ſuæ compoſitionis parte opus auri & argenti per omnia conueniunt, in vltima vero ſuę fermentationis diſconueniunt, quoniam fermentum auri aurum eſt, & fermentum argenti argentum eſt, nec ſunt alia fermenta ſuper terram. Alia quippe corpora poſſibile eſt quod operentur, ſed non erunt bona ſicut illa prædicta, quia mundiciem quam non habent, dare non poſſunt. Et ideo dicit Philoſophus corporibus aliis quare indiges vti? cum poſſis habere in iſtis quod eſt maioris temperantiæ & minoris fæcis? Si vero indigueris eorum vſu, oportet vt primo ea conuertas in ſimilitudinem duorum corporum dictorum, quod nunquam fiet, donec Sol & Luna in vna medicina quæſita redacta, proiiciantur ſuper ipſa, quia Mercurius cum ſit de natura ſua conuerſiuus, fit vnumquodque cum ſingulis corporibus quorum complectitur naturam: ſi enim iungatur cum plumbo erit plumbum, ſi vero cum ferro

ferro erit ferrum, si autem cum istis duobus aptetur radiis, fit elixir perfectum. Non ergo est operandum nisi de ista materia nobili, quia res non fiunt nisi secundum earum naturam: nullus igitur quærat a natura quod in ea non est, quoniam fatigabit animam suam in vanum, nihil inde reportans nisi laborem, ac rerum & temporis perditionem. Medicina igitur hæc nostra, non in visceribus terræ præparatur, sed arte & operatione perficitur, eo quod a dictis lapidibus nihil fit vtile sine præparatione & regimine. Modi vero regiminis sunt quatuor principales, puta soluere, abluere coniungere & figere. Soluere est corrumpere, diuidere, & in materiam primam redigere. Abluere est inhumare, destillare, & calcinare. Coniungere est imprægnare, dealbare & rubificare. Figere vero est fermentare, desponsare & incerare. Solutio, conuertit lapidem in suam primam materiam, videlicet in aquam, ablutio in aerem, coniunctio in ignem, & fixio in terram. Vnde Aristoteles, Quando habueris aquam ab aere, & aerem ab igne, & ignem a terra, tunc totum habebis magisterium, quia tunc habes quatuor elementa in parte vna bene præparata. Elementorum autem duo sunt lapidea & duo aquatica, lapidea sunt ignis & terra, aquatica vero aer & aqua: aquam autem extrahes ex substantia humida, aerem vero ac ignem ex substantia sicca. De terra autem non cures ex qua sit substantia dummodo sit fixa, nam terra & ignis aerem bibunt & desiccant & figunt, aqua vero & aer terram & ignem abluunt, tingunt & perficiunt. Idcirco oportet vt sit aqua multa & oleum multum, quoniam multitudo tincturæ tanta erit, quanta multitudo olei fuerit. Igitur paulatim soluitur lapis, vt in Mercurium conuertatur, & in quatuor elementa diuidatur, vt omnino sua materia prima habeatur. Deinde abluitur, vt eius immunditia auferatur, & redeat in colorem argenti viui, sicut a principio fuit, & salsedo sui sulphuris minuatur. Postea calcinatur, vt eius materia subtilietur, & possit conuerti de grosso in gracile, & de spisso in subtile, tunc lauatur cum aqua Mercurii, vt maiorem recuperet humiditatem quam perdidit in calce. Exinde sublimatur vt sua materia attenuata magis depuretur, & totum hoc attenuatum vt sulphur & argentum viuum munda habeantur super terram, de illa materia, de qua aurum & argentum efficiebantur subtus terram. Tunc additur sibi fer-

fermentum de illa materia, quam facere volumus, si ad aurum, aurum, si ad argentum, argentum. Deinde inceratur, vt spiritus cum corpore incorporetur, & in eo figatur, quousque fiat vnum cum eo, stans, penetrans in profundo, tingens & permanens, cuius vna pars secundum omnes Philosophos conuertit mille millia partium cuiusuis corporis in verissimum aurum vel argentum, secundum quod elixir suum erit præparatum. Sic etiam virtutem habet efficacem super omnes alias Philosophorum medicinas omnem sanandi infirmitatem, quia si ægritudo fuerit vnius mensis sanat eam vna die, si autem vnius anni fuerit, sanat duodecim diebus: quæ vero fuerit antiqua à longo tempore contracta sanat eam vno mense. Et ideo hæc medicina ab omnibus super omnes mundi huius diuitias est oppido perquirenda. Hoc ergo magisterium nos æquat regibus, & mundi altioribus, quia qui habet ipsum, indeficientem habet thesaurum.

TRACTATVS TERTIVS DE MINERA PHILOSOPHICA.

Ignoti auctoris.

EST lapis vnus, medicina vna, in quo totum magisterium artis Alchemiæ consistit, cui nō adiungimus aliam rem extraneam, neq; minuimus, nisi quod in præparatione superflua remouemus. Non enim indiges vti alio corpore in isto opere, nisi Sole purissimo vel Luna optima, sed oportet quod labores circa ipsorum solutionem intimam & subtiliationem perfectam. Primus igitur gradus præparationis eorū est, quod tu facias ex eis argentum viuum, & cum Mercurisati fuerint, erūt manifestæ liquefactionis & occultæ subtiliationis. Sicq; intelligas quod 4. modis dirigitur opus, primus modus est lapidis dissolutio, secūdus depuratio, tertius cibatio, quartus desponsatio: quod ad primū attinet, dissoluitur lapis per frequentem contritionem & lenem assationem. Accipe ergo Deo iuuante de Mercurio aliquātulum loto sale & aceto, & postea destilla per alembicum, & proiice fæces quas facies, fiat hoc secundo, & habebis venenum mortale. Deinde pone in diuersis phialis vnam partem Solis purissimi & tres veneni ante dicti, & coque lento igne, quousque nigre-

nigrescat in superficie. Collige tunc sapienter illam nigredinem,&pone ad partem album venenum collectum per pannum lineum subtilissimum : & hoc quod inuenies non solutum de corpore tere bene in vase vitreo, modo videlicet philosophico, deinde impone ad coquendum cum suo veneno albo, & quando nigredo supernatabit recollige sicut prædictum est, quousq; nulla nigredo aquam supernatet: fiat hoc sæpe quousq; totum corpus vertatur in nigredinem &omnino dissoluatur. Tere, coque, & reitera, & non te tædeat. Contritio igitur corporis & eius in aquam resolutio fit per decoctionem aquæ & terræ in lentissimo igne per spacium quadraginta dierum. Secundum opus est depuratio lapidis, quæ fit per elementorum rectificationem, eo quod fit capax suæ similitudinis. Ista autem rectificatio elementorum facta est, per aquæ, aeris & ignis destillationem, & per terræ assationem. Accipe tunc aquam lapidis, & pone in vna cucurbita siue retorta munda, & pone superius puluerem nigrum collectum in parte superiore, & claude tum alembicum, & sigilla cum luto sapientiæ, & destilla suauiter cum lento igne, ita quod habeas quatuor elementa diuisa, & quodlibet elementum pone deorsum. Rectificationem autem aquæ super terram septies destillando à terra repete, & omni vice ante destillationem abiice terram fæculentam, per pannum lineum exprimendo receptam. Accipe tunc primo aquam & rectifica eam destillando septies, & fæces quas facies pone ad partem, & ita habebis duo elementa bene rectificata munda ab omni spurcitie. Tunc accipe terram, aquæ & ignis, & eodem modo sublima aerem septies, colligendo semper superius pellem hominis non habentis nisi vnum testiculum, & ita habebis aerem mundum & bene rectificatum ab omni fæce sua. Terra vero nigra manens in fundo cucurbitæ sic rectificatur: Accipe eam & calcina, & collige sapienter aerem in ea existentem, & quando terra bene fuerit calcinata, & a toto aere euacuata, erit coloris pallidi, habilis ad imprægnationem, & si spiritus in eo remanserit, erit sicut terra nigra & recipiet nutrimentum suæ aquæ, & cum hoc feceris habebis quatuor elementa bene rectificata & depurata. Tertium opus est cibatio, quod est cibum degustare per aquæ imbibitionem. Pone tunc terram calcinatã in vna phiala, & proiice desuper de aqua sua rectificata, & co-

& coque cum lento igne per vnam ſeptimanam; & poſtea calcina leniter, & proijce deſuper de alia aqua ſicut prius, & recoque per aliam ſeptimam, fiat hoc diligentius quouſque tota aqua fuerit inhumata. Quoniam oportet primo terram nutrire pauco lacte, & poſtea maiori ſicut videtur in infantis nutrimento. Nota ablutionem terræ fieri per deſtillatione aquæ, & eius aquæ coagulationem per philoſophicas imbibitiones aquæ ſuper illam terram. Laua igitur terram terræ modo philoſophico, & coque quouſq; biberit de aqua ſua quantum plus poterit, videlicet quantum ipſa eſt. Quoniam quanto aliquoties in iſto opere melius fuerit lota, tanto apparebit melior & pulchrior, & ſi non bene fuerit lota non erit munda, nec reuertetur ad ſuum colorem. Nota quod habeas in ſeparatione tantum de aere quantum recepiſti de aqua, videlicet pondus primum de corpore, & pondus primũ & ſecundũ de aqua corporis ſcilicet & Mercurij, vt in principio. Item laua terram more philoſophico, & coque opus tuum in aere, ita quod bibat de illo conformiter ſicut fecit de aqua ſua prædicta. Fiat hoc ſæpe quousque biberit de aere quantitatem aquæ humatæ, & ſemper per octo dies coque & calcina ſuauiter. Si vero volueris operari ad rubedinem, oportet fortiori igne totam compoſitionem amplecti; ita quod reducat in cineres, quos nõ habebis in cõtemtu, quoniam oportet eos iterum ad opus replicare nutrimento ſui ignis. Pone ergo prædictos cineres ad ignem ſuum quousque fundantur & bibant ſuum ignem, & tunc erit compoſitio tua dulcis, ſuauis, & rubea ſicut ſanguis. Cum vero rubefeceris terram ſua vltima rubificatione, apparebit tinctura rubea in natura veneni, quia penetrat, & ſicut puta pruna in colore. Itaq; operatio perforat ſicut venenum, iunge põdus ad pondus & erit compoſitio rubea tinctura in colore coralli, & hoc eſt ſignum completæ digeſtionis perfectionis, & complemẽti tincturæ in ſua operatione, de cuius tinctura omnes aliæ res tingi poſſunt in infinitum. De modo autem coniungendi elementa ad inuicem dicit Auicenna, Pone primo terram quoniam ipſa eſt à latere furni, poſtea pone aquam quoniam ipſa eſt a latere terræ. Tertio pone aerẽ, quoniam ipſe eſt à latere aquæ; deinde pones ignem in opere ad albedinem, quoniam opus albedinis fit de tribus rotis, id eſt, de terra, àqua & oleo, vbi nihil erit ignis. Op⁹ vero rubedinis fit de quatuor

tuor rotis, vbi ignis minime differri poteſt, ſi primo ponas oleum in aerem & poſtea terram, oleum foret mortificatum in terra quum aqua intraret. Sin vero accipias aquam & poſtea oleum, erat oleum ſuper terrã, & ſi tu ponas aquã ac poſtea terram, aqua foret ponderoſior quam terra. Nunc manifeſtabo magiſterium. Nunquam facies ignem, ſed facies locum vbi ignis ſit, aperi oſtium ſui ignis, & circa aer intrabit, fige aquam cum terra, ita quod ſibi adhæreat. Et ſcias quod ſi occidis vnum elementum de quatuor, omnia mortua ſunt, & ſi vnum plus habeat de anima quam alia elementa nihil valebit opus. Intellige quod dico, quia Deo te commendo. Nota fermentationem Elixir, proijciendo ſuper tale corpus quale accepiſti in principio optime purgatũ, & in prima deſponſatione ſit minus medicinæ quam de corpore, vt tres partes medicinæ & quatuor de corpore, & poſtea ſi volueris partẽ vnam de medicina, cum duabus, tribus, quatuor, vel vtilius ſecundum quod inueneris potentiam medicinæ, & hoc eſt opus quartum. Quartum igitur opus eſt deſpõſare per commixtionem ſui primi corporis, pro eo quod factum eſt ſubſtantiale, ad iſtius intellectum, videlicet quod elixir ſit fixamen in ſuo corpore vnde extrahebatur in principio, quia cum ſpiritus ſoluit animam pariter ſoluit & corpus, vt reducantur ad eius formam. Non figatur & non moriatur niſi in eius curia ipſum occupaueris, quia occupatio eius eſt fixio eius per fermentationem facta, quod tu eum iungas corpori ſuo præparato in principio, quoniam in illo occupabitur propter conuenientiam formæ ſpiritus prædicti ad eſſentiam corporis, & non iungas eum cuicumque alteri corpori, eo quod conuertat naturam cuiuscunq; corporis, ſed coniungas eum illi corpori de quo traxit originem, & ſi hoc facies totum erit elixir quod coniunges. Pluribus certe operarijs deficit eorum propoſitum poſt operis cõplementum propter ignorantiam iſtius ſecreti. Nota ergo verba, quia ſi tu proijcias opus tuum ſuper aurum vel argentum, vel aliud aliquod corpus, non conuertit naturam illius corporis ad naturam alterius corporis, ſed illud corpus conuertit ad naturam propriam. Et ſi tu proijcias illud corpus ſuper aliud corpus, illud corpus ſuper quo fit proiectio erit elixir mouens totum ad ſuum genus. Sic & intelligas quod ſi proijcias illud ſuper argentum, non mouebit illud de ſua

de sua forma, sed si proijcias illud argentum super aliud corpus imperfectum, vt cuprum, stannum vel plumbum, conuertis illud in argentum. Eodem modo si tu proijcias opus tuum super æs, erit conuertibile aliorum corporum ad substantiam æris: & ideo dicit Plato philosophus, quod illud corpus de quo spiritus occupatur in fixione, est res de quo opus est præparatum. Nota bene quod non accipias aliud corpus pro fermẽto ad desponsationem medicinæ quam Solem purissimum, vel Lunam purissimam, & alibi dicit Aristoteles, Qui non coagulat argentum viuum album sustinens ignem, & non iungit illud cum puro argento, nullam habet vim ad albedinem, & qui argentum viuum facit rubeum faciens ignem, & non associet illud cum puro auro, nullam habet vim ad rubedinem. Nota bene hoc præceptum philosophorum valde commendandum bonæ memoriæ. Non labores igitur sine corpore aliquo, quia non poteris venire ad perfectionem, sed ad nihilum deueniet, nec quisquã sibi perficiet qui sic erret deuiando: & hoc est vnum de maximis secretis philosophorum. Nota bene quantitatem medicinæ proijciendæ super corpus in desponsatione, bene igitur debes scire ꝙ quando proijcies elixir tuum super corpus aliquod, caue ne elixir excedat quantitatem corporis, sed proijce modicum operis tui super multum corporis de corpore, & erit totum puluis spiritualis, quoniam si proieceris multum operis tui super multum de corpore, in aliqua hora temporis, erit puluis consimilis colori corporis super quo fit proiectio. Et istud elixir completum conuertit omnia alia corpora ad suum genus: & cum sic dictum puluerem præparaueris, proijce super alia corpora, vel super Mercurium ad oculũ & sic habebis Solem vel Lunam quantum volueris ipse, meliorem quam extractum de minera.

(***)

Finis parui tractatus de Minera philosophica.

TRACTATVS QVARTVS,

qui dicitur

COMPENDIVM VTILE AD CREdendum Meditationum experimentum.

TEstificatur ad credendum meditationem experimentũ id, quoniam ſpiritus corporibus magis aſſimilantur, per hoc quod corporibus magis vniuntur, quoniam amicabilius quam alia illis conueniunt in natura. Per hoc igitur inuentum eſt nobis inuẽtione prima hoc, ſpiritus eſſe alterationis corporum medicinam veram, cum ſcilicet in ſpiritibus cæteris exquirentes non videmus ſpiritum alium quã Mercurium corporum metallicorum naturis amicari. Ideo per hoc opus noſtrum in illo intendentes, reperimus ipſum eſſe veram alterabilium medicinam in complemento cum alteratione perfecta. Et certe diminutum in imperfectis corporibus eſt paucitas argenti viui in ipſis exiſtentis, & non recta inſpiſſatio eiusdem, quare complementum in ipſis corporibus ſcilicet imperfectis erit argẽti viui multiplicatio, & bona inſpiſſatio & fixatio permanens: hoc autem per medicinam ex ipſo, id eſt argento viuo creatam perficitur, quæ quidem per beneficium ſuæ luciditatis & ſplendoris, illorum fuſcedinem palliando celat, tegit, & in ſplendorem adducit, ac in fulgorem conuertit. Verum cum argẽtum viuum ſit fluens & fugitiuum, non mutat ſine alterationis naturæ illius adminiſtratione. & ideo inuenimus ipſum neceſſario præparari debere, vt talis fiat illius ſubſtãtia, quod permiſceatur in occulto, vſque ad profundum corporis alterabilis, ſine ſeparatione in æternum. Hoc autem non fit niſi ſubtilietur intime, in præparatione certa per multam ſublimationis reiterationem, à rebus ſiccis adurentibus & deſiccantibus, ſulphureitatem non habentibus, & non permanet eius ingreſſio niſi figatur, neque illuſtrat niſi fulgidiſſima ex illo eliciatur ſubſtantia, & non præſtat fuſionem rectam niſi in fixione illius maxima adhibeatur cautela. Imitantes ergo naturam in quantum eſt poſſibile ipſum à calcibus immundis & deſiccantibus multoties ſublimamus, donec perfectiſſime à ſuis mundetur ſuperfluitatibus, & albiſſimum

ſimum aſſumat colorem quod quandoque in ſeptem, quandoque in nouem, quandoque in duodecim completur vicibus. Cum ergo videris ipſum quaſi mortuum, & vt niuem albiſſimam aludel ſpõdilibus adhærere, tunc ipſum diuidimus in duas partes, quarum vnam deorſum reſeruamus, vt cum ea terra lapidem ſublimemus, alteram proijcimus in fluentem aquam, donec redeat in argentum viuum, in quo vt docet ſemel deſtillantes puriſſimum diſſoluimus ſeparatim, id eſt, aurum, ſulphur, argentum, arſenicum leniter decoquẽdo, quouſque fuerint omnino diſſoluta, & eorum igneitas fuerit egreſſa in colore nigredinis. Nam calor agens in humido generat nigredinem, & in ſicco operatur albedinem, & in albo citrinitatem. Cum ergo ſolutum fuerit & putrefactũ, tũc ipſum diuidimus in balneo aqueo primo ſuauiter deſtillando, poſtea deſtillatur aer igne mixtus, quæ fixiora ſunt ſuper ignem, tunc terram nigram in fundo aludelli remanẽtem veloci vel cito igne cõburimus, id eſt, calcinamus quouſque munda ſit & ſubalba. Dehinc rectificamus aquam & aerem, id eſt, vtrumque per ſe ſepties deſtillando. Poſtea eorum ignem ad partem ſemper collectum terimus & cum aqua ſua imbibimus, & ſuauiter aſſamus, iterato in ſe multoties quouſque exiccetur & rubedine vt vrina coloretur, tunc prædicta elementa bene præparata ad partem reſeruamus, veruntamen coniungimus terram calcinatam cum argento viuo ſublimato albo iugiter terendo, & cum aqua ſua imbibendo, & ſuauiter aſſando quouſque incorporentur, & in vnum permiſceantur. Cum autem humiditas fuerit egreſſa, accẽſo igne tenui ecce ſublimamus quouſque terra cum argento viuo ſublimato albo leuetur totaliter, ſi vero aliquid inſublimatum remanſerit, addimus ſibi viciſſim argenti viui ſublimati quantitatem, primo eam quantitatem vt ſumma volatilis ſuperet ſummam fixi, donec ad eleuationem illius ſufficiat: & ſic vice poſt vicem iteramus ſuper ipſum ſublimationem, donec ſecundo & tertio totaliter eleuetur: poſtea reiteramus illius ſublimationem, donec per hanc adminiſtrationis reiterationem figatur deorſum. Abhinc autem reiteramus ſuper totũ opus calcinationis, ſolutionis & coagulationis, ad minus quatuor vicibus, & vltimo figimus donec in ignis aſperitate quieſcat, & ſic pretioſiſſimam lapidis terram ſufficienter ignem adminiſtrando præparamus ad o-

pus album & rubeum, quoniam ipsa est terra foliata ab illis ad fermentandum, & ideo in duas diuidimus partes, quarũ vnam reseruamus pro opere albo, & aliam pro opere rubeo. Porro de ante reseruata pro opere rubeo dissoluimus in aqua sua rubea & instanter coagulamus, deinde apponimus sibi ignem lapidis rubeum iterantes super ipsum totum opus cõtritionis, imbibitionis & assationis multoties, quousque siccum sit & rubeum, quod per ingenium iam dictum cum Mercurio sublimato & rubificato, non fixo coniuncto vicissim sublimamus, quousque totum secundo & tertio fuerit eleuatum tam rubeum in colore vt visifur. Postea per eundem modum figimus ipsum vt stet; hinc vero soluimus & coagulamus vice post vicem, & reseruamus ad fermentandum pro Solis opere rubeo. Tunc terram albam reseruatam pro opere albo resoluimus, & ad vnam partem ipsius coniungimus tres partes purissimæ Lunæ similiter resolutæ, & ambas has solutiones insimul coniungentes terimus & assamus quousque totum fiat corpus vnum, cui apponimus de oleo suo albo quod sufficit, iterantes super ipsum multoties contritionem, incerationem, & assationem vt incorporentur melius. Hinc iterata vice continuamus super ipsum sublimationem, reducendo semper quod superius ascendit super illud quod inferius remanebit fixum, quousque totum figatur deorsum, quod quandoque in quatuor, quinque, vel septem, quod est vltimum completur vicibus. Omni tamen vice totum incorporamus per contritionem, incerationem & assationem, & sic iterata vice non fixum sublimamus à fixo, donec totum fuerit fixum, & tunc accendimus super ipsum ignem fortissimum per diem integrum, & est per Dei gratiam elixir completum, stans, tingens, penetrans, consolidans, & perseuerans, cuius vna pars conuertit mille partes cuiuscunque corporis ad verissimam Lunam. Adhuc vero totum resoluimus in oleo suo albo, & coagulamus: deinde iterum resoluimus, & cum non fixa parte coniungimus, & vicissim sublimamus quousque totum fixum cum non fixo leuetur totaliter. Cum ergo fuerit eleuatum, iteramus illius sublimationem, quousque per iterationis administrationem figatur totum, & cum fixum fuerit iterato soluimus & iterato sublimamus, quousq; iterato totum eleuetur; tunc iterato figimus, per continuam sublimationis iterationem super

ipsum

ipsum quousq; stet. Omnes ergo præparationes super ipsum reiteramus; quousque facilem dederit fusionem vt cera, tunc .n. abundantius &; perfectius operabitur, quoniam vna pars eius conuertet mille millia partium cuiuscunque corporis præparati, & argenti viui abluti in verissimum argentum, melius quam de minera productum. Eodem etiam modo fit elixir rubeum ad Solem, nisi quod pro rebus albis res rubeas apponimus in opere Solis. Et est vt iam terram rubificatam cum fluente Sole calcinato & soluto in oleo suo rubeo, similiter insimul coniungamus snblimãdo vnum cum alio quousque totum figatur deorsum. Adhuc iteramus super ipsum solutiones, sublimationes & fixationes multoties quousque fluat & alteret vnumquodq; imperfectorũ in Solem verum. Opus tamen rubeũ maiore indiget in suis partibus sublimatione quam opus album, ideo pluries est sublimandum, soluendum & coagulandum. In opere rubeo nihil intrat nisi rubeum, sicut & in opere albo nihil intrabit aliud nisi album: & quanto pluries soluimus, coagulamus & sublimamus, tanto perfectius, abundantius, & melius operabitur, & augebitur super numerum suum, conuertens vnumquodque diminutum in infinitum, in Solificum verum & certum. Sed cum bonum magisterium sciri non possit nisi cum bonis rationibus, ita nec bonus magister potest esse nisi omnes huius artis noscat rationes: ideo oportet nos scire cum lapis noster diuiditur in quatuor elementa, nam si proijcimus parum de eo super corpus diminutum facit ipsum aurum vel argentum, hoc tamen non poterat facere sine præparatione & sublimatione, quia suæ partes minimę non poterant ingredi in minimis partibus corporis, ideoque diuidimus lapidem & materiam suam, parum omnino habilem, vt faciamus elementa munda, & pura habeamus ea. Tunc ea cõiungimus, quoniam in ipsa hora incorporant se cum corpore, quod ante non poterant propter suam grossitiem, & hæc vna est ratio quare lapidem diuidimus in sua elementa. Abhinc calcinamus terram vt attenuemus eius materiam, deinde cum aqua sua soluimus ipsam, vt recuperet humiditatem quam perdidit in sua calcinatione, hinc coagulamuss & inceramus, vt possit reuerti de materia in materiam, & sit lenis ad fundendum. Postea coniungimus sibi argentum viuum solutum & sublimamus totum

vt magis attenuetur materia eius, & bene incorporentur ad inuicem; & totum hoc facimus vt argentum viuum & sulphur de illa materia habeamus super terram de qua aurum & argentum efficiuntur subtus terram. Deinde apponimus ei ignē lapidis vt bene coloretur opus Solis, & fiat rubeum vt ysifur: ignis autē nostri lapidis est siccus & est aurum. Cum ergo bene fuerit præparatum, solutum, sublimatum, & coagulatum apponimus fermentum sibi de illa materia quam facere volumus, videlicet si ad aurum aurum, si ad argentum argētum: sic enim facimus pacē inter ignem & aquam, aerem & terram, quoniam damus vnicuiq. elementorum de lapide quem diligit, efficimusq; vt non amplius sint inimica in magisterio nostro. Tunc itaq; totum resoluimus, sublimamus & coagulamus iterata vice multoties, quousque fluat & alteret vnumquodq; imperfectorum corporum metallicorum in infinitum, in Solificium vel Lunæficium verum ad omne artificis iudicium. In hoc completur arcanum pretiosissimum quod est super omnem mundi thesaurum. Deo altissimo soli sint laudes & gratię perpetuę & perennes.

FINIS.

TRACTATVS QVINTVS,

qui dicitur

ROSARIVM PHILOSOPHORVM ex compilatione omnium Philosophicorum Librorum.

Per

Toletanum Philosophum Maximum.

DEsiderabile desiderium impretiabile pretium, à cunctis Philosophis positum, quod nō deponitur nec male propositum fuisse supponitur, ex libris antiquorum hic in summa vna breuiter adunabimus, vt tibi charissime sufficienter pateat veritatis argumentū, tam excellentissimæ partis philosophiæ esse probatissimum. Atque hanc quidem summam vocitamus Rosarium, eo quod ex philosophorum libris tanquam rosas à spinis euulsimus tibi ipsum, in quo quidem claro sermone rectoque ordine, ac de verbo ad verbum,

bum, cum omnibus suis causis sufficiētibus succcinctum trademus quicquid ex illorum libris reperimus necessarium ad operis huius complemētum. Et quia nocet veritati quidquid contrariatur rationi, ideo sententijs veritatis per omnia vtentes nihil ponemus in eo superfluum, nihilque diminutū ad totum magisterium. Placeat Domino nostro Iesu Christo nobis immittere spiritum suæ intelligentiæ.

Vniuersa diuinæ bonitatis opera circularia sunt & perfecta, ad ipsum à quo prodierunt sphęrice rotata. Ab initio ante suæ creationis primordium naturam cunctis præponens, Deus quatuor fecit corpora simplicia, ex quibus postea constituit corpora quæque mixta, mixtorum vero quædam fecit intellectiua, quædam sensitiua & vegetabilia, quædam tantum intellectiua, quædam tantum ex raritate elementorum creauit. Ideo inquietū est cor nostrum donec redeamus ad ipsum, omnium namque elementorum raritas ascendit ad ignem qui est super stellas; ideo & nos ab illa creati merito sursum tendimus ad Deum tanquam ad vnum principium. Sensitiua vero cuncta nec non & vegetabilia ex spissitudine elemētorum composita, in specie distinguuntur diuersa, vnde cum dissoluuntur per mortem non immerito reuertuntur ad terram & aquam, velut ad suam matrem, nam spissitudo elemētorum naturaliter tendit deorsum ad suum centrum videlicet terram. Omnium tamen natura constantium certus est terminus magnitudinis & augmenti, vt in sua specie augmentent suum simile, & eorum quædam ex partibus sunt dissimilibus, vt à carne, sanguine & ossibus, seu à lignis, cortice & folijs. Quædam ex partibus sunt consimilibus, vt ea quæ per totum sunt vnius essentiæ, sicut est videre in metallis: quæ autem ex partibus sunt dissimilibus in se suam possident sementem, vnde terræ infixa multiplicantur & crescunt, vt videtur in arbustis & herbis. Quæ vero ex partibus sunt consimilibus non multiplicantur, nisi ad suam primam reducantur materiam, quare dicit Philosophus Aristoteles, Sciant artifices Alchemiæ species metallorum vere transmutari non posse, nisi forte in primam reducātur materiam & tunc quidem transmutantur, & in aliud quam prius erant bene permutantur. Nota rationem quare oporteat fieri corporis resolutionem in primam materiā scilicet argentū viuum, & illud ideo quia corruptio vnius est genera-

tio alterius, tam quidem in artificialibus quam naturalibus, ars enim imitatur naturam & in quibusdam corrigit & superat eam: ſicut & iuuatur natura infirma medicorum induſtria, natura ſiquidem non conſtruit domum nec conficit electuarium, quoniam de ſe ipſa non habet motum ad hoc faicendum. Sic etiam lapis noſter quamuis in ſe tincturam naturaliter contineat (nam in terra perfecte cteatus eſt) per ſe tamē nō habet motum vt faciat elixir completum niſi moueatur per artem. Alia ergo ars perficit quæ natura non poteſt ſola per ſe operari, alia vero imitatur & perficit in quātum nata ſunt aptaque perfici per naturam. Ideo ſuccurrendum eſt naturę per artem in eo, quod per naturam omittitur, quia non eſt differentia inter naturam & artem niſi quod ars agit exterius, natura vero interius; ars enim tanquam organum adminiſtrat motum, natura autem ipſa per ſe agit, quoniam ad ſuam nititur perfectionem. Omne porro corpus aut eſt elementum, aut ex elementis compoſitum, ſed omnis compoſiti generatio ex quatuor elementis ſimplicibus habet conſiſtere, quare oportet neceſſario vt lapis noſter reductus ad primā originem ſui Mercurij & ſulphuris, diuidatur in elementa, alias depurari nō poteſt nec coniungi, quia ſuæ partes minimæ non poſſunt ingredi, niſi in minimis partibus corporis; diuiſus autem depuratur ac iterum coniungitur, & elixir quod quærimus operatur. Nam experimentum deſtruit formam eius ſpecificam: verum ante elementorum diuiſionem non videtur ex eis quicquam nec tangitur niſi terra & aqua, quia aer & ignis nuſquam videntur, nec virtutes eorum ſciuntur, niſi in dictis prioribus elementis, rara quippe ſunt omnino & ſimplicia, quare ab oculis videri corporeis penitus non poſſunt, ideo de illo ne cures, quoniam ſufficit tibi reducere rem ad ſimplex puritatis. Elementa tamen ſunt quatuor, modi item quatuor, & humores quatuor, puta ſanguis, cholera, flegma, & melancholia; modi ſunt calidum, frigidum, humidum, & ſiccum; Elementa ſunt ignis, aer, aqua & terra, quorum duo ſunt actiua, & duo paſſiua, ignis & aer ſunt actiua, aqua & terra ſunt paſſiua; duo aſcendunt, & duo deſcendunt; vnum eſt in medio, alterum ab altero, & illud ideo quia contrarium remotum à ſuo contrario non coadunatur niſi per medium, calidum contrariatur frigido, humidum ſicco, quare neutrum

trum illorũ coadunatur alteri nisi per medium, Igitur quod non est contrarium per se ipsum adunatiuum: sic calidum & siccum per se coadunantur, quoniam in nullo contrariantur ad inuicem, & ideo ex illis resultat elementum aeris, neq; etiam contrariantur insimul frigidum & siccum ex quibus generatur elementum terræ, neque etiam frigidum & humidum, ex quibus congregatur elementum aquæ. Sed calidum & frigidum non coadunantur, nisi per medium videlicet per humidum siccum, quoniam per se nolunt simul stare cum vnum obtũdat alterum propter suam cõtrarietatem, ideoque calidum & frigidum congregant & disgregant vnigenea dissoluendo & coagulando, sed humidum & siccum aggregantur & disgregantur constringendo & humectando, Simplex etiam generatio & naturalis permutatio est elemẽtorum operatio, nam gignunt calidum frigidum vincentia materiam, cum vero vincuntur agentia liquet, quia secundum partem violentia & indigestio fit, quare liquet res vniuersas variabiles per calidum & frigidum, & simpliciter generari & naturaliter permutari. Verum ex quolibet determinato fit suum determinatum, quia nulla est generatio nisi ex conueniẽtibus in natura, homo quippe generat hominem, leo leonem, sic vnumquodque generat sibi simile, nullus vero cum sit ex diuersis generibus nunquam respicit se ipsum nec generat sibi similem; sic etiam est de omnibus ex diuerso genere procreatis. Necessarium ergo est quod elementa sint vnius generis non diuersi, alias actionem & passionem non haberent ad inuicem cum vnum non tangeret alterum. In dubiũ igitur reuocatur de lapide, qui dicitur philosophorum, quis sit vel qualis, cum nunquã ab aliquo philosophorum nominetur aperte: in hoc ergo diuersi diuersa sanxerũt, cum in vno solo consistat veritas, ipsum chare seruamus, & omnia alia docemus euitare, nam patet per philosophorum scripta rem vnam esse, nec alienum quid sibi iungi debere, quia nihil conuenit rei nisi quod propinquius est ei & ex sui natura, non enim proferunt res nisi sibi similia, nec fructificant nisi fructus suos: igitur cum res vnius sunt generis radices earum sunt vnum. Diuersitas vero rerum ex diuersitate partium suarum causatur: cognosce ergo mundum ab immundo, quia nihil dat quod non habet. Mundũ est vnius essentiæ, vacuum alterationibus, immundũ est diuersum & ex contra-

contrarijs partibus adunatum, facilis corruptionis susceptiuum, horum probatio in Sole est & Saturno, quia Saturnus omnino corrumpitur, Sol vero minime. Cognitio ergo contrarietatis corporum & suę creationis principium facile facit hoc magisterium, nam sordibus adhærent sordes cum sint de genere earundem, sed mundum vincit naturam immundi, non patiens commixtionis defectum. Nō quæras ergo in natura quod in ea non est, quoniam res non fiunt nisi secundum suam naturam, & maior corruptio est in re passiua quam in actiua: vtere ergo membro nobiliore & simpliciore, & sufficit tibi; membrum tamen cordis ex corpore est, sicut membrū cerebri ex capite, quia in corde est vis animæ rationalis. Horum tamen quod minus habet de angulis est nobiliori & simpliciori propinqui⁹, sicut ꝓpinquior est simpliciori triangulus quam quadrangulus, quoniam terminos habet pauciores. Rotundum est corpus simplum nullum habens angulum. Dimitte ergo coniunctum & vtere simpliciore, quia illud est genus generum, & forma formarum, nam ipsum est prius & posterius in planetis sicut Sol in stellis. Transferam ergo sermonem ad homogenea in natura licet sint fortia, nam in habentibus symbolum facilior est transitus. Igitur cum quæsitum tuum sit de genere amborum mundi luminarium, oportet eligi in eo quod est homogeneum ipsorum, & certe cum hoc genus appropriatur lumini multum scimus, quoniam nō perficitur opus nisi per ipsum. Decorantur regū diademata lapidibus pretiosis, quorū pulchritudine visus iuuatur, animus delectatur, dignitas ornatur, & eorum virtute ægritudines grauissimæ à corporibus expelluntur, sine quibus parum est efficax omnis medicina, quare ijs vtuntur medici in suis medicinis ad grauissimos morbos expellendos. Est autem doctorum verissimum argumentum, quod melior lapis omnium lapidum melius valet ad expulsionem omnium infirmitatum, nota hic de meliore lapide omnium lapidum quod est aurum per intellectum. Melior ergo lapis omnium lapidum est ille qui magis est coctus, & igni est proximus, qui plus sustinet ignem, & tardius frangitur ab igne. Idcirco magis valent lapides pretiosi vt Rubini & Saphyri, quam lapides alij, quoniam generantur in hoc calidiore, propinquius Soli cum maiori calore. Sic & in metallis magis valet aurum quam argentum, quoniam ma-

gis est coctum, & argentum magis quam cuprum vel aliud metallorum, & sicut Rubinus habet in se effectum omnium lapidum pretiosorum, sic habet & aurum in se virtutem omnium lapidum ductibilium, nam continet in se omne metallum, tingit ea & viuificat, cum omnium illorum sit nobilius, ergo aurum capias. Verum Rubinus proportionaliter ab alementis est complexionatus, cum pro maiore parte sui sit ex substantia lucida, vt ex aqua clara, & coagulatur cũ sicco & calore magno, ideo neque cuditur, nec ad alium statum reducitur nisi ex toto destruatur, quoniam igni ex omni parte contrariatur. Aurum vero cum sit ex substantia terrea mixta cum aqua per minima est homogeneum igni ex vna parte duarum extremitatum, & coagulatur cum frigore post actionem caloris in ipso, ipsum ideo cuditur & in igne melioratur, est enim proportionatum meliori complexioni, æquali, nobiliori compositioni præ omnibus alijs lapidibus pretiosis. Post illud immediate est argentum, ergo sume & argentum pro lapide: defectus vero aliorum corporum est quod in eis est caliditas addita aut frigiditas diminuta, sicut deficit frigiditas cupro & ferro, caliditas autem stāno & plūbo, aurum enim & argentum iuste & æqualiter sunt composita, & vere sunt temperata, præ omnibus lapidibus alijs qui sub cælo sunt, ad speciem nostri lapidis pertinentia. Et certe aurum est dominus lapidum, nobilius corporum, Rex & caput optimum eorum, non enim corrumpitur ab aere, nec ab aqua neque à terra, nec ignis minuit ipsum, immo ignis eum humectat, decorat & rectificat, & res cōburentes non comburunt illud, nec corrumpentes corrumpunt, eo quod eius complexio est temperata, & natura directa in æquali caliditate & frigiditate, humiditate & siccitate, nec in eo superbum quicquam est nec diminutum. Nulli ergo lapides quantumuis magno vendantur auro præualent, tametsi auro quidam cariores sint, non quia pretium auri excedunt, sed quia rariores & pauciores inueniuntur. Nota igitur intime quod non est lapis melior quam Sol, & quod opus absq; Sole nullo modo peragitur, quia est fermentum elixirij. De omnibus ergo rebus huius seculi magis valet aurum, quoniam est fermentum Elixir, sine quo nequaquam opus peragitur, lætificat aurum, & iuuentutem conseruat, renouat senectutem, & omnem corporis depellit infirmitatem, est enim sicut fermē-

tum

tum pastæ, coagulumq; lacti in caseo, & sicut muscus in aromatibus bonis. Merito autem aurum circundat partē superiorem Solarem, argentum inferiorem Lunarem, vnde nisi Solem & Lunam viderem pro certo dicerem quod magisterium nō esset verum, sed quia Solem & Lunam video, certissime scio quod magisterium est verum: nam quælibet res augmentat suum simile, & ista omnia sunt homogenea in natura, quare oportet ipsorum augmentum esse sicut & est vegetabilium in natura. Sol ergo est tinctura rubedinis, quæ transformat omne corpus. Luna verò tinctura est albedinis, quoniam est domina humiditatis: cum Sole commiscentur spiritus, & figuntur per ipsum ingenio magno quod non peruenit ad artificem duræ ceruicis, spiritus namque in naturam suam conuersus moritur, & mortuo similis videtur, inde postea inspiratus venit, multiplicatur, & crescit vt res cæteræ. Ideo nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum adfert, & vnde videbatur perdidisse quod erat, inde incipit apparere quod non erat, qui ergo illius destructionem ignorat cōstructionem eius, ex actu naturæ necessario habet ignorare. Calcinatur & soluitur maximo labore, absque vtilitate igitur quare alijs corporibus vteris? cū possis habere in istis illud quod est maioris temperantiæ & minoris fæcis? Si indigueris vsu eorum oportet primo vt conuertantur in speciem aliorum prædictorum, & tunc demum incipere operationem in eis; possibile tamen est quod operentur cum eis, cum in omnibus corporibus insit scientia: sed non erunt bona sicut prædicta; quia in maiori opere nō vnius perfectionis sunt omnia corpora diminuta, cum non ingrediantur opus donec in compositionis subtilitate fuerint sicut corpora perfecta. Album tamen & rubeum ex vna radice nullo alterius generis corpore interueniente pullulant, nam Luna in argenti opere ipsum candidum quod de purissimi Solis materia formatur, nihil tū ipsius coloris retinens designat, ipse tamen Sol absente argento viuo priuatur effectu, quia ex materia & forma fit omnium generatiò vera. Totū igitur beneficium huius artis in Sole & Luna existit, sed indiges quod circa eorum solutionem labores, redigēs ea ad suam primam materiam, prima autem materia eorum est argentum viuum, quia cum liquantur omnia conuer-

uertuntur ad ipsum: certum quippe est omnem rem esse ex eo in quod resoluitur, gelu resoluitur in aquam mediãte calore, clarum est ergo ipsam aquam prius fuisse. Sic omnia ductibilia resolui possunt in argẽtum viuum, ergo ipsa prius fuerunt argẽtum viuum. Hic igitur nota de resolutione corporum in argentum viuum. Benedictus ergo & sublimis naturæ dominus, quibus donauit rationem discernendi, & reducendi omnem rem ad primam suam materiam & naturam, puta corpora præparata ad primam originem sui sulphuris & Mercurij, vt ex eis in paucis diebus faciamus super terram, quod natura operata est subtus terram in mille tantũmodo annis; vnde si aliud beneficium non haberemus ab argento viuo, nisi quod corpora reddat subtiliora ad sui naturam, hoc ipsum satis nobis deberet sufficere; ipsum enim est amicabile & metallis placabile, ac medium coniungendi tincturas, quoniam in se recipit quod suæ naturæ est, alienum verò respuit, quia est vniformis substantiæ, in omnibus suis partibus homogeneum, ipsum quidem est quod ignem superat & ab eo non superatur, sed in eo amicabiliter quiescit eo gaudens, propter enim suam bonam partium adhærentiam & suæ mixtionis fortitudinem, si quo modo partes illius inspissentur per ignem, vlterius non permittit se corrumpi, neq; per ingressionem fumosę flammæ se in fumum vlterius sinit eleuari, quoniam rarificationem sui non patitur, propter sui dẽsitatem & adustionis carentiam. Veridice ergo innuimus corpora ea maioris esse perfectionis, quę plus argẽti viui sunt continẽtia, & quæ minus minoris, & certe diminutũ in corporibus imperfectis, est paucitas argenti viui, & nõ recta inspissatio eiusdem, quare cõplementum in illis erit argẽti viui multiplicatio, bona inspissatio & fixio permanens. Studeas igitur cum in opere fueris in tuis operibus omnibus Mercurium superare in commixtione, & si per illum solum perficere poteris, pretiosissimæ perfectionis indagator eris, & eius perfectionis summa lætaberis, quæ naturæ vincit opus, mundare enim intime poteris ad quod natura nõ peruenit, & sic per cõsequens opus ex illo poteris creare quod omnem superabit naturam. Quia non est differentia vtrum hoc fiat in organis natuturalibus, an in artificialibus. Ex ijs ergo elicias secretum, medicinã nostrã necessario ex ijsdẽ esse assumendã quæ argẽto viuo maxime adhę-

rent in profundo eius, & ei per minima commiſcentur antẽ illius fugam; argentum autem viuum argento viuo magis adhęret, & eidem magis amicatur, poſt illud vero aurum, & poſtea argentum; alia vero corpora non habent tantam conformitatem ad ipſum, quia minus de ſua pura participant natura. Tum etiam nihil in illo demergitur niſi Sol, neceſſarium eſt ergo, quod hæc medicina ex illis potiſſimum elici debeat in quibus maxime conſiſtit, eſt autem tam in corporibus quam in ipſo argento viuo ſecundum naturam, cum vnius ſint reperta naturæ, in corporibus quidem difficilius, in argento autem viuo propinquius non tamen perfectius. Cuiuscumq; igitur generis ſit medicina tam in corporibus quã in ipſius argẽti viui ſubſtantia, lapidis pretioſi indagatur materia, cauſa huius eſt quia non eſt tranſitus de extremo ad extremum niſi per medium, extremum autem metallorum ex vno latere eſt argentum viuum, & ex alio elixir completum, media vero iſtorum ſunt ſex corpora quæ ſe elongant ad malleum, quorum alia alijs magis ſunt depurata, decocta & digeſta atque illa ſunt propinquiora vt te chariſſime credimus non ignorare. Non ergo oberres, quia nulla eſt tinctura vera niſi ex ære noſtro, id eſt, ex lapide philoſophico. Omne porro aurum eſt æs ſed non omne æs eſt aurum, quia de genere ad ſpeciem non eſt conſequentia, ſic omne aurum eſt ſulphur rubeum, ſed non omne ſulphur eſt aurum, quia nihil eſt in auro ex corruptione ſulphuris. Lapis ergo noſter ſecundum diuerſitatem ſuæ operationis habet conuertere argentum viuum in veriſſimum argentum, vel etiam in aurum puriſſimum vt patebit in ſequentibus. Verum cum in opere fuerit dealbatum, operatur operatione ſulphuris albi, Mercurium coagulans in argentum purum, & ſi maiorem habuerit digeſtionem, erit ſulphur optimum rubeum, Mercurium conuertens in aurum obriſum. Hic ſiſte gradum deſiſtens alium quærere lapidem, ſtulteque tuam conſumere pecuniam, & animo triſtitiam inducere perpetuam, quia quæ ſeminaueris hæc & metes: non ponas ergo in opere tuo muſcas & ſcarabeos, nec comedas de filio cuius mater eſt corrupta, ſed fruſtum de pinguiori carne comede, quoniam ſtultitia eſt magna opus tuum facere de peiore tum poſſit fieri de meliore. Tenebroſum ergo nominum dimittas pluralitatem, quia huic rei diuerſa imponuntur nomina,

idque secundum diuersos colores in opere apparentes, quocumque enim modo eius diuersificentur nomina, semper tamen est vna sola res eadem de eadem. Venerabili ergo vtimini natura, quia natura non emendatur nisi in sua natura, ideo non introducas alienum, nec puluerem, nec aquam, nec aliam rem. Constantis igitur esto voluntatis in opere, ne modo hoc modo illud præsumas attentare, quia in rerum multitudine ars nostra non perficitur. Est ergo lapis noster vnus, medicina vna, vas vnum, vnum regimen & vna dispositio eiusdem, cui non addimus rem aliquam extraneam, nec minuimus, nisi quod in præparatione eius superflua remouemus, non enim ingreditur in eo quod non sit ortum ab eo, nec in eius parte nec in toto, si vero aliquid extraneum ei apponitur statim corrumpitur, nec fiet ex eo quod quæritur. Est itaque lapis noster vnus aqua videlicet permanens, munda, lucida, clara, cælestem habens colorem; verum nisi sit in illa aqua quod ipsam emendet, quod quæritis non fiet. Nota igitur quod ista aqua non possit emendari absque Sole, Solem sane honoramus, eo quod aqua nostra emendetur absque ipso, nam absque Sole & eius vmbra nullum tingens generatur venenum, id est argentum viuum præparatum. Qui vero sine his venenum tingens facere nititur, procedit ad practicam sicut & asinus ad cænam; & illud ideo quia corpus non agit in corpus, nec spiritus in spiritum, eo quod forma non recipit impressionem à forma, nec materia à materia, nam simile non agit in suum simile, cum neutrum eorum sit dignius altero, nullum ergo eorum agit in alterum, quia par in parem non habet imperium: veruntamen corpus suscipit impressionem à spiritu, sicut & materia à forma, eo quod apta nata sunt ad inuicem agere & pati. Corpus itaque tingit, spiritus vero penetrat, non tamen tingit corpus nisi tingatur, quia spissum terreum non ingreditur propter suam grossitiem, verum tenue aereum est id quod ingreditur & tingit. & hoc est sulphur corporis extractum per spiritum. Non ergo tingit aurum nisi seipsum donec spiritus eius occultus extrahatur è ventre eius, fiatque omnino spiritualis. Aqua igitur nostra viua, est ignis aurum comburens, mortificans, & confringens magis quam ignis elementalis, & quanto magis illi miscetur & teritur per ignem lenem, tanto magis diruitur, aquaq; viua ignea attenuatur: cum

autem fuerit trita & vnum quid facta, habet in se omnem tunc tincturam ignem patientem. Corpore ergo spiritu sic colorato, colorat, & omnem tincturam in se habet & donat: ideo qui è Sole & eius vmbra, id est Luna venenum tingens conficiunt, nostrum lapidem perficiunt, verum nisi lapis haberet, tam ex substantia vna quam altera, non haberent actionem & passionem ad inuicem, & vnum non tingeret alterum. Lapis ergo & lignum nullam habent inter se operationem, quod sint ex diuersa materia, sicut & in omnibus est materia differentibus: ideo est necessarium vt agens & patiens sint in genere res vna & eadem, in specie vero altera & diuersa: secundum quod & mulier diuersificatur ab homine, quia licet in vno genere & natura conueniant, tamen inter se habent distinctionem & operationem distinctam; vt conuenit inter agentem & patientem, materia namque patitur actionem, forma vero agit, assimilans sibi materiam. Ideo materia naturaliter appetit formam, sicut mulier appetit virum, & turpe pulcrum; sic etiam spiritus lubens amplectitur corpus, vt ad ipsius deueniat perfectionem. Cognosce ergo radices minerales, faciens ex eis opus tuum, quoniam non possumus lapidem nostrum alio modo nominando exprimere, nec ipsum alio nomine nominare, sed per descriptionem suarum radicum à parte nominamus ipsum. Merito ergo lapis noster a philosophis dicitur omnis res, quia habet in se & de se, omnem rem necessariam ad sui perfectionem, omnibus nominatur nominibus propter naturæ suæ excellentiam, & absconditam ac diuerasam actionem, vbique inuenitur propter elementorum participationem, est vilissimus per putrefactionem, carissimus propter virtutem, niger, albus & citrinus secundum colorum mutationem. Diuersorum ergo suorum nominum postpone multitudinem, quia quocunque modo nominetur semper tamen est vna sola res & eadem. Philosophi certe non curant de nominibus, sed de nominum proprietatibus, eo quod per vnum dant intelligere reliquum, non enim sermoni res sed rei est sermo subiectus. Nota intime de medicina quod rubea fieri non possit antequam alba fuerit, medicina igitur nostra est vna in essentia & in agendi modo similiter, est tamen necessarium vt illa eadem medicina sit alba antequam rubea fiat, quia non potest fieri rubea nisi primo fuerit alba, eo quod nemo potest transi-

transire de primo ad tertium, nisi per secundum, sic non est transitus de nigro ad citrinum nisi per album, quia citrinum ex multo albo & paucissimo nigro est compositum, ideoque nisi hanc medicinam primo dealbaueris verum rubeum facere nequibis. Non ergo differt inter se medicina alba & rubea in essentia vlla, sed in hoc quod medicina rubea maiore indiget subtiliatione & longiore digestione ac calore in igne in suo regimine: & illud ideo quia finis operationis rubei & quod completum est in vna, incipiendum est in alia, nam totum magisterium vno modo incipitur & finitur: opus rubeum indiget rubeo sicut opus album albo indiget fermento. Nostri porro lapidis vas est vnum in quo totum completur magisterium, & est quædam cucurbita & alembicum, siue vas vnum solum vitreum spissum vndique clausum, vnius cubiti longum, subtus & supra rotundum sine poris, planum, cuius fundus paruæ sit circuitatis cum parietibus planis & amplitudine capitis, vt sublimandum per illud ascendat liberius, sic enim cum necesse fuerit fit ignis subtus & supra vt melius accendi possit. De alia quidem materia non valet quam de vitro, nisi fortassis similis esset substantiæ cum illo, quia solum vitrum & vitro simile cuius corpus sit lucidum transparens, & poris carens, potens est spiritus fugaces tenere, ne exterminentur ab igne, & colores in opere apparentes ostendere ne operator erret in regimine, alia vero vasa non, quia corpora habent opaca, id est obscura & porosa, per quos spiritus successiue, id est parum & parum transiens in fumum euanesceret. Proprium sane est fumorum spirituum ascendere & non descendere, ideo cucurbita spiritibus debilibus suis vsque ad zonam subintret alembicum suum. Sit autem iunctura ingeniosa, bene conueniens vt nihil per illam possit incidere, claudatur etiam fortiter & continue ne quid possit exire vel intrare, quia si aer vel alienus humor intrauerit, administrationem corrumpit, si vero flos eius, id est fumus albus, egrediatur & fugiat, totum opus priuatur effectu. Regimen autem nostri lapidis est vnum, & est ipsa decoquere iugiter & cōtinue, in suo vase sine intermissione, donec finem consequaris optatum. Philosophi tamen multa posuerunt artificia, ad artis suæ venerationem, velut, continuationem, occultationem, & mundificationem ne sordidum quid introducatur vel immundum, vt item sunt

commiſcere, coquere, adaquare, putrefacere, dealbare & rubificare, hic ſunt nomina plurima, quorum tamen regimen vnum eſt, quod eſt coquere tantum, & ideo non eſt aliud quã opus mulierum & ludus puerorum. Contere ergo, coque, reitera & ne te tædeat hoc pluries reiterare, quia ſi ſcirẽt philoſophi quod vna decoctio & vna contritio ſibi ſufficeret, non toties ſua dicta reiterarent, ideo quidem iſta fecerunt & dixerunt, compoſitum teratur continue, & coquatur ſine intermiſſione. Totum porro regimen eius eſt in temperie ignis, quia diuerſitas ſuorum regiminum eſt ab ignis graduum diuerſitate, nam in ſolutione ignis ſemper erit lenis, in ſublimatione mediocris, in coagulatione temperatus, in dealbatione cõtinuus, in rubificatione fortis & cõtinuus. Si vero in iſtis neſcienter erraueris, caſſum laborem ſæpiſſime deflebis. Conſultiſſimum eſt ergo vt ſedulus operi inſiſtas, neque opus detruncatum dimittas: quia ſcientiam nec proficuum ex opere dimiſſo adquires, ſed potius damnum & deſperationem. Neceſſe quoque habes in ſcientia naturalis philoſophiæ eruditum eſſe, & induſtria prouectum, vt in puncto errori ſubuenire queas per ſcientiam, quia per ſolam naturalem induſtriam emendare non poſſes, ars enim ab ingenio iuuatur & ingenium ab arte. Similiter expedit te etiam huius artis principia non ignorare, nam qui illa ignorat finem non inueniet. non etiam nitaris ſophiſticam operis metam inuenire, ſed ſoli vero lapidis complemento intendas, ne forte Deus, in cuius potentia reſeruatur ars noſtra, eius veritatem tibi deneget in æternum. Nota ergo intime de lapidis noſtri diſpoſitione quod eſt totum opus. Diſpoſitio itaque noſtri lapidis eſt vna tantum, & eſt vt ponatur in ſuo vaſe, iugiterque coquatur in igne quouſque totum aſcendat ſolutum, deinde fortificandus eſt ignis donec ſuum exhauſerit humorem, fiatque ſiccum & multum album. Tertio fortificandus eſt ignis, quoſque citrinum ſit & multum rubeum: verum ſi in operando negligens fueris iſtorum colorum nihil videbis, ſtudeas igitur cum in opere fueris omnia ſigna, quæ in qualibet decoctione apparent in mente recondere, & illorum cauſas inueſtigare, quia hæc multum neceſſaria ſunt artifici, & idonea ad totius operis complementum, eo quod ignorantes cauſam neceſſe habent ignorare & cauſatum. Nota igitur de ſuo vaſe, & quod ſemel ſemen imponendum eſt, vt generatio bona fiat

& non

& non pluries; & quamvis multoties dicatur à philosophis pone in suo vase & firmiter claude, sufficit tamen semel imponere & claudere quousque totum compleueris magisterium, quod amplius est à malo est, quia si pluries aliquid imposueris, tunc aurum non vertitur in rubeum neque fiet album. Totum igitur residuum ad artis ponitur occultationē, & certe ad generationem hominis & omnis rei vegetabilis nunquam nisi semel matrici imponitur semen, si autem alias imponeretur, tunc illud destrueret aliud semen propter indigestionis cruditatem, aut aeris ingressionem, vel materia superabundantiam. ideo enim mulieres multis se viris exponentes rarissime concipiunt, ac si concipere cōtingat abortiuum pariunt. Sic crudis cocta, & indigesta digestis apponentes opus non nutriunt sed occidunt, quia de illo matris sanguine tantum nutritur fætus, & viuit quousque producatur in lucem. Ex his ergo patet quod pluribus rebus non indigemus ad opus nostrum, neque etiam magnas requirit expensas, quoniam vnus est lapis, vnum vas, & vnum regimen, & vna dispositio eiusdem tam ad album quam ad rubeum successiue, id est paulatiue faciendum. Igitur si vere & pulcre naturas direxeris, eiusque compositionem bene coaptaueris, & consanguineas suis consanguineis conuenienter iunxeris, totum opus perficies, quia naturæ suis obuiantes naturis, sequuntur eas & exaltantur in eis, putrescunt namque & gignunt, eo quod natura nostra regitur, natura naturam diruit, liquefacit, & in puluerem vertit, deinde natura naturam recreat, gignit & innouat, quousque finem operis inducat. Verum quod secundum meritum materiæ dantur formæ, ideo cum natura non præparata minime conuenit aliquid operari: optimus autem præparationis modus est superflua demere, & absentia supplere, sic enim tam integra quam corrupta ad perfectum renouantur statum, & illud quidem est vt à rebus fictis sibi in nullo conuenientibus valde sublimes Mercurium, quousque cælestem acceperit colorem: caueas tamen præcipue in eius mundatione à priuatione virtutis suæ ne vis actiua suffocetur in aliquo. Omnium autem terræ nascentium semina, non multiplicantur nec crescunt, si per nimium calorem vis eorū generatiua tollatur extraneum: sic certe nec ista multiplicatur natura si modo præparetur indebito, non autē assumas ipsam naturā nisi puram, mundam,

crudam, amœnam, currentem, synceram, & rectam; si vero secus feceris non proderit quidpiam, eius additamentū melius per cæmentum depuratur. Cum igitur volueris intentionem facere solues in eo lunaturam, nam primus gradus suæ præparationis est vt fiat Mercurius, nec fit hoc donec lenifices per aquæ dominium, & caloris motum continuum. Oportet itaq; vt sit aqua multa & oleum multum, quia quanta fuerit multitudo aquæ, tanta est multitudo tincturæ. Soluimus autem aurum vt in suam primam redigatur materiam, hoc est vt vere fiat sulphur & arg. viuum, quia tunc possumus optime argentū inde facere & aurū, cum fuerit conuersum in naturā ipsorū, ideoq; debet lauari & decoqui, vt fit verū sulphur & argentū, nā illa secundum philosophos sunt materia prima omnium metallorum. Et certe nostra solutio non est aliud nisi quod corpus reuertatur humidum, & reueletur in eo natura argenti viui, suæque salsedines sulphuris minuantur, non autem reuertitur in aquam nubis, vt stulti quidam putauerunt, nam si reuerteretur in talem aquam, fieret tunc siccum per vim nō per naturam, ad modum salium & aluminum; & sic cum locarentur ad ignem conuerterentur in vitrum, sed illud falsum est ergo & opus eorum. Nunc intime nota de solutione. Est ergo solutio nostra vt tradas Gabricum Beyæ & coniugium fiat, & sane cum Beya concumbens statim moritur, & in suam transfertur naturam; deinde transactis diebus multis ascendit super Beyam, transferens eam in corpus suum, & quamvis Beya sit femina, Gabricū tamen emendat, eo quod ex ipsa est, & quāvis Gabricus sit carior Beya; scimus tamen quod non fit generatio absq; ea, quia nulla fit generatio congrua nisi ex masculo & femina. Idcirco coniunge seruum nostrum rubeum, sorori suæ odoriferæ & inter se artem gignent. Positos igitur in suo vase claude diligentissime, decoquens continue ad ignem lenē, donec brodium fiant saginatum, nam ex principijs naturalibus est planum, vt omnis res, cuius radix est terra & aqua, soluatur & fiat currens & certe secundum philosophum terra fit aqua, cum vincunt eam aquæ qualitates, & aqua fit terra, cum vincunt eam terræ qualitates. Sic solutio corporis est congelatio spiritus, & congelatio spiritus est solutio corporis, nam habent vnam operationem, quod vnum non soluatur nisi alterum congeletur. Iniunge ergo toxico folium

tuum,

tuum, & verificabitur tibi in eo operis principium, ex rotatu tamen cælorum fœlicia & infœlicia germinãr in terrenis, ideo in principio operis tui aduna solutionem per Solem, nam effectus inde apparebit, & quod superior deprimitur cum iuuat inferior, siue vincant superiora, siquidem inferioribus dominantur. Esto ergo longanimus in regimine, vas firmiter claude, ac noli cessare, quia nulla fit generatio & corruptio rerum nisi per motum continuum, & aerem exclusum, & calorem temperatum, & huius exemplum est vterus mulieris, quæ cum conceperit immediate clauditur matrix, & caliditate & humiditate sanguinis generatur fætus, nunquam tamen flatus extraneos recipit nisi cum natus fuerit: sic & eodem modo noster lapis in vase iugiter maneat clausus, donec suam biberit humiditatem, & calore ignis perfecte nutritus sit, albus enim tunc nascitur lapis, nec sibi nocent aerei flatus. Est ergo summe necessarium continuare operationem, moderari ignem, excludere aerem, & maxime vsque ad albedinem. combure ergo æs nostrum leni igne, sicut in ouorum pullificatione, donec diruatur corpus eius & tinctura extrahatur. Non autem extrahitur tota simul, sed parum & parum egreditur omni die, donec in longo compleatur tempore, & quod soluitur semper ascendit superius, licet residens sit maius: ideo ignem semper caueas magnum, ne peruenias ad solutionem ante tempus necessarium, quia hoc perducit opus ad remotionem remotam, priuans illud sensu, operatione & motu. Nota igitur intime de calore leni, & de contritione philosophica quæ fit igne nostro & non manibus. Calor itaque intensus compositum perimit, frigiditas fugat, sed calor lenis nutrit & conseruat, positum ergo in balneo temperato contere igne, & non manibus, abluas humidate suæ aquæ, vt non aduratur virtus eius ignea, ne comburatur sua substantia sulphurea, nam ipsa primo egreditur separatione cum sit lenior, & dignior operatione quam virtutes aliorum elementorum. Nunc nota de signis veræ dissolutionis. Continuato ergo super eum balneum temperatum donec in aquam soluatur impalpabilem & tota egrediatur tinctura in colore nigredinis, quod est signum veræ solutionis: nam calor agens in humido generat primo nigredinem, & in sicco operatur albedinem, & in albo citrinitatem, sicut est videre in plumbo cum ex eo fit minium. In

humido ergo igne rege ipsum continue, noli festinare nec ab opere cessare, quousque totus diruatur & puluis fiat omnino spiritualis; id autem quod puluis fuerit spiritualis in vase sursum ascendit, quod vero spissum & grossum in vase remanet deorsum. Nota itaque de signo veræ contritionis corporis cum spiritu, quia nisi omnia in puluerem verteris spiritualem, nondum ea contriuisti, igitur deinceps tere quousque conuertantur & omnia puluis fiant, & nota qualiter id igne fiat non manibus. Contritio igitur decoctionis est non manuum, quæ tantum habet fieri leni decoctione, humida putrefactione, continua contritione igne & non manibus, nam manuum contritione non egemus. Alkien certe facit hoc & per eam perficitur, quia Alkien terræ, id est quædam generatio secreta in terra, & est sicut Alkien in homine, illud virtute sua præpitatiua clarificat semper & diuidit sicut scit, & merito, natura namque sagax est, & sibi sufficiens in omnibus quibus indiget, ex opere quidem suo est vt conuertat terram in aquam, & aquam in terram. secundum compositionem diuersam. Nota primo ad soluendum terram cum aqua. secundo terra coagulabit aquam, & hoc erit intra centum & quadraginta dies; primo siquidem conatur aqua soluere terram, vt ad modum sui subtilem habeat naturam, secundo autem terra coagulabit aquam vt secum sustineat ignem, & hoc est solutio corporis & coagulatio spiritus leni ignis decoctione in centum & quadraginta diebus, & forte apparebit albedo in quadraginta diebus, sed primum est melius, quoniam significat temperantiam ignis & bonitatem præparationis. Nihil tamen nisi sulphur nostrum agit in aurum, nostrum enim sulphur ipsum denigrat, consumit & cruciat, eo quod de sua consistit natura, quod vero denigratur est quod non fugienti ianuam aperuit, & non fugiens cum fugientibus vertitur: crucians tamen non cruciat nocumento nec corruptione, verũ coadunatione & vtilitate, si enim eius cruciatus esset noxius & inconueniens, non amplecteretur ab illo nec suos extraheret colores, quos aquam sulphuris nuncupauimus. Quod ergo primo denigrat clauem operis esse dicimus, quoniam non fit absque nigredine, nam ipsa est tinctura quam quærimus, qua in quolibet corpore tingamus, quæ quidẽ prius occulta fuit in suo ęre sicut anima in humano corpore. Ideo nisi ęs nostrum diruatur, imbuatur, & teratur, ac per

ſe & diligenter regatur, donec à ſua ſpiſſitudine extrahatur, & in tenuem ſpiritum impalpabilem vertatur, & niſi corpora vertantur in non corpora, & nõ corpora in corpora, nondũ operis regula inuenitur, & illud ideo quia non poſſumus illam tenuiſſimam animã omnem tincturam in ſe habentẽ à ſuo corpore extrahere niſi prius diruatur, & in tenuẽ ſpiritum impalpabilem vertatur, ac corpus ſoluatur partes habens cõſtrictas per ignem & aquam. Sed aqua noſtra eſt ignis, comburens corpora magis quam ignis, & ideo per ſe ea regit, & extrahit ex eo naturã omnem ſuperantẽ naturam. Eſt ergo affinis operationis in omnibus ſtatibus ſuis, patienter continuando decoctionẽ, quouſq; tota egrediatur tinctura ſuper aquam in colore picis liquidæ. & cum videris nigredinẽ illi aquæ eminere, ſcias tunc oportere ignẽ lenem cõſeruare ſuper ipsũ, donec aqua perceperit nebulam quã peperit tenebroſã. Intentio ergo philoſophorum eſt, vt corpus iam ſolutum in puluerem nigrum ſuam ingrediatur aquã & fiat totum vnũ, ſi vero dicas qualiter fiet puluis aqua? ſcias quod iſte puluis nõ eſt niſi aqua ſulphuris, ſoluta calore ignis, de merito ergo aqua ſuſcipit aquam ſicut naturam propriã, ideo niſi quodlibet vertatur in aquã nullatenus perueniens ad perfectionem. Nota tamen quod nihil debet apponi in commixtione, neque in toto regimine, niſi ſua aqua propria, quia nõ oportet vnquã aliquid aliud vti in commixtione, contritione, nec in toto regimine niſi illa ſola aqua permanente ſatis nota, vis enim eius eſt ſpiritualis ſanguis ſine quo nihil fit. Conuertitur autẽ in corpus, & corpus per id ipsũ vertitur in ſpiritum, ſic enim ad inuicem mixta & vnum redacta ſe inuicẽ vertunt, nã corpus incorporat ipsũ, nota tamen quod ſpiritus colorat corpus in colore ignis. Spiritus ergo corpus in ſpiritũ tinctũ vertit, vt ſanguis, quia omne quod habet ſpiritum, habet & ſanguinem, quare oportet illã nigredinẽ aquæ ſuæ imminẽtem igne leni iugiter occupari donec in ſua reiungatur aqua, fiatque aqua in aqua, id eſt donec totum fiat aqua vna, cum autẽ aqua alteri aquæ miſcetur, tunc aqua amplectitur aquã ita quod non poterunt ſeparari ab inuicem. Ignari autẽ aquã audientes putant eam eſſe aquã nubis, ſed ſi rationem haberent ſcirent vtique eam eſſe aquam permanentẽ, quæ tamen abſque ſuo corpore cum quo ſoluta & facta vnum eſt permanens eſſe non poteſt: hanc autem aquã philoſophi dixerunt

aquam auri, igneum venenum, & ouum multorum nominũ. ideo nos oportet cum hanc aquam possidemus sulphuream, altero nostro eã miscere vt eius nigredo deleatur, redde ergo carbonem suæ aquæ vt in ea extinguatur, & rerum conceptio fiat, & vas claudatur iugiter dum conficiatur. Nota ꝙ hic loquitur de conceptione quæ debet fieri infra tres dies, tempus ergo suæ conceptionis, est spatium trium dierũ, qua fere rerũ fit conceptio specierum, rerum mixturam coitus notat & genituram, semina miscentur quasi lac quæ mixta videtur. Qui ergo nouerit ducere, prægnãtem facere, generare, mortificare, viuificare, lumen inducere, & mundare vlterius à nigredine & tenebris erit maximę dignitatis, nobis. n. regem coronatũ filiæ nostrę rubeæ coniungentibus, & ei in leni igne adhęrenti, concipiet & filium gignet, nam fusę nubes quæ super eam fuerunt reuertentur in suo corpore, sicut exierunt. Tingens ergo & tingendũ necesse est diruere, ipsum enim quod sibi miscetur superat & in suum vertit colorem: & quemadmodum apud visum superficialiter vincit, sic initima superat, ideo cũ corpore miscetur & continetur, vt tinctum sit cum eo vertit ipsum in spiritum, & spirituali tingit natura, inuariabili, quæ deleri nõ potest. Continuato igitur eorum regimine, in quadraginta dierum spatio fiet vtrunq; aqua permanens liberata à nigredine, quæ quidem nigredo si debito modo regatur nõ permanet nisi quadraginta duobus diebus, ideo in suo eam regens balneo, subiice ignem quousq; fiat aqua clara, & vt verum argentum viuum scandens in aerem. Nunc nota de destillatione aquæ. Cum ergo videris naturas aquam fieri & in aerẽ sublimari, tunc omnia vapor facta sunt, nã anima à corpore separata, & in spiritum sublimatione delata factum est vtrumq; fugiens, aqua enim reserauit ianuã fugę non fugienti, conuertens ipsum in spiritum sibi similẽ, vnde facti sunt aerei spiritus in aera simul scandẽtes, ibiq; accipientes vitam inspirãtur à suo humore, sicut homo ab aere. quare crescit & multiplicatur in sua specie sicut res cæteræ. De iure igitur vapor cõtinet vaporẽ, eo quod simul vtrumq; in decoctione est iunctum, ideo fugiens natura quãuis sit ei fuga essentialis, dimisit tñ fugæ seruitutem, eo quod in sublimatione iungitur ad inuicem: quare debebit totũ igne mediocri in vaporẽ multoties eleuari, vt inspiretur ab aere & possit viuere; nam omniũ constantium vita natura, ex aeris cõsistit inspiratione, quare

totum

totum opus consistit in vapore & sublimatione suæ aquæ. Summopere tamē caueas in omni sublimatione seu liquefactione aut fractione, à vitrificatione tui vasis, quia si in tātum accenderis ignem vt aqua ad vasis summitatem ascēdat, gaugens refrigerio adhęrebit tunc ibidem, & sic non poterit elementorum perficere sublimationem, eo quod oportet vnumquodq; eorum rotatu sphærico per se pluries deprimi & eleuari, sed quod per violentiā ascendit, absq; violentia non descendit. Sit ergo ignis lentus, ita vt per se totū opus ascendat & descendat libere, absq; vasis adhæsione, ideo nisi corpus igne & aqua attenuemus, quousq; ascendat vt spiritus nihil facimus, eo autem scādente in aere nascitur, & in aerem vertitur, fitq; vita cum vita vt vna non separetur ab altera, sicut nec aqua mixta aquæ, ideo natus in aere sapienter nascitur, quoniā spiritualis omnino efficitur. Intellige porro quod tribus de causis sublimationem facimus, prima est vt corpus fiat spiritus de subtili natura, secunda est vt spiritus incorporet se cum corpore & fit vnum cum eo, tertia est vt omnia fiant alba & munda, & salsedo sulphuris minuatur, nam apud sublimationem cōburitur quicquid ex opere fuerit cōbustibile. Et certę summe nobis est necessarium vt elementa fiant simplicia, vt possint cōiungi ad inuicē, fieri tamē simplicia nō possunt nisi in partes separentur, ideo oportet vtrumq; vaporem pluries sublimare, donec aqua descendat in cribatione. Cribramus ergo res cribro sphærico septies, vt omnia fiant aqua limpida clara, quoniam corpus nunquam dimittit animā à se separari quæ sibi compar est in propinquitate simplici, & ideo reiteramus eorū sublimationem, vt ad subtilem reducantur naturā. Verum quidam sagaciter opinantur separationem fieri multis speciebus, de quo non cures, quia prosperabis in eo quod reducas operationem ad æqualitatem simplicis, & non in eo quod separatur vnumquodq; singulariter in elemētis. Et certe non erit difficile omnia reducere ad simplex albedinis. Pater eius est Sol, & mater eius Luna, portauit illud ventus in ventre suo, terra prænata est ex eo. Idq; quod aquā ab aere, & aerem ab igne, & ignem à terra destillando recepisti, ex multa enim sublimationis iteratione anima cū aqua ascendēs depuratur, & eius grossities ad ima descendens in terrā lunatur. Sic ergo de igne facies terrā, de aere aquā, quam reduces super terrā, nā vis eius integra est si reuersa fuerit in terrā: verte ergo terrā in

aquam

aquam, & aquam in ignem, tunc vero ignem in aerem, & occultans ignem in intimis aquæ, terram vero in aeris ventre; calidum autem misceas humido, siccum vero frigido. Isto igitur modo facias mixtionem, quoniam nõ est transitus de extremo ad extremum nisi per medium. Aquila ergo volans per aerem & bufo gradiens super terram est magisterium, idcirco separabis terram ab igne, subtile à spisso, suauiter destillando cum magno ingenio. Ascendit à terra in cælum, iterumq; descendit in terram, recipit vim superiorem spiritus, & inferiorẽ corporis, quia vincit omnem rem subtilem congelando, omnemq; rem solidam penetrabit alterando: sic enim dominatur superioribus & inferioribus, quia operatur tam in spiritibus, quam corporibus. Hic nota intime de spiritu, anima, & corpore. Liquet ergo quod æs nostrum habet spiritũ, corpus & animam, spiritũs est aqua eius, anima eius est tinctura, corpus vero est eius terra, spiritus tamẽ est delator virtutum animæ super corpus, sicut portatur tinctura tinctorum per aquã super pannum; anima autem est vinculũ spiritus, sicut corpus est vinculum animæ, corpus vero est fixum, siccum, cõtinens spiritum & animam. Spiritus ergo penetrat, corpus figit, anima copulat tingit & dealbat, in his tribus est fumus nigredo & mors, quæ nisi ablata fuerint perpetua non erunt. Oportet ergo ab aqua fumũ, ab anima nigredinem, & à corpore mortem expellere frequenti dissolutione quæ non differt. In his autem qui nõ fecerint duo sulphura de sulphure nihil norũt; duo sulphura sunt quæ ex lapide mixto vel iuncto sublimantur ad tincturam quæ quidẽ tingũt & fugiunt, sed à sulphure continentur quod fugere non possint, quoniam omnium fugientium est connexio. Commisce ergo oua gallinarum nigrarum cum ære, & habebis aurum & argentum quantũ ipse volueris, vultur namq; sine alis volans super montem clamat dicens: *Ego sum albus, niger & rubens, albi & cytrinus rubei filius veridicus & non mentiens*: me igitur meæ matri & suo pectori iunge, quia suam substantiam facio continere. Noli ergo alienum nobis introducere, nec ab opere cessare, nam omnis natura cum sua adunatur socia & per eã perficitur. Mater me genuit, & per me gignitur ipsa, ipsa enim primo dominabatur mihi, de cætero autem dominabor illi, quia persequutor matris meæ factus sum, prius quam ab ipsa accepi volatum, ipsa tamẽ meliori quo potest modo sicut mater pia

fouet

foret & nutrit filium quem genuit, donec ad statum peruenero perfectum. Ponas ergo me in humido igne continue, qui mei humoris calorem augmentat, & siccitatis combustionem vetat, quousq; finem operis inducat, deinde rubiginem & vmbram meã extrahe per se, quousq; tertia parte persistã, decoctio namq; me minuit; tritum vero augmentat, & quod post quindecim dies diminuitur, post triginta augmentatur, hoc est initium & finis. Custodi ergo argentum viuum in intimo thalamo suo, in quo coagulatum est, nam ex iterata cribrationis vice, aqua ascendit alba cum anima ad alembicum & corpus paulatim descendit ad vnum, & ipsum est argentum viuum quod dicitur terra residua quæ aquam recipit & bibit eam, quoniam connexio est tincturarum. Conserua igitur vas & ligaturam eius, vt sis potens in conseruatione spiritus, nam aqua quę prius erat in aere habitat in terra, si fugere nequibit redde eam tunc ad superiora, & per suos terminos non inepte eam deinde suo corpori rubeo priori electo per te cõiunge. Nam vbicunq; fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ, quia si sine violentia ascenderit, sine violentia descendet super ipsum, si vero non, non. Liga ergo mulieris lactantis manus post tergum vt non fugiat Gabricum, id est virum, apponite sibi filium quem genuit vt lactet eum, quoniam cum mulier mortua fuerit, erit bufo grossus de lacte, tunc scinde bufonem per medium, apponens gallinæ vt comedat ipsum. Reducas aquam ad terram temperatum administrãs ignem, quousq; in natura sua radicem fecerit, sciens pro certo quod oportet ipsum primo nutriri pauco lacte, sicut videre est in infantis educatione, nam pauco lacte nutritur & igne dum paruulus est, & quãto magis crescit, tanto magis indiget cibo & calore, quousque suum biberit humorem, nam humorum primus est frigidus, ideo capiendus est ignis qui frigori est inimicus. Si corpus posueris super ignem absq; aceto, comburitur nec fiet ex eo quod quæritur, quia si ignis non inuenerit humiditatem quam desiccet, comburit corpus, sed acetum sibi appositum prohibet ignis combustionem, desiccans se cum corpore ne patiatur læsionem. Et quanto magis flamma ignis occupatur, tanto magis in aquæ intimis absconditur ne calore ignis comburatur. Hic nota de proportione, & pondere aquæ & corporis. Iubeo igitur nõ simul infundere aquã ne elixir submergatur, verũ paulatim infundere vt semper

cor-

corpus cũ tribus partib. suæ aquæ decoquatur: nam si conficiatur absq; pondere, mors sibi eueniet, qua eueniente malum esse putabitur, si vero conuenienter regitur cum sua pacificatur aqua super ignem: verum quia corpus parum primo habet radicis, cuius virtus nõ æqualiter abundat in omnibus partibus, sicut nec splẽdor Solis in planetis; ideo patientia & mora sunt necessaria, vt prolixitate coquendi vincat aqua pugnam ignis, leni namq; ignis decoctione aqua congelatur, & humiditas extrahitur corruptiua, humoris radicalis calor augmẽtatur, & siccatis cõbustio prohibetur. Iubeo igitur ignẽ nostrum in principio esse lenem, donec coaguletur in lapidẽ aqua & totu fiat deorsum; nã intra spatium quadraginta dierum tota aqua vertetur in terram: ideo cũ videris aquã coagulare se ipsam, tunc ratus esto scientiam esse veram, nã corpus coagulat suam humorem in siccũ, sicut coagulum agni coagulat lac in caseum. Corpus igitur coque cum aqua vitæ leniter coagulando ad ignem, quousque fiat spissum & multum siccum, quia cum fuerit siccũ velociter bibit sui humoris residuum: impone tunc aliam aquã, leniter coque ad ignẽ vas diligẽter claude, noli festinare nec ab opere cessare. Aqua tamen in duas partes diuidenda est, quarũ vna parte corpus coagulatur, altera putrescit & liquatur, coagulare autem est aqueam substantiam in terram redigere, putrefacere est coagulatum alias resoluere, nam putrefactio non fit nisi ex humido & sicco sic enim spiritus penetrabit in corpus, & commixtio fiet per minima. Ignis autẽ administratus subtus temperatus sit, caue etiã ne nimis festinãter extrahatur à suo vase forte namque moreretur, quoniam infanti nunquã patebit egressus, quousq; aeros flatus exhauriat: ideoq; custodias eũ continue clausum, rore circundatum, omnino præcauens ne flos eius egrediatur in fumum, cõtere, coque, reitera, & ne te tædeat hoc ipsum pluries reiterare; veruntamẽ in opere pondere & mẽsura cuncta rege, vt quoties corpus imbuitur toties & desiccetur. Non tamen comedas festinanter, nec comedas quod non bibas, nec bibas quod non comedas, fit autem potus post comestionem nõ comestio post potum, alioquin facies ventrem humidũ, nec recipiet siccitatem: comede ergo & bibe vnum post aliud secũdum rationem, vnum dico tria, & sic vsque ad duodecim facies Lunæ. Currit hic numerus ex multiplicatione ternarij in quatuor, & erunt duodecim, &

nume-

numerus ternarius fit ex vnius in tria, & sunt tres salsaturæ, quarum quælibet in alias tres diuiditur salsaturas, & erunt duodecim. Verte ergo quadrangulum in rotundum & habebis magisterium: & illud quidem fit, si quadrangulus in vnaquaque suarum spatularum tres habeat angulos æquales. Fac circulum, & in medio circuli centrum, deinde in vnaquaq; spatula circuli fac tres angulos de circulo centri, sit autem linea æqualis de primo centro ad cæteros punctos, & æqualis, & vna sit omnium ternariorum mensura, cōputa ternarios & duodecim inuenies, desuper quos ducas compassum & inuenies quod tanget vnumquemq; ternarium. Per duodecim ergo triangulos circulus eueniet rotundus, sic componitur magisterium, quia sic omnes spatulę concurrunt ad centrum compassi. Sic tota aqua est ad suum corpus per suos ternarios reducenda, si autem diminutū fuerit vno diminuetur potentia eius. Venare ergo animas, quoniā in terra est mansio earū, si fugere nequeant non sis in venatione nisi lentus, pcauens ne igne nimio vertantur in fumum; si autem fugient non capientur cum falcone, si vero includātur nec fugiunt, tunc reuertuntur ad corpus vnde exierunt, eo quod corpus attrahit sibi suū humorem sicut magnes attrahit ferrū. Contere ergo terrā, decoque aquā, & reitera operationē, quousq; vn⁹ ex trib. ternarijs vertatur deorsum, nam si vnum ex tribus occidisti omnes mortui sunt, quia si vnum sit fugiens alterum vero ignem patiens, vtrumq; iunctū patitur ignem. Hic nota quid sit quod spiritum figit. Dico quod vnū tunc continet reliquū propter naturæ suæ propinquitatem, & hæc quidem est coagulatio nostra, omne volatile retinens a fuga: veruntamen non efficitur hoc manibus, sed natura ad ipsum circulariter operatur, quia natura seipsam dissoluit & coagulat, seipsam albefacit & rubore decorat, seipsam croceam facit & nigram, seipsam desponsat & a seipsa concipit, quousque finem operis inducat. quare liquet quod hæc confectio non sit manualis operatio, sed naturarum mutatio, & earū calidi cum frigido, ac humidi cum sicco admirabilis connexio. Accipe ergo volatile volans subinceltum & mansipa vt tibi respondeat nō volando in regionibus, sed volatu euolans ad te contentum, nam quod est inferius, est sicut superius & quod est superius, est sicut id quod est inferius; ideo aqua nostra benedcta suam venit adaquare terrā, mundare nigredinem, & omnem

malum

malum auferre odorē, eo quod inter eos est libido sicut maris & feminæ: caueas ergo ne à vase exeat sua humiditas & pereat, verum ipsam reducens ad terram coagula leni igne, sicut coagulatur sperma in matrice, femina namque suum amplexata coniugem velociter transit in corpus. Verte ergo aquam super terram suam quousque coaguletur deorsum, tunc enim citius à natura in naturam conuertitur, & in vnoquoque gradu suarum operationum nouam assumit naturam. Redde cineri sudorem suum, contere, coque, reitera, nec te tædeat reiterare, terra enim non germinat sine frequenti irrigatione, nec absq; pmissa desiccatione, ideo omni vice post desiccationem terræ superfunde aquā temperate, nec multum nec parū, quia si multum fuerit, fiet pelagus conturbationis, si vero parum comburetur in fauillam, & hoc nota intime. Ideo in omni pondere pondus, in omni mensura modus seruetur, & in omni opere opus est ne nimia siccitas aut superfluus humor administratus corrumpat, sed tantū assando decoquas, quātum dissolutio adiecit & imbuēdo defecit: semper autem cauendū ne ignis asperitas exustionem generet, nec ab actione cessandū donec totū ad vnum sicci lapidis formā assumat; veruntamen natura non habet motū nisi per caloris actionem. Nota igitur de vtilitate mensuræ ignis. Si ergo calorem bene mensuraueris, aqua & ignis tibi sufficiūt, nam corpus abluūt, mundant, nutriunt, & eius obscuritatem auferunt, & certe totum opus & regimen nō est nisi aqua permanens, omnia in se habens quibus indiget, nam liquefacit & congelat, diruit & dealbat, nec oportet alio vnquā vti in toto regimine, nisi hac aqua permanente Manu tene ergo hanc aquā cum suis bonis operationibus, quoniam facit album ad album, & rubeum ad rubeum: effectus tamen eius consistit in regimine ignis, nam cum eo diuiditur aqua, cum eo retinetur volatile à fuga, cum eo corpori iungitur anima, cum eo fit coagulatio nostra, caueas tamen ignis intensionem, quia si intendatur ante terminum fit rubeum quod non prodest, hoc autem verbum memoriæ tuæ commenda percipiendū. Sit ergo ignis lentus vsq; ad albedinem, inspice ergo multoties, quo modo facias amplexari cōiuges, nam fortibus nexibus vinciendi sunt spiritus, vt roborati pugnent cōtra ignem, quia si mulieri vagæ patuerint egressus, alienos q̄rens amplexus fugit, si vere recludatur vt fugere non possit, tunc rediens ad virū concumbit cum eo, quem

quem occidit: at ille calefactus eius consumit humiditatem faciens ipsam morari secũ, nam spiritus ablati à corporibus, desiderant eis inesse, sequuntur ea, gaudẽt ipsis habitis, habitant in ipsis, viuificant ea, nec vnquam separantur ab eis. ideo nõ frustra confertur sperma vuluæ, quoniam vnũ consequitur reliquum tanquam sponsa paranymphum, id est maritũ. Hic igitur nota de mortificatione viui spiritus; & de reuiuificatione corporis mortui. Viuificans ergo mortuum, id est corpus; occide viuum, id est spiritum, & habebis magisteriũ: Extrahe a radio suam vmbram & sordidum, & quod nebulā ei superueniens coinquinat, & à luce retinet, qua: e angustatur & à sua rubigine detinetur: ideo oportet prima parte eius aquæ æs nostrum comburere & coquendo coagulare, quousque in sua fiat rubidine, quæ quidem tunc dicitur fermentum auri & coagulũ coaguli, quia aquã recipit & bibit coagulatq; eam secum in terra:. & in hoc est finis primæ operationis & principium secundæ, quoniam vno modo incipitur & finitur. Modus autẽ rubificationis lapidis albi prædicti est quod oportet residua aqua sua multoties imbuere ad incerandum congelatum, ad mundandum cõbustum, & ad colorẽ immutandũ, donec tota aqua fiat deorsum: imbue ergo ipsũ septies vice post vicem, emundans nigredinem, quosque diruatur & in terram vertatur, nam in quadraginta diebus totum vertitur in terram. Aperi & claude, solue & nota, extende & plica; ablue & desicca, hoc facito continue donec in quadrangulum vertatur & in rotundum. Modo ergo simili æs gubernatum resolues, quousq; fiat vt aqua, & vt verum argentũ viuũ: post hæc secundum consuetudinem coagula ad ignem, dicimus quidẽ coagula secundum consuetudinẽ, eo quod prius fuerit coagulatũ in siccum rubeum; ideo cũ siccũ fuerit, solue, quod ex illo fuerit solubile, quod vero nõ soluitur cõtinuẽ coque quousq; soluetur omni modo. Sic igitur iste ordo reiterando seruetur, quousq; illius maior seruetur quantitas, deinde coagula, & leniter assando in ignis temperamento conserua, quousq; illi maior ad illius exigentiam ignis administrari præstet. Omnes igitur hos ordines ꝑparationis super ipsum quatuor vicibus reiterabis, & vltimo calcina per modum suum figentem & calcinantem, quoniã sic preciosissimam lapidis terrã sufficienter administrãdo rexisti. & certe calcinare, nihil aliud est quã desiccare & in cinerem vertere;

ideo comburens ipsum absq; humore donec cinis fuerit, optime miscuisti, eo quod cinis ille spiritum recipit ac bibit, & suo imbuitur humore, donec in colorē vertatur pulcriorem quā prius fuerat. O q̃ preciosus est cinis! charissime hunc cinerem ne vili pendas, sed redde sibi iterum sudorem suū quem eiecit, quousq; totum vertatur deorsum; quoties n. cinis imbuitur toties per vices desiccatur, & seipsum inuicem cōtinet: quare oportet æs conterere, aqua vitæ pluries imbuere, & vice post vicem desiccare, quousq; totum biberit humorē. Iubeo ergo aquam viuam coagulare, corpori sui miscere, & coquere quousq; desiccetur, tunc enim inuenies totam aquam viuam à seipsa coagulatā, & in terra contentam, tunc corpori iungitur spiritus, aqua cineri, ac fœmina viro, quoniam quando æs conuenienter regitur, cum aqua pacificatur, & albo colore coloratur. Nota bene de ablutione corporis per spiritum. Dealbatio nostra fit decoctione & aquæ cōgelatione, & quanto pluries æs abluitur tanto intentioris efficitur albedinis. ideo philosophi decoquendo & Etheliam imbuendo & terendo frequētissime perceperunt. Si autem certi fuissent quod vna decoctio & vna contritio sibi sufficere potuissent, non toties sua dicta reiterassent, ideo ergo id fecerunt vt teratur cōtinue, & coquatur sine intermissione. Cōtere ergo, reitera, & ne tędeat hoc pluries reiterare; cum suo ære decoque nubem, ablue nigredinem aqua vitæ, assa latonem donec exiccetur & fiat corpus nouum, nā aqua vitæ gubernat, & omne corpus dealbat, vertens totum in suum colorem. Ille namq; fumus albus est, ideo cum illo dealbatur quicquid dealbari pręcipitur, quoniā natura naturam conuertit, illum ergo fumum suæ fæci admiscens, coque & tere multoties donec coaguletur, & a sua nigredine priuetur. Et certe aqua roris madidi ipsum abluit, quam dat descendens de cęlo tempore pluuię, penetrat & dealbat, ipsa enim aqua habitans in aere, consequitur terram sicut ferrum consequitur magnetem, inter eos sane est societas & libido, propter naturæ suæ propinquitatem: nam naturæ suis obuiantes naturis lætantur in eis. residuum ergo humorem impone coquendo continue donec coaguletur, & nimis dealbetur, scies pro certo si fuerit siccum, quod velociter bibit sui humoris residuum. Inspice ergo qualiter compositum potat aquam, & in vnoquoq; gradu coloribus alteratur, dum enim res quælibet igni superponitur, de colore ad colo-

colorem multiplicem natura operante transfertur. Nota de vnione spiritus & animæ cum corpore per quod figitur lapis. Spiritus ergo & anima non vniuntur cum corpore nisi in albo colore, quia quamdiu apparuerit nigredo obscura dominatur fœmina, & ipsa quidem est prior vis nostri lapidis, quoniam nisi fuerit nigrum non fiet album nec rubeum, rubeum enim ex nigro & albo est cōpositum: veruntamen calor temperatus in humido agens operatur nigredinem, desiccat humiditatem & tollit corruptionem; è contrario calor inualescens operatur rubedinem, humiditatē fugat, & generat causaturq; corruptionem: quare liquet quod si compositū plusquam oportet regatur, statim extinguitur nec fiet ex eo quod quæritur. Cauendum est ergo ne aqua per nimium ignē vertatur in fugam & fugiat, idcirco fit pugna aquæ & ignis prolixitate coquēdi, nam vt calore Solis aqua desiccatur, sic leni ignis decoctione aqua coagulata in terram continet seipsam contra ignis pugnam. Vincat ergo aqua pugnā ignis prolixitate coquendi, inspissandi & coagulandi seipsam, nam si eius naturam perfecte scires, vtiq; prolixitatem coquendi sustineres donec propositū inuenires, quoniam bonitas huius naturæ venerabilis, probatur in corporibus maxime, quod ꝓpter nullas exterminationis causas, se in partes suæ compositionis diuidi permittit, quia aut cum tota sui substantia ab igne recedit, aut cum tota in igne permanet stans, quare notatur in ea perfectionis causa necessario. Hic nota de regimine congelationis Mercurij cū Sole, quia dicitur ꝙ ipse sit aqua munda, & tinctura vera, cum patienter regitur ascēdendo & descēdendo donec coaguletur in album. Hanc igitur patiēter rege naturam, suauiter coagulando argentum viuū quod ex ære nostro pluit super ipsum, amaræ ascendunt nubes, & pluūt pluuię super terrā, quia omne corpus graue & densum semper ad suum labitur centrum. Argentum certe viuum ex ære nostro sublimatum ex quo omnia fiunt, est aqua munda & tinctura vera, quæ æris vmbram delet, ipsum similiter est sulphur albū, quod solum æs dealbat, quo spiritus continetur ne fugiat, illud tamen sulphur non poterat dealbare, nisi in priori opere esset dealbatum, eo quod solum sulphur æs dealbat, quare liquet quod tanta erit pulcritudo æris, quanta fuerit albedo sulphuris. Volens ergo ad veram peruenire tincturam. impone sibi paulatim humiditatem quā eiecit coquēdo assidue

donec colorem induerit pulcriorem, & quoties imbuitur toties per vices deficcetur, quousq; vertatur in albũ quod quæritur; nam inceratum cum deficcatur continet seipsum, & si vnum est fixum figitur & reliquum, & si fit album exterius album est & interius: ideo nõ desistas ipsum imbuere, coquere, & paulatim deficcare; donec toto suo imbuatur humore. Confice ipsum aqua permanẽte, & leni decoque igne donec nigredo pereat & recedat, imbue ipsũ cõtinue aqua vitæ, ꝑut videris eis sufficere apud visum, assa & coque donec totum bibit humorem. Scias quod purpureus color non tingitur nisi frigido, nec fit albus nisi sicco, nec rube⁹ nisi calido. Hoc igitur æs assando coque residuo suo humore donec seipsũ faciat germinare, deinde in Sole deficcando tere quousq; totũ vertatur deorsum. Venerare regem & suã vxorem, & noli eos cõburere, ne nimio fugiant calore, quoniã indiges patientia & longanimitate, q̃ regem & suam vxorem emendant in regimine: coque eos donec fiant nigri, deinde albi, postea rubei & tunc fit venenum tingens in aurum. Æs enim nostrũ primo quo magis coquitur magis soluitur, & fit aqua magis spiritualis; secundo quo magis coquitur magis inspissatur, & fit puluis albioris coloris; tertio quo magis coquitur magis coloratur, & fit tinctura maioris rubedinis, & tota hæc operatio nõ est nisi extractio aquæ à terra, & eiusdem super terram remissio. Igitur aqua tota exhausta & in terra contenta ꝑ quosdam dies id est per sexaginta, in suo vase super lenem ignẽ dimitte putrefieri, donec pretiosissimus ei color albus desuper appareat; sit autẽ color lenis vsq; ad albedinem, quia si calor intensus irrepserit vaporem nigrum facit & albũ fugit cõpositum, nam vapor ille albus est, igitur si figitur cũ ære dealbat ipsum intus & extra, si vero fugit ab ipso vertitur in rubeum quod non prodest. Et certe in putrefactione spiritus deficcantur in illo, quandoquidem nisi deficcentur cum ære non apparebũt colores animæ, quia putrefactio non est nisi mortificatio humidi cum sicco, humidum namque cum coagulatur per siccum, algor tum solum humidum putrefacit, sed nostra putrefactio nõ fit absq; humido & sicco, eo quod humiditas siccitate tantũ continetur. Quamvis autem humidũ frigidum naturaliter fugiat ignem, à corpore tamen retinetur quod fugere nequeat, quoniam nõ possunt grauia non nisi leuium consortio superius eleuari, nec leuia nisi grauiũ cõsortio detrudi

infe-

inferius,& vtrumque est initium operis & finis. Adsit ergo diligens administratio, absit incōtinens expectatio, reuertatur omnium declaratio & sic eueniet tua desideratio. Rege ergo operationē cōtinue, coque sine intermissione, noli festinare, nec ab opere cessare, quia nisi humiditas vteri & calor esset cōtinuus, sperma non maneret nec fœtus perageretur, nam moriente matre moritur & fœtus propter imminens frigus. Deus igitur illum sanguinem & calorē vteri cōstituit ad nutriendū fœtum vsq; ad tempus natiuitatis; sic oportet te continuo calore opus regere vsq; ad albedinem, nam in albo tātum colore spiritus vniuntur cum corpore ꝙ fugere non possint, quare incipit tunc viuere, nec sibi nocēt alieni flatus, ne deterius ad rubedinē possit procedere. Nota hic intime de nutritura per ignem suauē valde, circa quod sit calor ignis sicut ouorū sub vētre gallinarum. Balneum igitur intensi caloris perire facit, frigidum vero fugat, sed temperatū fouet & cōseruat, idcirco oportet suauiter regere sicut pro ouorum exclusione quousq; totum fuerit album: quare præcipitur dealbare latonem & rumpere libros ne corda rumpantur, terra autē cum aqua putrescit & mundatur, q̄ cum desiccata fuerit nigredo recedit & dealbatur. Tunc peribit tenebrosum mulieris dominium, & tunc vir ascendens sup mulierem aufert ipse regnum, tunc fumus penetrabit in corpus, & spiritus constringetur in sicco, tunc cessabit nigrum corrumpens deformatiuum & fiet album, lucidum, clarum; quia calor agens in humido generat primo nigredinem, sic agēs in sicco generat albedinem, & in albo citrinitatem: exemplum sit in ligno accenso cum faciūt eum carbonem, sic & lapidis nostri substantia, primo quo magis coquitur eo & magis soluitur & denigratur, secundo quo magis desiccatur eo & magis dealbatur, tertio quo magis coquitur tanto magis rubificatur quousq; perficiatur. Res ergo cuius caput est rubeum, pedes albi, oculi vero nigri est magisterium. Quod autem sit necessarium opus primo denigrari, probatur per hoc, quod generatio vnius nō fit nisi per corruptionē alterius, & corruptio nō fit nisi per putrefactionem & calorem in humido agentem, & calor agens in hnmido efficit nigredinem, quare liquet quod principium operis nostri est caput corui; ipsum similiter putrefieri est necessariū, quia nihil vnquā fuit natum, nec crescens, nec animatum, nisi primo in putredinem abierit. Si enim putridum nō fuerit, fundi non

poterit, neq; soluetur, si vero solutum non fuerit ad nihilum redigetur, liquet ergo quod necessaria est nobis putrefactio ad omnem generationẽ. nostra tamẽ putrefactio non est sordida neq; immunda, sed est cõmixtio terræ cum aqua, & aquę cum terra per minima donec totum fiat vnum corpus. Coque ergo masculum & vxorem simul quousq, vtrumq; coaguletur in siccum, quia nisi fuerit siccum, colores diuersi minime apparebunt, eo ꝙ erit semper nigrum dum humidũ dominatur. Ideo orificium vasis diligenter claudens, coque ad ignem donec totum ver atur deorsum, tũc fit draco alas suas comedẽs, & tunc diuersos emittit colores. Multis siquidem modis vicibusq; diuersis moueoitur de colore in colorem, donec ad firmam deueniat albedinem, nam omnes mundi colores apparebunt cum denigrans humiditas fuerit desiccata, verum de illis coloribus non cures, quoniam non sunt veri colores, nã pluries citrinescit & rubescit, pluriesq; desiccatur & liquescit ante veram albedinem. Spiritus tamen non figitur cum corcorpore nisi in albo colore; quare liquet quod dealbatio expectanda est semper, cũ ipsa sit totius operis complementum, nec variatur postea in colorẽ verum p̃terquam in rubeum. In vnoquoq; igitur gradu inspicias qualiter aqua coagulat seipsam, & quomodo de colore in colorẽ mutetur compositũ, quia si regatur nescienter suorum colorum nihil videbitur, & sic sæpissime deflebis laborẽ tuum, eo quod minime scire poteris in quo gradu moderandus sit ignis, qui sciri nequit nisi per colores in opere apparentes. Colores itaq; te docebunt quid facias de igne, ipsi nanq; ostendunt quanto tempore & quomodo ignis primus, secundus & tertius est faciẽdus, vnde si diligẽs fueris colores te docebunt quid fieri oporteat. Nota igitur bene de igne & suis proportionib. in suis gradibus, quia semper ignis in solutione & coagulatione erit lenis, in sublimatione mediocris, & in rubificatione fortis; verum quanto magis variantur colores, tanto magis ignis lenis est continuandus, donec ad metam deueniat albedinis: nã ad album non mittimus ignem multum, eo quod ipsum est frigidum, crudũ & semicoctum. Sit ergo ignis lenis in dealbando, vt figatur vapor cum suo corpore, alioqui si intenderis ignem, ante terminum fit rubeum quod non prodest, eo quod rubeum ex multo albo & paucissimo nigro cum calore magno est compositum. Si igitur ignem bene mensuraueris, & operationem

parte

parce rexeris, ad colorem album primo deuenies, & cum fuerit album, tunc ignem accendes fortiorem: affecto autem super ipsum subtus, & supra calorem siccum per spatiū aliquot dierum vt totum figatur deorsum, & nihil exaltationis spirit⁹ ascendat superius, ꝙ est signum perfectæ fixionis, tunc fugiēs non auolabit à non fugiente quamvis sit ignis æstuans; quia magnesia cū dealbatur spiritus fugere non permittit, nec æris vmbram apparere non vrentis, nam ipsum est sulphur fixum album quod omne corpus tingit & perficit ac in verum conuertit argentum. Vnde si fuerit argentum viuum purum coagulabit illud vis istius sulphuris albi in argentum, & illud est res optima q̃ recipere possunt operantes alchemiam, vt cōuertat illud in argentum, quia natura tunc continet naturam, & vero matrimonio copulantur ad inuicem. verum non est nisi vna sola natura, quæ in vnoq; gradu suarum operationum in aliam vertitur naturam, eo quod natura natura lętatur, natura naturam superat, & natura naturam continet; docens ipsam præliari contra ignem, nec sunt tunc diuersæ vt prius, verum est vna tantum natura, habens in se naturas & res oēs quibus sibi sufficit, ideo vno ordine incipitur opus & finitur. Duplex tamē modus compositionis, quia vnum est humidū, alterum vero siccum, cum autem coquuntur fiunt vnum, & vnum non dimittit alterum, & bene quidem, quia humidum faciliter impressionem suscipit & facilę dimittit, siccum vero grauiter impressionem recipit, & grauiter dimittit, ideo cum humidum & siccum contēperauerunt se ad inuicem, adipiscet siccum ab humido facilem impressionem, & acquiret humidum à sicco vt firmiter retineat impressionem omnē sustinēs ignem, vnde propter humidum prohibetur siccum à sua separatione, & propter siccum prohibetur humidū a sua fluxibilitate. Exemplū huius est opus figuli qui ligans terrā cum aqua coquit ad ignē vt vnum nō dimittat alterum: sic facito & magisterium nostrum, disponens substantiam terreā per humiditatem & caliditatem donec conueniant & coniungantur, & nō discrepent nec diuidantur. Nota ergo de duab. virtutib. operatiuis de aqua, scilicet & igne in quibus completur opus: tunc ergo adiunge eis duas virtutes operatiuas, aquam videlicet & ignem, & complebitur magisterium, quia si permiseris aquā solam, dealbabit, & si adiunxeris ignem rubificabit. Nota etiā bene quod opus album in tribus cōpletur rotis, in

quibus non est ignis; rubeum vero in quatuor, in quibus ignis minime differri potest. Album igitur tribus completur rotis in quibus non est ignis, rubeum vero quatuor rotatur rotis & hoc quidem elixir quod tingit tinctura sua, coniungitur oleo suo & figitur calce sua, & oleum quidem est coniungens & aggregans inter calcem & aquam, aqua tamen est deferens tincturam super calcem suã, & quãdo figitur calx figetur & aqua cum ea ꝓpter vehementiam commixtionis. Anima est vinculum spiritus sicut corpus est vinculum animę; nec est hoc vinculum sicut naturæ vinculum, sed velut compositum, quia compositio naturæ est per ingressum contrariorũ, & compositio nostra est per fixationem compositorum, & tunc corpus est causa retinendi aquã, & aqua oleum quod nõ incenditur super ignem, & oleum est causa tenendi tincturã, & tinctura est causa faciendi apparere colorẽ, & color est causa demonstrãdi albedinem, & albedo est causa retinendi omne volatile à fuga. Nã corpus cum dealbatum fuerit spiritus fugere non permittit, nec nigredinẽ vlterius apparere. Qui igitur non liquefacit & coagulat multipliciter errat, quare denigra terrã separãdo eius animã, postea fac reuerti aquã super terram dealbando totum & habes magisterium, nam qui terram denigrat, & albũ igne dissoluit & coagulat, donec fuerit in colore sicut gladius denudatus, & tenebris liberabitur, & qui dealbatione cõpleta animã inducit, totumq; post liquefactũ fuerit, & in rapido igne figit, felix dici merebitur & supra mundi circulos exaltari. Iam didicisti, charissime, album opus facere, nunc ergo rubeum facere scire té oportet, nisi tamen dealbaueris verum rubeum facere nequibis, quia nemo potest deuenire à primo ad tertium nisi prius fuerit in secundo. Sic de nigro nõ poteris deuenire ad citrinum nisi per album, eo quod citrinum ex multo albo & paucissimo nigro est compositum; quoniam sicut annus diuiditur in quatuor partes sic & opus nostrum benedictum: primum enim est hyems, tempus humidum & frigidum, secundum est ver, siccum & floridum, tertium est æstas tempus calidum, quartum est autumnus tẽpus fructuum. Hac dispositione tingentes rege naturas, donec naturæ fructum adferãt ad libitum: verũ hyems iam trãsiit imber abijt, nox recessit, dies autẽ appropinquauit: nã flores apparuerunt in terra nostra tẽpore veris, sed super albã rosam stantes Solẽ q̃rimus, quoniã ipsa tantũ sortitur effectum

cor-

pora queque ægra in verum conuertendi argentum. Cum igitur videris illam albedinem apparētem & in omnibus supereminentem, ratus esto quod rubor in illa albedine occultus est, & tunc non oportet illam albedinem extrahere, verum coquere quousque fiat rubeum. Et certe rubeum quo magis est rubeum, eo magis valet, & quod magis est coctum, magis est rubeum, ergo quod magis est coctum magis valet, & sic per consequens quod maxime, & iam maxime. Et certe color rubeus causatur solum ex complemento digestionis, nam sanguis non generatur in homine nisi prius diligenter coquatur in hepate: sic de mane cum nos videmus vrinā nostram albam scientes nos parum dormiuisse redimus ad lectum, somno autem recepto completur digestio, & vrina nostra citrinatur; sic per solam decoctionem post albedinem deuenies ad rubedinem, errare siquidem non poteris, si ignem siccum continuaueris super ipsum. Nonne vides quod sperma non generetur ex sanguine, nisi coquatur prius diligenter in hepate quousq; intensum habeat ruborem, & nisi ita fieret nihil ex illo generatur spermate. Similiter & æs nostrum album nisi diligenter coquatur non rubificatur, & certe solus calor hepatis rubificat chylum hepatis, & solus calor ignis accensus rubificat sulphur album, nam prima digestio stomachi omnia dealbat; secunda vero hepatis omnia rubificat, quia in solo hepate viget calor, sicut in stomacho viget siccitas. Igne igitur sicco & calcinatione sicca decoque siccū donec fiat vt cinabrium, id est purpureum, cui de cetero nequaquam impones aquam, nec aliam rem vsquequo ad completum decoquatur rubeum, nam tempore æstatis & fructuum inundatio pluuiarum corrumpit magisterium, quare oportet sicco igne ipsum comburere absque timore, donec rubicundissimo vestiatur colore. Noli ergo cessare quamvis rubor aliquantulū tardauerit apparere, nam igne augmentato post albedinem ex primis coloribus habebis rubedinem, medio tamen tempore inter illos colores apparebit citrinum, sed ille color non est stabilis, quia post illum non moratur rubeum venire, quo eueniente certus esto opus tuum esse completum, quoniā habebit tunc cōuertere mulierem in masculum, & omne incompletum in Solem verū. Quare dicit philosophus: Si fuerit sulphur mūdum optimum cum rubore clarum in se habens vim igneitatis simplicis & non vrentis, illud est res optima quā recipere possunt

operantes alchemiam, vt cum ea faciant aurum. Hoc enim argentum viuum omne corpus imperfectum conuertit in aurum, quare manifeste liquet, quod istud solum est verum sulphur nostrum album & rubeum quod quærimus, quo in quolibet corpore tingimus in verissimũ argentum melius quam de minera productum. Cum ergo duxeris vnamquamque speciem ex partibus operis, sicut ostendimus ea dirigere, tunc reduc spiritus ad illud & sublima totum, quoniam sublimabitur lucidum clarum impermixtibile elementis. Et illud quidem est vt accipias partem illius noti lapidis purissimam, & per ingeniorum subtilem coniunge modum per minima & leuetur totum, quod si non euenit addatur ei non fixæ partis quantitas, vt summa volatilis superet summam fixi, quousque ad eleuationem illius sufficiat. Nam vidimus in eis quibus vsi sumus experientiæ modis, quod quæ cum aqua commiscentur & vehementer permiscentur, si summa volatilis vincit summam fixi quod fixum volabit cum ea, igitur cum eleuatum fuerit reuertetur illius sublimatio, quousque per hanc sublimationis reiterationem figetur totum. Cum ergo fixum fuerit cum non fixo, iterato parce quantitatem post quantitatem, combibe per ingenium tibi notum quousque iterato leuetur totum, igitur iterato figitur totum quousque fusionem præstet facilem sicut cera: & hæc quidem est medicina stans, tingens, penetrans, consolidans, & perseuerans, cuius vna pars conuertit mille, cuiuscumque corporis in verissimum aurum vel argentum, secundum quod elixir album vel rubeum fuerit præparatum. Non autem dependet huius bonitas multiplicationis, nisi ex multiplicata reiteratione sublimationis & fixationis medicinæ huius, quoniam quanto huius complementi ordo reiteratur pluries, tanto & ipsius exuberantia multiplicatur magis, & augmentatur bonitas perfectionis illius maxime, quousque omne corpus à perfectione diminutum atque etiam argentum viuum mutet in infinitum Solificium vel Lunificium verum. Nam quoties more solito sublimaueris medicinam perfectam & solueris, toties lucraberis omni vice proijciendum vnum super decem, & si primo ceciderunt super mille, secundo cadet super decem millia, tertio super centum millia, & quarto super mille millia, ac quinto super infinitum. Quanto igitur elixir magis subtiliatur tanto plus tingit, ideo in quantum eleuaueris

tuum

tuum opus,in tantum plus valebit, quia abundantius operabitur & maiorem quantitatem conuertet, & hoc certe est quod dixit Geber,qui fuit magister magistrorũ in nostro magisterio, Operare cum lapide tuo & ego operabor cum meo, & plus valebit lapis meus quam tuus, quia si tu proieceris vnũ super mille,ego proiiciam vnum super decem millia,& erit totum bonum,si autem tu proieceris vnum super decem millia, ego proijciam vnum super decies mille millia, quare plus valebit lapis meus quam lapis tuus,quoniam in transmutatione multorum millium transcendit lapidem tuum, hoc autem non dicit Geber nisi vt nos seduceret, quia lapis noster & suus vnus & idem est,sed soluebat totum & sublimabat multoties, ita quod vnum de opere suo,transcenderit decem de nostro. Ideo quanto magis sublimatus fuerit, tanto magis conuertendi virtutem habebit, ergo & quod maxime maxime. Non ergo omittas elixir tuum subtiliare, & in quantum poteris alleuiare,& certe causa suæ velocis liquefactionis est suarum partium ab igne subtiliatio finalis, nam quidquid ex Mercurio in natura propria ad fixionem deductum magis subtiliatur,magis soluitur,ita quod & maxime maxime.Et ideo elixir completum ad ceræ modum citissimam dat fusionem,magis quam aliquod metallorum, ipsum enim est nisi ex purissima argenti viui substantia in fixionem deducta, & ex subtilissima materia & mundissima fixa, quæ ab argento viuo sumpsit originem,& ab illo est creata: & id ideo quia cum fugitiuum sit argentum viuum de facili absque inflammatione aliqua medicina eget,quę subito ante eius fugam illi in profundo adhęreat,& ei per minima coniungatur, illudque inspisset sua fixione & à fuga in igne conseruet,conuertens totum per suum beneficium in momento in Solem vel Lunam veram, secundum illud ad quod elixir fuerit præparatũ. Si ergo facilis non esset fusionis,non funderetur ante fugam Mercurij, nec retineret ipsum.Hoc igitur secretum nota.si autem de sua non esset natura, non adhæreret illi in profundo neque coniungeretur per minima,nam argentum viuum in se non recipit nisi quod suæ fuerit naturæ, neque aliud eum figet, & si mundissimum non esset, non conuerteret Mercurium neque cetera corpora in aurum & argentum, quia nihil dat quod non habet,cũ non inueniat in re q̃ in ea nõ fuerit ante. Liquet igitur

medici-

medicinam nostram necessario debere esse substantiæ subtilissimæ & purissimæ, adhærentis argento viuo ex natura sua, & facilime & tenuissimæ liquefactionis, ad modum aquæ fixæ super ignis pugnam, quia hæc ipsum coagulabit & in naturam Solarem vel Lunarem conuertet. Iam ergo nostram compleuimus medicinam, in caliditate & frigiditate, humiditate & siccitate æqualiter temperatam, vnde quicquid illi apponitur fit ejusdem cum eo complexionis cui apponitur, vt si aquam illi apposueris totum soluetur in aquam, si vero ignem totum erit ignis: & hæc est causa quare multiplicari potest medicina in infinitum. Propterea est sicut ignis in lignis, & sicut muscus in aromatibus bonis, eo magis crescens quo magis vsu fuerit conculcatus: quare oportet te partem relinquere omni tempore quoniam ditatus es ab illa, sicut qui habet ignem ditatus est ab ipso. Nota ergo intime de multiplicatione elixirij. Multiplicatur autem siue per solutionem, siue per fermentationem, sed per solutionem tardius, per fermentationem vero citius nostra augmentatur medicina, eo quod soluta non bene operatur nisi prius in suo figatur fermento. Abundantius tamen multo operatur medicina soluta quam fermentata, quoniam magis subtilis est, licet etiam per solam fermentationem possit multiplicari in infinitum, idque ideo quia fermentum reducit sibi appositum ad suam naturam, colorem, & saporem per omnem modum; nam confectionem dealbat, combustionem inhibet, tincturam continet, non fugitat, corpora leuiat, & se inuicem ingredi facit & coniungi, quod finis est operum, & sine illo elixir non peragitur, quemadmodum nec pasta absque fermento fermentatur. Idcirco cum elixir sublimando fixaueris, reducas super ipsum apparatum corpus & commisceatur ac liquefiat per secretum naturarum in vase philosophico, nam cum steterint per moram temporis vincet fortius illorum, conuertens totum in spiritum sibi similem, & ipse cum potens sit super vinculo non stat. Hic nota de desponsatione spiritus cum corpore à quo extrahebatur in principio suo. Coniunge ergo ipsum vt generet sibi simile corpus, nec coniungas eum cum quouis alio vt conuertat ad se, nisi cum eo de quo fuit in principio, si feceris hoc fiet elixir aliorum id quod fuerit coniunctum. Ratio autem quare debeat coniungi cum suo simili est, quia sulphura sulphuribus continentur, & humi-

& humida simili humiditate, nam spiritus cõuertens sulphura in spiritum sibi similem factus est vterque fugiens, & spiritus aerei in aera simul scandentes se diligunt. Videntes igitur philosophi quod illud non fugiebat cum fugientibus, fugiens factum iterauerunt ad simile corpus non fugiens, & intulerũt in id ipsum à quo fugere minime poterat, propter propinquam naturæ suæ conuenientiam. Nota ergo hoc esse verum de ingressione spiritus in corpus. Anima certe corpus suum citius ingreditur quam si in aliud mitteretur: quod si immittere studueris, in vanum laboraueris, quoniam non erit cõmunicatio tenebræ & lucis, ad corpus ergo simile corporibus ex quibus extracta sunt ipsa reuerterunt & peracta sunt. Quia si tingens & tingendum vna tinctura facta sunt, non putas ergo illud quod tingit & non fugit veram esse tincturam philosophorum? Quia autem sulpura tingunt & non fugiunt si simili argento viuo sui generis iuncta sint, ideo oportet ipsum admisceri argento viuo albo vel rubeo sui generis & continere ne fugiant, quare iubemus argentum viuum commiscere argento viuo, quousque vna munda aqua fiant ex duobus argentis viuis composita, verum in coniunctione eorundem pones parum de opere super multum de corpore, ita quod habeat potentiam conuertendi illud in medicinam, alias totum verteretur in spiritum sibi similem. Si autem proieceris parum operis super multum corporis, puta vnum super quatuor alterius fiet in aliqua mora temporis puluis, cuius calor erit albus vel rubeus, secundum quod fuerit fermentum super quod proiecisti, & hic quidem puluis elixir est completum. Et certe elixir debet esse puluis simplex, & de melioribus huius seculi, & corpus ac fermẽtum quod sibi misces debet esse puluis subtilis. Nota hic quod dicit vnum de opere super quatuor de corpore, & erit opus simul solutum per se & antequam sunt iungantur, quia non facies omnimodam eorum commixtionem, donec vnumquodque separatim soluatur in aquam, eo quod qui desiccat antequam imbuat non coniungit per minima, nec omnino subtiliat, plenius quippe est separare vnum à terra quam ab aqua. Nota igitur quod quando corpus solutum fuerit in aqua, quod nunquam disiungitur ab aqua sua, sed quando aqua miscetur cum aqua, tunc aqua recipit aquã quæ nunquam separantur ab inuicem. Ideo si fueris hydropicus bibe multũ de dicto isto & sanaberis.

Nota

Nota de croco & de multiplicatione medicinæ. Vnaquæque tinctura in millesima parte plus tinget in liquida substantia quam in sicca, vt patet de croco cum ponitur in liquoribus, si in siccis proiiceretur parum tingeret, sed si solutus cum pauco iungatur, & hoc paucum cum multo tinget in infinitum. Sic ergo facies proiectionem, primo multiplica decem in decem, & erunt centum, & centum in centum, & erunt milla decem, & decem millia in decem millia, & erunt centum millia, & mille millia in mille millia, & erit numerus innumerabilis hoc est dicere, pone vnum super decem, & vnum eorum super centum, & vnum eorum super mille & sic de ceteris similiter. Iterum secundum alterum philosophum, pone partem vnam super decem metalli præparati, & huius vnam partem super centum, & conuertetur conuersione fixa atque durabili, si Deus voluerit. Si autem vna vice & prima pones vnam partem super mille partes, timendum esset ne pre nimio calore consumeretur & exhalaret antequam penetrasset & confectum esset, cum autem ponis vnam super decem, cito penetrat & miscetur, vnde non est necesse fortificare ignem, neque continuare, sed cito debet deponi: cum autem infrigidatum est, iam illud se tenet cum illo & adhæret ei propter conuenientiam naturæ, quare si dehinc partem vnam super centum proijcias, retinetur substantia lapidis ab eo cui mixtum est, adhærens ei donec totum transmutauerit. Cum oleis ergo misce argentum viuum præparatum, non quod sit materia omnium metallorum, sicut quidam affirmant & multi putant, sed quod per frigiditatem teneat medicinam super ignem donec misceatur ne exhalet, custodi ergo illud & eris fortunatus in terra. Causa autem eorum omnium est triplex, bonitas, necessitas, & perfectio, bonitatis causa vt perfectius & abundantius tingat, vt in melius perficiat, & plurima conuertat; necessitatis causa vt melius coloretur, vt melius figatur, vt sibi simile generet aurum vel argentum; perfectionis autem numerus perfectus est denarius, centenarius & millenus. Ideo de primo ad vltimum facies proiectionem, nam si ita paruus simpliciter dimicaret contra ita magnum superaretur ab eo propter sui paucitatem. Nota in sequenti de fundamentis medicinæ. Omnia medicinæ nostræ fundamenta sunt multum subtilianda & tingenda, q. a quãto plus subtiliantur tãto plus elixir tingitur,

tan-

tantoque abundantius operatur, ergo & quod maxime. Ideo ad solutionem pone solutionem, & solutioni immitte defunctionem, & pones totum ad ignem, custodi fumum præcauens ne fugiat aliquid ex illo. Regimen autem totum est in temperie ignis, itaque morare prope vas & intuere mira, quomodo mouebitur de colore in colorem in minus quam in hora diei, quousque perueniat ad metam albedinis vel ialoris, id est citrinitatis, quoniam citissime liquefiet in igne, & congelabitur in aere, quia fumus cum senserit ignem, penetrabit in corpus, & spiritus constringetur in sicco, eritque corpus vnum fixum clarum, album vel rubeum secundum quod fuerit medicina & fermentum. Tunc de igne deme dimittens refrigerari, quia vnum ipsius pondus proiectum super mille, cuiusvis corporis imperf. cti habet illud conuertere in optimum aurum vel argentum, secundum elixir quod fuerit proiectum. Verum medicina alba, album exigit fermentum, sicut rubea, rubeum, quia in opere rubeo nihil intrabit nisi rubeum, sicut in opere albo nihil intrabit nisi album: ideo quod facis in albo, fac & in rubeo quia vna & eadem est operatio amborum, sed complificans tincturarum & spirituum est illorum fermentum. hinc liquet quod qui argentum viuum album ignem patiens & argento mero, id est puro non coniungit, nullam elegit viam ad albedinem, qui vero argentum viuum rubeum ignem sustinens non coniungit, auro mero, id est puro, nullam viam elegit ad rubedinem. Non ergo fatiget corpus suum in his ad quæ peruenire non poterit, quia nec sibi, nec alteri, nec mundo proderit, donec maior in sublimi naturæ mobili quieuerit in incorruptum quasi non corruptum. Nunc totius operis recapitulationem subnectimus. Quia igitur nimius sermo intellectum mentis obruit & errores augmentat, ideo sub breuitate sermonis totum huius complementum operis narremus. Et est, vt sumatur lapis sufficienter notus, & cum operis instantia assiduetur super ipsum perfectio sublimationis, vt mūdetur per hoc intime, & subtilietur lapis donec in vltimam subtilitatis puritatem deueniat, & vltimo volatilis fiat, & hic quidem est primus gradus administrationis. Ab hinc vero cum fixionis modis figatur donec in ignis asperitate quiescat: fit autem opus Lunæ nimis album, opus vero Solis nimis rubeum, quia album est opus hyemis, & rubeum æstatis, ideo maiori par-

tium

tium ſublimatione indiget, per modos proprios in maiori decoctione digeſtos, donec rubicundiſſimum aſſumat colorem, & in hoc vno ſecundi gradus perfectionis meta conſiſtit. Sed in tertio gradu eſt totius operis complementum, & eſt vt iam fixum lapidem cum modis ſublimationis volatilem facias, & volatilem fixum, & fixum ſolutum, & ſolutum iterato fixum quouſque fluat & alteret in complemento Solifico vel Lunifico certo, quoniam ex reiteratione præparationis huius tertij gradus, in medicinam reſultat alterationis ac bonitatis multiplicatio, vt vnumquodque imperfectorum corporum conuertat in infinitum, in Solem vel Lunam veram. Præterea etiam virtutem habet efficacem omnem ſanandi infirmitatem ſuper omnes alias medicinas, nam lætificat animum, virtutem augmentat, conſeruat iuuentutem, & renouat ſenectutem, quoniam non permittit ſanguinem putreſieri, neque phlegma dominari, neque choleram aduri, nec melancholiam ſuperexaltari, imo ſanguinem ſupra modum multiplicat, contenta in ſpiritualibus purgat, & omnia corporis membra conſeruat, & generaliter tam calidas quam frigidas citiſſime curat infirmitates præ omnibus medicinis. Quoniam ſi ęgritudo fuerit vnius menſis, eam vno ſanat die, & ſi vnius anni, ſanat diebus duodecim, ſi vero antiquior & multi temporis, ſanabit vno menſe, & omnes malos expellet humores, bonoſque inducet. Confert & amorem eorum quibus offertur. Deferentibus ſecuritatem, audaciam, & in palatijs victoriam. In hoc completur ſecretum ſecretorum naturæ maximum, quod eſt ſuper omne huius mundi pretioſum pretioſiſſimum.

TRACTATVS SEXTVS
cui titulus,
PARVVS TRACTATVS DE MERCVRIO PHILOSOPHICO.

SCias quod Mercurius philoſophorum de duobus plumbis, facit magnas operationes, videlicet pondus vnum ſuper ſexaginta, & quum extinguitur & in puluerem conuertitur facit nobiliores operationes, & præcipue ſuper Mercurium fugitiuum ſcilicet ſuper ducentas, & conuertitur in puram Lunam. Et ſi puluis fuerit rubificatus conuertit Mercurium

curium in purum Solem, & omnia metalla. Scias quod cum anima iungitur corpori, corpus cito consumitur & mutatur in formam aliam quam prius erat, quia in prima sublimatione corpus erit nigrum, in 2. magis lucidum, in 3. plus, & sic vsque ad 15. vices, soluendo & congelando: & in qualibet congelatione caue ne corpus sentiat aliquid de sale, & tunc laua iterum & iterum. Si lapis noster dealbatus est, dealbat; si tinctus est tingit, ipse habet spiritum & animam, & ipse etiam seipsum rubificat, ac seipsum interficit & seipsum viuificat, & non est res mirabilior in hoc mundo, propterea philosophi honorauerunt ipsum & quando dealbatus est, dealbat omnia corpora, & ducit ea ad temperamentum, & spiritus spiritum retinet. Scias hoc quod lapis noster est de re animata, ipse enim mollia indurat, & omnia dura mollificat, ipse fundit crystallum & similiter colorat ipsum, & omnia corpora reducit primo in Lunam, & postea in Solem. Scias quod de omni re potest fieri sal, postea de ipso sale fit Mercurius per operationes diuersas. solue & cōgela & fac quamlibet speciem cum sua specie, & omne genus cum suo genere & gaudebis, natura enim cum sua natura delectatur. Scias quod oleum septies destillatum reddit Mercurium in puram Lunam quod ita fit: pone Mercurium in aliqua testa vitreata super ignem, quod sit bene calidus, & post pone de puluere tuo & fundetur. Scias etiam quod lapis ter solutus & rursum coagulatus, rectificat arsenicum, sulphur & Mercurium. Scias quod cū sulphur ter solutum est soluit omnia & quicquid vult in vna hora, & scias quod multa secreta sunt in sulphure viuo. Nota quod des idem pondus suę animæ & suo corpori in solutione & coagulatione, donec sit fixum & sit puluis & non fumet; & hæc est melior probatio omnium, quum corpus non fumat, idque pro certo teneas. Scias quod Græci multum laudauerunt opus quatuor spirituum; & dicebant esse verissimum elixir, vnum pōdus super centum. Scias quod quodlibet elementum debet seruari per se in regimine lapidis, scilicet aqua, oleum, ignis & terra, & quū omnia ista insimul coniunguntur resultat inde quædam res temperata, quę facit operationes diuersas in corporibus imperfectis, & similiter in corpore humano de quo non est dubium.

Finis tractatus parui de Mercurio Philosophico.

TRACTATVS SEPTIMVS, BREVIS SED NON LEVIS DE DE LAPIDE PHILOSOPHICO.

REuolui lapidem, & ſedebam ſuper ipſum. In puteum pœnæ detrudatur qui potenti vel fatuo iſtud reuelauerit: ego autē id reuelo bonis, quia vidi multos in laborē perire, quia non poterāt ad ſcientiā artis peruenire. In nomine domini ſume Alkabrick, & humorē humanum de ſana vena & miſce æqualiter, & extrahe aquā per fumū, poſtea aerē per ignē, vltimo fæces cōbure, calcina, & miſcē æqualiter cū vrina pueri & extrahe ſalem, & habes oēs lapides de quibus philoſophi experti ſunt, tingunt enim mirabiliter: & coquunt vt natura ignis plus facere non queat. Item iſtud ſal reſiſtit Mercurio, cum imbibitur & deſiccatur cum primo lapide, & ſic fit fixi corporis vnio ſupra firmam petram. Non videat faciem Dei qui potenti vel fatuo iſtud reuelauerit.

(***)

Finis breuis Tractatus & Vltimi.

SECRE-

SECRETVM NOBILISSIMVM ET VERISSIMVM

Venerabilis Viri, Domini Iodoci Greveri Presbyteri.

IN honorem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & beatæ matris Mariæ semper virginis, nec non in consolationem piorum, alleuigationem pauperum, & directionem philosophantium, Lapidem secretissimum priscorum Philosophorum, multo cum errore, sumptu, labore, ac etiam vitæ dispendio quærentium, ego Iodocus Greuerus Presbyter & Philosophorum minim⁹, nihil de Diuina desperans gratia & misericordia, ipsius Dei munitus adiutorio, aggredior describere: opus pulchrum & perfectum; verum, non mutilatum, nec verborum ambiguitate obscuratum; quod mihi ex immensa sua bonitate is tribuit, qui solus habet potestatem dandi & adimendi artem hanc secretissimam cui vult. Vt igitur gloria ipsius qui tantam mihi indigno peccatori gratiam contulit, per me apud eos in omnem posteritatem innotescat & celebretur, quos ad abscondita Philosophiæ huius admirabilis mysteria vocauit atque etiam elegit; plana oratione, vera, & tamen Philosophorum rationi & consuetudini quæ respondeat, sine omni studiosa occultatione, rem omnem ordine & clare apetiam. Sat enim scio, neminem hæc sibi posse vsurpare, nisi eum cui Deus ipse contulerit, qui solus & obscuritatem horum mysteriorum illuminat, vel claritatem offuscat; vt neque planissima quis intelligat, nisi ab ipso illuminatus fuerit; neque obscurissima quæque consequatur, si ad ipso illustra non fuerint. Adiuro autem te quicunque hoc meum scriptum habueris, ne ipsum indignis, vel auaris, nec ipsis communices qui id ad proximorum suorum incommoda, vel etiam oppressionem conferrent, quales sunt homines tyranni, iniusti, adulteri, molles, & quorũ venter sibi Deus est. Spem igitur tuam in Domino Deo omnium creatore colloca, & operare cum timore eius, ad proximi vtilitatem secundũ mea scripta, expectans benedictionem à Domino cælitus. In primis scias, charissime, quod ars nostra imitatio est naturæ: & quem-

quemadmodum natura per ſe producit arbores & plantas, quas deinde hortulanus multiplicat, ſeminando illarum ſemina, aut inſerendo earum ſurculos; ita natura in terra mõtiumque profundis generat metalla, vt aurum & argentum, quæ artifex multiplicat inſerendo aut ſeminando ea in terram debitam, aut truncum idoneum. Sciendum igitur eſt tibi ante omnia, quæ ſint ſemina auri & argenti, qui trunci, quæve terra. Dicimus ergo quod Sol & Luna in ſe habent ſua ſemina; quodque Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, ſunt trunci; terra vero horum omnium eſt Mercurius, atque hoc pro fundamento ſtabili habeatur, ad quod omnem tuam dirigas intentionem, accommodando ſimilitudinem vnius ad alterius naturam & conuenientiam: ſiquidem & nobis auctor naturæ Deus per huiusmodi contemplationem huius Philoſophiæ partem conceſſit intelligendam & perficiendam; quam nos hoc ſcripto dignis & electis communicamus, vt & ego & mecum alij plures ipſi Deo gloriam & laudes, cum debita gratiarum actione perpetuas offeramus. Vt igitur Philoſophi cõſueti ſunt naturæ contemplantes operationes, Lapidis ſimilitudines, ab animalibus, plantis, arboribus, ouis, fœtibus, maris & fæminæ commixtione, infinitiſque propemodum alijs eius generis petere, ita nos quoque ad aliquam ſternendam viam, ad clariorem huius particularis operis intelligentiam, naturæ ipſius veſtigiis inſiſtemus, accommodationesque legitimas & neceſſarias ab ea deſumemus. Etſi autem hoc opus ſit particulare, tamen in eo gradu veritatis eſt, vt ſi quis penitius cauſas rerum introſpiciat, animaduertat vtique Lapidi magno triumphali proximum eſſe, certitudine, veritate & potentia. Quæ vero ſit illa materia ex qua principia huius operis deſumenda ſunt, iam prudentibus in ſupradicta ſimilitudine oſtendimus: & vt porro melius ob oculos proponamus, dicimus, quod quemadmodum ex homine homo, ex aſino aſinus, ex ouo gallinæ gallina, ex frumento frumentum generatur & prouenit, ita ex omni ſimili fit ſuum ſimile, ex auro quidem aurum, ex argento argẽtum. Hinc igitnr quam tu materiam accipere & tractare in hoc opere debeas intelligis: vbi id te quoque ſcire conuenit, non ex quouis homine hominem, nec ex quouis cane canẽ, neque ex quauis herba ſuæ ſpeciei herbam, ſemper produci: quandoquidem neque puer duodecim annorum, neque

ægritudine languens homo vtriusq; sexus hominem ex mutuo coitu procreabunt, itidem nec catulus canem, nec pullulans herba aut putrida herbam: sed homo quidem maturus & bene sanus, cum muliere similiter matura & bene valente fœtum generabunt hominis;& animalia cætera itidem in sua specie; & herbarum maturarum semina æque matura. Quapropter dicimus, quod sicut agricolæ semina frugum, herbarum, arborumque diligenter seligunt,& non nisi matura accipiunt, itidemque etiam surculos pro insitione integerrimos deputant ab arboribus; sic tibi etiam in huius operis negotio faciendum esse iudicabis. Nõ enim in hoc opus ingreditur aurum vulgi,nec Mercurius vulgi, nec argentum vulgi,nec quiduis aliud vulgare,sed Philosophorum:cuius dicti quæ sit sententia, ex supradictis non obscure patet. Quod autem dictum est de seminibus, idem & de terra dicẽdum est; non omnem scilicet terram idoneam esse ad producendũ has vel illas plantas.quod ipsum etiam diuinus Maro in Georgicis monuit, & nos ab agricolis & hortulanis semper obseruari videmus. Dispiciendum igitur tibi erit, charissime, quænam terra sit idonea ad suscipienda Solis vel Lunæ semina, ne si ineptam elegeris, tam semina quam labores & sumptus misere amittas. Eligenda sunt itaque, & semina & terra magno iudicio: electa autem terra excolenda est per omnia; sicut & terra agrorum, hortorumque, aratione, aut fossione, stercoratione, occatione, irrigatione, & id genus alijs modis excolitur. Hanc seminum terræque delectionem & culturam appellant Geber & artifices huius diuini operis Præparationem, sine qua neque Sol Philosophorum, neque Luna, neque terra haberi possunt, neq; vllus ad penetralia tantæ artis aditus patet. Nam aurum quidem vulgi vt plurimum impurum est, mixtioneque aliorum metallorum contaminatum,ęgrum,morbidum, & ob id etiam sterile; & argentum similiter, cum contra Sol & Luna Philosophorũ sint purissima, nullius mixturæ peregrinæ interuentu conspurcata, sana, valentia, & genitali semine abundantia. Terra quoque vulgaris inculta inarataque est: at terra Philosophorũ tauris ignem spirantibus, vt in aurei velleris fabula docetur,exculta est. Accipe itaque tu,charissime, verborum meorum legitimum sensum, & intellige, quia Philosophi similes sunt hortulanis & agricolis, qui primum

quidem ſemina deligunt, & delecta non in vulgarem terram, ſed in excultos agros, aut hortorum iugera ſeminant, ſeminata tandem calori Solis, cęlique ac terrę benignitati committunt, expectantes debitum idoneo tempore fructū. Non diſſimili vtique ratione Philoſophi quoque antequam opus incipiant, acceptum in manibus aurum & argentum vulgi dijudicare debent, num ſanum ſit vel ægrum: ac ſi ægrum eſſe compererint, ad ſanitatem debitam conueniente medicina reducant, quæ eſt ipſa pręparatio. Hoc aurum ita medicatum, ſanum & purificatum, Sol Philoſophorum eſt: atque idem quoque de Luna ſentiendum. Habito autem Sole & Luna Philoſophorum tanquam ſemine bono, terra ipſa ab omnibus ſuis immunditijs, & herbis inutilibus expurganda eſt, & diligenti cultura elaboranda, in eamque ſic elaboratam Solis & Lunæ prædicta ſemina mittenda ſunt, ac continuo calori, cælique & terræ benigitati committenda, neque ante legitimum tempus eruenda radicitus; ſed expectandi ſunt fructus maturi, poſt folia & flores. Vnde iam ſatis apparet, quod etſi Philoſophus accipiat aurum, argentum, & Mercurium vulgi; tamen in hoc opus nō immittit ea antequam ab humo vulgari ad gradum phyſicum extollat. Quidam vero hæc magnis obſcuritatibus inuoluentes, dubitationes non minimas Philoſophantium animis iniecerunt, quas vt tu omnes diſſoluere valeas, hāc generalem quam damus regulam ſemper obſerua: videlicet quod in opus phyſicum nihil intrat abſque legitima præparatione, cuius virtus ea eſt, vt vulgaria faciat phyſica. Nihil itaque immundum, nihil ægrum, nihil incultū in opus noſtrū ingreditur; licet ante opus ipſum accipiamus immunda, ægra & inculta. Ex quo vtique apparet, quodnam ſit Philoſophi officium, & quodnam ipſius naturæ, cui Philoſophus famulatur. Eſt enim Philoſophi accipere materiam à natura datam, & eam modo debito præparare; terram quoque debitam eligere & excolere; poſt in eam mittere ſemina, & calorem aptum continuum ſubminiſtrare. Naturæ autem eſt in terram ſemina miſſa putrificare & diſſoluere, radices agere, ſiccum terræ attrahere, frondes, folia, flores, ſucceſſiue producere, fructum concipere, perficere & maturare: in hoc termino natura quieſcit, nec vltra procedit, niſi à Philoſopho moueatur, qui progreſſum naturę non in fallacibus opinio-

opinionibus, ſed certis ſignis recte agnoſcere debet. Cum ergo viderit fructum exacte maturum, nihil illi cunctandum erit; ſed colligenda ſunt matura, fructus, ſemina, remotis ſi quæ adſunt ſuperfluis; ac ſtatim nova excolenda terra eſt, in quam bene cultam ſua immittat ſemina, ac rurſus vt ante calori exponat continuo, in quo natura ipſa, iterum ad ſuum rediens officium, opus abſoluat, & paulatim quotannis fructum ſeminaque multiplicabit. Iam vero & illud ex hac contemplatione ſuboritur modo perpendendum, diuerſa eſſe temporum interualla quibus rerum naturalium generationes abſoluuntur: nam plantæ quidem anniuerſarium habẽt pullulationẽ & maturitatẽ fere; arbores ad quintum ſextumve annum maturantur; animalia quædam citius, quædam tardius, ad generandi maturitatem veniunt. Sic & metalla alia alijs citius tardiusve maturantur. Porro quemadmodum agricolas videmus ſemina occatione obruere & concludere ſurculos vero truncis inſertos cera vel argilla obligare; quæ non ſunt de natura arboris, ſed ſunt media & adiuuantia, vt ſuccus trunci nõ alio quam in inſertum ſurculum feratur: ita etiam in hoc opere aptanda eſt quædam cera ſeu argilla, quę ſuccum terrę exhalare alio non permittat, ſed intus contineat, hæc autem cera alligari ſolet panniculo obducto ab agricolis, ne pluuiarum ventorumve impetu, ad debitam vſque inſerti ſurculi coniunctionem, à trunco deijciatur. Hinc itaque operationi noſtræ talem ex rebus quotidie ab oculos verſantibus ſimilitudinem attulimus; quam ſi quis diligenter conſiderat, erroribus pluribus facile liberabitur, & operis noſtri finem conſequetur optatum. Sed ne longiores ſimus, iam praxim ipſam ordine ſubijciemus: ac primum quidem dicemus de inſtrumentis & materijs ad hoc opus requiſitis; poſtea de præparationibus; deinde de modo ſeminandi, & maturandi; vltimo de reiteratione ſeminationis, quæ operis eſt complementum.

Inſtrumenta huius operis.

SVnt itaque inſtrumenta ad opus hocce noſtrum requiſita hæc quæ ſequuntur .1. furnus ſublimationis; 2. furnus digeſtionis, qui & athanor, & cinerum vel arenæ dici poteſt; 3. capella, vel olla pro cineribus aut arena; 4. cineres vel arena cribrata; 5. olla ſublimatoria; 6. aludelia parua ſubli-

matoria numero sex vel septem; 7. argilla cum fimo equino conquassata; 8. ferrum oblongum curuum in altero fine spatulare; 9. follis; 10. forceps pro carbonibus ignitis; 11. carbones; 12. bocia cucurbita vitrea; 13. crusibula aliquot; 14. capellæ, vel testæ ex cineribus ossium; 15. incus; 16. malleus. Materialia autem sunt, plumbum, antimonium, aurum, argentum, æs, argentum viuum. Item cera flaua, vitriolum, sal nitrum, alumen, calx viua, æs vitrum, vrinale cum spatula lignea. Atque ita totus instrumentorum & materialium numerus quater septenario comprehenditur, quod non caret mysterio. Furnus autem athanor est idem fere cum furno sublimationis, nisi quod imponitur illi capella cum cineribus vel arena, in qua collocatur bocia vitrea cum materia, & desuper clauditur cum alia capella vacua, ita vt nec ventus nec aer vitrum tangat.

Præparationes materialium; & primo auri.

AVrum igitur pro opere hoc elige nouum, quod non in multis laboribus aurificum fuit, sed recens de minera venit, nec multos ignes expertum est, coloris optimi ad carattos 24. vel iuxta: atque in hoc genere optimum est, quod suapte natura rude in frustulis reperitur in ipsa terra excoctum & quasi colliquatum. quod si tale habere potes, nulla alia præparatione pro hoc opere indiges, quam quod in laminas subtilissimas malleando diducas; atque idem de argento dictum existimes. Si vero tale habere non possis, accipe aurum florenorum Hungaricorum, & purga vel fac purgari fundendo per antimonium in regulum, quemadmodum faciunt artifices qui aurum foliatum elaborat; nam antimonium habet proprietatem aurum ab omni superfluitate purificandi. Verum si forte per antimonium purificationem non nosses, potes in cæmento per 24. horas cumburere, & postea in corpus reducere, & mallcare in laminas tenuissimas. Sed ne nos mancum opus tibi tradamus, modum purificandi auri per antimonium tibi describemus, qui est talis: ℞. auri vnciam vnam, vel quantum sane voles, antimonij quintuplum respectu auri; pone aurum cum antimonio in crusibulo, & positum inter carbones ardentes permitte fluere per horam vnam vel dimidiam; tunc habeas instrumen-

ſtrumentum ferreum vel æneum iuſtar pyramidis ab interiori parte excauatum, quod ſit intus planiſſimum & calefactum ad ignem, inunge intus cum ſepo vel candela; & poſtea acceptum aurum cum antimonio ex igne, funde de cruſibulo in hoc infuſorium, & percutiendo leuiter fundum infuſorij vt aurum decidat ſeorſim, tunc permitte ita infrigidari; poſt inuertas infuſorium, & extrahe maſſam pyramidalem ex infuſorio, cuius apex habet regulum auri, quem ſeparato à reliqua maſſa, percutiendo iuxta ipſius apicem, & ſerua regulum auri ad partem. Maſſam vero antimonij recipe, & appone ipſi tertiam ſui ponderis partem de novo antimonio, & iterum in cruſibulo liquefac, & effunde iterum in infuſorium, ac ſeparabis & hac vice regulum, ſi quis fuerit, quem coniunges cum priori regulo ſeorſim. Potes autem & tertio reiterare, ſi opus eſſe videbitur, quod cognoſces ex magnitudine ſecundi reguli; vel ſic relinquere, ſi exiguus ſecundæ fuſionis fuerit regulus: hoc igitur ſerua ad partem, & cum regulis procede hoc modo: Accipe fruſtum tegulæ laterinæ teſtaceæ, quales in templorum antiquarumque turrium tectis haberi ſolent, & fac in eo foueam paruam, tuis regulis competentem, quod pone in ſicco & circumpone carbones, ponendo regulos in foueam eius; tunc accende carbones, & permitte antimonium per fumum à regulis tuis exhalare; ceſſante autem fumo cooperi diligenter cum carbonibus, & ſuffla tandem cum folle deſuper donec nullam maculã nec pelliculam ſuper tuo auro videbis, ſed quod erit pulchrum, quaſi gramen vireſcens in igne: & hoc ſolet poſt duas vel tres horas fieri. atque tunc exemptum aurum vna cum lateris fruſto in quo purgatum eſt in vrina clara extingue, & ſic habebis aurum perfecte mundatum, quod aptum eſt pro opere noſtro, vt fiant ex eo laminæ ſubtiliſſimæ per malleationem, quę inuolutæ in charta ſeruentur ad tempus idoneum. Cæterum ſi vel in apothecis, vel apud pictores, inueneris aurum finum foliatum in quantitate ſufficienti, poteris illud pro auro puro vſurpare, nulla alia præparatione adhibita. Idem & de argento foliato intellige, ſi illud purum apud eoſdem inueneris; ſin minus, purifica hoc quo ſequitur modo.

Argenti præparatio.

ARgentum, perinde vt aurum, id melius est quod recens de minera venit, vel quod nō multoties per artifices laboratum est, sed tantum capellatum cum Saturno in testa vel capella. Si autem tale non habueris, accipe argentum id quod habes; & si suspicaris adesse illi cuprum, vel aliam immunditiem admixtam, purifica in cineritio cum duplo vel triplo sui ponderis plumbi nigri, donec sit ab omni impuritate mundatum, tunc facies ex eo laminas subtilissimas, & in charta munda serua purissime vsque ad suum tempus.

Argenti Viui præparatio.

ARgentum igitur viuum eligere debes, quod non ex plumbo vel aliquo metallo confectum sit per artificium, sed quod ex sua propria minera venit, vt ex cynobrio montano; vel ex marcasitis. Tale autem argentum viuum præparabis pro hoc opere in hunc modum: Accipe de eo libram vnam, de vitriolo vncias tres, de sale nitro vncias duas, de alumine iameni vncias duas, de calce viua vncias tres, de cera flaua libram vnam; tere vitriolum, sal nitrum, alumen & calcem viuam in mortario, & misce. Postea impone ceram in vitreum vrinale cuius fundus sit lutatus cum argilla fimo equino permixta & simul taminata, & collocetur vrinale super furnellum in capellam arenam continentem, & subijciatur ignis initio lentus, ne vitrum ex repentino calore rumpatur, donec cera in vitro fluat: interea argentum viuum agita in patella vitrea vel vitreata, cum prædictis speciebus, optime miscendo, affuso pauco aceto de vino forti: & cum cera in vrinali liquefacta fuerit, imponatur sensim argentum viuum cum prædictis pulueribus permixtum, & coquatur mediocri igne in cera illa per tres horas, semper agitando & versando cum spatula lignea. Elapsis vero tribus horis permitte infrigidari in vrinali, & cum virgula munda imprime foramen in ceram antequam induretur, & sic serua tuum Mercurium optime preparatum pro hoc opere, aptum videlicet in quem Sol & Luna seminentur.

Antimo-

Antimonij præparatio; quod est medium coniunctiuum.

ANtimonium, quod in hoc opus tanquam ligamentum duorum ingreditur, præparabis per sublimationem hoc modo: Accipe de eo libram vnam, & tere in puluerem in mortario, quem pone in ollam sublimatoriam, & superpone aludel cum foramine laterali, quod aludel vtrimque apertum esse debet tam à parte latiore quam ab angustiore, sicut etiam reliqua aludelia; deinde iuncturas argilla tenaci cum fimo equino mixta communias; & sic ordine omnia sex aludelia inuicem cōiungito, ita vt angustior inferioris pars, latiorem superioris partem subintret, iuncturis vbiq; firmiter lutatis. Supremum autem aludel cæteris minus foramen habere debet, vtpote digiti grossitie, non latius; quod ligno arido ipsi optime conuenienti obturandum est. quo facto siccatis iuncturis, ponatur turris hęc sublimatoria in suum furnum, & firmetur luto tenaci, ne huc atque illuc vacillet, relictis in circuitū foraminibus quatuor, per quæ furnus à fumositatibus liberetur. tunc succendantur carbones in furno, & successiue augeatur ignis, donec antimonij puluis liquefiat: quod cognosces certo argumento si ferrum spatulare obliquum immiseris in ollam sublimatoriam per laterale foramen infimi aludelis. Cum igitur senseris liquatum in olla antimonij puluerem, tunc incessanter versato & moueto antimonium ferro illo tuo spatulari, dando ignem fortem subtus, adeo vt fundus ollæ sublimatoriæ quæ est in furnello totus candescat: sicque continuabis ignem & versationem antimonij continue donec senseris antimonium totum esse sublimatum, nec amplius ascendere. Poteris autem huius rei certior fieri, si ligneam supremi aludelis clausuram aperiens, nullum ex eo foramine fumum exhalare conspexeris: tunc sensim cessa ab igne, & caute circumpone iuncturæ aludelis infimi telam humidam, & cum iunctura humiditatem omnem attraxerit, caute remota lutatura deme aludelia omnia, & collige ex ijs sulphur album antimonij, quod ad latera eorum in forma albissimę farine est sublimatum: hoc enim sulphur est admirabilis effectus in hac operatione, quia ipsum est & Mercurio & Soli & Lunæ amicum, ipsum est vinculū corporis & spiritus, & matrimoniū spiritus & animæ; ipsum, inquā, est vehiculum tincturę, & est cera

illa

illa continens vitalem trunci liquorem, ne aliorſum diffluat quam in ſurculum ſibi inſitum. Collige ergo hoc ſulphur diligenter, & cuſtodi tanquam theſaurum precioſum: cum ipſo enim ad optatum finem peruenies. Atque ſic compleuimus ſermonem noſtrum de præparationibus materialium omnium ad hoc precioſum & valde ſecretum opus pertinẽtium & ſufficientium: nec in eo quicquam diminutum aut imperfectum poſuimus, nec verba noſtra tranſpoſuimus. Iam igitur reſtat de ſeminatione dicamus.

Seminis in terram proiectio.

IAm habes, artifex chariſſime, magnam laboris tui partem abſolutam; reſtat vt ſemina tua terræ mandes ad putreſcẽdum, vt proferant fructum deſideratum, duplum, triplum, centuplum, & millecuplum. Niſi enim granum frumenti in terram iactum mortuum fuerit, nullum fructum adferet. Accipe igitur, in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, auri foliati vnciam vnam, vel quantum ſane volueris, & quadruplum eius de terra tua bene exculta, quæ eſt in vrinali vitreo, ſub apum teſtudine concluſa. Sin vero paupertate ea laboras, vt Solis copiam tantam habere nequeas, tunc accipe de Luna laminata pondus prædictum, & de terra iam dicta ſextuplum. Diuide laminas igitur cuiuſuis laminaris fruſtulatim, & proijce in dictam terram in cruſibulo frigido, continue agitando digitis vel piſtillo ligneo, aut vitreo, donec laminæ omnes in puluere terræ noſtræ inuoluantur: tunc habeas aliud cruſibulum mundum, quod pone inter carbones accenſos, cumque candeſcere cœperit, exime ab igne, & pone in loco tuto inter duos vel tres lateres, ne facile inuerti poſſit, & habeas ad manum patellam mundam vitreatam in qua ſit aqua pura, tunc calente adhuc cruſibulo ignito inijce in ipſum laminas tuas tuæ terræ inuolutas, & obſtructo ore tuo ne fumus terræ per inſpirationem attrahatur, agita ligneo bacillo eas, vt bene in terram ingrediantur, quod cito nimirum fieri ſolet: cumque eas bene in terram eſſe receptas ex eo cognoueris, quod nullas ſub bacillo ligneo ſtrumas aut glebulas ſenties, tunc effunde ſine mora in patellam aquæ frigidæ puræ: atque hac ratione ſemen tuum in terram tuam miſiſti. Hanc autem mixturam communiter Philoſophi vocãt *amalgama*, quod idẽ eſt ac ſi

dicas mollificatum, eo quod durum auri vel argenti ſemen in terra tua mollificatur. Neceſſe eſt autem mixturam hanc aqua puriſſima & ſale albiſſimo & puriſſimo tam diu terere & lauare, donec nulla amplius nigredo in ea appareat, ſed aqua clariſſima ab ea egrediatur vel recedat. Tum tandem tela mundiſſima aquoſitatem mixturæ adhærentem exiccabis. Hoc igitur eſt principium operis tui, quod Philoſophi multis nominibus appellantes, æs noſtrum, aurum noſtrum, terram magneſiæ, totum compoſitum, &c. indignis celare voluerunt. Nunc occationem proſequamur.

Occatio agri ſeminati.

CHariſſime noueris hanc operis partem à nonnullis Philoſophorum dictam eſſe impregnationẽ, ab alijs diſpoſicionem perpetuam: quam nos propter noſtram ab initio inductam ſimilitudinem, non temere occationem dicimus. Sicut enim ager ſeminatus occatione inuertitur & glebæ eius maiores franguntur, quoad plane ſemina iniecta occultentur: ita in hoc opere noſtro terra Mercurij acceptis cuiusdam luminaris ſeminibus, teritur, inuertitur, & ſemina proſus occultantur. Cum igitur iam agrum ſeminatum habueris, ſeu dictum amalgama confeceris, & ablutum ſiccaueris aliquantulum, tunc accipe farinam tuam albam ex antimonio ſublimatam, & ſparge modicum ſuper amalgama poſitum ſuper marmore plano, & mole totum hoc tam diu donec amalgama dictam antimonij albedinẽ ad ſe receperit: quo facto appone ei plus dictæ albedinis, iterumq; mole inſimul donec eam ſuſcipiat. atque hoc toties reitera, donec videbis amalgama tuum nihil amplius de dicta albedine ſulphuris antimonij poſſe inbibere. Hoc ſiquidem eſt dictæ occationis abſolutæ ſignũ determinatum. Tu vero collige tuum amalgama iam impregnationi aptum, & impone diligenter in bociam vitream, quæ ſit tantæ capacitatis, vt ager tuus ſeminatus & occatus tertiam duntaxat eius partem impleat, duabus partibus vacuis relictis: poſtea conclude orificium tuæ bociꝫ cum luto ſapientiæ, facto ex albumine ouorum, pulueribus laterum, & calce viua, ſuper panniculum madidum in eodem albumine extenſo, quod permitte ſiccari; & habebis ouum Philoſophorũ perfectum, in quo impletur dictum Philoſophorum, quod ſcilicet non eſt niſi

vnum

num vas, lapis vnus, coctio sola. Sed hoc ad regimen maturandi pertinet, de quo iam instat dicendi tempus.

Germinis pullulatio.

PHilosophi ab ouo similitudinem sumentes, quemadmodum nos à plantarum seminatione, primum regimē oui docuerunt esse putrefactionem, quam ad natiuitatem vsque, non modo ad formationem pulli in ouo extenderunt, natiuitati nutritionem subijcientes. Nos pro clariore intellectu paulo aliter nobis assumptam similitudinem sequuti, de his loquemur, in hunc videlicet modum. Quo modo videmus herbarū semina non ex toto in putredinem, & omnimodam cum terra mixtionem abire: sed humido terræ succo madescere mollirique primum, post germen emittere, succrescere spicam, & vmbellas protrudere, mox florere, tandem semina formare, eisque formatis postremo tandem maturescere: eodem vtique modo etiam in opere particulari, eaintervallla animo obseruanda censemus, & ad similitudinem mensium, rationem caloris accommodandam, hortamur. A conclusione enim oui tui Philosophici, dum adhuc niueam albedinem terræ tuæ superesse vides, Martialem te administrare debere calorem lentissimum admoneris. Huius autem caloris auxilio, niuea illa albedo in griseum vel cinereum colorem abit, qui germen è terra ortum iam pullulare indicat, Aprilisque vim adesse testatur. Maia deinde virtute caloreque enatum germen, paulatim succrescit, folijsque & surculis coaugmentatur. Tum vero post Iunij caloribus vrgentibus, spicas & vmbellas exerit & dilatat, è quibus Iulio vrente flores, Augusto autem æstuante semina format atque connectit, quæ partim eiusdem, potissimum tamen Septembris maturātur officio caloreque. Quale sit igitur caloris regimen in hoc opere, homini industrio ex his quæ nunc retuli manifestum esse non dubito. tamen vt rudioribus quoque consultum sit, paulo apertius singula ordine declaremus. Concluso ouo tuo Philosophico, habeas furnum tuum Athanor cum patella sua terrea vel ęnea, cuius sit profunditas sex vel septem digitorum transuersorum, in qua pone stratū vel de fimo equino recenti, vel de fœno mollissimo ad duorum digitorum grossitiēm aut paulo plus, super quo pone ouum tuum vitreum, & circumpone ei fimum

furn 9.

aut

aut fœnum, ita caute, vt nulla ex parte vacillare possit; hoc autem non altius circumponendum est quam ad materiæ in bocia altitudinem. Quod si vero non satis firmiter vitrum stare animaduerteres ne pigeat te orbem ex assere cum foramine tanto aptare quantum vitro optime conueniat, ad eiusque partem aliquam, extra medium aliud quoque foramẽ, quod sit digiti spissitudine, per quod aperire possis quoties opus fuerit aquam effundere;tunc impone asserem hunc fimo circum bociam posito, ita vt bociæ pars ex medio foramine exeratur; appositisque duobus vel tribus lateris frustis super asserem, muniatur asser optime. Hoc facto affunde aquam claram tantam vt tantum asseris superficiem tegat, non altius calami grossitie: tunc claude tuum furnum cum clausorio ipsius Athanor, & subijce lentum ignem, qui videlicet aquam balnei Mariæ vel fimi equini duntaxat ita calefaciat, vt tangenti eam cum acumine calida sentiatur: semper tamen absq; bullitione; quod diligenter animaduertere debes, opertorio Athanor frequenter subleuato, moxque reposito. Continua hunc ignem noui veris, siue primi gradus, siue mensis Martij, totis septem diebus cum suis noctibus, ea adhibita cautela,vt cum aquam balnei per continuam & lentam euaporationem deficere vides, statim apposito infundibulo in foramen asseris, rursum affundas aquam tepidam, minime autem frigidam, nisi per tuam negligentiam aqua bullire cepisset. Elapsis diebus præfinitis, exime bociam, & considera si primus color ex albedine iam mutatus sit in cinereum obscurum, vel nigrũ albedine quadam dilutum, & repone iterum in suum locum antequam frigescat. Caue tamen ne tua manus sit admodum frigida dum bociam tangis; alioquin ipsa rumperetur. Si igitur quẽ dixi colorem aspexeris, gaude; quia & calorem legitimum subministrasti, & iam semina tua germinare, hoc ipso signo conspicis. Nonne vides omnia germinantia prima sua pullulatione è terra croceum ostentare colorem? Scias autem, charissime tãti secreti inuestigator, nihil æque tibi in hoc opere esse diligentiore cura animaduertẽdum, quam colorẽ, & quantitatis humidi variationẽ: hæc .n. sunt duo sola quæ artificẽ ab initio vsq; ad cõplementum operis sine errore pducũt. Proinde iubet Geber omnia signa q̃ in qualibet decoctione apparuerint diligẽter in mẽte artificis sigillare, &eorũ

cau-

causas inquirere. Sed hoc non peruenit ad artificem duræ ceruicis, nec auarum, nec mollem, nec alijs huius mundi vanitatibus irretitum. Si vero prædictum signum in oculis tuis nõ appareret, continua eundem ignis gradum alijs subsequentibus quatuor diebus naturalibus: & tunc iterum cõsidera, iterum reponendo si nondum apparuerit: atque sic fac de quarto in quartum diem, donec tibi signum à nobis dictum compareat. In hac autem decoctione ascendet ex terra tua quædam humiditas argenti viui, instar nubis, & adhærebit superiori parti vacui tui oui ad latera eius, quam tu intactam dimitte, vsque dum tibi de ea significem quid sit agendum. Nonne vides seminatum agrum & ante germinationem & post subinde multas ac diuersas exhalationes facere? quarum quædam in pluuiam conuersæ rursum agrum irrigant, & germini vtile præbent nutrimentum, quædam vero in aere euanescunt, nullam ipsi adferentes vtilitatem germini? Quare considera magna cũ industria quid hac in parte agendum sit, nec temere huiusmodi exhalationes cõuerte in pluuiam, nisi sua sponte conuersæ agrum tuum irrigent. Cũ vero semina tua iam germinare euidenti argumento cognoueris, scias finitum esse tuum Martium, & veris benigni factum esse initium Aprilis: itaque calorẽ qui exiguum quid à Martio differt summa diligentia imitare, scilicet absque bullitione aquæ fimi equini, idq; ideo vt natum seminis germen iam pullulare incipiat, & quodammodo roborari. Signum autem pullulationis germinis est copiosior humiditatis exhalatio, & coloris, vt supra dictum, in quendã fuscum, aliqua rubedine vix notabili perceptibilique variatio. Expectabis autem aduentum huius signi septimo vel octauo die, postquam calorem hunc antiqui veris administrare cęperis. Atque ista duo temporum interualla tali regimine exequeris, quo germinatio seminis mediante putrefactione, & germinis pullulatio, accedente calore digestiuo, perficiuntur.

Augmentatio germinis.

ANtiqui veris finito tempore, ad præceps ver veniendum est, quando scilicet germen iam herba fit, surculisq; suis attolli incipit, & viriditatem ostentat legitimam. Hoc igitur Maij tempus eo imitaberis calore qui summus in aqua esse potest, non quidem cum bullitione, sed iam cum tremore bul-

re bullitionis; continuabisque dum sequentia signa apparuerint. Primum color materiæ obscura rubedine, fere nigricante, laterem ostentans, quem neque nigrum scilicet, neque rubeum, neque brunum, sed mixtum quendam ex omnibus his cognosces. Alterum terræ siccitas, quam ex eo intelliges, si diligenter quantitatem exhalationum ante factarum animo comprehenderis. Nam si manifesta quapiam nota cognoueris hoc calore minus exhalationum ascendere, easque quæ iam ante lateribus vasis tui adhæserant, non multiplicari, sed eadem in quantitate consistere, terram tuam siccam esse iudicato. Hic igitur iam augmentatum esse tuum germen, & in duritiem iustam herbæ aut calami coaluisse & excreuisse, visis prædictis signis protinus intelligito. Memineris autem, fili, non multiplicationem nos, sed augmentationem germinis describere, ne te Philosophorum loquendi formulæ decipiant: non enim fit multiplicatio germinis, nisi post seminationem nouam multiplicati seminis. Augmentatio vero germinis fit ante multiplicationem seminis in eo. Nunquid non consideras omnium rerum naturalium progressum? Vbi vidisti multiplicationem indiuiduorum alicuius speciei antequam idem semen germinauit, pullulauit, ac in suis partibus augmentatum est? & spicas, vmbellas, vel racemos protulit, ex quibus tandem florent, à floribus semina, fructusque formant, & formatos maturant caloris debiti ministerio? nonne hæc semina plura ex vno illo semine formata, postquam legitime maturuerint, colligere te oportet, purgare à corticibus, separare à paleis, eruere ex folliculis, & tandem denuo seminare, ac per eosdem generationis gradus, per quos antea à natura mouebatur, ad maturitatem vsque expectare, & tunc primum multiplicationem indiuiduorum videre & habere? O stulti quid insanitis? & rationem & opera naturæ dimittentes, & sequentes capitis vestri irrationales fantasias? An non dixit vobis Geber, omnem actionem naturalem suum habere determinatum tempus, in quo maiori vel minori spacio suum effectum producens terminatur? At vero si adeó vacui estis ratione & intelligentia, vt ex ipsa natura eiusque operibus hæc non intelligatis, ab hac arte occultissima nimium procul discedite, ac ad stiuam & aratra rusticorum confugite, vel saltem ab ipsis discentes

naturæ operationem imitari. Tu vero fili mi, qui Philoſophiæ ſtudiis initiatus es, iam diu verba noſtra probe intellige, quæ nos ſatis clara & bene intelligibilia ſcripſimus, nihil celantes præter duo, quæ nullus vnquam Philoſophorum palam ſcribere auſus eſt, eo quod illa per manus tantum filiis doctrinæ tradantur. Et nos quidem cum ab homine multum venerabili & prouectæ ætatis presbytero ea per manus acciperemus, adiurati fuimus & obſtricti, nemini vnquam in ſcriptis ea tradere, monſtratusque fuit nobis per eundem locus in ſcriptis Calid Philoſophi, vbi tentauit illa ſcribere, ſed diuinitus prohibitus fuit. Per duo ſiquidem illa, & nullo modo alio, ad abſtruſiſſimæ huius artis deſideratum effectum peruenitur. Quapropter & tu, fili, cum laborare volueris ſecundum verba noſtra, quæ vera ſunt omnino, abſque ambiguitate aliqua, ſic incedas in hac regia via, quam nos monſtramus, vt duo reliqua ex inſpiratione Dei, veluti per manus tradita conſiderare & intelligere merearis. Ipſe enim, ſi cor tuum rectum fuerit coram ipſo, mittet ad te in tempore oportuno, ſicut & ad me indignum presbyterum miſit, qui illa duo tibi per manus tradet, & ſicut pater filio hereditario relinquet. Ab initio igitur tui operis ſemper memento duo eſſe, quæ tantummodo per manus tradantur iis, quibus naturæ creator Deus conceſſerit: & huius memoria admonitus, procede cautiſſime cum magno timore Dei, & reuerentia naturæ, opus tuum de gradu in gradum exaltando, vt cum augmentatum germen tuum habueris, ex albo ſcilicet colore ad rubeum obſcurum deductum, terramque tuam conuenienter ſiccam; mox ad finem huius præcipitis veris properes, nubesque omnes, quæ in tuo aere ſunt, in pluuiam reſolue, vt agrum tuum irrigent, ne plantæ iam creſcentes ſiccitate nimia emoriantur. Hic igitur quatuor a pluuia diebus naturalibus transeuntibus, in eodem caloris regimine ouum tuum cum irrigata terra, in fimi balneo guberna, & diligenter animo nota quantæ & quales exhalationes ex terra tua iterum aſcendant. Quinto autem die habeas iam ante paratum cinerem purum & cribratum in capella ſeu olla noua, ſimilis quantitatis cum ea, in qua balneum fimi fuit, & circumpone iuncturæ, qua patella balnei fuit furno Athanor coniuncta; telam triplicem aut quadruplicem

madi-

madidam, vt iunctura lutea facilius resoluatur; qua emollita excipe è furno totum balneum calidum, & statim impone patellam tuam cum cineribus cribratis iungendo diligenti, vt prius, cura, cum parietibus furnelli cum luto idoneo, & subiicias ignem Iunii, scilicet secundi gradus, vt cineres bene calefiant, non tamen vt manus tangentis adurendo lædant. Cum igitur vitrum tuum in balneo adhuc caluerit, iamque cineres calidi fuerint, pone ipsum super cineres calidos, ita vt sub fundo sit altitudo cinerum bene compactorum, ad quantitatem trium digitorum inuersorum; circum vero ponantur itidem cineres calidi bene compressi, ad altitudinem vsque materiæ vel paululum altius, atque hic æstas noua initium sortitur, nouoque ignis in gramine gaudens solertiam requirit maiorem, adhibe ergo cautelam, vt cinerum ignis sit æqualiter die nocteque calidus, quemadmodum diximus vt videlicet manus tangentis adurendo non lædant, neque fundus patellæ, in qua cineres sunt, vnquam igne candescat. Hic enim est ignis Iunii ardentissimus, de quo Maria prophetissa & turba Philosophorum ait: Decoque igne lento, qui sit ignis sicut ignis Iunii ardentissimus. Cumque huiusmodi ignem rexeris per quatuor vel septem dies naturales, scito segetem tuam in eo statu esse, in quo germinis spicæ, vmbella, racemique, herbarum, plantarum, aliarumque vegetabilium specierum proueniunt. Signa autem, per quæ vmbellas spicasve prodiisse cognosces, sunt ista; rubedo subnigra, quæ modo fuerat, iam clariorem rubedinem referet, apparentemque ante in rubedine nigredinem occultabit, exhalatio præterea pauca in aerem ex terra ascendet. Memento autem supradictæ regulæ semper obseruandæ, quod nubes tuas non debes in pluuiam conuertere, nisi cum animaduerteris, nullas amplius è terra tua exhalare, & eas, quæ iam ascenderunt, non multiplicari amplius. Tunc autem non plus quam duos naturales dies continuato calore expectabis, & nubes tuas in pluuiam conuertes, quæ agrum tuum irrigabit, vt fructum suum ferat in tempore suo.

Florum emersio, & seminum formatio.

FIli mi, gratias agamus Deo misericordi, & gubernatori naturæ, quia iam semen nostrum germinauit germen, pullulauit, creuit, & vmbellas racemosque pro-

duxit. Gratias agamus ipsi, quia ipsius nutu nubes nostra eleuata est, & dedit pluuiam oportunam, qua ager noster fecundior factus est. Gratias agamus ipsi, quia messis primæ seminationis iam prope est, & vindemia ipsa imminet. Ager namque noster culmis, aristis, spicisque, armatæ instar aciei horrescit, mox daturus frumenti expectatos aceruos: vinea nostra iam racemos protulit, qui mox in flores, vuasque resoluentur. O fili, age gratias Deo, qui tam mirabilia secreta nobis largiri dignatus est. Sed dico tibi, fili mi, quod nisi lumen naturæ sequaris, monstratoremque illorum duorum habeas, proximus es errori & deuiationi. nam quod nos paulo ante de nubium conuersione in pluuiam diximus, hoc antiqui Philosophi de cauda draconis, quidam de augmentatione, quidam de multiplicatione, quidam de additione noui Mercurii protulerunt, & significari voluerunt, non recte scilicet opera naturæ examinantes. Quidam etiam terram nostram aquam nominauerunt, & cum iussissent terram nostram sæpius irrigandam, accepto nouo Mercurio totum agrum non modo irrigarunt, sed etiam submerserunt, non intelligentes nimirum huiusmodi irrigationem ex naturalibus ab ipsa terra nostra exhalationibus fieri debere, non ex affusione aquæ peregrinæ: neque hoc dictum Philosophorum intelligere potuerunt, quamuis tota Philosophorum turba clamaret, cauendum esse ne terra nostra submergatur, & semina diluuio pereant. Quare tu, fili mi, cautus vt sis oportet, & naturam vbique ducem sequere: cumque videris quartæ stationis, in qua spicæ emergunt, certissimum clarioris ruboris signum, vti dictum est, administra eundem calorem, aut paulo maiorem sequentibus quatuor vel septem diebus & noctibus, vt ex spicis & vmbellis flores amœnissimi sese expandant, suæque indicium speciei exhibeant. Signum autem florum istorum certissimum erit coloris rubedo metallina, splendorem metallicum ostentans, & exhalationum antea ascendentium copiosius nunc exigua quantitas. Considera, fili mi, & vide an flores campi non attestantur super suo genere & specie, nunquid rosam non suus flos arguit? nunquid non suus euphrasiam? nonne ergo metallum metallica rubedo vti flos ostentabit, & iam iam adfuturum significabit? imo vero. Hic igitur antiquæ æstatis finis esto; quæ

non

non aliter flores ex ſpicis, quam noua ſpicas ex creſcentibus calamis, produxit, Iulii menſis calore continuo ſeminarium opus diſponente atque mouente ad floridam perfectionem. Age vero, fili mi, tu cum videas omnium vegetabilium atque plantarum flores, futuri ſeminis atque fructuum certiſſimum ſignum eſſe, ſecundum curſum naturæ; (de monſtris enim ſermo nobis non eſt) erige te in optimam Auguſti menſis æſtatem, & poſt flores tuos metallicos, certiſſimum te metallum metallique ſemen viſurum confide. neque id ſane non multo admodum calore augmentato, ſed quanta dumtaxat prima Auguſti pars requirit. Cum ergo flores ſegetis tuæ iam apparuiſſe videris, trium dierum ac noctium ſpacio eundem ignem cinerum adminiſtrato, quantumque exhalationum videris aſcendiſſe, tantum fac in pluuiam conuertas, nec eam quidem copioſam, ne corruptio florum ante ſequatur quam ſemina formentur. Die autem quarto habeas arenam lotam ſiccamque & cribratam, quam calefac ad ignem lentum, exceptoque cinere prædicto ex patella furni Athanor, impone in eam dictam arenam, non nimis feruidam, in quam colloca vitrum tuum non frigidum, ſed æque calidum cum calore arenæ, circumfundendo arenam ad materiæ altitudinem, ſubtus vero ad trium digitorum latitudinis profunditatem. Cumque hoc factum fuerit ſpacio vnius ſeptimanæ, da ignem arenæ, abſque ignitione fundi patellæ, aut tam diu donec videas ruborem tuæ materiæ cum citrinitate & fulgore aureo, & cum pauciſſima aut fere nulla exhalatione. Quod cum videris, elatis in cælum manibus omnipotenti Deo gratias age, quia æſtas præceps fructum ſuum dedit, & ſtirpes tuæ ſeminibus refertæ ſunt, quorum ſigna ſunt duo hæc, vti dixi, quia exhalatio eſt pauciſſima, & color materiæ propemodum citrinitatis aureæ. Sed etſi aliquæ exhalationes humidæ adhuc aſcenderint, nihil id te moueat. Nonne animaduertis formatum fructum & ſemen non ſtatim vt formata ſunt decerpenda eſſe, ſed expectandam eſſe maturitatem, quæ illa perficiat? nonne ficus vno anno formatæ altero tandem mature ſcunt; vuæ autem menſe Iunio formatæ & quandoque Maio, menſe Septembri tandem maturitatem adipiſcuntur? Retrahe igitur, fili, feſtinantem animi tui cupiditatem, &

ne abrumpas opus ante ſui maturam perfectionem. Eſto patiens & magnanimus, expectans tempus determinatum. Auſculta Gebrum dicentem, parui ſpacio temporis artem perfici non poſſe; ideoque requiri in artifice patientiam, moram & inſtrumentorum aptationem, quorum autem inſtrumentorum, an non ſolus ignis? profecto, cum ipſe ſit ſolus omnibus in rebus naturalibus, atque adeo tota hac in arte occultiſſima, omnium inſtrumentorum inſtrumentum. Diſce igitur fili, ſummo ſtudio ignis regimen, & ne ſis in eius adminiſtratione negligens: nec te pigeat continuæ decoctionis, decoctio enim debiti ignis, promouet naturam & opus noſtrum de ſtatu in ſtatum, de colore in colorem, & de gradu inferiore in gradum ſuperiorem, nec vllo præter ipſum indigemus inſtrumento ad ouum noſtrum perficiendum. Decoctio ſiquidem ſemen putrificando mollit, decoctio germen protrudit, decoctio ſurculos calamosque exaltat; ipſa flores expandit, ipſa ſemina format, ipſa denique eadem formata, ad expectatam digerit maturitatem, in vno eodemque vaſe, vnicaque artificis operatione, quæ in carbonum adminiſtratione conſiſtit. O artem occultiſſimam! ô ſcientiam ſecretiſſimam! ô difficilimam operationem! Quantos quæſo ſudores ſucceſſiua carbonum appoſitio requirit! nonne ludus iocusque puerorum eſt? O fili, compone ouum tuum ex vitello & albumine, & obducas membrana, coerceque ſuperinducto cortice, ſubiice illi carbones accenſos, & cum eos deficere animaduerteris, appone nouos, atq; ita produc laborem tuum ab initio ad finem vſque conſummatum: cumque ſatis bene decoctum fuerit, fac cum eo ſicut te Deus docuerit. Sed nos iam maturationis ſeriem ex ordine narremus.

Maturatio ſeminis.

Eſt autem modus maturationis huius operis ſimilis maturationi fructuum in ſuis arboribus, & ſeminum in ſuis plantis & ſtirpibus. Conſidera igitur motum Solis, mi fili; atque calorem menſis Septembris, & vide diligenter, quid poſſit conueniens eſſe tuo operi, & quid diſconueniens. nam in motu quidem Solis pro horizonte tuo, calor in Septembri minuitur, at in horizonte eorum, qui tibi ſunt à latere aut ex oppoſito augetur, quemadmo-

dum

dum & iis qui sub æquinoctiali circulo habitant. Disce, fili mi, has diuersitates cognoscere, & intelligere agrum tuum in medio mundi esse, æquali ab vtroque polo distantia. Quapropter ne decipiat te diminutus Augusti & Septembris calor tui horizontis, ne forte cogites in opere nostro, cum ad maturitatem semina fructusque sunt deducenda, eodem modo imminuendum esse calorem, quo minui incipit in tua habitatione, cum ad Augustum & Septembrem peruenitur. Hanc enim similitudinem sequi, non esset nisi errori proximum. Prudenter itaque similitudines rerum in natura huic nostro operi applicandæ sunt, ne male collatæ in errorem potius quam rectam viam seducant te innocentem. Scito igitur, fili mi, semen nostrum esse veram Salamandram, quæ igne concipitur, igne nutritur, igne quoque perficitur, nihil itaque cuncteris igne paululum augmentato ad maturationem procedere, & quarto quoque die nubes si quæ eleuabuntur, rursus in suam terram vnde exhalauerant, reducere, idque continuare donec aut nullus aut exiguus admodum humor fumo potius quam nubi similis exhalet. Perfectæ autem maturitatis signa sunt, color rubeus cum citrinatione intensa nonnihil resplendens, & exhalationum defectus, &, quod certius his signum est, vt accipias de tali tuo semine gramen vnum vel duo, & pondus eius cognosce, post superpone alicui testæ vel laminæ ferri aut cupri, impositumque valido igni adure, donec optime candescat. Si itaque in tali igne nullum omnino fumum dederit, ac exceptum ex igne pondus suum, aut nihil, aut exiguum, quid diminutum ostenderit, satis bene maturum esse indicat. At si impositum carbonibus antequam candescat, fumum emiserit, & pondus suum multum imminutum fuerit, certum signum est maturitatem, quam Philosophico vocabulo Fixionem vocant, non esse completam. Quapropter secretum tibi, fili mi, aperio, quod maturationis ignis tantus esse debet post sui augmentationem successiuam, vt fundus patellæ arenam continentis nonnunquam etiam ignescat: non tamen continue. Vt vero vitrum tuum non timeat tantum calorem, poteris ipsum munire cum aliquanto luto Philosophorum, ex subtili argilla purgata ab omnibus lapillis cum fimo equino taminata, & multum conquassata, ne sit tamen luto altius obductum, quam ad altitudi-

nem materiæ in vitro, aut paululum altius, vt colores bene discernere possis. Ad hoc autem, vt vitrum tuum luto obducas, necessario requiritur, vt ipsum ex arena eximas, vel cum in arenæ ignem imponere volueris ante impositionem eius, postquam ex cineribus exemisti, infrigidari permittas, & luto tandem circummunias; à fundo scilicet vsque ad materiam in vitro contentam: cumque lutatum probe fuerit, & exsiccatum, si nullis fissum est rimulis, impone in arenam aut frigidam aut tepidam, & sic ignem subiicias debitum & conuenientem. Sin vero rimas fecit, prius easdem oblutato, ac tandem ita vitrum tuum in arenam reponas. Nec arbitreris, fili, nos contraria Philosophorum dictis docere, cum vitrum infrigidandum docemus ante sui lutationem, nam si calens adhuc vitrum luto circundare tentares, frigente luto & humido contactum, vitrum protinus funderetur in rimas. Neque enim dicta Philosophorum requirentium continuum calorem eo faciunt, vt tu existimes, semen tuum mox destrui, si vel minimum ignis remiserit, aut plus iusto exarserit. Philosophi enim cum ignem requirunt continuum, id agunt vt modum operandi exponant, simul docentes, eos ineptos esse operarios, qui inceptum opus in ipso cursu delinquunt, neque ad finem vsque continuant, sed imperfectum sinunt. Tu vero, fili mi, considera naturam, & cæli motus aspice, nonne autæ calor & terræ resolutio calida, tam vere quam æstate, & aliis item anni partibus subinde variatur? nonne media æstate cum dies sereni calidissimique esse deberent, sæpe euenit, vt Sole nubibus obscurato, & pluuia ventisque tumultuantibus, frigidissimos dies habeamus, neque tamen continuo segetes plantæque emoriantur? Quinimo nonne si continuus æstus Solis ferbuerit, nec vicissim calor & frigus mutuo successu plantas refecerint, vt scilicet nutrimentum humidum & frigidum calor subsequens digerat, calorique succedens frigus sua humiditate iterum nutrimentum adferat; nonne, inquam, tali continuo æstu terra fatiscet, & herbæ, stirpes, ac segetes radicitus peribunt? Nonne itidem si eodem modo nubes pluuiæque assiduæ, calorem Solarem vegetabilibus adimant, longiori quam par est tempore, omnia hydrope tumescent & putrefacta corruent? Iusta itaque temperies, & debita caloris

ac frigoris humidique & sicci vicissitudo, optime rerum naturalium generationi conuenit. Hanc igitur tu quoque, fili mi, in opere nostro sequere, & minime aberrabis. Illius autem perpetuo te memorem esse oportet, semper calorem aliquantulum esse remittendum vno vel duobus diebus, non tamen intermittendum, quoties tu nubes conuertis in pluuiam & terram tuam irrigas. Si enim statim postquam pluuia in terram descenderit a fortiore calore subleuabitur exhalatione vaporosa, nihil omnino segetes ac stirpes nutrimenti ex ea assument. Quapropter absque omni cunctatione, quoties id res ipsa requirere videbitur, & infrigida, & calefac, & humecta, & desiccato terram tuam, nullo plane in hoc errore commisso, etiamsi ignis tuus aliquot diebus aut septimanis non esset continuus. Id dumtaxat caueas, ne cum semel ignem extinxeris, perpetuo extinctum relinquas, nam & quoties vasa franguntur, toties te materiam tuam infrigidare oportet, ac tandem in aliud vas priori consimile reponere, moxque ad ignem suum referre. Rarissimum siquidem vas est quod ab initio ad finem vsque perduret operis. Neq; tamen existimes mentitos esse Philosophos, qui dicunt vnico vase magisterium perfici. Cum enim hoc audis dici, protinus de specie non de indiuiduo vasis cogita, & sic veritatem assequeris.

Collectio Seminis.

EN aduenit, fili mi carissime, messis tua desiderata. Gaude & age immortales immortali gratias Deo, qui ista nobis intelligere posse concessit, & verba mea ad veram & manifestam sententiæ elocutionem direxit. Et tu, fili mi, supplex ipsum adora, vt cum laborare inceperis, duo illa abscondita arcana manifestare tibi dignetur, vt tu quoque Philosophiæ tam excelsæ studiosus ad preciosissimas huius sacri conuiuii epulas accedere dignus sis, & in horto Tantali aurea Hesperidum mala decerpere possis, sopito prius, vt fabulæ monent, dracone peruigili. At quia hortus ille muro solidissimo cinctus est, quomodo eum ingredieris? quomodo aurea mala ferentem arborem cognosces? quomodo ea decerpes? O fili carissime, nonne vidisti hortum illum in altissimo & deserto monte constructum, cuius ima pars semper certantibus ventorum discordium viribus murmurat, & veluti chaos quoddam insatiabile, perpetuam calidi & frigidi

pugnam alit, medium vero rubeos & nigros habet dracones, quorum perpetua cum chao insatiabili ventisque pugna est, cumque furor rubeorum draconum, extimulantibus ventorum contrarietatibus exarserit, ipsi quidem suo ipsorum æstu pereunt, eorumque cadauer chaos illud excipit. Ne tamen æterna illa pugna requiem habeat vllam, iam iam perituris draconibus rubeis nigri succedunt, qui & ipsi furore exardescentes ignescunt; itidemque vt rubei pereunt, aliis statim vt dictum est succedentibus. Atque nullo vnquam tempore pugna hæc finitur, nam neq; chaos ventique finiti sunt, neque rursus progenies nigrorum draconum deficit vnquam. Montis siquidem custos ac dominus vbique nigrorum draconum sobolem conquirens, eam certis temporibus in medium montem immittit: montis vero cacumen singulis annis triplicem habet variationem. Nam hyeme quidem feruentissimis fauillis, Ætnæ montis instar exæstuat, vere autem toto occulto igne priore stagnantibus thermis & iuncis palustribus inundat. æstate porro absorptis penitus thermarum aquis, cinis eorum adhuc tepidus, interdum vero etiam calidissimus prope attollitur, quæ hyberno igne combusta credi possunt. at autumno rursus cineres disparent, & sese arena subtilissima, & caloris feruidi, rubescens nonnihil, in eorum locum ingerit; qnam ego existimo reliquias, vel saltem fundum esse aquarum, quæ verno tempore stagnauerant. In hoc ipso monte, mi fili, vidisse te opinor regales Hesperidum hortos, in quibus rosæ aureæ & argenteæ, itemque mala punica aurea & argentea proueniunt, annuumque fructum ferunt. Ad hunc autem hortum accessus ipse difficilis, ingressus difficilior, decerpere autem ipsa mala aurea vel argentea longe difficilimum. Ea siquidem montis ratio est, vt neminem admittat nisi qui hyberno frigore accesserit. Quare & tu hyemis tempore accede, neque frigus horresce, ignis etenim qui est in aditu horti vix æstum perferre poteris. Videbis autem in summo montis custodem horti turrim altissimam, cum duobus propugnaculis, quæ omnia in ardentissimo igne sita sunt. Oportet autem hortum hunc ingredi volentem, ante omnia tauros naribus ignem efflantes domare, & per turrim ac propugnacula ignea transire. Hoc autem magno cum labore & vitæ dispendio tentatur. Laboris certe magnitudo tanta est, vt non prius quam

quam hyems finiatur transire poſſis. Periculum autem ex tot incendiis tantisque flammarum feruoribus non minimum vtique imminet. Huc igitur ingreſſuro Medeæ ſunt acquirenda medicamina, quæ ipſa Iaſoni olim hunc hortum ingredi conanti tradiderat. Quod ſi, fili cariſſime, medicamentum hoc non inueneris, da operam vt induſtria tua modum inuenias, quo prædictas munitiones illæſus transeas. Nam ſi eas præterieris tantum, non autem transieris, hortum tibi ingredi nunquam licebit. Ac ego quidem cum auiditate magna & deſiderio horti tenerer, viderem que me flammas absque periculo transire non poſſe, nolui tamen prius abire quam expectarem ſi quis forte veniret, qui transitus rationem monſtraret, aut ſi forte ignis ardor imminueretur. Et tunc quidem poſt me nemo aduenit, & iam iam hyemis finis erat pro foribus: ecce autem interea ſubito magnus motus factus eſt illius turris, flammaque diminui cœpit, quæ non multo poſt extincta eſt, & turris & propugnacula quaſi abſorpta ſunt, quod vbi factum eſt, ſtatim eadem illa hora, qua turris ſteterat, ad hortum accurri, nonnihil attonitus ex his, quæ contigiſſe videram. Atque ego quidem cum prope hortum acceſſiſſem, ſtagnantibus vndique thermis impeditus ſum ab eius ingreſſu, erat enim hortus adamantino & diaphano cinctus muro in medio ſtagnantium aquarum calidarum. Sed & aquæ & hortus ipſe lateritio foris muro cingebatur: videbam autem gradus tres anguſtæ cuiuſdam ſemitæ, per quos ſpes erat acceſſus, ac nihil cunctatus ſequi cœpi, & apertus mihi eſt murus lateritius: & cum eſſem in primo gradu, veluti quadam putredinis maleolẽtia offenſus aliquamdiu hærere coactus ſum. Calor autem erat valde conueniens putredini: qui tamen abſumpta putredine vlterius prodeundi copiam dedit, ad ſecundum & tertium gradum, in quorum vnoquoque ſemper occurrebat aliquid quod me remoraretur, adeo vt cum iam me horto proximum crederem, mox montis facto tremore, aquæ abſorberentur, & relinqueretur foſſa profunda muro lateritio circumdata, cuius fundus calidis omnino cineribus æſtuabat. Hortus autem in medio cinerum, ad quam tres foſſarum ductus erant, quorum diuerſi erant calores, nam qui horto erat vicinior, erat alius item multo calidior. Tantum autem laboraui, donec iam ad aggerem tertii ductus aſcenderem: cum

iterum

iterum facto tremore mons concussus est, & cineres obscura caligine inuoluit, in quarum locum feruentissima arena successit, hortum vndique cingens vnico aggere. Iamque hic optimam spem concepi, finem laborum prope esse; quemadmodum & euenit. Nam cum ex aggere contemplarer horti flores amœnissimos, viderem q; tanta miracula, quanta non licet eloqui, attonitus factus sum tanto stupore, vt quo modo me Senior quidam in hortum introduxerit iam tum vix succurrerit. Idem autem ille senior in manu sua septem claues habebat, quibus ego arbitror seras portarum horti ipsum interea aperuisse, dum ego attonitus in aggere starem. Deduxit autem hic senex me venerandus ad arborem aurei mali, apud quam draco quidam mortuus non multo ante tempore occisus iacebat, eiusque sanguine mala aurea infecta erant. Mihi vero animus ardebat cupiditate decerpendi mala aurea, quod cognoscens senior, & me placide inspectans ait: Depone, fili, mundanarum concupiscentiarum illecebras. Fructus enim isti non nisi Diuinis mentibus dantur. Ad cuius verba contremui totus, non enim antea vocem eius audiueram similem, ad quam quidem ego quasi immutatus sum, & multa intelligentia ornatior factus visus sum mihi. Ille vero in alteram mihi visus est transire formam, atque eam quidem augustam multum & quasi terribilem, iamque non hortulanum, sed ipsum horti dominum agnoscebam esse. Subiit vero me timor non exiguus, ne temeritatis meæ pœnas darem, qui tanti domini hortum furtim ingredi cogitassem vnquam. Ac dum anceps varia animo voluerem, & hinc quidem metus, illinc desiderium & spes me tenerent, ipse extensa manu aliquot decerpsit poma aurea, inspectansque poma ac me vicissim, Hortum, inquit, hunc felicitatis & sapientiæ, quem nos hominum gratia plantauimus, ac vt bestias arceremus adamantino cinximus muro, fraude doloque hominum peti videmus, non intelligentium, nemini huc ingressum patere, nisi iustis, castis, probis, bonisque, quos nos ipsi attrahimus: & si constantes eos quidem habuerimus, finitis tandem laboribus, huc introducimus, & huiusmodi muneribus eosdem ditatos placide dimittimus. Hæc dicens mala, quæ decerpserat mihi tradidit: quæ ego coram ipso procidens, quanta maiore potui reuerentia & vene-

nera-

neratione excepi, & in sinu meo recondidi gaudens. Quumque vt illi gratias agerem me pararem quas animo conceperam. Nondum, inquit, finis est, fili mi, sed hac me sequere: deduxitque me in officinam, quæ extergendis aureis malis draconis sanguine aspersis erat deputata, ac desumpto ex pyxide quadam lignea puluere nonnihil albicante partem eius mihi tradidit, dicens, Hic est puluis detergens omnem maculam, & resuscitans omnem mortuum, discede, ac cela secreta, purifica conspersam igne & puluere, cole terram & semina purificatum, & crescat, & germinet tibi terra tua fructum copiosum. His dictis è conspectu meo disparuit. At ego attonitus obstupui, cumque deinde ad me rediissem, quasi ex somno excitatus esse mihi videbar, nam quasi fessus longo itinere & labore fatigatus domi meæ in lectulo meo iacebam, putassemque omnino somnium me vidisse, nisi & aurea mala & pulueres in manu habuissem, verborumque omnium tam exacte meminissem. Sed siue re vera hortum ingressus tunc fuerim, siue in visione tantum eo delatus, siue insomnium viderim, benedictum sit nomen eius in secula, qui mihi tanta naturæ mysteria aperire dignatus est, & donum suum à me indigno peccatore non abstulit. Laudetur, benedicatur, & superexaltetur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus, in seculorum secula, Amen.

CONCLVSIO.

Habes, fili mi, vniuersum processum operis nostri, absque diminutione aliqua, & absque omni superfluitate, competenti orationis stylo comprehensum. Apta igitur cor tuum, vt gratiam in oculis Dei inuenias. Donum namque Dei est, habens mysterium indiuiduæ vnionis sanctæ Trinitatis. O scientiam præclarissimam, quæ est theatrum vniuersæ naturæ, eiusque anatomia, astrologia terrestris, argumentum omnipotentiæ Dei, testimonium resurrectionis mortuorum, exemplum remissionis peccatorum, infallibile futuri iudicii experimentum, & speculum æternæ beatitudinis! Non est profecto vlla hac excellentior: vtpote quæ vna omnes scientias complectitur & continet, ipsa à nulla earum comprehensa. Tibi vero, ô ineffabilis Maiestas, sit sempiterna gratiarum actio, laus, & benedictio, quia me tuam gratiam non abscondisti, artisque secretissimæ mysteria

steria mihi reuelasti, vnde sit nomen tuum sanctum benedictum in sempiterna secula, Amen.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hac.
Saccharum psittaco, fœnum boui.

Lectori benigno.

IVSTVS A BALBIAN FLANDER S. D.

IN Alani dicta cum incidissem primum, cœpi ea legere (vt par erat) attentius, idq; sæpius; quod mole sua scriptum hoc pauca contineret, non tamen pondere. Quid dicam? complacuit apprime. Quidni? cum dilucide admodum de arte illa Chemica (quam profitetur) differat. Erat autem libellus ipse, quem nactus eram Germanico idiomate conscriptus. Auctor tamen ea lingua eum in lucem emiserit nec ne, incertus etiamnum sum. Quod cum ita se habeat, instituto meo non duxi alienum, eum in Latinum sermonem conuertere. Neq; tamen id eo feci, vt ex tantillo labore gloriolam vllam aucuparer: sed quod philochymis meis gratificari vel tantilla mea operula desiderarem; idq; iis potissimum, qui huius linguæ essent ignari. Hunc igitur Iodoci Greueri opusculo adiungendum curaui, quod eiusdem sint argumenti; idq; adeo vt Greuerus ab Alano pleraq; sua mutuatus videri possit. Addere visum est & ignoti cuiusdam commentariolum in Lullium, & Ioannis Pontani summi Philosophi epistolam, quantumuis & antehac excusam; nec non & monumenta aliquot diuersorum carmine certe parum polito, prisco illo seculo à viris tamen peritissimis hac in arte exarata. Id porro cur ita fecerim, hi facile iudicabunt, qui vel minimam huius scientiæ cognitionem habebunt. Quid cæteri censeant, qui hanc neq; norunt, neq; ferunt, susq; deq; ferendum autumo. His, benigne Lector, fruere, dum aliud proprio marte paro. Lege, perlege, relege, & reitera: neq; te laboris, vti spero, pœnitebit. Vale ac boni consule. Data Gaudæ Calendis April. 1598.

DICTA

DICTA ALANI PHILOSOPHI DE LAPIDE PHILOsophico,

E Germanico idiomate Latine reddita

PER

IVSTVM A BALBIAN ALOSTANVM.

AD Deum, mi fili, & cor & mentem conuertito quam ad artem magis: ipsa enim donum Dei summum est, cuique bene placitum fuerit eam largitur. Deum igitur ex toto corde totaque anima tua diligito, atque in eo solo & spem & fiduciam omnem locato: sic procul omni dubio hac arte nobilissima cum gaudio perfruere, linguæ interea silentium indicens labiis compressis. Porro autem non est quod tibi persuadeas, nos dum sublimationis mentionem facimus, vel etiam sublimamus, separare eam partem quæ superius est ab ea quę est inferius. In nostra enim sublimatione partes fixæ non eleuantur, sed partes non fixæ. Nos itaque & corpus & spiritum debemus vna figere, vt facilioris efficiantur fluxionis. Atqui si calor agat in humiditatem, niger in primis color apparet: sin autem calor agat in siccitatem, apparet color albus, & in eo albo colore occultatus est color rubeus. Sic tamen statuant Alchemiæ studiosi, & istius abditæ artis inquisitores, non posse metallorum formas immutari, nisi reducantur in suam primam materiam: quæ prima metallorum materia non alia est quam Mercurius. Metallorum autem hæc in primam materiam, id est, in Mercurium reductio, quamquam à plerisque artis indagatoribus impossibilis credatur; ob id tamen possibilis censenda est, quod metalla omnia è Mercurio & sulphure in terris generentur. Cum igitur metalla ex Mercurio & sulphure originem habeant, possibile dicẽdum est metalla per Mercurium in Mercurium reducere. Omnis enim res in eam vel maxime conuertibilis est, ex qua originem sumpsit. Primum porro huius artis diuinæ opus est, lapidis sicci, puta Solis vel Lunæ in Mercurium solutio,

ſiue duorum alterutrius in ſuam primam materiam reductio, atque eo modo lapis ſiccus in eo ſoluitur, & cum ipſo colligatur, vt deinceps nunquam ſeparationem admittant, quoniam vnumquodque ſimile gaudet ſuo ſimili: idque ita vt ſi fiat ſolutio corporis cum coagulatione ſpiritus Mercurii, vna eademque opera fiat coagulatio ſpiritus Mercurii per corporis ſolutionem: ſitque tunc res vna, de qua paſſim in libris ſuis Philoſophi loquuntur, dicentes; Eſt vna ſola res, quæ vnica & ſola res Mercurius noſter exiſtit, in ſe continens proprietatem & naturam metallorum omnium, & ob id Mercurius Lapis Philoſophorum nuncupatur a pleriſque: & quamquam re vera non ſit, eſt tamen clauis metallorum vnica, carens nihilominus tingendi proprietate per ſe, niſi ipſemet prius tingatur cum anima Solis aut Lunæ. Nullus igitur ſpiritus agit in alium ſpiritum, neque etiam vllum corpus in aliud corpus. Ars porro hæc in ſolo ſpiritu & corporis anima conſiſtit, puta ſulphuris & Mercurii: ſulphuris enim anima eſſentia quædam corporea exiſtit. Quamobrem qui extrahere non norit animam è corpore Solis vel Lunæ, atque eandem corpori in proiectione reſtituere, is tota ſe ſciat aberrare via. Id autem hoc fit qui ſequitur modo: Corporis anima, Solis ſcilicet vel Lunæ, elicitur ſiue extrahitur medio ſpiritus Mercurii, atque ea ratione Mercurii ſpiritus exaltatur & melioratur, ac anima cum ſpiritu conformis counitur, quam vnionem animæ & ſpiritus corpus ſcilicet Veneris vel Iouis poſtmodum in ſe recipit, ac vitam inde accipit perfectionis, atque ſic corpora imperfecta à ſua imperfectione, ad imperfectionem deducuntur ac reuiuiſcunt; idque lapidis noſtri virtute & beneficio. Fit ergo, vti dictum eſt, noſter lapis ex vna ſola re, vno tantum magiſterio & regimine, noſtra enim aqua Philoſophica, Solis & Lunæ ſoluit corpora, ſiquidem aqua noſtra viua exiſtit, continetque ob ſuam exuberantem perfectionem in ſe omnia quibus indiget. Hæc igitur inuenta varia apud Philoſophos nomina ſortitur. Eſt enim pura illa & tranſparens aqua in qua & Solis & Lunæ corpus ſoluitur; neque id proprie in alia vlla re huius mundi; id autem ita ſeſe habere Philoſophos audi. Lapis, inquiunt, noſter, ſcilicet corpus Solis vel Lunæ, diſſoluit ſe in Spiritu Mercurii, qui vna cum eo ſe coagulat, ſeipſum

nigre-

nigrefacit, albificat, & rubificat; ac per se animam Solis vel Lunæ recipit, & se cum ipso desponsat, seipsum figit in Solis vel Lunæ anima. Lucianus Philosophus, Lapis, inquit, noster aereus est & volatilis, extrinsecus frigidus & humidus, intrinsecus autem & occulto suo calidus & siccus. Frigidum autem eius & humidum extrinsecum, quod apparet, fumus quidam aqueus est, destructio, alteratio, & nigredo quædam seipsam corrumpens, atque alia quæque secum: fugitque & aspernatur hæc ipsa humiditas ac frigiditas ignem: calidum autem & siccum in ipso occultum aurum est, vel certe oleum illud purissimum corpus penetrans, neque ignem fugiens aut metuens. In Alchemia autem præter calidum & siccum tingit nihil. Fac igitur vt frigidum & aquea illa humiditas & extrinsece apparens conformis atque similis sit calido & sicco intrinsecus occulto: id vide vti vnum quid deueniant, & homogenea, seu vnius naturæ efficiantur in essentia: id est, vt spiritus Mercurii anima fiat, & anima corporis fiat spiritus, isthoc nempe modo tingendi ac penetrandi vim nancisceris & potentiam. Humiditatem igitur per certos ignis gradus turbari siue alterari necesse est; igne videlicet lento ac moderato. Lapis porro noster hoc fit modo. Sumito Mercurium. Citra ipsum enim ne natura quidem ipsa potis est laborare, vti Rhasis testatur, inquiens, Per solum Mercurium possumus perficere opus nostrum, ita vt omnem naturam superet. Mercurius enim de facili omnibus metallis associatur, estque vnicum medium, per quod tinctura adsciscitur. Re vera autem Mercurii natura hoc vnum, quod suæ naturæ est, è mineris auri vel argenti ad se rapit, atque id quod conforme est Mercurii spiritui cum tota proprietate, & sic fit terreus Philosophorum lapis, naturalis, incomprehensibilis, innumerisque etiam aliis nominibus à Philosophis nuncupatus. Iste autem lapis benedictus, quo magis ac diutius decoquitur, tanto magis soluit corpus Solis vel Lunæ, & in solutione denigratur; & quo magis soluit, tanto magis siccatur & albescit; ac post albedinem, quo magis decoquitur, tanto magis fit rubeus; idque procul vllo dubio. Lapis itaque noster istiusmodi è re abiecta & vili exaltatur in rem & thesaurum pretiosissimum. Ait enim Geber, Hoc solum fit per nostrum Mercurium, per nostrum ignem, per

fff nostram

noſtram aquam, per noſtrum acetum; hoc eſt, per vnicum cum ſuo corpore Mercurium. Sumito igitur auri vel argenti foliati, quali pictores vti conſueuerunt, partem vnam, quorum alterutrum quanto fuerit magis tenue, vel ſubtilius, tanto citius in Mercurium conuertetur. Impone autem fornaci hermeticæ formatæ vti noſti, addens ei Mercurii vt par eſt purgati partes duodecim; & amalgama facito, ponens bene ſigillatum vas in cinere cribrato & ſicco, ita vt materiam cineres cooperiant; ac poſtea ignem adminiſtrato lentum & moderatum, continue coquendo tantiſper quo ad ſapientum dicta compleantur, quæ ex ſignis agnoſcuntur. Vbi iam menſe vno integro in igne ſteterit ſapientiæ, nigræ oriuntur nebulæ, paulatim ſeſe diſperdentes ac euaneſcentes: hoc eſt, colorem color ſenſim conſumit, quoad tandem vnus permaneat: eſtque hic Philoſophorum Mercurius & nigredo perfecta. Porro ſi tres tantum Mercurii partes aſſumpſeris, cum vnica corporis parte, nimis parum Mercurii habueris, quodque vix trium menſium putrefactioni ſufficiat, atque ita citius quam par eſt, vel quam ipſa Mercurii natura deſiderat, Mercurii aqua ab Solis vel Lunæ anima abſumetur. Præſtat igitur ſtatim ab initio duodecim Mercurii partes cum vnica corporis ſumpſiſſe, & in ſigillato vaſe cineri impoſuiſſe: hinc coqui permittito trium menſium ſpacio. Tunc ſiquidem quod occultum erat, videlicet anima, fit manifeſta, & manifeſtum, ſcilicet Mercurius, fit occultus. Iſtiusmodi porro extractio animæ per Mercurii ſpiritum non vna vice ſemel & ſimul accidit, ſed vicibus pluribus, quoquo tempore & diebus; nec non ſingulis quibusque horis & momentis paululum quid, quoad opus ad perfectionem deductum fuerit, vti ſuperius etiam ſcriptum eſt. Id ita atteſtante Seniore dicente: Anima à corpore vna non ſimul exit vice, ſed pluribus elicitur: neque in vaſe continente ſolutionem, ſeu in quo corpus ſoluitur, vnica in eo vice ſoluitur; ſed quotidie in eo paululum quid, atque rurſus alias tantillum, ſecundum operantis & naturæ regimen. Non igitur cogites, vna vice corporis ſolutionem fieri, ſed ſucceſſu temporis ac paulatim, prout ſuperius Philoſophorum dicta dilucide atteſtantur. Huius ergo artis inquiſitorem, ac in ea ſeſe exercentem, conſtantis & immutabilis eſſe animi ac voluntatis, apprime neceſſarium eſt. Idque præci-

præcipue caueat, ne modo vnum opus aggrediatur, ac modo aliud, relicto priore, experiri tentet. Ars enim iſta in multitudine ſpecierum minime conſiſtit; ſed in corpore & anima. Eſt autem re vera medicina noſtri lapidis res vnica, vas vnum, coniunctio vna, vnum regimen atque decoctio: totum enim magiſterium cum re vnica, videlicet Mercurio, incoatur, & cum re eadem, ſcilicet Mercurio terminatur & perficitur; quantumuis in artis honorem Philoſophi multas alias vias indicent, quales ſunt continua decoctio, commixtio, ſublimatio, contritio, deſiccatio, aquatio, ignitio, dealbatio & rubificatio, & quotcunque aliis nominibus dici poſſit vllo modo. non eſt tamen aliud quam vnicum regimen, quod contritio & decoctio recte dici poſſit. Mercurius denique vti terit vel conterit omnia, ſic ignis ea in perfectionem decoquit, qua de cauſa & Rhaſis ait: Coque, neque te tædeat, ne feſtines, aut inanibus animum torqueas cogitationibus, at cum diligentia patienter optatum finem expectato. Longanus præterea ita inquit: Hoc in opere curato vti vas optime ſigillatum vel clauſum aſſidue ſit, caloremque continuum & vniformem habeat, nulla enim res ſine calore & continuo motu ad perfectionem in hoc mundo deducitur. Si vero ſedulus in operatione fueris, quæcunque decoctionis ſigna diligenter obſeruabis, mentique tuæ infiges. Denique vt vas pro media parte cineribus obrutum ſit, atque altera medietas emineat curabis, idque vt quotidie inſpicere poſſis. Porro autem plerumque quadraginta dierum ſpacio apparet nigredo quædam inſtar picis, quæ aliud nihil eſt quam corporis iam ſoluti indicium. quicquid enim ſpirituale effectum eſt, ſuperiora ſeu altum petit, & omne terreum in fundo remanet; atque omne leue ſurſum, omne ponderoſum deorſum tendit. Quando autem corpus ab aqua ſua ſolutum fuerit, in nigredinem & eſſentiam incomprehenſibilem reductum, tunc præſto eſt ſolutionis tinctura in nigredine. Sic denique in vnum conueniunt quatuor elementa. Cum aere enim aquam habes, & cum igne terram. Caue tamen credas (quod ſæpius monui) tincturam vna ſolaque vice elici vel extrahi: ſed aſſidue paululum & rurſus, alias parum quid, vna nempe quotidie nigredo, tantiſper tum ſucceſſu temporis compleatur opus. Quicquid autem

cum Mercurio solutum fuerit, id sese rursum eleuat, quantumuis maior portio continue inferius remaneat. Nigredo porro ista aliquot nominum millia sortitur. Nuncupatur enim ignis, anima, nubes, caput corui: & nigredo hæc animam corpori coniungit. Istiusmodi autem nubem nostra calcinatio producit, id ita attestante Auicenna: Initium, inquit, nostrum corpore & spiritu iam coniunctis dum coniungitur in opere, calcinatio dicitur. Ad huiusmodi calcinationem Philosophi nos remittentes exemplum sumere iubent à lignis, in quibus adhuc viridibus tria existunt humiditatum genera, primum quod lignum à combustione præseruat; alterum admodum pingue & oleaginosum inflammationis & combustionis causam administrat, carentq; duo ista odore, & ab igne consumuntur; tertium autem vnctuosum ac quantitate exiguum in cinere remanet, subtileque est & perenne. Simili igitur modo de lignis iam dicto lapidem nostrum Mercurii & corporis calcinare iubemur. Hinc denique disces nigredinem expectare primitus, dehinc albedinem: quæ si in igne nostro per suum tempus digeratur, ad maximam perfectionem peruentura est. Philosophorum vero ignes, duos tantum in eorum libris reperias, siccum quidem vnum, atque alterum humidum; siccum quidem communem illum elementalem nihil non absumentem dixere; humidum autem ventrem equinum nuncuparunt, in cuius humore occultus calor reseruatur, sin vero in eo humidum diminuitur vel consumitur, diminuitur etiam & calor. Phiares Philosophus de hoc igne agens ita dicit: Igni ventris equini proprium est, aurum non destruere, corrumpere vel minuere, sed ob humiditatem suam augere potius, cum alioquin id omnis alterius generis ignis alteret & corrumpat, ob eam quam in se habet siccitatem. Ob id ita loquitur Philosophus Alchidonus: Nostra, ait, medicina re vera in igne humido fimi equini occultanda est, qui fimus sapientum ignis censetur. Turba recenset, argentum viuum nostrum esse ignem, quod corpora comburendi, corrumpendi, ac occidendi, maiorem alio quouis igne, vel elementali etiam ipso, vim obtineat, Calid id quoque asseuerante: Est, ait, ignis quidam nihil non comburens, vt teri etiam possit. Idem ait & Senior, inquiens: Est aqua nostra ignis, aurum magis comburens igne elementali, & aqua nostra omni

omni igne potentior est; siquidem aurum in spiritum conuertit, quod elementalis præstare nequit, quantumuis & is operi conueniat, tunc enim aqua nostra corpus penetrat & in terram conuertit post in puluerem vel cinerem. Nisi igitur in principio nigredo appareat, nulla etiam albedo subsequetur: cumque nigredo apparuerit, scito vltra qradraginta vel quinquaginta dies non durare, estque hoc putrefactum corpus. Putrefactio ergo corporis, initium operis est, & fit exiguo admodum calore, ne quid summitatem petat, nam si quid ascendere contingat, tunc fit separatio Mercurii à corpore: quod non prius fieri expedit, quam vir & vxor, Mercurius scilicet & anima, vnum quid deueniant, atq; in vnam perfectam essentiam nigram coniuncta vel commixta sint; quę perfecta duorum, scilicet spiritus & animæ, coniunctio, desuper perfecte apparebit, solutionis videlicet verum ac certum indicium. O fili ex animo care, ob id putrefactioni seu solutioni diligenter intentus esto, quam exiguo calore contingere necesse est, in ventre scilicet equino exigui caloris, hoc est, in Mercurio, exili calore opitulante. Quod autem argentum viuum fimus equinus sit, patet per Seniorem ita dicentem: Corpori soluto, quod septimo die solutum est omni quatriduo fimus, id est, Mercurius renouandus est, hoc est, addendus est. Hæc autem innouatio seu additio propria inbibitio dicitur, maceratio, solutio & penetratio in solidas & duras auri vel argenti partes, eorum poros penetrans, idque vt ea ratione ex eis animam elicere possimus, per nostrum Mercurii spiritum. Hoc certo statuito, statim post solutionem, id quod purum est in suo simili incrementum accipere, vti manifeste apparet in nucleis, qui si aliquot diebus calori terræ committantur intumescunt, putrescunt, & quod in eis purum & bonum existit tandem ex ipsis emergit ac prouenit, crescit & in numerum millesimum multiplicatur & augmentum accipit; id vero quod impurum est, perit ac euanescit. Ideo igitur & nos materiam nostram digerimus, vt intumescat, & quod purum est ex ipsa, accrescat, & augmentum accipiat, superfluum vero euanescat. In nostro itaque magisterio nihil præter solutionem corporis in aquam Philosophicam necessarium est. Nisi enim nucleus corporis Solis vel Lunæ eleuetur, seu reducatur in primam suam

essentiam vel materiam, frustra in vanumque omnem laborem sumpseris. Corpus siquidem per se solum efficit nihil, nisi solutum debite fuerit, vti iam sæpius dictum est, solui vero aliter nequit quam cum suo Mercurio. Omnis etenim res per quam crescit causam, per eandem etiam destruitur; neque quicquam naturæ magis consentaneum est, quam vt quæque res vinculis, quibus vincta est, soluatur ac liberetur eius rei medio à qua sumpsit originem, scilicet Mercurio. Porro autem viæ & modi soluendi corporis alicuius varii sunt & multiplices: quidam in loco fit frigido & subterraneo, humido, vel etiam arenoso, prout aquæ mercuriales; alter superiore præstantior fit in calore sicco, quod in aquis mercurialibus non contingit. Hæc autem nostra aqua fit in cinere sicco vase clauso & sigillato, estque via cum primas tenens tum cæteris longe melior; alter autem, de quo supra memorauimus, incertus & destructiuus est. Ob id ergo Philosophi solutionem suam dicunt esse vnicam, quæ corpus siccum in aquam conuertat, quasi dicant: Fac Mercurium per Mercurium, siue per aquam mercurialem. Ita enim corpus siccum propriam recipit Mercurii humiditatem, atque sic res vna & fiunt & nominantur, quoniam nihil eis addimus extraneum quicquam. In eo namque neque superest quidquam, neque deest aliquid; quod destructioni ansam dare queat. Si vero materiam tuam in penu aliquo in aquam nubis loco humido conuertere tentaris, destructionem isthinc accipiet, quoniam loco humido materia inficitur ac intoxicatur. Multos vtique multa dicentes reperias artis huius prorsus ignaros, principiorumque metallicarum specierum plane inscios, artem hanc diuinam hisce Aristotelis è 5. Meteororum verbis calumniantes & spernentes, quod is præfato loco ita dicat: Sciant inquisitores artis, species metallorum immutari no n posse, velut ex ære, stanno, plumbo, ferro, argentum vel aurum, vt fieri queat. Idque vti dicunt ita se habet: nulla siquidem interueniet immutatio; nisi prius in primam suam materiam & essentiam aquæ mercurialis reducantur ac resoluantur, atque sic in aliam essentiam, quam prius erant, reductæ sint. Audi quid sequatur: Magisterium nostrum formam corporum maxime destruit: vidimus enim corpora in argentum viuum conuersa, quod multi hominum impossibile cre-

dunt

dunt, estque in causa sola supina ipsorum ignorantia, quod nesciant omnia metalla generari, & originem accipere ex Mercurio & sulphure. Porro autem si ex Mercurio metalla cuncta originem ducunt suam, quid quæso obstet, quin cum Mercurio in Mercurium rursum reduci queant? Eius possibilitatis exemplum accipe: Vt glacies calore rursus in aquam reuertitur, ita etiam corpora quæque crescunt, & incrementum accipiunt omnia viuentia, quod & in arboribus, plantis, nec non in animantibus conspicuum est, vnicum enim granum aut nucleum aliquot mille millia producere cernimus, & vnam arborem innumeros surculos. Si ergo & metalla è terra nascuntur ac in ea crescunt, verisimile vtique est & credibile, & augmentum & incrementum, vt cæteris, ipsis quoque dari posse. Sat superque iam de rerum conuersione a nobis dictum existimamus; cunctisque satis iam probatam & cognitam ex prædictis conuersionis possibilitatem: quod ipsum Philosophos induxit, vt ita dicerent: Quicumque aurum vel argentum ita destruere norit, vt postmodum in aurum vel argentum reduci non possint, is ad magisterium peruenit. Facilius enim est corpora destruere, vel eorum formas conuertere, quam re vera est, quod accidere videmus, cuprum scilicet recipere tincturam auri & fieri orichalcum, ex plumbo fieri cerussam & minium, & è minio vitrum, remanente semper plumbi essentia. Atque ita singula in propria & inconuertibili sua manent essentia. Hinc prudens quisque facile collegerit, nullam recte corporis solutionem fieri posse, quam in proprio suo sanguine; neque quidquam vtilitatis posse obtingere vel commodi, nisi prius corpus solutum fuerit: cuius solutionis modus & via breuibus dilucide sequitur. Accipe in Dei omnipotentis nomine, Mercurium septies optime sublimatum, ac eundem rursus viuifica per calcis viuæ partem vnam, atque eiusdem ponderis partem dimidiam tartari crudi, & sic optime purgatus erit, vel purgato sane quam noris optime, vtque commodum censebis. Huius ita purgati Mercurii sumito partes tres, & auri vel argenti in tenuissimas lamellas vel folia redacti, qualibus pictores vti consueuerunt, partem vnam, impone lanci vel scutellæ solutionis, atque in ea optime terantur & commisceantur vt amalgama inde fiat. Hoc facto ac peracto alias nouem Mer-

curii partes, vt par est purgati ei addito, & impone vasi tibi cognito, atque id cineri cribrato & sicco imponito, ita vt cineres materiam paululum quid excedant, administrando ei calorem mediocrem & continuum. Atque ita senex in balneo sedet, quem in vase optime sigillato & clauso contine, quoad Mercurius visibilis inuisibilis fiat & occultetur, corpus autem inuisibile & occultum compareat & fiat visibile. Atque hoc id ipsum est, quod Philosophi solutionem, & sublimationem & infinitis variisque aliis nominibus nuncuparunt; cum re vera vna tātum res, vnum opus, vnum regimen, vas vnum, & vnicus furnus existat. Porro autem quando in mediocri calore quadraginta dierum steterit spacio, desuper comparere incipit nigredo quædam instar picis, quæ caput corui Philosophorum est & sapientum Mercurius. His finem facientes, soli Deo & honorem & gloriam adscriptam volumus.

Conclusio summaria ad intelligentiam Testamenti seu Codicilli Raymundi Lullii, & aliorum librorum eius; nec non argenti viui, in quo pendet intentio tota intentiua, quæ aliter Repertorium Raymundi appellatur.

AQua vero nostra Philosophica secreta tribus naturis componitur, & est aquæ mineræ consimilis, in qua lapis noster dissoluitur, & in ea ipsa terminatur, dealbatur & rubificatur. Non enim operi coniungitur, nisi essentialiter, humefaciens partes lapidis resoluti, cuius phlegma præseruat totum opus à combustione, mediante industria artificis. Verumtamen noueritis, totam eius substantiam, scilicet phlegmaticam, decoctione a toto composito separari. Est autem phlegma nostrum substantia media, & aqua Mercurii prima, in qua principium lapidis est; scilicet eius dissolutio, nec intrat cum ea, quamuis se vicissim complectantur naturæ nexu, ab altero, nisi tanquam phlegma exhumectans partes rerum, & non generans vel augens, vnde radicales humores sunt essentiales partes lapidis sibi ipsis rebus imbibitæ; ex quibus constant partes rerum duntaxat; per istud vtique augetur & nutritur. Est autem istud vere germinata natura, quæ quanto magis in suo vase per ignem

ignem exigentem cum phlegmate decoquitur, tanto magis insita cum singulis partibus decoratur, & sic aptior redditur, vt ex ipsa fructus multiplex generetur: hoc enim dicitur natura media, & lapis Mercurius, & arsenicum, & spiritus subtilis duabus participans extremitatibus, sulphur album & rubeum, stringens Mercurium, & conuertens ipsum in argentum melius quam de minera. Phlegma autem, in quo decoquitur sulphur nostrum, quod dicitur aurum, istud est in quo intercipitur spiritualiter aer humidus in Mercurii substantia, donec & ipsius pars media in aquam condensetur, actione caloris corporis mediante. Nam corpus metallicum velut virtus agens, operatur tanquam masculus, & istud ideo, quia de proprietate sui est, quoniam calor ipsius in humido concluditur aereo, qui cum intrat poros Mercurii frigidi, patitur & alteratur paulatim & paulatim; atque ita quoque illud quod digeritur per calidum naturale, id resoluitur in aquam per minima, quoniam de proprietate cuiuslibet elementi est habere contrarietatem in se, & agere in suum contrarium: partes autem quæ in aquam non resoluuntur, sunt in forma argenti viui amalgamati cum corpore, quæ resolui nequeunt, nisi magis subtilientur per sublimationem. Et ideo lutum, si volueris frigiditate resoluere, magis ipsum coagulas. Calor autem corporis digerit quidem & resoluit Mercurium, quantum densatur in aquam cum suis partibus Mercurii alibi dissolutis. Et sic phlegma nostrum ex tribus constat substantiis essentialibus, quæ quidem essentiæ elementorum sic diriguntur ad inuicem, quod plurimum vniuscuiusque cum plurimo alterius, ac minimum vnius cum minimo alterius, alterans est ad inuicem qualitatibus ipsorum. Vnde Alexander: Quod mixtionem elementorum faciunt, eo quod elementa quosdam effectus melius operantur in mixto quam in simplici, & id ideo quoniam in tali mixtione remanent propriæ essentiæ elementorum, quæ sunt propriæ virtutes operatiuæ, vt patet per aquam nostram Philosophicam, quæ dicitur metallina, eo quod ex solo genere metallico generetur. In hac enim aqua sulphuris est dispositio media, quæ est inter mollitiem & duritiem, mediante qua fit transitus à mollitie argenti viui ad duritiem metalli perfectissimam. Vnde, inquam, fit per dissolutionem determi-

natam, quæ participat duobus contrariis: nec est ista dispositio essentialis argenti viui & sulphuris in sua substantia seu natura, sed solum pars illorum, ex quorum alteratione, essentialium partium ad terream substantiam mediam vnanimiter peruenitur. Ideo fixionem quandam suscipit, tanquam spiritus fixionis proximus in requiem fixionis; quoniam cum fixatur, separatur phlegma eius per desiccationem a toto composito generato. Ad suscipiendum ergo phlegma condensa aerem per calidum & siccum, & siccum rarifica,& calidum & humidum habebis. aereum vaporeum spiritualiter suscipitur in auri materia, & aliorum mixtorum, & ideo in ipsum citius resoluuntur. Aqua vero nostra post eius separationem per alembicum est in colore clara sicut aqua communis, & in principio suæ operationis per filtrum, est in colore pallida, sicut altitudo palearum tritici: cuius causa est digestio, conuertens corpus ad citrinitatem: & antequam separetur per filtrum,est nigra: cuius causa est corruptio terrestris tenebrosi corporis, lucidiores partes spiritus obtegentis in forma corrupta, quamuis ita non sit. Et post eius decoctionem completam, quod fit per rarefi-cationem, est candida in occulto: qui quidem candor non est aliud quam spiritus à corpore resolutus deportatus à phlegmate. Phlegma vero variatur in colore, quotiescunque autem spiritus variatur, & toties phlegma: quoniam phlegma non variatur nisi in forma: nam spiritus, in qualibet decoctione variatur in colore; & certe materia etiam in pondere augmentatur in virtute & potentia. Cum enim nigrum imbibitur cum aqua post separationem per filtrum, albescit materia nigra super porphyde: sed statim cum materia conteritur albedo occultatur in materia, & sic facit donec virtus aquæ vincat virtutem terræ. Attamen antequam ad terminum eius verum in colore terræ peruenerit,multi & quasi infiniti colores apparebunt, de quibus certissime nesciret aliquis dare intelligentiam. Facit enim terra in decoctione sua cum aqua sua, multas glandulositates siue gibbositates ad modum ampullatum, in quibus apparent omnes colores mundi, ita resplendentes, quod raro quis crederet, nisi qui videt vel expertus est. Substantia vero huius aquæ est spiritus corporum lucidus atque illuminans, qui in radice naturæ metallo erat vnitus & coagulatus cum igne, scilicet

virtute

virtute minerali, & cum coagulatus est inuenitur participans duabus naturis & extremitatibus, est enim partim fixus & partim volatilis, & ideo dicitur medium, in quo est virtus fixatiua: & dum figitur sequitur naturam propriam metalli. Hoc enim vocatur sulphur & liquor durus, ad modum spiritus in puluerem sublimatus, nunquam enim potest creari liquabilitas in materia aliqua, nisi mediante isto spiritu liquoroso. Iste enim spiritus generatur ex substantia duorum humorum contrariorum, quoad caliditatem & frigiditatem, & vnius generis quoad suam radicem, quorum vnum est Sol, & aliud argentum viuum in vno gradu. In alio vero gradu est Luna & argentum viuum. Veruntamen hoc argentum viuum differt in certo gradu, quando cum Sole coniungitur: cum non sit argentum viuum in natura sua, quod alias habeat virtutes fortiores, quæ sunt caliditatis. Argentum viuum tanquam materia patiens, iungitur Soli tanquam agenti: non autem Sol iungitur cum argento viuo, vt masculus cum femella; sed è conuerso; quoniam realiter natura argenti viui media dominatur in auri materia & corrumpit ipsum, ac si ageret in eo sicut masculus, non autem solummodo corrumpit ipsum, sed alterans ingreditur humiditatem fixam & calidam Solis, cum suo spiritu; & hoc mediante illo spiritu, in quo deportatur vtriusque germen, vnde Sol non iungitur cum argento viuo, nec argentum viuum cum Sole, nisi per substantiam mediam; nec vnum diligit aliud nisi per talem dispositionem naturæ affinem, quorum substantia vna, scilicet argenti viui, supereminet substantiam Solis in quadrupla sui parte, & Lunæ in dupla sui parte, eo quod frigidior Sole, quoniam virtutes actiuæ maiores in Sole quam in Luna in principio confectionis lapidis. Veruntamen quantitas materiæ Solis non excedit precium in veritate vnius aurei, plus autem excedit in pondere materia Lunaris, eo quod terrestrioris naturæ & fragilioris virtutis est, & ideo cum auri natura confortatur, & sine ipsa debilitatur. Nam Luna quamuis frigida sit apud omnes; calida tamen est in certo gradu, sed non habet tantam virtutem, quod possit agere in materiam passiuam argenti viui, nisi ei succuratur per materiam magis actiuam. Et ideo terra sulphuris præparatur cum arsenico sicut argentum viuum cum

sul-

ſulphure noſtro. Sulphuris autem præparatio, eſt, quod ſi coquatur cum oleo ſuo, cum modico fermenti, infra octo dies reuertetur in puluerem rubicundiſſimum tingentem argentum in aurum.

Vbi ſeruetur materia quæſita.

SEparatio autem aquarum, & cur debeant poni in opere, & quid de ipſis debet fieri, iam enarratum eſt, & in libris etiam Philoſophorum ſatis ſuperque. Dixi quod materia quæſita reſeruatur in humido phlegmatico conſeruatiuo, & putrefactio cum ſua ſpiſſitudine in furno ſecreto Philoſophorum.

Qualiter fiat deſtillatio.

DEſtillatio fit per venas vitri, absque ſeparatione materialium, imo cum coniunctione in furno noſtro ſecreto, & eſt noſtra ſublimatio. Et iam de medicorum naturis ſatis enarratum eſt.

Quomodo corpora nutriuntur.

COrpora autem non nutriuntur, ſed ſolummodo germen eorum in ſeipſis cum decoctione ignis varie recto, quoniam in hoc eſt aſpicienda practica. Nam & corpora non ſunt niſi eorum ipſorum germinis pabula, quoniam hoc certum eſt, quod corpora mutantur, alterantur, & reducuntur ad naturam germinis ſpermaticalis. Ipſum germen augmentatur congelando, & nutritur ſeipſum dilatando, ſicut puer in lacte matris, ita quoque corpora tanquam fercula eius reſoluũtur, & in ipſum conuertuntur. Sicut quoque diſſolutio corporum tunc fit cum ſpiritus congelatur & mutatur, & congelatio ſpiritus fit cum corpora diſſoluuntur. Coagulatio vnius naturæ non fit abſque diſſolutione alterius; nec è conuerſo. Et forma aduenientis non poteſt fieri abſque corruptione formæ præexiſtentis. Forma quidem corporum propter formam ſpirituum aduenientem, & tota ſubſtantia corporum cedit in alimentum & formam ſubſtantialem: ſicque omnis ſolutio mortificatio eſt; ſicut omnis congelatio viuificatio eſt, & cauſa vitæ propinquiſſima.

De forma vaſis.

FOrma quidem vaſis artificialis, in quo dictum opus perficitur, talis eſt, æqualis ſcilicet formæ vaſis naturalis cum ſuis longis venis, in quibus fit puri ab impuro ſeparatio

ratio : nec eſt alterius formæ, & eſt vnicum vas cum duobus cornibus, nam ad hoc debemus præcipue naturam imitari.

Quomodo fiat fermentum.

FErmentum autem fit poſt originem infantis, quo ſibi adminiſtretur optimum ferculum, vt corpus exiſtens cum tota ſui ſubſtantia debile, magis ac magis ſuſtentetur, & reducatur in naturam fortiorem. Nam fermentum nihil aliud eſt quam cibus cibalis, conuertibilis in eſſentiam infantis, vt totum efficiatur opus vnius naturæ. Veruntamen in tali cibo præcedit ipſius præparatio, nam hæc fermentatio cibalis debet eſſe de ſua propria natura, & ſibi aſſimilari: quoniam niſi aſſimilaretur ei, nunquam in eorum naturam incorporaretur, vel conuerteretur in naturam ſulphuris.

Quare fermentum præparetur.

PRæparatur quidem & ſubtiliatur, vt pure ſit nutrimentalis & facilis conuerſionis. tunc talis eſt natura noſtri lapidis, vt ſit conſeruatiuus & confortatiuus. Quanto ergo magis præparamus fermentum, tanto magis habile erit ad conuertendum & digerendum.

Quot modis fiat præparatio.

FIt autem præparatio multis modis. Vno modo per diſſolutionem in aquam lapidis, & per reductionem: alio modo per calcinationem & lauationem cum argento viuo, & eleuationem eius ſubſtantiæ mediæ. Deinde per diſſolutionem lapidis, & aquarum coniunctionem, & per iſtum modum eſt faciliter conuerſiuus. Alio modo per incerationem calcis, & per diſſolutionem eiuſdem. Alio modo per vacuitatem ſuæ naturæ terreſtris, duræ & compactæ. Lapis enim noſter eſt coniunctio Solis & Lunæ, donec Sol traxerit ſubſtantiam Lunæ ad ſuam naturam & colorem. Hoc vero fit cum igne lapidis. Deinde continuetur donec perficiatur cum rebus ſui generis.

Quomodo medicina ingreſſum habeat.

MEdicinæ autem tam albæ quam rubeæ eundem poſſunt ingreſſum habere in id quod eis coniungitur per minima. Si autem volueris proiectionem facere ſuper corpus, pone de eius ſpiritu in elixire, & per tale artificium habebit ingreſſum in illa materia. In hoc latet practica apud complures. Nota quod quando fit coniunctio Solis & Lu-

& Lunæ, fit ficut corpus fimplex, quod recipit formam cuiusque quod ei adiungitur. Cum igitur lapis fit ad album vt dixi fit.

Ioannis Pontani, fummi Philofophi, epiftola, in qua de lapide, quem Philofophorum vocant, agitur.

EGo Ioannes Pontanus multas perluftraui regiones, vt certum quid de lapide Philofophorum agnofcerem, & quafi totum mundum ambiens, deceptores falfos inueni, & non Philofophos, femper tamen ftudens, & multipliciter dubitans, veritatem inueni. Sed cum materiam agnofcerem, ducenties erraui, antequam veram materiam, operationem, & practicam inueniffem. Primo materiæ operationes, putrefactiones nouem menfibus cœpi, & nihil inueni: etiam in balneo Mariæ per tempus aliquod pofui, & fimiliter erraui. Enimueto in calcinationis igne tribus menfibus pofui, & male operatus fum: omnia deftillationum & fublimationum genera, prout dicunt feu dicere videntur Philofophi, ficut Geber, Archelaus, & alii fere omnes, tractaui, & nihil inueni. Denique fubiectum totius artis Alchemiæ omnibus modis, qui excogitandi funt, & qui fiunt per fimum, balneum, cineres, & alios ignes multiplices generis, qui tamen in Philofophorum libris reperiuntur, perficere tentaui; fed nihil boni reperi. Quapropter annis tribus continuis in Philofophorum libris ftudui; in folo præfertim Hermete, cuius verba breuiora totum comprehendunt Lapidem; licet obfcure loquatur de fuperiore & inferiore, de cælo & terra. Noftrum igitur inftrumentum quo materiam deducit in effe in primo, fecundo, & tertio opere, non eft ignis balnei, neque fimi, neque cinerum, nec aliorum ignium quos Philofophi in libris fuis pofuerunt. Quis igitur ignis ille eft, qui totum perficit opus a principio vfque in finem? certe Philofophi eum celauerunt. Sed ego pietate motus eum vobis declarare, vna cum complemento totius operis volo. Lapis ergo Philofophorum vnus eft, fed multipliciter nominatur, & antequam agnofcas erit tibi difficile. Eft enim aqueus, aereus, igneus, terreus, phlegmaticus, cholericus, & melancholicus; eft fulphureus, & eft fimiliter argentum viuum

uum, & habet multas superfluitates, quæ per Deum viuum conuertuntur in veram essentiam, mediante igne nostro: & qui aliquid à subiecto separat, putans id necessarium esse, is profecto in Philosophia nihil nouit, quia superfluum, immundum, turpe, fæculentum, & tota denique substantia subiecti, perficitur in corpus spirituale fixum, mediante igne nostro. Et hoc sapientes nunquam reuelarunt: propterea pauci ad artem perueniunt, putantes aliquid tale superfluum & immundum. Nunc oportet elicere proprietates nostri ignis, & an conueniat nostræ materiæ, secundum eum quem dixi modum, scilicet vt transmutetur, cum ignis ille non comburat materiam, nihil de materia separet, non segreget partes puras ab impuris (vt dicunt omnes Philosophi) sed totum subiectum in puritatem conuertit: non sublimat sicut Geber suas sublimationes facit, similiter & Arnoldus, & alii de sublimationibus & destillationibus loquentes in breui tempore perfici. Mineralis est, æqualis est, continuus est, non vaporat nisi nimium excitetur, de sulphure participat, aliunde sumitur quam à materia, omnia diruit, soluit & congelat, similiter & congelat & calcinat, & est artificialis ad inueniendum, est compendium sine sumptu aliquo, saltem paruo: & ille ignis est cum mediocri ignitione, quia cum remisso igne totum opus perficitur, simulque omnes debitas sublimationes facit. Qui Gebrum legerent, & omnes alios Philosophos, si centum millibus annorum viuerent non comprehenderent, quia per solam & profundam cogitationem ignis ille reperitur, tunc vero potest in libris comprehendi, & non prius. Error igitur istius artis est non reperire ignem, qui totam materiam conuertit in verum lapidem Philosophorum. Studeas igitur tibi, quia si ego hunc primo inuenissem, ego non errassem ducenties in practica super materiam: propterea non miror si tot & tanti ad opus non peruenerunt. Errant, errauerunt, errabunt, eo quod proprium agens non posuerunt Philosophi, excepto vno, qui Artephius nominatur, sed pro se loquitur: & nisi Artephium legissem, & loqui sensissem, nunquam ad complementum operis peruenissem. Practica vero hæc est. Sumatur & diligenter, quam fieri potest, teratur contritione physica, & ad ignem dimittatur, ignisque proportio sciatur, scilicet vt tantummodo excitet materiam, & in breui tempore ignis ille

ille absque alia manuum appositione de certo totum opus complebit, quia putrefaciet, corrumpet, generabit, & perficiet, & tres faciet apparere colores principales, nigrum, album, & rubeum. Et mediante igne nostro multiplicabitur medicina, si cum cruda coniungatur materia, non solum in quantitate; sed etiam in virtute. Totis igitur viribus tuum ignem inquirere scias, & peruenies; quia totum facit opus, & est clauis omnium Philosophorum, quam nunquam reuelauerunt. Sed si bene & profunde super prædicta de proprietatibus ignis cogitaueris, scies, & non aliter. Pietate ego motus hæc scripsi, sed vt satisfaciam, ignis non transmutatur cum materia, quia non est de materia; vt supra dixi. Hæc igitur dicere volui, prudentesq; admonere, ne pecunias suas inutiliter consumant, sed sciant quid inquirere debeant: eo modo ad artis veritatem peruenient, & non aliter. Vale.

Ignoti.

Est quædam ars nobilis, dicta Alchemia;
Quam non quærat mobilis, vel stans in fantasia.
Petit enim clericum valde industriosum,
Raro vero laicum nisi summe ingeniosum,
Sinite corruptibilia, sales, & atramenta,
Et quam plura alia, quæ corrumpuntur per cæmenta.
Est firma tinctura in Mercurio latens
In igne permansura, vt Sol, vel Luna nitens:
Non tamen vulgari, sed crescente vt herba.
Oportet speculari sapientem hæc verba:
Anima extrahitur spiritu mediante,
Et mundificabitur igne cooperante.
Hæc est Lunaria arbores & folia,
Nomina habens varia, vitrea scandens dolia.
Quæ cum sublimatur clara atque munda,
Ex ea destillatur permanens sic vnda,
Cum qua etsi tingitur particula nostri æris,
Estque vilis pretii in quo latet totum.
Plures sunt huius inscii: Philosophis est notum.
Lapis trinus est & vnus, spiritus, corpus, & anima.
Deificum est quoque munus bene sapere hæc nomina.
Hæc est vera comparatio ipsius Trinitatis.
Et nulla est deuiatio respectu vnitatis.

Alte-

Alterius.

ALCHEMIA extat ars creabunda
Vt in eius patet practica.
Neque puluis, calx, nec vnda
Corpora tingunt metallica.
Alumina, sales, sulphura, terræ,
Corpora nequeunt transferre.
Via artis neque physica;
Sed nec radices herbæ, nec vermes,
Basiliscus, neque stellio:
Sed hæc res tingens, vt ait Hermes
Solum latet in Mercurio.
Si non tingunt herbæ, nec liquores,
Quid vis tingat quam Mercurius?
Non vulgi, sed auri portans flores,
Et existens auro purior.
Hoc est elixir verum & perfectum,
Et tingens aurum in melius.

Alterius antiquissimi.

SI felicitari desideras, vt benedictionem Philosophorum obtineas,
Viuit Deus in æternum, viuat hæc veritas tecum.
Ouum in mundo obseruabis quod proprie dicitur Philosophorum.
In testudine manet, album & rubeum continet.
Vnum masculus dicitur, aliud femina nuncupatur.
Animale, vegetale, minerale nullum reperitur tale.
Actiuam habet vim & passiuam, substantiam mortuã & viuã;
Secum habet spiritum & animã, q̃ vocat ignarus rem vilissimã.
Quatuor continet elementa in suo gremio contenta.
Vbiq; est, vbiq; reperitur, ab omnibus communiter habetur.
Paruo emitur precio; libra habetur vno solido.
Ascendit per se & nigrescit; descendit & albescit;
Crescit & decrescit; res est quam terra producit.
De cælo descendit, pallescit & rubescit,
Nascitur, & moritur, resurgit, & post æternum viuit.
Per plures vias tendit ad finẽ: sed decoctio eius fit per ignem.
Est lenta, modesta, fortis, & augmentatur,
Vsque quo securius quiescendo rubificatur.
Hic est iuxta votum dictus Lapis Philosophorum.

ADbonam paſtam vtere aquá atque farina;
Nec non fermento,modo ſimili in lapide noſtro.
Hæc tria reperies phyſicorum dicta referre.
Eſt in Mercurio ſecretum;in reliquo nullo.
Mortificat ſeſe Saybat,& viuificat ſe.
Nam metallorum cunctorum cum ſit origo,
Ex eo cum conſtent,ſic reſoluentur in illum.
Finis,principium,hic extat,& eſt mediator.
Extrahit,inducit,animam ſuo corpore figit.
Putreſcit,lenit,tribuit bonum tibi pondus;
Efficitur tale cui permiſcebitur ipſe.
Qualia Mercurio ſeminabis, talia metes:
Quibus dum immoritur,ex ſe fructum dare fertur;
Solis & Lunæ ſunt ſulphur Mercuriusque
Opera naturæ,longa per tempora coctæ,
Horum non ſolum ſed cunctorum aliorum,
Eadem principia cum nos habeamus vt ipſa.
Cur non tunc opera faciemus ſic velut ipſa?
Æmula naturæ ars ſemper dicitur eſſe,
Nam ſequitur aliis præliis artem fugitiui
In quantum poteſt,licet ipſa plus ea poſſit.
Natura iungit ſua facta,in ſe quoque creat.
Aſt cum fermento naturæ,quod caret illo,
Ars curtat facta,ſine quo non perficit ipſa.
Nam ſine fermento nihil pinſare memento.
Hæc cum feruore conſueuit & ars breuiare.
Omnis in interitum ab imis trahitur ægre.
Qui ſeraturas ſeratas vult reſerare,
Caudæ caput iungat:ſic tu poteris reperire
Quid ſit fermentum,tibi dotale documentum.
Eſt panis ſimilis pani,ſic vitaque vitæ.
Extat fermentum per conſimile ſpecierum.
Nam generat ſimile ſemper vnus ſibi quisque.
Ex ſemine proprio ſit quidvis,vt ab vpupa quoque;
Sic ſimilis ſimilem generat,leporem quoque lepus.
Qualia quis ſeminat,is ſemper talia metet.
Quod lapis eſt ſcimus,quis ſit ſi ſcire velimus,
Extra nos imus,niſi donet ſummus & imus.
Hic lapis à ſpiritu,ſimul & à corpore naſci,

Neq

Nec non ab anima nominatur, sic bene iuncta
Ac fermentata dicuntur hæc tria mixta.
Arsenicum fore dic animam, sed spiritus extat
Argentum viuum, calx corpus dicitur esse.
Spiritus ac anima fermentant corpora munda,
Tingens & mergens calx figit, & est elixir.
Quod Saybat figit, quod corpora plurima tingit.
Extat arsenicum nostrum, de corpore tractum,
Extat hoc medium quod nunquam in corpore fuit.
Perficit hoc dicta nullius egens in alchemia.
Hac varis aqua fructus producitur à qua
Albat, purificat, separat, iungit elementa,
Par & Mercurio tunc laton se decorabit.
Quod solem causat, nec non Sole mediante
Firmare debes spiritus in corpore omni
Corpus dissolui bene dum id solicitaui.
Et est vita rei cuiusque, mundique caput,
Vt separat Iouem stare quo nunquam stabilitur,
Cum soluens sit Azot imbibitur & adaquatur
Nouies vel incirca, ita totum videbitur Azot,
Et volatile fit, cum spiritu quo adiuuetur.
Recte figatur vt non separetur ab illo,
Vertitur in animam corpus totum & vice versa.
Et fit elixir mutans Saybat omne.
In liquido Saybat opus omne figere debet,
Intus & exterius, vtrisque vel modis vtor:
Imbibet tibi ipsum, quia merito Sol soluendo
Si non sufficiant memorata renouabo.
Exterior ignis non excipit interiorem
Alio calore superueniente qualicumque:
Sed si firmatur, scoriæ totum similatur.
Hoc cum fermento fermentum fortificatur.
Argentum volitans est ignis corpora adurens,
Mortificans, fixans, stringens, regimine solo,
Quo plus miscetur tanto plus attenuatur
Azot, associatio lapidis contritio frequens
Perficit, & vnit, ars solum vasque requirit.
Est ignis graduum non huius ratio tota
Nunc caput est ignis humidus interiorque diuersus,
Est tepidus ignis, bulliens quasi, & bulliens est,

Quartus eſt feruens, ſed quintus igneus extat.
Ignem præterea tribuere ſi ſcies igni,
Mercurium cum Mercurio, tibi ſufficiunt hæc.
Sed cautus ſi ſis in primis cum ſociabis
Partem cum parte, tunc ſigna hæc bene tene.
Primo pingueſcit, nigreſcit, plus & aqueſcit,
Quarto congelat, iam tunc es certificatus
Proceſſus debite, ſic coitus vult variare
Eſt ideo internus ignis, humidusque diuerſus:
Mercurius penetrat, corpus figit, anima tingit
Fermentum in alchemia ſemen agens eſtque paternum,
Sed patiens erit Saybat, ſemen eſtque maternum
Imbibitur quoties cinere, id toties que curatur,
Et humiditatur quouſque color variatur.
Nam emendatur, gaudet auro niſi ſolo,
Putreſcit, ſoluit aqua Mercurij, denſat quoque tingit,
Extrahit hinc florem, fluxat, vexat ſeparata,
Ponderat & leuigat, mortificat, atque vitam dat.
Ingreſſum facit, miſcens ſuprema profundo.
Eſt in Mercurio quidquid quærunt ſapientes:
Nam ſub vmbra ſua viget hæc eſſentia quinta.

Alterius ignoti.

EST lapis occultus, ſecreto fonte ſepultus,
Rupibus ex mundis, conſurgens aureus vndis.
Iſte ſalutaris lapis euenit orbicularis,
Et magis in vena reperitur ſanguine plena.
Ars vnam poſcit rem quam quivis bene noſcit:
Huic aptat aliam rem, res eſt tamen vna.
Eſt artis forma mundi rectiſſima norma.
Sed non tentetur, naturam ni comitetur.
Egregiæ prolis mater eſt ſtirps regia Solis,
Solem concipiat, & prægnans germine fiat.
Si pariat ventum, valet auri pondere centum,
Si non, damnetur ſine germine proijcietur,
Candida ſi rubeo mulier ſit nupta marito
Mox complectuntur, complexaque concipiuntur:
Per ſe ſoluuntur, per ſe quoque conficiuntur,
Vt duo quæ fuerant vnum quoque corpore fiant.
Semen vt humanum puro de ſanguine natum,

Renibus

Renibus extractum, matricis corpore sumptum,
Femineo iunctum cum semine fit velut vnum,
Dat calor innatus sibi vitæ præmia flatus.
Dirue rem captam tibi, per lympham satis aptam,
Leniter extractam, sic massam contere factam.
Sed ne festines, naturæ suspice finem,
Cuius bis sena pars insit germine plena.
Et dissoluatur lapis, & liquor egrediatur,
Ac vas claudatur iugiter dum conficiatur,
Ignis confletur, lentissimus ignis ametur,
Non extinguatur totum nisi perficiatur.
Hic lapis ex acto cum puluis sit sine tactu
Simplex, corrosus, niger, multum preciosus,
Instat conceptus, liquidi sic fonte receptus,
Et cinis albescat, & toto fonte liquescat.
Ignea vis mollis si sit moderata sub ollis,
Vertitur in mundam niger cinis æreus vndam:
Rerum mixturam coitus notat & genituram,
Semina miscentur quæ lac quasi mixta videntur.
Tunc lapis in viuam vitæ conuersus oliuam
Cernitur, hinc primo totum releuetur ab imo:
Per se stillabit, manabit, seque lauabit,
Separat, inspirat, sese coniungit & aptat.
Cumque fluens munda stillis manauerit vnda,
Non extinguendus maior rogus est adhibendus:
Sic quoque conscendat vt rursus ad infima tendat:
Sic sublimetur, sic per se purificetur.
Tunc aqua candoris dolio purgata liquoris
Expers fætoris lacti fit mixta cruoris:
Per se stillabit & mortua viuificabit,
Sic desiccetur quod destillare videtur.
Consurgit nullus vnquam sine semine fructus;
In quo dum moritur semen tunc fructificatur.
Est aqua scindenda pro corpore purificando,
Altera seruanda pars est ad cocta pianda.
Firmans mutatum prægnatio spondet hiatum.
Menstruus hinc pascit donec suus exitus adsit,
Sic fons stillabit, sic per se pocula flabit,
Lympham insignem terram coniungit & ignem.
Est fons sumendus viua cum calce terendus:

 Par-

Partibus aptatis lac decoque virginitatis,
Igne tepeſcente caleat feruore carente;
Et ſcum ſiccatur ſimili modo calx adaquatur.
Vnda ſui fontis ſtillat de vertice montis,
Alter & alterius fons fontis fluminis huius.
Sic cibus in ſtomacho ſincerum ſuſcipit intro,
Omne merum referat,& idem per membra coaptat.
Eſt tamen grata,adaquatio ſit moderata,
Ne calx turbetur pelago quaſi proijcietur.
Dum calcem iungis faciet contraria ſignis,
Et leuibus lignis ſiccet lentiſſimus ignis.
His ita ſiccatis amplexu virginitatis
Calx iterum mundam primi fontis imbibat vndam,
Suſcipiat mulſum propria teſtudine pulſum,
Et terat mundam ſiccatam ſanguinis vndam.
Tunc aqua ſeruata ſtillando purificata
Sic infundatur vt calx ſubmerſa tegatur,
Et diſſoluatur,vt limpida conficiatur;
Et deſiccetur:& nouies hoc iteretur.
Certe ſui diuam trahit ad ſe fontis oliuam;
Cernitur vt durum magnes ſublambere ferrum,
Sed fons exanguem ſtillans cum ſoluitur anguem
Ignis ſub fimo ſurgat,ne ſiccet ab imo:
Nam mors tolletur viuo ſi fonte lauetur,
Qui ſtillans reparat,nutrit,gratiſſime purgat,
Abluit,emendat,renouat,rigat,vnit,inundat,
Germinat,& flores tellus quoque ſpirat odores.
Ergo ſibi deditur cibus,& potu ſatietur,
Flumine mergatur,patienter conficiatur;
Et cum ſiccatur viuo potu ſatietur,
Dum ſatur ad plenum fiet,candore ſerenum.
Sic erit aſſandus alternatimque rigandus,
Vſque ſui diuam ſorbendo ſiccet oliuam:
Sic infundatur quod ipſa tota bibatur
Et deſiccetur,totum cinis efficietur.
Tunc Veneris vena candentis fontis amæna
Foris adhuc plena fiat ſub Sole ſerena:
Ignis marceſcat,vt candida tota niteſcat:
Dulciter increſcat,donec ſiccata quieſcat,
Accenſus ignis,comburit fortior ignis.

Ignem

Ignem si spernit non ad sublimia tendit.
Si videas fumum paulatim tendere sursum,
Tunc supperadde rogum, facies descendere rursum.
Coctura rerum tria sunt septena dierum.
Iungitur his verum contraria vis specierum.
Sic dissoluuntur species, sic conficiuntur,
Et sic accedunt, neque associata recedunt:
Sic fit summa rei congestio materiei,
Et res certa spei venit & candor seriei.
Si manet, est fixum; si funditur, est bene lixum;
Si nitet, est firmum; si transigit, est bene mixtum.
Candida tunc venas faciet candore serenas:
Mysteriis plenas candore gignit arenas.
Ex hac mixtura bene consurgit genitura
Cuius natura dat in omnibus omnia pura:
Hæc calx alba nimis iugiter citrinatur in imis
Vt sit sublimis Solis tinctura rubinus;
Tantum feruescat, magno feruore calescat,
Vt non candescat, rosea sed luce nitescat:
Ignis splendorem generat, tribuitque nitorem;
Candida candorem generat, rubicunda ruborem;
Et capit augmentum generans tibi millia centum.
Per par fermentum totum docet experimentum.

Alterius.

Soluere qui nescit vel subtiliare metallum,
Corpus non tangat, Mercuriumque sinat
Nam corpus nequit spiritum retinere volantem,
Si non alterutrum facere bene noris.
Fac igitur strictim sese amplectantur vterque.
Id facit aqua viuens nec non sal dissolutiuum.
Tere bene & coquas lente ita vt illa priuetur
Ea matrice quæ illum occultat:
Tunc clare videbis obscuram fugere noctem,
Et Solem totum lucidum pulcrumque reuerti,
Multis cum floribus ornatum, formaque recta.
Hic Lapis est illud tandem quod scripta maiorum
Malleo percutier super incude posse fatentur.

FINIS.

NICOLAI BARNAVDI, A CRISTA ARNAVDI DELPHINATIS, PHILOSOPHI, & Medici,

IN

ÆNIGMATICVM QVODDAM EPITAPHIVM BONONIÆ STVDIORVM, ANTE MVLTA SECVLA, marmoreo lapidi insculptum, cuius verba proxime sequuntur.

D. M.

AELIA LAELIA CRISPIS, NEC VIR NEC MVLIER, NEC ANDROGINA NEC PVELLA, NEC IVVENIS, NEC ANVS NEC MERETRIX, NEC PVDICA,
SED OMNIA.
SVBLATA NEQVE FAME, NEC FERRO, NEQVE VENENO:
SED OMNIBVS.
NEC COELO, NEC AQVIS NEC TERRIS.
SED VBIQVE IACET.
LVCIVS, AGATHO, PRISCIVS, NEC MARITVS, NEC AMATOR. NEC NECESSARIVS, NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS, NEQVE FLENS. HANC NEQVE MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPVLCRVM.
SED OMNIA.
SCIT, ET NESCIT QVID CVI POSVERIT.
HOC EST SEPVLCRVM, INTVS CADAVER NON HABENS;
HOC EST CADAVER, SEPVLCRVM EXTRA NON HABENS;
SED CADAVER IDEM EST, ET SEPVLCRVM SIBI.

Commentariolum.

A Quo tempore in hoc Epitaphium, cum per multis aliis excusum, incidi, cum vltro rogassem, num vir aliquis, œdipeo spiritu imbutus, hoc sibi sumpsisset elucidandum

dum myſterium, intellexi, non ſine magna animi mei lætitia, præclara quædam noſtræ tempeſtatis ingenia, ſedulam non dubitaſſe nauare operā in enodando eo, quod ſub fictis iſtius epitaphij verbis latet, arcano: Nec defuiſſe qui, quod ſub ipſis, in genere (vt ita loquar) tegitur, aſſecuti fuerint; at cū vnum quodq; verbum ſumpſiſſent ſibi interpretandū, præcipua intacta relinquentes, reliqua adeo perfunctorie examinarunt, vt, aut eos aliud in animo habuiſſe, quam quod præ ſe ferebant præſtarent: aut eos ignoraſſe quod ſe facturos receperant, dicere nemině qui eorū ſcripta legerit, pudeat: Nec defuerunt alij, qui, vt audio. Animam hominis, alij nubium aquam, alij, vt hic intellexi à viro de litteris bene merito, Eunuchū quendam, alij alia varia hoc epitaphio tractari phantaſmata, ſuis ſcriptis cōtenderunt. Hæc ego cum intellexiſsē, eorū miſertus, qui abditioris philoſophiæ in caſtris, militant, operæ pretium facturum me exiſtimaui, ſi triſmegiſticūm hoc epitaphium eis aperire conarer. Itaque lubens hāc in me ſuſcepi prouinciā. veſtrū eſt vtramq; mihi nūc præbere aurē, Chemiologi beneuoli: paucis enim, quæ multis manuſcriptis libris, quæq; multa, & indefeſſa triginta, & plus, annorū nactus ſum experiētia, docere vos propero; ſi tamen prius monuero, (eos alloquor, qui de rerum omniū, ſub orbe lunarj exiſtentium, præcipue vero de metallorum metamorphoſi minime ambigunt) me, ſi Bononiæ eſſem, auctorem futurum Magiſtratui, ab Epiſcopo Romano Bononiæ præfecto, vt totum illud marmoreum ſepulchrum, eiuſque baſim, & ambitum ita luſtraret, vt ne eius quidem pars minima intacta, vt ita dicam, remaneret, ne, ſi forte quid reconditum in ſinu ſuo olim fuit, quod omnia redoleat, ſepultum diutius iaceat: etenim cum hic OMNIA legō, in mentem venit vere antiqui Romani, & longe pij, Morieni philoſophi hiſtoria. hic cum Regi Kalidio, ſophorū medicinam, pro ſua bonitate paraſſet, clanculum à rege illo diſcedens, vas in quo medicinam illam reliquerat hoc depinxit elogio: QVI OMNIA SECVM habet, nulla re indiget: hoc Rex ille, paulo poſt Morieni diſceſſum, cum animadvertiſſet, quod maxime quæritabat nactus eſt, OMNIA videlicet, quæ à vere philoſophorum quæruntur, LAPIDEM nempe quem philoſophorum nominat: itaq; non abs re eſſet, ſi totus ille ſepulchri locus, ab auri ſacra fame pereuntibus miniſtris, luſtraretur: Solent

lent enim tales thesauri quandoque confodi, & clanculum asseruari, quod vix reperiatur, qui eis dignus sit: vnde fit, vt thesauro confosso, negotium DEO donatori committant, vt accidisse memini paulo antequam Cracouia Pragam redirem, vbi à Clarissimo, simul & Doctissimo Viro, Nobili Thaddeo Hagecio, Medicinæ Doctore, mathematico celeberrimo, hospitio per sesquiannum exceptus, & ab Illustrissimo, æterna memoria digno, Domino GVLIELMO VRSINO à Rosis, Regni Bohemiæ tum temporis prorege ad suam valetudinem tuendam in medicum ascitus, bono fato, in virum Belgam Medicinæ Doctorem, cui nomen est Anselmus à Boodt, incidi, cum quo non parua intercessit mihi familiaritas, cuius & amicitia etiamnum lætor, & vtor; hic bonus, cum parentis sui demortui librorum suppellectilem non exiguam, è Belgio Pragam aduehi curasset, incidit in libellum, à me tandem visum, in pelle arietina conscriptum, cui titulus erat, Cymbalum aureum, hunc, cum membrana obtegere cogitaret (erant enim quibus obtegebatur asseres confracti) exempta à Doctore asseris particula fracta, apparuit incogitanti vacuus quidam & concauus in medio locus, pergameno obductus, in quo & chartula quædam obuoluta, in qua lapidis philosophorum processus ænigmatice (neq; enim vel vnum reperias, qui aperto sermone rem describat) conscriptus erat, simul & rubentis puluisculi particula grani pondere, recondita. Ad hæc D. Anselmus, metallicæ philosophiæ osor tum temporis accerrimus, hoc spectaculo permotus, cum periculum, vt scripto illo iubebatur supra Mercurium fecisset, puluisculi partem mediam ad ignem in ipsum conijciens, vidissetq; Mercurium in solem natiuo non dissimilē, euasisse, exarsit primum, obstupuit tandem, &, si mauis, vox eius faucibus hæsit, (audita ore eius refero) insuper aurifabrū quendam, huius artis sciolum, sibi notum conuenit, vtque eum destillandi artem doceat, rogat, vicissimq; pollicetur, id facere si velit aurifaber, sese ei ostensurum transmutationis Mercurij in solem verum specimen, (asseruarat enim Doctor Anselmus rubei illius pulueris grani semissem) cumq; inter eos conuenisset, semissem illum residuū medium diuisit, ipsiusq; partem aurifabro tradidit, qui cum periculum fecisset, eum scilicet in Mercurium ad ignem, lege artis, proijciēs, videretq; Mercurium in solē versum, ratus se à Doctore quem aurum

aurum in tigillum clam impoſuiſſe, falſo credebat, deluſum fuiſſe, apud doctorem ipſum coram conqueritur: hic, inquã bonus, ne quid apud aurifabrum hæreret ſcrupuli, reliquum pulueris, imprudens, aurifabro tradidit, ſeq; in alium recepit locum, interea dum in nouum Mercurium, proiectionem denuo faceret aurifaber: qui cum vidiſſet, proiectione hac facta, & hunc Mercurium in ſolem purum verſum, procidit in faciem, Deo gratias agens, & à Doctore veniam exorans: quem etiam tandem, ſpagiricam quam callebat docuit artem: Doctor vero, tentato poſtea ad litteram (quæ occidit) proceſſu, & alijs permultis, cum Paulo Grimmillero, Cæſareæ Maieſtatis mineraru m in Bohemia ſupremo examinatore, fruſtra expertis, abiecto clypeo, & omni chæmica ſpe, animum alio addixit ſuum, mihique tandem illum ipſum proceſſum, à Fernelij proceſſu, in ſuo de abditis rerum cauſis libro, paucis exceptis, non diſſimilem, tradidit; quem ego, DEO bene fauente, ſubnectam in philoſophorum gratiam, inque lucem emittam, vna cum aliquot alijs, huc, illuc, comparatis, mihique chariſſimis, chemicis proceſſibus: vt ſciant filij artis, me, procul omni inuidia, quod perpaucis euenit, artem hanc abſtruſiſſimam tractare, varijsq; tanquam tabellis ob oculos ponere velle: quo, ſi quando euenerit, vt quis horum meditatione, addita noſtra epitaphij interpretatione, & aſſidua contẽplatione, & operatione, voti compos tandẽ fiat, DEO Opt. Max. patri luminum, à quo omne bonũ, cui etiam totum id quod ſperamus, acceptũ ferendũ eſt, Deo inquã, Regi ſeculorum immortali, inuiſibili gratias agat, eique toto vitę curriculo ſeruiat, pauperũ non imemor: ſed ad rem.

fern. lib. 2. f. 47.

Epitaphium hoc noſtrum à LVCIO PRISCIO, Æliæ, Læliæ poſitum, etſi longe diuerſum à chemicorũ mente cenſeri poſſet, præcipue ſi quis litterã obſeruet, nihil tamen aliud meo iudicio, præ ſe fert, quam arcanum illud Smaragdinum Hermetis Triſmegiſti, chemicorum omniũ principis, quod à variis philoſophis vbique ſparſis, in vnũ tamen conſentienbus, varie, at ſemper vere, filiis ſapientiæ traditum, & cõmendatum fuit; at quia par eſt de perſonis primum, poſtea vero de rebus inquirere, & loqui, videamus quæſo, quiſnam huius monumenti auctor fuerit, quæri enim, nõ abs re, poſſet à viro chemiæ cupido, quis hic LVCIVS AGATHO Priſcius fuerit, cum quod inter hiſtoricos, quod ſciam, nulla huius

extet memoria, tum quod cæteri chęmici inter eorum auctores, quorum alioqui nomina diligenter asseruāt, huius mentionem vel minimam nusquam faciant. Ad me quod attinet, etsi maxime omnes lustremus historias, non tamē quis, aut qualis fuerit, posse nos scire cogito, ita enim mihi persuadeo, conficta omnino hæc nomina, & à viro aliquo probo cui inter priscos, prisca illa & perennis artis nostrę veritas illuxerat, vsurpata fuisse. hic autē cum nollet proprio, aut familiæ nomine innotescere (periculosa enim sui similibus semper fuere tempora; & vt vulgo fertur deprædari cupit, qui thesaurū publice gestat) his, at nō perperam fictis nominibus, sibi ipsi impositis, posteros docere voluit, eum qui sacra hæc arcana tractare velit, L V C I V M, id est subtilissimi, lucidissimi, & perspicacissimi ingenij virum esse oportere, in rimādis omnium mineralium, semimineralium, & metallorū naturis eorumq; familijs expiscandis; præterea non solum L V C I V M, sed & humanum, prisca illa bonitate præditum, & vt vno verbo dicam, pium, & vere probum, vt verbum A G A T H O innuit, Deique timentem virum esse debere, qui nec

» *peccare, nec lætatur irrisoribus*
» *se pessimis adiungere:*
» *Sed mente pura diligit leges Dei*
» *illasq; semper cogitat,*
» *seu nox sopore amabili, seu lumine*
» *sol candido terram irrigat.*

Neque enim in maleuolam animam intrabit sapiētia, ni forte, vt quandoq; solet accidere, iratus Deus, ingratis, & immorigeris concedat, quod rogatus, pijs alioquin viris denegauit. Illos autem, si quando cōtingat tale Dei donum assequi, gladium denudatum manibus furiosi gestatum, in ipsorum præcipue perniciem comparatum, dixeris; neque tamen (vt cum Thoma Aquinate loquar) negauerim solere scientiam hanc, virum qui eam possidet, sanctū reddere, & ex profligatissimo, prudentissimum, quique cum alio dicat, valedicto mundo,

» *Inueni portum, spes, & fortuna valeto;*
» *Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios.*

Fuit ergo hic noster auctor, qui monumentum hoc posuit, AGATHO, id est, probus, fuit & LVCIVS, id est, luce naturæ, & diuina ornatus, & PRISCIVS, id est, seculo illo aureo, non hoc nostro corruptissimo natus, hic ergo secutus Platonem

in

in epistola ad Dionysium, scribendum hac de re per ambages, & ænigmata censuit, ne si forte iactari scriptum cōtigerit, qui legit, non intelligat. Itaq; philosophorum dicta intelligere qui voluerit, Deo se totum tradat oportet, & ad naturæ possibilitatem, non ad sonum verborum, intueatur, illi enim hanc sacram, & abditam artem, sub similitudinibus, fabulis, & verbis obscuris tractauerūt, & data opera, occultarunt, ne impijs, & indignis patefieret. Nunc videamus quęnam fuerit hęc nostra heroina cui positum est monumentum, quod enim in ipso frontispicio D.M. hoc est, Dijs manibus, priscorum more, eius posita fuit memoria, à LVCIO nostro factitatum est, vt, & aliquando viuentem, & emortuam heroinam hanc fuisse doceret, q̄ tamen pōstea meliore vita, & immortalitate donatam, vt videbimus, affirmat, quo lucem, & vitam consanguineis suis, Mercurio nempe, & impuris metallis nobisq; homuncionibus, in valetudinis nostrę negotio, auxilium impertiri posset. Ad præcipua nunc, & succi plena verba interpretanda nos accingamus, fuit ergo, & est hæc nostra Diua.

ÆLIA.

Solaris, dubio procul, vt nomē indicat, siue solis filia, imo substantia, Essentia, radius, virtus, & illa quidem inuisibilis solis nostri, ne quis eam à sole vulgi natam, perperam cogitet; neque tamen desunt, qui eam ex vrani, & vestæ filio, Saturno, & Ope eius Sorore, à qua cum plures Saturnus suscepisset liberos, eosque vorasset, & vestigio euomuisset, Iupiter seruatus, eiusq; loco lapis Saturno præsentatus fuit, ac si eum peperisset Opis, ab ipsis inquam, eam natam esse cogitent; at, quicquid sit, ÆLIA, seu solaris est, neq; tamen, (tanta est eius amplitudo) astro illo, mundi oculo amicta incedit; sed & altero, minore luminari, Luna, quæ sub pedibus eius est comitata, ideo etiam dicitur,

LÆLIA.

Quasi solis amica, & vt ego interpretor lunaris vis, & essentia, non autem luna, siue argentum vulgare, neq; enim antiquiores philosophi, sole, & luna vulgi, hoc in magisterio vsi sunt; itaq; virum philosophorum, non magnis egere sumtib. pdicarunt, & à paupere æque, ac diuite suscipi, & perfici posse, (adsit modo Deus) hoc opus, affirmarunt; quod procul à veritate abesset, si absq; sole, & luna vulgi, minime fieri posset, cum pretiosa sint, & pauperibus non ita peruia, licet non inficias

ficias eam, posse hæc duo Astra, ita subtiliari, & tincturis cōmisceri, vt etiam in minora redigi possint Elixiria, idq; cum lucello non minimo, vt mihi auctor est Georgius Ripleus Anglus, in claui portæ aureæ, & Heluetius ille Theophrastus in suo manuscripto testamento; quod, vt liberius credam, facit magni cuiusdam viri Angli, etiamnum superstitis auctoritas, quem ferunt solem vulgi, liquore ad id parato, in Mercurium vertisse & ex eo tandem, & terra solis, Tincturam parasse; cuius ego fructus aureos, cum apud Dn. Doct. Thaddeum Hagetium, Pragæ agerem, centies vidi, & manibus gestaui, placētulam nempe, siue massulam ex auro puto puro, sex vnciarum pondere, ab ipsomet D. Hagetio, è Mercurio vulgi, proiectione grani vnius pulueris rubri, momento factam, vt ipse mihi sancte affirmauit, & cum ipso D. Simeon Hagetius, eius filius, Cæsaris aulicus, qui solus cum parente, proiectioni interfuit: At linearis illa, & regia philosophorum via, in istis mea sententia haud sita est, eorum enim sol, & luna in nostro composito existentia, viua sunt, & virentia. suntque duæ istæ præcipue tincturæ, rubea & alba, ÆLIA, si mauis & LÆLIA, in vno & eodem subiecto sepultæ, neq; à natura, ad complementum, vt loquuntur, deductæ, per magisterium tamen nostrum eo deducendæ, separatione eorum facta à terrestri lutositate, & scoria substantiæ illius, in qua latent, quæ deinde, secundum propriam ipsorum naturam, puris terris, rubræ, & albæ ita commixtibiles fiunt, vt fermenti loco merito habeantur, nec alieno indigere dicantur, cum vniuersum hoc, vnum sit, eadem ortum imagine, partes in se suas coessentiales continens, quod absurdum esset, si ad eius cōpositionem aurum, & argentum commune requireretur. Neque tamen nego philosophos posse optime aurum, & argentum minerale, cum rebus sui generis radicalibus, & à natura minime adhuc completis, dissoluere, sicq; ad huius artis peruenire posse fastigium, si credere Ripleo Anglo licet. Sed sane non vniuscuiusq; ingenij est hæc operatio, & insuper, Principibus auro, & argento abundantibus conuenit; hæc autem quam tractamus via, philosophis magis placet, & quadrat, estq; facilior multo. At dicet hic aliquis, si hæc via ita facilis est, vt dicis, cur ergo à LVCIO vocatur tandem.

CRISPIS.

Id est obuoluta, intricata, crispato capillitio ornata? hic ego inge-

ingenue fateri cogor, me, per multos annos, circa materiæ nostræ inuestigationẽ, & ea, forsitan cognita, circa eius præparationem, versatum frustra fuisse: Neque tamen non credo vel à mulieribus & pueris facilime, vt ita loquar, præstari posse integrum nostrum magisterium, si semel ab ipsis intelligeretur, si inquam esset, qui eos doceret, quod vnica horula, vt aiunt doceri potest; At quod nunc CRISPIS, in voluta que dicatur materia nostra, fit, tum quod diris, & cõpedibus a sua scoria detenta sit, a qua liberari cupit a perito artifice: tum, quod, qui in arte sunt nodi, hi ab ipsis philosophis, qui se ipsos inuidos vocant, artem celare studentes, profecti mihi videntur, vt, quod

NEC VIR, NEC MVLIER.

est, hæc inquam, & similia, ijs qui litteræ adhærent potius quam spiritui, implicitam, cognituque arduam, & perdifficilem reddunt materiam, cum enim videant, subiectum hoc nostrum, ab alijs Adamum, id est, rursum hominem, qui vxorem suam Euam, quam candidam faciunt, in sinu suo gestat vocari, vnde hi etiam prodiere versus:

Candida si rubeo mulier sit nupta marito,
Mox complectuntur &c.

Et similia multa, cũ audiuat, quæ breuitatis causa à me prætermittuntur, hic vero legant, nec Virum nec Mulierem eum esse, cui fidant, miseri, nesciunt? At quibus philosophorum mens perspecta est, non patiuntur se adduci, vt credant, animale quid, nostrum ingredi magisterium, nisi forte metaphorice, & ea, qua cuncta creata, similitudine sibi agnata, quodammodo inter sese conuenire dicuntur. Itaque cum virum, & mulierum, subiectum nostrum nominari audiunt, ab alijs seruum rubeum, qui candidam amplectitur feminam nihil aliud cogitant, quam Solem, & Lunam, siue vt ita loquar, eorum spermata & influxus, in subiecto nostro, simul cum Mercurio existentes. Cũ vero, vt hic, nec Vir, nec Mulier dicitur esse facile: etsi sciant Corpus, Animam, & Spiritum, hinc inesse, adstipulantur, prout &, cum,

NEC ANDROGINA,

esse dicitur; dubitari enim potuisset à sciolo aliquo, Diuam hanc, ÆLIAM, etsi nec Vir, nec mulier fuerit, vtrumque tamen, nempe vtriusque sexus participem fuisse; At Probus monet, vt huic occurrat, nihil huiusmodi fuisse, licet maris, & feminę semen in se habeat, imo NEC

NEC PVELLA, NEC IVVENIS,

Siue formam, siue ætatem ipsius spectes:

NEC ANVS.

Si temporis vsuram, siue canitiem respicias.

NEC MERETRIX.

Si eius vitæ rationem ad calculos reuoces, quod necdum coierit, nec coire cogitauerit, & si

NEC PVDICA.

Sit, quod virum appetat, secumq; sulphur suum, (quod ei loco masculi est) gestet, licet incommixtum, quo nomine Rebis dicitur; sequitur;

SED OMNIA.

Id est, vt ego interpretor, hæc nostra ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS, Vir, Mulier, Androgina, Puella, Iuuenis, Anus, Meretrix, & Pudica, est, fuit, & futura est, diuersis tamen, vt dicitur, de causis, idq; vel testante omnium philosophorũ schola, cuius Loca, & Sententias adducere, si vellem, annus vix sufficeret. Itaq; hãc Omnia esse, Omnia in se habere, quib. indiget ad sui perfectionem, Omnia de ipsa prædicari posse, & ipsam vicissim de omnibus, apud vos ipsos statuatis velim, Chemiologi beneuoli. vnum enim est totũ, vt ait maximus Chimes, ob quod sunt omnia, & si totum, non haberet totum, nihil totum esset: Nunc restat videre, quo fato perierit hæc mirabilis heroina, etenim, ipsa est.

SVBLATA, NEQVE FAME NEC FERRO, NEQVE VENENO; SED OMNIBVS

Idque, vt credere fas est, cernentibus auctoris oculis, decet enim virum, qui hæc mysteria tractat, perpetuo operi adesse, ne quid admittat. Itaq; cum mors, ianua vitæ dicatur, mori hanc Heroinam etiam oportuit, ad perpetranda miracula illa stupenda vnius rei. Hic autẽ AGATHO monet eam neq; Fame, neq; Ferro, neq; veneno, Sed Omnibus ijs concurrentibus, scilicet, sublatam, neciq; traditam fuisse, id est exiccatam, & in puluerem fixum, mortuo similẽ redactam, bonoq; veneno suo extinctam: Neq; tamen fame, vt auctor ait periit, quod habuerit, quo seipsam aleret, potensq; fuerit natiuum cibum, & potum ex sui ipsius substantia, ab artifice adiuta, sibi ipsi præbere. Et nihilominus fame, & siti tandem pressam quod omnem suum varijs compotationib. exhaurijsset humorem

morem, perire eam oportuit, ferroq; interimi, si ferrum interpreteris, (vt ego interpretandum censeo) puluerem illum ruberrimum croco ferri similem, in quem tandem igne continuo conuersa, mortuæ nomen adepta est; Tum & veneno, id est, suo ipsius sulphure purissimo, solari nempe quod in ipsa congenitum latebat, cuius vi fixata, vt loquuntur, & morti tradita fuit, id est, in terram versa, vt ait Hermes, vires suas integras habens; itaq; non ita extincta est, vt quis arbitrari posset, imo potius:

NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS. SED VBIQVE IACET.

Mira, dubio procul, est vis, & potestas huius nostræ Heroinæ, quæ, etsi sublata sit, vbiq; tamen eam iacere, id est sedē suam habere auctor ipse affirmat; fuit ne forsan hic noster Probus, vnus quidam ex vbiquitariis? vix crediderim tantum errorem, sua tempestate natum fuisse: at hic animaduertas velim, studiose lector, materiam nostram, post eius præparationem, & coniunctionem, (quarum vix verbum reperias vllum, in cunctis philosophorum libris) leni, & continua decoctione in puluerem versam, itaq; ad oculum mortuā, esse, non solum in Cælo, id est, in anima, aut in terris, quæ variæ sunt, nempe in suo corpore terrestri, aut in aquis, quæ etiam multiplices sunt, nempe in spiritu, qui solet animam deportare, sed vbiq;, id est, simul esse in cælo, terris, & aquis, tanquā totam, in toto, & totam in qualibet parte: adeo vt partes illę, alioquin separabiles, nusquam ab inuicem separari possint, postquam vnum facta sunt: hinc tota Lex, & Prophetia chemica pendere videtur: Nunc, posteaquam audiuimus quæ, qualis, & quanta hæc nostra Diua fuerit, quidq; ei euenerit, audiamus, quæso, quid auctor de seipso dicat.

LVCIVS, AGATHO, PRISCIVS, NEC MARITVS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIVS.

Diximus initio huius nostri cōmentarioli, qualis hic auctor fuerit; nempe vir lucidissimo ingenio donatus, inter priscos illos probos philosophos annumeratus; nunc quid eum adegerit huic heroinæ sepulcrū extruere cogitemus, & perpendamus: Cum etenim ipsum, nec Maritum, nec Amasium nec necessarium, huius nostræ demortuæ heroinæ audiamus fuisse, (quod ei facile concedimus, tanquam viro probo, qui

non ſolet rei alicui ita ſe addicere, & maritare, aut ita perdite amare, vt neceſſario re optata frui, ſibi ſtatuat) cumq, hæ ſint præcipuę cauſæ, nempe Thorus, Amor, & Sanguinis nexus, quæ aliquem vnum mouent, in templo memoriæ, (vt ita loquar) columnam alicui dicare demortuo, & neutra iſtarum hic militet, vellem ſapientiæ fili, ne abs re AGATHO dici poſſit hoc elegans tentaſſe facinus (neque enim ſolent. Viri probi Deum, & naturam imitantes, fruſtra aliquid moliri) vellem, inquam, te hic mihi adeſſe, in rimanda LVCII huius noſtri, inſtituti ratione; Nam ad me quod attinet, arbitror; (ſi quid aliud ſentis, indica) LVCIVM Philoſophum noſtrum, præuidiſſe, celeberrimam quandam Academiam Bononiæ olim futuram, (ſunt enim vt plurimum, Prophetæ Viri Philoſophi) cumq; hic, tantum, tamque ſtupendum DEI Donũ eſſequutum ſe fuiſſe ſentiret (Omnia enim ſe ſcire profitetur, vt paulo poſt audies) ne talenti defoſſi ratio à DEO Optim. Maximo, ab ipſo exigeretur, palam, & ob oculos omnium, bonarum litterarum Mercaturam exercentium, OMNIA; id eſt, artem Omnia docentem; omnium inquam pretioſiſſimam, in Theatrum prodire iuſſit, hoc veſtitam ænigmate; huic autem arti, & veræ ſcientiæ (poſt ſacratiſſimam illam Dei, & Chriſti agnitionem, in qua ſalus omnium noſtrûm ſita eſt) vt omnium digniori, hic noſter LVCIVS, vt Studioſos pelliceret ad ipſam indagandam,

NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS.

Vt conſtantem virum decet, teretem, rotundum, & intrepidum philoſophum, hic inquam, erexit.

HANC, NEQVE MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPVLCRVM;

Fabri enim Murarij & induſtrij alicuius architecti manibus contexta, & ædificata fuere hæc; neq; molis, pyramidis, aut Sepulcri marmorei conſideratio, cuiquam proficua eſſe potuiſſet vnquam.

SED OMNIA.

Scilicet, poſuit, nempe verba hæc, quæ inſculpta legis, ſmaragdinę tabulę Hermetis verbis haud adſimilia, præterea medicinam illam ſummum, & catholicam, omnia humana corpora

corpora persanantem, tum & impura metalla ad sphæram solis euehentem, & pretiosos lapides, (si quis ad summum eam deduxit) fingentem, sequitur.

SCIT, ET NESCIT QVID CVI POSVERIT.

Scit nempe artem totam, primi, secundi, & tertij ordinis medicinam, vt cum Gebro loquar; Scit præterea se sic posuisse illum philosophorum lapidem; at quid, id est, quantam posuerit Nescit, neque enim, & verisimile est, ponderauit; neque etiam nouit, cui posuerit; itaque non abs re mihi videretur, vt initio monui, si, prout nũc fert tempestas, magno illi Principi Romano posita essent hæc omnia; cum in manibus ipsius sit, totum illum sepulcri locum curare lustrari, & omnis moueri lapis, vt quantum, quidve posuerit deinceps sciatur.

HOC EST SEPVLCRVM, INTVS CADAVER NON HABENS.

HOC EST CADAVER, SEPVLCRVM EXTRA NON HABENS;

SED CADAVER IDEM EST, ET SEPVLCRVM SIBI.

Nam, etsi multiplex horum verborum dari posset interpretatio, ego tamen cæteris relictis omnibus, arbitror, LVCIVM, his primis verbis, hoc est Sepulcrum, intus Cadauer non habens; verum, ad litteram dixisse, & quod res habet indicasse, nempe Cadauer vllum in hoc sepulcro sepultum esse, ni forte lapis integer, ab aliquo alio philosopho multiplicandus, in suo vase relictus, & sepultus fuerit à LVCIO nostro, quod, eo magis vrgere mecum videtur, loci illius anatomen faciendam. Sequentibus autem, & posterioribus verbis, id ipsum digito monstrare videtur LVCIVS, dum dicit,

Hoc est cadauer, Sepulcrum extra non habens
Sed cadauer idem est, & sepulcrum sibi.

Etenim, sui ipsius, res nostra, sepulcrum esse dicitur, vnde, vt paucis absoluam, (nam in hoc iacet lepus) Sepelite, aiunt, vnũ quodq; in sepulcro alteri⁹. Cũ enim Sulphur, Sal, & Aqua; siue Sol, Luna & Mercurius, sint in materia nostra, ea iubemur extrahere, coniungere, sepelire & mortificare, id est, in cinerẽ vertere; ita fit, vt nidus, auibus sit sepulcrũ, & rursus, vt aues, nidũ in se recipiant, & cũ eo coalescant; fit inquam, vt anima, spiritus, & corpus: mas, & femina: agens, & patiens, in vno & eodem subiecto, in vase posita, igne suo fota, & externo

adiuta, artis magisterio, euadant, suo tempore. Dei Opt. Maximi puro donò, in Medicinam tingentem Mercurium, & omnia imperfecta corpora, in Solem, vt aiunt philosophi, minerali puro, puroque non dissimilem, inque Medicinam summam, humana corpora persanantem: at, psalmum quadragesimum nonum.

» *Audite, qui potentia,*
» *opumq; magnitudine;*
» *auroq; gloriamini.*
» *æternitatem vita homo*
» *vt nullus hic pecunia*
» *magna sibi, aut speret suis*
» *se comparaturum: viros*
» *cum cernat, & bonos mori,*
» *sapientiaq; deditos,*
» *fatum est ineuitabile*
» *omnino cunctis pallida*
» *calcanda mortis est via,*
» *linquenda & aliis sunt opes,*
» *omnes licet stulti putent,*
» *tanto labore quas struunt,*
» *sibi fore æternas domos*
» *cum gloria, atq; illustrium*
» *fama suorum nominum.*
» *Demens homo quam fallitur!*

SEQVVNTVR

PROCESSVS

Non contemnendi, nec ad litteram sequendi, siue materiam, siue operationem, quis respiciat, quibus studiosus speculator, vt solet Liber Librum aperire, poterit sibi non pauca, quæ ad rem faciunt ne dicam, Omnia, Fauente Dei Opt. Max. gratia, comparare.

PRIOR PROCESSVS,

Cuius Initio memini.

Recipe auri obrizi vncias duas, Mercurij magno artis studio elaborati misce decuplo, vulcanoque dissolue languido, dũ Mercurius expiret, auriq; impositi pondus maneat,

maneat,in atrum puluerem redactum, qui tamen liquatus, non possit in antiquã auri naturam conuerti,ex hoc puluere, igne,Mercurium, vaporarij aquã continentis elice, dum puluis in calcem niueam deuergat. hanc septies aqua resperge, quæ totiens expiratione inde prolecta sit, & omni cura elabora,vt hac impulsione, & excursione crebra sese extenuent, & ab omni sorde & fæce euadant purissima, vimq; recipiant superiorum & inferiorũ,descendendo in terrã,&rursus ascendẽdo,vt in Hermetis smaragdina tabula legitur. Hęc aqua est Azoth, spiritus viuens, Terra est fermentum: aqua est mas, Terra vel calx fẽmina, quorum complexu nascitur infans, Lapis. Sed non quouis tempore concipit mulier;Sed tum demum cum vterus à natura conceptui præparatus est. Proinde calcem purificatam, seu solem philosophorũ, obturato vase putrefac, seu reconde ad digerendum quadraginta diebus dũ in humorem album,& crassum liquescat;in hunc iustis dierũ interuallis aquã sensim infunde; hæc est maris & feminæ cõiunctio,quæ mirum in modũ vniũtur, & femina maris amore tota fundatur; hæc est solutio: Relinque donec rursus suas vires recuperet; tum iterum coeat, idq, toties donec calx omnem suam aquam ebiberit: Tum vterus clausus sit, ne quid expiret; nam tum infans concrescit, & ex illa frequenti coagulatione, & solutione lapis concrescit, qui colores fiant omnes explicant philosophi: hæc vera esse, hic puluis ostendit, hunc pone super Mercurium in nouo tigillo, vt tamen Mercurius aerem habeat, ad drachmas duas pone duodecimã grani partem, da fortem ignem, postea adde boracem, habebis drachmam vnam auri, Si multiplicationem scis, non opus habebis lapide, inuenies apud me integrum processum, si felix es, cum omnibus suis circumstantijs, quamvis iste sufficiat, si diligens es, nihil enim deest. Vale, & ab hoc, infelix es, si abstraharis.

SECVNDVS PROCESSVS

DVx quidam senex Duenec vocatus, cum in conuentu magnatum se sperni cerneret, & ob profundam melancholiam infimæ auctoritatis, & nullius respectus esse, cum quibusdam fidelioribus amicis suis consilium init, quomodo ab hoc atrabiliario temperamẽto se cauere, & sanguineum reliquis temperamentis præstantiss. induere possit.

Amici ad consilium vocati, consideratis Ducis diuitijs de vocando summo Medico Pharut deliberant; Vocatus itaque venit, ad Ducem deducitur, quo pro dignitate salutato, Medicum sic Dux alloquitur; Pharut Medicorum Princeps qui naturas & temperamenta omnium viuentium cognoscis, & vt audio, immutare potes; audiuisti quis sim, quibus imperem, & quanta sit mea progenies in vniuerso mundo: Vides à Dijs hanc mihi impositam calamitatem vt perpetua melancholia obruar, quæ me omnibus magnatibus reddit ingratum, & exosum: Gauderem enim lubens, sed vetat cerebri mei continuus & tristis motus: conuiuia frequentarē sed ꝓhibet animi mei mœror, & nulla in corde meo quies: Hinc ô Pharut meæ lacrymæ, hinc inquam contemptus, & perpetua corporis mei tabes. Hoc si tu immutare, si temperamentum innouare meū poteris, faciā vt statim intelligas quantū tibi ornamenti & vtilitatis accesserit. Ad hæc Pharut. Maxime Ducum graue est quod à me petis, factuq; difficile, attamen edoctus meo malo, scio Dominantium petitiones, esse idem ac grauiter imperare: Quapropter vt tibi satisfaciam, opus hoc difficile, longum, & quod fere omnes qui me imitari student, fallit, aggrediar; ea tamen lege, vt sis obediēs & gratus. Cōstituto itaque tempore, cum aspectus Saturni esset ex opposito Solis, Pharut omnes exire iubet de domo Ducis, excepto quodam stultulo varijs coloribus induto, quem vt Ducem recrearet ibi detinuit. Tunc Ducem in lectum mundum albissimis linteaminibus indutū posuit, eumque optime tegit, ne respirare posset, vel ex proximæ fornacis fumo enecaretur. Curabat autem Ducem per curationis angariam aqua limpida, & diaphoretica, Ex qua in fætidos prorumpebat sudores, sed claros, & qui linteamina cādida varijs maculis tingebant. Hæc videns Pharut erubuit præ gaudio. Postquā autem dux fœtidos vapores non eructa[ret] amplius & atra bilis in vniuerso Ducis corpore soluta esset, cum stultulo firmum præparauit lectulum, hoc Pharut ita adornauit: Primo puluinar magnum posuit ex pennis Aquilæ nigræ & iuuenculæ, deinde ceruicale ex plumis cygni: hæc tegit linteamine subnigro, & Ducem ex primo lectulo diligenter eleuatum, huc ponit, quem albissimo tegumēto tegit, & optime omnia spiracula claudit, ne respirare vllo modo possit. Duce in nouo hoc lectulo calefacto, Pharut oleo fœtido corpus & pedes

eius

tius inungit, donec tota atra bilis ab vniuerso corpore ad capitis verticem peruenit. Dux interim sæpius sincopē patiebatur, quod ex colorum mutatione apparebat, Pharut autem aperto Ducis ore, palatum niueum inuenit, iubet Ducem esse lætum, dū dulci rasorio à capite, atram bilem, & à palato niuem abradit. Hoc facto non cessat defatigatum Ducem inungere donec videat hu⁹ pessimi hūmoris radices vna cū splene a corpore Ducis eradicatas. Denique tertiū præparat lectū, in quo corpus Ducis demortui reponit aqua & oleo mixto sulphure suo viuificat. Tunc Dux se ipsum aspiciens vidit se noua natura sanguinea indutum, & turpi illa Melancholia exutum; atque supra omnes suos comilitones potentem.

TERTIVS PROCESSVS.

Quædam natura comparata sunt, quæ partium sunt cōsimilium, vt metalla omnia, hæc non multiplicantur, nec crescunt, nisi ad suam primam deducantur materiam, quæ aqua est, ignem, salemque in ventre suo gerens, quæ corrumpere necesse est, quo ars, naturam imitans, nouam pariat formā: est enim ars, naturæ æmula; eamq; quandoque superat, vt videre licet in vitrorum conflatione &c. quandoque autem, naturæ tantum ancillatur, & seruit, quo iuuetur infirma natura, & imperfecta perficiatur; arte exterius agente, & motum administrante; vt natura, quæ interius agit, ad suam deduci possit pefectionem, hoc summopere ipsa percupiente. Itaque animaduertite, quod Materia nostra, ad primam sui originem deducta, debet diuidi in elementa, eaq; duplata; in aquam, scilicet, & terrā: hæc ignem in se continet; illa vero aerem, quæ depurari debent, & rursus coniungi, vt, quod quæritur fieri possit, pax nempe inter inimicos: huic autem nostræ materiæ quæ vnica est, & à nemine aperte nominata, nihil extranei additur; cum non fiat congrua generatio, nisi in conuenientibus in natura. Superflua tantum remouenda sunt, vt simpliciori vtamur, quod est tanquam genus generum; formam formarum in se habens. Lapis enim vnus est; Medicina vna, vas vnum, regimen vnum, & vna dispositio, nimirum continua & lenta coctio in suo vase; sufficit enim lapidem semel in suo vase ponere, & claudere, quousque totum compleatur magisterium, quod amplius est, à malo est: Manet ergo iugiter clausus lapis, donec suam ebiberit humiditatem, & albus fiat; Tunc enim

non nocent ei aeris flatus: Cum autem aqua, terra facta fuerit, quod in quadraginta dierum spatio fieri consueuit, aliam impone aquam, suauiter decoque, noli festinare, nec ab opere cessare. Toties imbibe, quoties exciccatur; sed caue ne facias ventrem nimis dilutum; totam tamen aquam ad suum corpus, per suos ternarios reduces; cumq; vnus ex suis ternarijs versus erit deorsum, itaq; occisus, omnes sunt mortui. at hoc non fit manibus; Sed natura hoc ipsum circulariter operatur, seipsam denigrans, albificans, & rubore decorans, quousq; finem assequatur. Aqua autem tota exhausta, & in terram conuersa, per quosdam dies in suo vase, super leuem putrefiat ignem, quousq; pretiosus ei color supereemineat albus; in hoc albo colore, spiritus cum corpore vniti sunt, nec fugere queunt; quo circa nobis præcipitur; Dealbate lotonem, & frangite libros: omnes autem mundi colores in eo apparebunt, cum denigrans humiditas erit desiccata, antequam ad plenã veniat albedinem; sedulo ergo animaduerte, qualiter aqua coagulat seipsam, & quomodo compositum de colore, in colorem mutatur: cumque fuerit recta albedine decoratum, ignem accendite fortiorem, sitq; si opus sit, ignis subtus, & supra; per spatium duorum dierum, vt totum deorsum maneat, nihilque exaltetur. Qui enim, dealbatione completa, ei animam inducit, & totum, postquam liquefactum fuit, in rapido igne figit, felix dici merebitur, & super nubes exaltari; Cũ itaque, tempore æstatis, & fructum, inundatio pluuiarũ corrumpat magisteriũ, oportet igne sicco, absque timore ipsum comburere, donec rubicundissimo vestiatur colore. Neque tamen cessandum, quamuis rubeum aliquantulum tardet, quia sicut prima digestio stomachi; omnia dealbat; sic secunda hepatis omnia rubificat. Accipe tandem partẽ illius noti lapidis, & cum non fixæ partis conuenienti quantitate iunge, & sublima: Tum fige; & denuo cum alijs non fixis partibus iunge, eleua; fige, reitera, donec fusionem præstet facilem, ad modum ceræ. hæc est medicina stans, tingens, perseuerans, cuius vna pars, mille millia cuiuscunque imperfecti corporis & Mercurij vulgi in verum solem vertit.

ADDAM

ADDAM
ET
PROCESSVM
Sub Forma Missæ,

A NICOLAO MELCHIORI CIBINENSI, Transiluano, ad Ladislaum Vngariæ, & Bohemiæ Regem olim missum,

QVARTVS PROCESSVS

INtroitus missæ, sub tono, gaudeamus, &c. erit cantandus. Fundamentum vero artis est corporum solutio, quæ, nō in aquam nubis, sed in aquam mercurialem resoluenda sunt, ex qua generatur verus lapis philosophorum.

Versus. Introitus vitrioli, & salis vitri, æquales partes, dans solutionis testimonium: Gloria patri, & filio, per spiritum sanctum.

Kyrie, fons bonitatis, inspirator sacræ artis, à quo bona cuncta tuis fidelibus procedunt, Eleison.

Christe, Hagie, lapis benedicte artis scientiæ qui pro mundi salute inspirasti lumen scientiæ, ad extirpandum Turcam, Eleison.

Kyrie, ignis diuine, pectora nostra iuua, vt pro tua laude pariter sacramenta artis expandere possimus Eleison.

Gloria in excelsis, sub tono duplici, Deo forti cantetur.

Collecta. Deus largitor totius bonitatis, qui maxime in fine temporū: sola tua bonitate & sapientia famulo tuo. N. N. non suis meritis præcedentibus: Sed tua ineffabili pietate, & gratia præueniente, lumen sacræ artis alchemiæ inspirasti, præsta quæsumus, vt quod ex tuæ maiestatis dono accepit, ad salutem corporis, & animæ eius prosit, in ipsoque omnia vitia mortifica, & gratiam virtutis infunde, vt eandem sacram artem solummodo ad laudem, & gloriam nominis tui, & fidei Christianæ propagationem, fideliter expendat, per Dn. nostrum Iesum Christum, Amen.

Epistola. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.

Graduale. Surge aquila, & veni auster: persla hortum meum, & fluent aromata illius.

Versus. Descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia, stillantia super terram. Alleluia.

O felix conditor terræ, niue albior, suauitate dulcior, fla-

grans in fundo vasis instar balsami. O Salutaris Medicina hominum, quæ curas, in breui morula, omnem corporis languorem, & das longæuæ vitæ terminum; Naturam humanam renouas, paupertatem fugas, diuitias tribuis, tristitiam compescis, & vitam incolumen asseruas. O fons sublimis ex quo vere scaturit, vera aqua vitæ, in prædium tuorum fidelium Alleluia.

Sequentia sancti euangelij, sub tono, Aue præclara, cantetur; quam testamentum artis volo nuncupari, quoniam tota ars chemica, tropicis in ea verbis occultatur, & beatus, qui intelligit hanc sequentiam.

Salue, O cæli iubar speciosum, mundi lumen radiosum; hic cum luna copularis, fit copula martialis, Mercurijque cõiunctio. Ex his tribus maxime per fluminis alueolum, nascitur ille gigas fortis, quem quærunt millia mille, artis magisterio, ipsis solutis, non in aquam nubis, ea enim nostrum nunquam emendatur gummi; sed in aquam mercurialem resolutis, hoc gummi nostrum benedictum per se solutum, iam nomen habet philosophorum spermatis. Nunc nunc petit copulari; virgini sponsæ desponsari, eamque in balneo imprægnare, per ignis temperantiam: Sed non repente virgo imprægnatur, nisi amplexibus crebris osculum ei tribuatur; Tunc in matrice concipitur, & sic felix fœtus procreatur. hocque naturæ ordine. Tum in fundo vasis apparet Æthiops fortis, cõbustus, calcinatus, colore discoloratus; & penitus mortuus, vita carens; iam rogitat inhumari, & suo humore subrigari, atque suauiter calcinari, donec ex ignis fortitudine appareat candidissimus. Sed sæpe prius sumit potum, quo 1 ad æthera scandit totum, cum per se sit iam bene lotum in ignis perseuerantia; Nunc demum efficitur gratum, proprio sudore renatum, redditurq; ablutum corpus prius obtenebratum.

En mirabilis æthiopis regeneratio, seu renouatio, hinc vendicat sibi nomen nouum, per regenerationis Lauacrum, quod philosophi appellant sulphur naturæ, & eorum filium, qui est lapis philosophorum; Sed obtenebratio fatuorum, qui per philosophiæ naturalis ignorantiam decepti sunt, per variam ignis repugnantiam.

Ecce res est vna, radix vna, essentia vna, cui nihil extraneũ apponitur sed tantum superfluum remouetur, per artis magisterium; Demum affectat confortari, à sua natura fermentari,

humore

humore suo subrigari,& temperate destillari, postquam satis biberit. Et tunc incipit regnare, & contra vim ignis pugnare, vultque in cælum sublimari,& diademate coronari; postea omnes inimicos suos & rebelles ꝓsternit, & suo impio subiicit.

Hic est thesaurus thesaurorum, summa medicina Philosophorum, cæleste secretum antiquorum, beatus, qui hoc inuenerit.

Qui vidit talia, manifeste scribit, & loquitur, & scio quod verum est testimonium eius. Sit Deus Benedictus in secula seculorum per I.C.D.N. Amen.

Euangelium Sancti Matthei & Lucæ.10.dicatur. Confiteor tibi Dn. Deus, pater cæli & terræ, quod hæc abscondisti à sapientibus,& prudentibus huius mundi, & reuelasti ea paruulis,

Credo in vnum, semper dicatur.

Offertorium, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes. hic factus est in caput anguli, à Domino hoc factum est, & est mirabile in oculis nostris.

Secretum, salutarem victimam omnipotens Deus, tuæ maiestati alacriter immolantes, suppliciter precamur tuam clementiam, vt hoc nostrum artificium ad honorem nominis tui,& benedictæ artis alchemicæ, tuo glorioso nomini sit semper dicatum & vniuersalis ecclesiæ salutari reformationi cõsecratum per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

Commune; Regem nostrum venientem ex igne, illuminatum,& diademate coronatum, ipsum honorate in perpetuũ.

Complenda. Sumpsimus Dn. nostræ salutis valetudinis auxilium,& gratias agentes tuæ maiestati, rogamus, vt proficiat nobis ad salutem animæ & corporis, sitq; Turcarum extirpatio,& fidei Christianæ corroborationi seruiat, per eundem Dn. nostrum Iesum Christum. Amen.

Ite Missa est. Alleluia.

PROCESSVS QVINTVS.

VIdi Senem virum clarificatum surgentem, in manu sua librum clausum tenẽtem, septem sigillis sigillatũ, & oculos eleuans, vidi eum, vestibus albis argenteis tectum, aureis folijs coopertum, in capite suæ vestis erat annulus aureus, argento coopertus, in cui⁹ circũferentia erãt talia verba scripta. Spiritus, Anima, Corpus. à quo annulo septẽ catenę, tã aureæ q̃ argẽtę sigillatæ,

ſigillatæ,totum librum circundabant, & aſpectu retrogrado, totum librum reuoluentes, omnes ad annulum illum reuertebantur. Hic ſenex à me interrogatus, quid iſtud ſignificaret, reſpondit quod ipſe annulus aureus, argento coopertus, ſignificat lapidem philoſophorum, qui in ſuo profundo eſt aureus, & maſculinus, & in ſuo manifeſto, eſt argenteus, & femininus: Septem vero catenæ librum reuoluentes, ſunt ſeptem operationes quæ totum magiſterium circundant & perficiunt.

Interrogatus vero per me ſenex, quid ſcriptura annuli ſignificaret, reſpondit. Scriptura hæc eſt mirabilis, & eſt totum arcanum Philoſophiæ, quod ſub breui compendio contineri videtur. Quoniam ſpiritus, Mercurium denotat, qui ipſum corpus ſubtiliter ingrediens, ipſum ad ſimplicem diſpoſitionem conſtituit, animam ab eo extrahit & ipſum ad aerem ſurſum eleuans, ſecum portat; & poſtea ipſo corpore diſpoſito, ad naturam eſſentiæ quintæ, quod eſt ſimplex reductio, animam infundit, & corpus eam amplectens, cum ea gaudet. Et anima, cum corpus ingreditur, ipſum perficit: Sic viuum, mortuum perficit, & dum reſurgit, in perpetuum viuit. Anima autem eſt ipſum ſulphur non vrens, quod congelat Mercurium, in corpus Lunare, vel Solare, occurrens in loco naturæ. Iſta anima eſt mediatrix inter corpus, & ſpiritum, & ipſa eos ligat, & coniungit, coniunctione inſeparabili: nec ſpiritus poteſt coniungi cum corpore, niſi per animam, quæ eſt Solis, & Philoſophorum tinctura; nam ſine ipſa nihil fieri, aut compleri poteſt. Per hæc intellige, Sulphur noſtrum, non eſſe ſulphur vulgi, quod eſt pingue, & aduſtiuum omnia inficiens & corrumpens: Corpus vero denotat ipſum Solem, & Lunam, quibus ipſa anima dominatur, tanquam forma in ſuo ſubiecto; & illud poſt animæ ſeparationem, dicitur corpus mortuum, donec per animam ingredientem fiat perfectum; tunc dicitur corpus viuum, immortale & reſuſcitatum.

Super hanc deſcriptionem annuli rurſus intuens, vidi in prima parte Catenæ aureæ, Sigillum literis argenteis, dicens: In calido, & humido pone me; & ex illis paſce me quoniam debilis ſum. Tunc interrogaui Senem, quid hoc ſibi vellet. Qui reſpondit, eſſe primam clauem, ſeu operationem huius lapidis, quæ dicitur Putrefactio, ſeu Digeſtio, quæ fit

per

per suum tempus, in suo calido, & humido igne: Nam anima non potest extrahi per spiritum à corpore, nisi mediante sua digestione, quæ est clauis Philosophiæ, & nisi putridum fuerit, ad arcanum peruenire non poteris.

Vidi tandem secundam catenam, in principio argẽteam, & in fine auream, & in parte argentea erat sculptum sigillum literis aureis dicens; *Leuiter Digestus, Animatus sum, Ideo Exalta me à grauioribus:* Et interrogatus Senex, quid esset, dixit, illud est sigillum secundæ operationis lapidis nostri quod dicitur, Destillatio, Nam prima pars Catenæ nostræ argenteæ, demonstrat primum quod destillatur esse argentum viuum animatum, & tinctura alba: Secunda vero pars catenæ aureæ, denotat id, quod est in secunda, & tertia; scilicet Oleum, Tincturam, & animam rubeo tinctam, quod est oleum Philosophorum. Et hæc est Secunda clauis arcani philosophiæ. Ista fili est, catena deaurata, & tota circularis, quam supremus conditor inseuit suis mineralibus.

Tertium sigillum est tertia catena aurea, literis argenteis scripta dicens, *Tincturam à dicto separa, id est, ab aere,* & præcipit aerem per se exaltari in humido pluries. hæc est tertia pars huius operationis.

Quartum autem sigillum illud est, quod vidi quartam catenam argenteam, literis aureis scriptam, quæ dicit: *Exalta, separa, subtilia me, vt possim reduci ad simplex supplementum:* Et senex interrogatus mihi dixit, esse exaltationem spiritus animati, quæ est clauis huius operationis.

Quintam autem catenam vidi auream, & argenteam in superficie nigram, & erat in ea sigillum quintum, literis argenteis scriptum, dicens, *Sitio, Deficio, pota me; & inebria & albifica me.* Senex super hæc interrogatus respondit mihi dicens, quod hoc scriptum magnum esset, quia corpus inanimatum, & calcinatum, cum parte spiritus animati, disponitur citius ad naturam essentiæ quintæ, & ad eam citius peruenit.

Sextam autem catenam tam auream, quam argenteam intuens, vidi in ea sigillum sextum, literis aureis scriptum dicẽs, *Vidui sumus, & orphani, & à Domo propria elongati, ideo nos ad ipsam reduc, vt nos corpus amplectens, nobis Amicabile fiat:* Ad hæc senex interrogatus dixit. Quod istud est reductio aquæ, & olei, super corpus mortuum, eo quod anima nõ potest-

potest stare sine corpore, & è conuerso, estque sexta huis magisterij operatio.

Septima autem & vltima operatio, est septima catena, tam aurea, quam argentea, quam vidi, in qua erat sigillum vltimum, omnia sigillans, tam aureis, quam argenteis literis scriptum, dicens, *Leuiter cum igne amicabili, fac vt aqua, sua violentia, nos separare nequeat*; Senex vero interrogatus, dixit, hoc esse vltimum, videlicet fixatio & nutritio; quod est facere fixum, solutum, & est septima, & vltima clauis philosophorum.

HOsce quinque processus placuit in tui gratiam studiose lector, addere quo prouectiores, iudicent & vtantur, fruantur, ad Dei gloriam, Iuniores vero, & recens initiati sacris, habeant quod cogitent, tentent, & experiantur, non tamen sine discrimine & delectu maximo, aut chemica, vt aiunt., inuita Minerua; ne quod in prouerbio est. Oleum, & operam perdant: potuissem ego quidem plures ijs addere processus, non illos quidem contemnendos, quos etiam apud me asseruo manuscriptos, at mihi visi sunt isti satis nunc futuri, quo tibi facilior pateat via ad Ephitaphium nimirum capessendum. hi enim, mihi vsui non minimo fuerunt dum varia experirer, mihique aditum ad penitiora, Dei beneficio, fecerunt: Si tamen intellexero hosce meos qualescunque labores, tibi chemiæ studioso acceptos fore, quidquid in penu meo philosophico deinceps situm reperero, quod absque sigilli cælestis fractura communicari possit, id totum lubens tibi propediem, interea dum his frueris, impertiar. Vale.

CARMEN ELEGANS.

In nomine Dei Viuentis & Viuificantis.

I.

TErra mihi corpus, vires mihi præstitit ignis:
Alta domus quæro, sedes est semper in imo:
Et me perfundit qui me cito deserit humor.

II.

II.

Sunt mihi sunt lacrymæ, sed non est causa doloris.
Est iter ad cælum, sed me grauis impedit aer.
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

III.

Puluis aquæ tenuis, modico cum pondere lapsus,
Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
Flumina facturus, totas prius occupo terras.

IV.

Mira tibi referam nostræ primordia vitæ:
Nondum natus eram, nec eram tum matris in aluo,
Iam posito partu, natum me nemo videbat.

V.

Non possum nasci, si non occidero matrem:
Occidi matrem, sed me manet exitus idem.
Id mea mors patitur, quod iam mea fecit origo.

VI.

Vita mihi mors est, morior si cœpero nasci:
Sed prius est fatum lethi quam lucis origo:
Sic solos manes ipsos mihi duco parentes.

VII.

Magna quidem non sum, sed inest mihi maxima virtus.
Spiritus est magnus, quamvis in corpore paruo,
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

VIII.

Ambo sumus lapides, vna sumus, ambo iacemus:
Quam piger est vnus, tantum non segnis it alter;
Hic manet immotus non desinit ille moueri.

IX.

Findere me nulli possunt, præcidere multi.
Sed sum versicolor, albus quandoque futurus.
Malo manere niger, minus vltima fata verebor.

X.

Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura.
Fulgor inest intus, radianti luce coruscus,
Qui nihil ostendit, nisi si quid viderit ante.

XI.

Non ego continuo morior dum spiritus exit.
Nam redit assidue, quamvis & sæpe recedat:
Et mihi nunc magna est animæ, nunc nulla facultas.

XII.

Plus ego sustinui quam corpus debuit vnum.
Tres animas habui, quas omnes intus habebam,
Discessere duæ, sed tertia pæne sequuta est.

Non potest apertius negari quam dicendo, Non.
Et non potest apertius affirmari quam dicendo, Ita.
Cui non est datum, non intelligit. Omne enim donum ab alto.

Quæres multum & non inuenies,
Fortasse inuenies cum non quæres.

LAMBSPRINGK NOBILIS GERMANI PHILOSOPHI ANtiqui libellus,

DE LAPIDE PHILOSOPHICO.

E Germanico versu Latine redditus, per Nicolaum Barnaudum Delphinatem medicum, huius scientiæ studiosissimum.

Lampsprinck vocor, natus ex nobili familia,
Et hoc stemma gero cum laude & iure.
Philosophiam legi, & bene intellexi.
Eruditione præceptorum fundamentum attigi,
Quod mihi Deus ex gratia sua largitus est
Dans mihi spiritum cum intellectu.
Ideo sum factus auctor huius libri,
Et deduxi in hunc obseruabilem ordinem
Vt intelligant pauperes & diuites.
Certe in terris non reperitur ipsi similis,
In quo mei (Deo sit laus) non sum oblitus.
Assequutus enim sum verum fundamentum & veritatem.
Igitur hunc librum in silentio seruate,
Et non pœniteat hunc sæpius legere.
Sic veritatem discetis, & accipietis,
Et hoc donum Dei magnum in bonum vertetis.
O Deus Pater, qui es in omnibus initium & finis,
Rogamus te propter D. nostrum Christum Iesum,

Vt illa-

Vt illumines sensus rationis & cogitationes nostras,
Vt te laudemus, celebremus sine intermissione,
Et hunc librum secundum voluntatem tuam absoluamus;
Simulq; omnia in bonum velis dirigere,
Nosq; conseruare in tua immensa misericordia.
Hoc faxit sancta tua Maiestas pro sua immensa clementia:
Auxilio diuino enumerabo vobis hanc artem,
Nihilque in veritate recta vos celabo.
Postquam me recte & bene intellexeritis
Tandem erroris vestri liberi eritis:
Nam nihil plus est quam vnum
In quo omnia latent.
Ideo animum ne deijcite:
Coquere enim, tempus, & patientia vobis sunt necessaria;
Si vultis nobilissimis fructibus vti,
Non pœniteat vos temporis & laboris,
Nam semina & metalla vobis semper modice coquenda sunt
De die in diem & aliquot septimanas.
Tunc in hac vnica vili re
Totum opus philosophiæ inuenietis & perficietis.
Quod quidem omnibus hominibus adeo impossibile videtur,
Cum sit adeo facilis & vilis labor.
Quod si alijs monstraremus, & in lucem proferremus,
Irrideremur à viris, feminis & pueris.
Ideo estote modesti & secreti,
Tunc eritis in pace & sine cura,
Nempe erga Deum & proximum,
Qui dat artem, & vult eam celari.
Nunc præfationem omittemus,
Et veram artem describere incipiemus,
Et rythmis, figuris, vere, & plane,
Sine nugis sine mendacijs in lucem dabimus
Gratias agendo creatori omnis creaturæ:
Et iam sequitur prima figura.

PRIMA FIGVRA.

Animaduertite & recte intelligite Pisces duos in mari nostro natare.

Mare est corpus, duo pisces sunt spiritus & anima.

PHilosophi in genere dicunt,
Duo pisces in nostro mari esse,
Sine omni carne & ossibus.
Hi in propria aqua coquantur:
Tunc immensum ex his mare fiet,
Quod nullus homo eloqui poterit,
Hoc est philosophorum decretum:
Duo pisces sunt tantum vnum, hoc verum;
Tamen sunt duo & nihilominus vnum
Corpus, spiritus, & anima.
Nunc certe vobis sic dico,
Coquite simul hæc tria,
Vt sit maximum Mare.
Postea vobis significabitur
Quando magnum incrementum habueritis.
Ideo coquite sulphur cum sulphure bene,
Nec multa verba ea de re facite.
Tace & reconde hæc tuo magno commodo,
Ita eris liber ab omni pauperie.
Os tuum adeo compesce;
Sic tuus labor nulli innotescet.

SECVNDA FIGVRA.

Hic celiter animaduertite nigram feram in sylua.

Putrefactio.

PHilosophus in præsenti ait
Feram esse in sylua,
Nigredine prorsus obductam,
Cui si quis caput amputabit,
Tunc penitus nigredinem amittet;
Et candidissimum colorem eliget.
Cupitis huius verum intellectum,
Nigredo nominatur caput corui.

Quam

Quam primum hæc euanuerit,
Mox apparet albus color.
Hoc tum demum vocatur, capite spoliatum
Cum nigra nebula perierit, credite mihi;
Hoc igitur dono Philosophi
Ex animo gaudent,
Celant summa cum diligentia;
Vt nullus stultus hæc sciat.
Tamen filijs suis bono animo
Nonnihil scribendo retegunt;
Nempe quibus à Deo datum.
Hi, hac ratione hoc potiuntur dono.
Ideo nulli hac de re dicendum,
Siquidem Deus hæc celari vult.

TERTIA FIGVRA.

Deinceps sine cura scitote in sylua ceruum & vnicornu latere.

In corpore est anima & spiritus.

Philosophi dicunt strenue,
Duo animalia esse in hac sylua;
Vnum laudabile, formosum, & alacre:
Magnus & robustus ceruus.
Aliud vnicornu, monstrat Philosophus:
Hæc duo in sylua latent omnino,
Sed beatus vir dicetur;
Qui hæc irretiet & capiet.
Magistri nobis claris verbis
Significant hic, & in omnibus locis
Hæc duo animalia in syluis vagari.
(Tamen syluam rem vnam intellige)
Quod si ad fundamentem respiciamus;
Tunc sylua corporis nomen accipiet.
Tum etiam certe & recte inuenietur;
Vnicornu esse spiritum omni hora;
Ceruus vero nullum aliud nomen cupit
Quam Anima: quod nomen ipsi nemo subripiet.
Nunc etiam iustum est, vt magister vocetur,
Qui ea arte ducet & frenet
In syluam ducere & deducere

Vt ſimul coacta maneant
Huic recte à nobis adiudicabitur
Illum aſſecutum eſſe auream carnem
Et vt triumphet vbique.
Imo ipſi magno Auguſto imperitet.

QVARTA FIGVRA.

Eſt ſummum portentum ex duobus leonibus vnum fieri.

Spiritus & anima ſunt coniungendi & redigendi ad corpus ſuum.

FIdeliter nos philoſophi docent
Duos leones ambulare robuſtos
Nempe Maſculum, & feminã, in valle tenebroſa & horrida
Latereque & artis eſſe, vt capi poſſint
Horrida, crudeli facie & imagine
Celeres, effrenes & prorſus feroces.
Quos, qui ſapientia & aſtutia
Irretire, frenare & aſſeruare nouerit,
In eandemque ſyluam cogere poterit,
Huic merito & iure aſſcribetur
Eum adeptum eſſe coronam & gloriam longe præ alijs,
Imo & laudem præripuiſſe ſapientibus huius temporis.

QVINTA FIGVRA.

Lupus & canis ſunt in vna domo: poſtremo tamen ex his vnum fit.

Mortificatio & albificati corporis coniunctioq; cum anima ſpiritu imbibitio.

ALexander ex Perſia ſcribit,
Lupum & canem in hac argilla eſſe
Educatos, tamen à Philoſopho nobis indicatur,
Vtrumque vnam habere originem,
Lupum ſcilicet ab oriente prouenire,
Canem vero ab occidente ortum ſuum trahere.
Hi ſunt inuidia pleni,
Rabioſi, furibundi & prorſus amentes,
Vnus alterum vita priuat,
Et ex his maximum venenum oritur.
Sed cum denuo vita potiuntur,

Tunc

Tunc reuera de se præbent
Summam medicinam, & nobilissimam Theriacam
Qualis vnquam in terra haberi potest,
Quæ recreauit sapientes cuiusvis temporis,
Qui Deo gratias agunt eumque laudant.

SEXTA FIGVRA.

Hoc vere est magnum miraculum & cita fraus, in venenoso dracone summam medicinam inesse.

Mercurius recte & chemice præcipitatus, vel sublimatus, & in sua propria aqua resolutus, & rursum coagulatus.

Horrendus draco syluam incolit
Summe venenosus, huic nihil deest:
Cum videt radios solis, & lucidum ignem
Tunc diffundit suum venenum & volat tam monstrose
Vt nullum viuens animal ante illud subsistat,
Vt neque Basiliscus ipse ei par sit
Qui illum sapienter occidere norit,
Hic euadet ex omnibus periculis,
Omnes venæ & colores in eius morte augentur.
Et fit ex suo veneno summa medicina.
Suum venenum subito consumit,
Deuorat enim propriam venenatam caudam
Hæc omnia in seipso perficere cogitur.
Et laudabile balsamum inde ex illo fluit,
Hos vires tandem conspicient,
Et mire omnes sapientes super his gaudebunt.

SEPTIMA FIGVRA.

Duæ aves in sylua nominantur, cum tamen saltem vna intelligatur.

Mercurius sæpius sublimatus, tandem figitur, vt non amplius aufugere, & euolare per vim ignis possit. Toties enim sublimatio reiteranda, quousque fixus fiat.

Nidus in sylua reperitur
In quo Hermes suos pullos habet,
Vnus semper conatur volatum,
Alter in nido manere gaudet,
Et alter alterum non amittit.

Infimus, ſupremum ſic tenet
Vt ſimul in nido manere cogantur:
Tanquam vir in domo cum ſua coniuge,
Coniugio arctiſſime copulati.
Hinc gaudemus omni hora
Quod aquilam feminam hac via tenuerimus.
Propterea Deum Patrem vt fælicitet hoc oremus.

OCTAVA FIGVRA.

Duæ aues ſunt nobiles, & magni pretij corpus, & ſpiritus, alter alterum conſumit.

Corpus iterum ponatur, pro digeſtione in fimum equinum, vel balneum ſuperfuſo ſuo aere vel ſpiritu a corpore olim ſubtracto. Corpus factum eſt, per operationem album: ſpiritus vero rubeus arte. Entium opus tendit ad perfectionem, preparaturque ſic lapis philoſophorum.

REperitur in India amœniſſima ſylua,
In qua duæ aues ſunt colligatæ:
Vna eſt colore albiſſimo, altera rubro.
Hæ ſe inuicem mordendo interimunt,
Vna alteram deuorat, & conſumit;
Vtræq; tamen in albas columbas transmutantur,
Ex columba noua naſcitur Phœnix,
Quæ nigredinem, fœtorem & mortem dimiſit,
Et ſic nouam vitam reſumpſit.
Hæc vis ipſi a Deo data,
Vt in poſterum æternum viuat, & nunquam moriatur,
Acquiſiuit nobis diuitias, & vitam incolumes;
Vt hoc magna miracula edamus
Vt nobis veri philoſophi manifeſte deſcribunt.

NONA FIGVRA.

Dominus ſyluarum potitus eſt ſuo regno & ab infimo ad ſupremum gradum conſcendit.

Si fortuna volet, fies ex Rethore Conſul:
Si volet hæc eadem fies ex Conſule Rethor.

Intellige primum gradum tincturæ vere apparuiſſe.

NVnc audite mirabile factum,
Magna enim vos docebo,

Qualiter Rex se super omne genus efferat,
Et audite quid nobilis syluarum dominus dicat,
Hostes meos omnes superaui & vici,
Venenosumq; draconem pedibus meis subegi,
Sum Rex eximius & diues in Terris,
Me nemo superior natus
Nec artibus, nec natura
Ab omni viuente creatura:
Omnia enim facio quæ homo cupit,
Do potestatem, salutem durabilem,
Insuper & aurum, argentum, gemmas, pretiososq; lapillos,
Omnemq; medicinam maximam & minimam.
In primis enim eram genere ignobili,
Antequam tam sublimi loco natus & constitutus essem.
Et quod ad tantum fastigium deuenerim,
Hoc mihi Dei, & naturæ beneficio datum est.
Quodq; ex pessimo sit factum optimum,
Et ad tantum gradum euectum sit
Nempe ad statum regium,
Hinc mihi Hermes nomen syluarum domini tribuit.

DECIMA FIGVRA.

Salamandra viuit in igne, ignisq; hanc mutauit in optimum colorem.

Reiteratio, gradatio & melioratio tincturæ vel lapidis philosophorum, augmentatio potius intelligatur.

OMnes fabulæ hæc nobis narrant,
Vt Salamandra oriatur ex igne;
In quo suum habeat cibum & vitam,
Quæ ipsi natura dedit:
Habitat autem in monte profundo,
Ante quem multi ignes incenduntur
Vnus, altero minor,
In quo se Salamandra lauat;
Tertius maior, quartus clarissimus omnium:
Hos omnes Salamandra lustrat & in ipsis mundatur:
Hinc ad suam properat foueam
Et in ipso itinere capitur & confoditur,
Ita vt moriatur & vitam cum sanguine emittat.

Hoc quidem ipsi vndiquaque in bonum cedit,
Vitam perennem suo sanguine lucratur,
Nec vlla morte posthac perire potest.
Sic sanguis ipsius pretiosissima est medicina in terris,
Et ipsi par non reperitur:
Omnem enim morbum sanguis eius propellit
In omnibus metallis corporibusque animalium & hominũ,
Hinc sapientes suam hauserunt scientiam
Et per hoc ad cæleste donum peruenerunt,
Quod lapis philosophorum dicitur,
Cui totius orbis vires sunt inditæ.
Hæc nobis philosophi mera ex beneuolentia donant
Vt eorum perpetuo reminiscamur.

VNDECIMA FIGVRA.

Pater, filius, cum ductore sibi sunt iun-
cti manibus.

Corpus, spiritus, & anima, hic subintelligitur.

SEnex Pater ex Israel venit,
Qui habet vnicum tantum filium
Quem diligit ex toto corde:
Huic præscribit dolorem cum dolore
Acsi ductor filium vnicum ducere
Quocumque locorum cuperet aut vellet.
Ductor dixit filio his verbis,
Veni huc, ducam te ad omnia loca
In summum altissimi montis cacumen,
Vt discas omnes mundi scientias;
Vt magnitudinem mundi & maris perspicias,
Et inde magnam voluptatem capias,
Ad summum enim te proueham,
Et vsque ad altissimas cœli fores,
Filius verbis ductoris paruit,
Cum illeque simul ascendit,
Thronum cœlestem inspexit,
Qui erat supra modum splendidus.
His igitur omnibus visis,
Cum gemitibus patris sui memor,
Misertus est magnæ miseriæ patris,
Ideo ad sinum eius reuerti constituit.

DVO-

DVODECIMA FIGVRA.

Alius mons Indiæ in vase iacet quem spiritus & anima, vtpote filius & Dux, conscenderunt.

Hic filius ductori dicit,
Ad patrem meum descendam;
Sine me enim nec esse, nec viuere potest
Me ingeminat crebroque vocat.
Ductor ad filium dixit,
Non te solum dimittam,
Duxi te è sinu patris;
Igitur te reducam.
Vt & rursum gaudeat, & viuat.
Ipsique dabimus hanc vim.
Surrexerunt igitur sine mora ambo,
Ædesque patris repetierunt.
Pater venientem filium cum vidisset,
Intenta voce clamauit, dicens.

DECIMATERTIA FIGVRA,

Hic Pater deuorat filium; anima & spiritus è corpore promanant.

O Fili te absente mortuus eram,
Simulque in magnum discrimen vitæ veneram.
Te præsente reuiuisco;
Tuus enim reditus hoc mihi confert gaudium.
Cum vero domum patris ingrederetur filius,
Hunc pater manibus amplexatur,
Præ nimioque gaudio hunc deglutiuit,
Idque proprio sui ipsius ore.
Pater hic præ nimia vi sudat.

DECIMAQVARTA FIGVRA.

Oleum & recta tinctura philosophorum ex eo promanat.

Hic sudat pater propter filium.
Simulque Deum intimo corde precatur,
In cuius manu erant omnia,
Qui creat & creauit cuncta,
Vt filium suum ex copore denuo educat,

Eumque pristina sua vita donet.
Deus precibus annuit,
Patremque decumbere & dormire iubet,
Qui cum dormiret,
Dimittit Deus cælitus pluuiam
In terras per sydera lucida.
Hæc pluuia frugifera & argentea erat,
Corpus patris rigauit & emolliuit,
Iuua nos Deus tandem
Vt gratiam tuam assequamur.

DECIMAQVINTA FIGVRA.

Hic Pater & filius in vnum sunt copulati, vt simul in æternum maneant.

HIc dormiens pater
Totus in limpidam mutatur aquam,
Et huius aquæ virtute
Bonum conficitur solum,
Simulque nouus pater fortis & pulcher
Quique facit nouum filium,
Hic in patre semper manet,
Et pater in filio:
Sic in rebus diuersis
Innumerabiles proferunt fructus,
Qui nullo tempore pereunt,
Nec vlla morte intereunt,
Sed gratia Dei semper manent
Simulque in magnifico regno triumphant
Pater, cum filio vna in sede resident,
Semisque magistri facies
In medio apparet,
Pallio sanguineo vestitus.

Regi seculorum inuisibili, immortali, soli Deo sit laus & gloria in secula. Amen.

Anti-

Antiqui
PHILOSOPHI GALLI DELphinatis anonymi
LIBER
SECRETI MAXIMI TOTIVS mundanæ gloriæ.

IN minimis implorandum est diuinum auxilium. Quid ergo, fili charissime, in arduis, & maioribus huius mundi facere debemus? Et cum ita sit quod intentio nostra versetur circa maxima, & maiora mundi arcana, vt infra syllogistice demonstrabitur propterea inuocãdo Dei, Patris Domini nostri Iesu Christi, immensam bonitatem, in ipsius & seruatoris nostri nomine, spiritu suo nos ducente auspicabimur. Anno 1447. die lunæ mensis Ianuarij 7. in crastino iocũditatis assuetæ in regno nostro fieri, vt moris est apud nos, lætari, in commemorationem illorum fidelium regum, qui nostrum Dominum & seruatorem læto animo ex diuersis partibus in vnum locum adorauerunt, decreui calamo depingere, & secreta manifestare quæ sub velamine, & quasi in desperata forma consueuerunt tradi. Tali modo tamen vt ingeniosi, & his introducti, possint in hoc opusculo proficere, & gloriam mundanam totaliter acquirere. Hortor autem vos, ne gloriam sempiternam, pro rebus à vobis leuiter trãseuntibus, relinquere velitis: scientes, corruptibilia quęque, pro incorruptibilibus relinqui debere. Hoc præfato, in vtilitatem omnium fidelium Christianorum, præcipue D. nostri Regis Ludouici, serenissimæque Dominę Reginæ, eius consortis, ac filij eorum, Domini mei Delphini primogeniti, dicimus Planetas septem esse, dies septem, metalla septem; licet, quod ad me attinet, ego tantum sex numerem, nimirum quæ sub malleo extenduntur. Hæc, & illa nota sunt, & hæc, ab illis denominãtur ob influentiam & participationem inter se. Mercurius autem non est proprie metallum, sed principium metalli, & quod est principium alicuius, non est ipsum totum: Mercurius autem est eis pro materia, sulphur vero pro forma. Nos vero vidimus corpora metallica, oculata fide, resoluta in Mercurium, & multiplicata in illo; at nũquam Mercurius erit metallum, nisi coagulatus fuerit virtute sulphuris: sulphureitatem autem capimus pro omni calore na-

re naturali. Si vero adueniat ipsi Mercurio, aliud sulphur à suo proprio, ex quo fuit ab initio, necne, vt inde fiat metallum non est præsentis speculationis. Nota tamen, fili mi, quod qui metallum cupit perficere, metallum conspiciat oportet: & hæc disce, nota, & sæpius reuolue, nam in hoc dicto stat consideratio rei. Generatur autem lapis noster ex patre & matre, & eius sperma est aqua serena non madefaciens. per longum tempus ascendit vir super feminam, in colore nigro, & illud corpus nigrum accipiet aquam eiusdem naturæ, & fugit & fluit per processus temporis & saluabit infirmos ab omni infirmitate. Datum in camera parlamēti Hermetis. ℞ Rubei ponderosi partem vnam, albi in sua subtilitate partes tres, aquæ serenæ partes quatuor. Lapis componitur ex igne & igne per calorem, & ex cocto & crudo, & ex igne rubeo & albo, & ex igne fluente & firmo, seu compacto, & ex sulphure & Mercurio, & ex aqua incombustibili; Vel ex aere, & igne: vel ex igne, aere, aqua, & terra simul, & multis alijs & infinitis modis potest dici. Et tamen non dico tibi mendacium sicut alij fecerunt, qui de arsenico, & auripigmento, de aluminibus, salibus, vel animalibus, atramentis, & infinitis alijs phantasticis rebus locuti sunt, quæ falsa & vana penitus cognoscuntur esse. Meditari fili sapientię & inuenies veritatem. Ego te celaui nomen vulgare, propter duas causas; vna est, vt si quis per hunc meum libellum male agat, ego possim me apud Deum excusare, & dicere quod secretū non reuelaui nisi sapientibus & vere dignis. Alia causa est, quod cæteri philosophi satis in suis libris nominant & regimen celant. Regimen manifestabo, & tibi sufficiat. Quod si lapidem non intelligas ex teipso per rationes naturales, & per verba philosophorum, prætermittendo omnes res quæ præter naturam sunt, non es dignus vocari philosophus, neque debes nobiscum philosophari. Hei vobis phantasticis, laborantibus in hac arte, qui vultis seminare fabas, & colligere oleum balsami, & ex stercoribus facere aurum potabile! Væ vobis grossis capitibus qui vultis de Ouis, & sanguine & alias mille truffis aurum generare: Aurum loquitur, & dicit, Maledicantur qui nobilissimam meam formam vilipendūt. Ego sum nobilissimum ens, & omnes influentiæ cæli in vnū conuenerunt ad meam generationem per mandata Dei omnipotentis, & ego sum opus naturæ perfectæ, & sum natus

tus sine adulterio, & isti phantastici, & nouelli obcæcati, me spurium & bastardum vocant, & me ignorant. Ego vero sum incorruptibilis, & filius solis, & minima pars substantiæ meæ est totum meum continens, nec in me aliquid corruptibile reperiri potest, & tamen isti, ex corruptibilibus me, & substantiam meam volunt multiplicare; quomodo possunt ipsi creare filios mei similes, absque consensu & consilio meo, nequaquam fiet, quousque ego semen meum igneum iactauero in sanguine meo fluente, albo, & igneo: verum, confiteor peccator sum, quod cum matre mea quæ me prius in suo ventre portauerat, consueui multiplicare filios meos, & cum ipsa consueui delectari, & amicabiliter amplexari, vt ex ea, & per eam possim mihi similes augmentare, & multiplicare, iuxta illud: Pater eius Sol, mater luna. Et dicit Arnaldus, Matrem puram accipias, & eam in lecto ponas cum filijs, vt ibidem delectetur, & quando incipiet aliquantulum delectari, in aqua frigida extingue. In disputatione Solis, ad Mercurium, dicit Sol, Disputabisne mecum? Ego sum Dominus lapidis, & insuper ignem patiens. Dixit Mercurius verum dicis. Sed ego te genui, & tu es auarus, respectu mei, & nihil vis largiri de tuo propter tuam duritiem. Ego vero spiritualis sum, & in me latet sapientia abscondita, & qui me iunxerit filio, vel fratri meo, viuet & gaudebit, habebitque sempiternum thesaurum, adeo vt si pasceret quotidie mille millia hominum, non indigeret. Et ego sum illud viuificans, & mortificans, & in me sunt omnia mundi mirabilia. Dixit autem Sol, Necesse est vt substantia mea multiplicetur in ventre matris meæ. Mater mea, est Luna viua, argentum viuum, iuxta id: Portauit eum ventus in ventre suo: ventus, id est, aer, Aer, id est, Mercurius, quia aereus est. Hæc Hermes. Nec filij tales reprobantur, propterea quod ex matre, & filio generentur: Nam, hoc eis est permissum per omnipotentem Deum. Et ipsum aurum est solus agens, & mater sua est sola patiens; apta nata ad multiplicationem suorum indiuiduorum, in sua specie. Nonne si solus filius esset in natura humana, & sola mater, permittetur quod generarent sibi similes, quod necesse esset multiplicare genus humanũ aliter totus mundus perderetur? Honorate Regem nostrum, & suam matrem, & nolite eos in suo concubitu vilipendere. O vos impij qui hoc secretum vilipen-

lipenditis! qui absque aliqua mora, & patientia nos comburitis igne violēto, & creditis nos annihilare? sed certe, nos non timemus rigorem vestrum, nec timemus ignem, quia de natura sua sumus. Dixit itē Sol matri suæ, Isti sophistę nos separant ab inuicem, & nos impediunt à generatione nostra, quia tu mater, habes certas alas, & peñas, mirabiles, & subtiles, & de leui me dimittis, & volas à me, ne tuæ pennæ comburantur, tuam tamen substantiam facies quiescere paulatim & paulatim. Ego vero sum grossus, ponderosus, sicut vrsus, & non possum bene currere, nec habeo alas ad volandum, quia compactus sum, quapropter non timeo ignem. Aduertendum tamen est maximum secretum, & incredibile, quod si per longum tēpus starem cum matre mea, in lecto delectationis, id est, in calore ignis. Certo ipsa me secum portaret totaliter, & nihil de substantia mea inueniri posset, si sibi violentia fieret, quia multum fortis est & terribilis, quando est in ardore amoris, propterea dicitur acetum acerrimum, aqua fortis, venenum tingens, lac virginis, fons vitæ, & ignis comburens magis quam ignis, & per violentiam nostræ coniunctionis efficior volatile corpus & spirituale, ac totaliter reuertor ad naturam meam primam: & tunc completur quod dicitur: Sciant alchemistæ, species rerum transmutari non posse, nisi prius reuertantur ad naturam primam. Et certe fili, in hoc precioso opere, vt Morienus ait, Si scirent, aurifabri quid habent præ manibus quando deaurant, multum lucrarentur. Meditare, fili, & intellige, quia aliter nō possumus de hoc opere loqui nisi parabolice, quæ dicta sunt, per me sæpius visa sunt, & propterea scio quod vera sunt. Materia immediata lapidis, est sulphur, & Mercurius, non talis qualis inuenitur, vnde natura creauit aurum. Sed id quod nunc in eo est, quod ars imitatur naturam in quantum potest. Maiora dico quam credebam dicere, sed non me pœnitet, quia non loquor nisi amicis meis, & filijs scientiæ. Dicunt philosophi quod aurum nostrum, non est aurum vulgi, & multum bene loquuntur, sed male à legentibus intelliguntur. Ecce & similiter de Mercurio philosophi dicunt quod non est vulgi. Fili aperi cellulam tui intellectus, ac nota, quod sulphur nostrum aurū est purum, merum, sincerum, & rectum, & dicitur apud nos argentum viuum coctum, & est filius ignis, & ex purissima substātia Mercurij

curij sumpsit originem, & cum videtur virtus eius, non intelligitur nisi à nobis, ex materia vnde generatur. Homo, non est hic homo, nec hoc frustum hominis generat hominem: sed est quædam virtus agens huius vel huius hominis, & talis virtus est inuisibilis, propterea dixerunt quod materia lapidis nostri non est aurum vulgi, videlicet illud quod videtur, illa prima massa tota aurea, ille denarius aureus, vel illa accidentia quæ videntur, non perficiunt lapidem nostrum, sed certa virtus in talibus existens, hoc perficit: Nec vnquam fuit possibile, nec erit aliter, vt dicit Auicenna, reperitur materia illa in illis, in quibus est. Item dicit, Si Solem, & Mercurium non viderem, dicerem scientiam istam esse falsam: quasi dicat, si nullum granum fruméti esset in mundo, dicerem multiplicationem grani esse falsam, & tamé non intelligas, quod granum hoc frumenti quod videtur, videlicet illa grossities grani, vel durities, vel illa accidentia, quę videntur, generét grana, sed virtus latens in dicto grano, hoc facit, quod nisi cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Intellige hęc omnia in tuo intellectu separata & non grosso modo, vt litera dicit. Relinquitur ergo quòd substãtia intrinseca, est illa quæ operatur, & per consequens sequitur, vera esse philosophi verba quando dicit aurum nostrum non esse vulgi, id est, quod videtur, palpatur: sed est quædam substantia magis subtilis quæ ab ipso extrahitur & in ipsa latet. Lapis igitur noster fit ex sulphure fixo, rubeo, põderoso, incombustibili, & ex substantia Mercurij recentis, crudi, puri, & similiter philosophi dicunt quod illud argentum viuum quoque capitur pro sulphure nostro. quod etsi vocatur sulphur, non tamen sulphur est, sed ita vocatur propter proprietatem agentem quam habet: nihilominus, non est aliud quam argentum viuum coctum & inspissatum per naturam, & in tali inspissatione, sulphur naturæ sibi occurrit, quod sulphur dicitur substantia aurea, id est, virtus aurea, & facit ex Mercurio, merum aurum per præceptum naturæ, nec taliter sulphureitas minuit substantiam Mercurij, nec comburitur per ipsam, immo partes eius homogeneæ, per talem virtutem sulphuream igneam, coadunantur magis, ac magis, aliquæ post aliquas, & efficitur per longum tempus corpus duru & compactum. Tale corpus potest dici sulphur, & Mercurius, & quod tale argentum viuum coctum est nobis

bis necessarium, propterea dicimus sæpius, quod non est Mercurius vulgi. Considerandum est etiam, fili, quod tale argentum viuum, seu sulphur, non operatur per se, quia simile non operatur in suo simili, & par in parem non habet dominium. Necesse est igitur vt adiuuetur per aliud argentum viuum crudum, mundum, & acteum, quia illud est per quod nostrum sulphur fixum, & argentum nostrum viuum coctum naturaliter superabuntur ab inuicem vt inde multiplicentur in suo humido radicali in infinitum, iuxta illud: Cui natura est calida, & sicca, & cocta si frigidum, humidum, & crudum aduenerit non nocebit: quia sicut minimæ partes terræ siccæ superatur per appositionem aquæ, & per bonam mixtionem vt patet in opere figuli, similiter terra nostra, vel sulphur nostrum diuiditur in minimas particulas, per minimas partes, cum ingrossatur per appositioně aquæ suæ, videlicet Mercurij crudi, mundi, & ex minerà extracti; quia ipsum argětum viuum est perforatiuum & penetrans in infinitum magis quam aquæ fortes sophistarum à quibus debes cauere. Secunda ratio quare Mercurius non est vulgi, est ista, & similis, sicut diximus de auro vulgi; quod illud quod videtur non est proprie materia lapidis, similiter argentum viuum, prout videtur à vulgo, est multum volatile, mobile, frigidum & humidum, & album; & tamen in abscŏdito est calidum, & asperum, & terribile, & rubeum probatur, quod, vt superius dictum est, est ignis albus, & corpora metallica per eum funduntur & liquantur citius multum quam per igně fusionis vt patet per experientiam; item in rubeum conuertitur per regimen nostrum: item fixatur virtute sua cum adiumento sulphuris nostri, id est, ignis nostri. Idem ipsum est opus naturæ, & virtutes eius non videntur, propterea non cognoscuntur à vulgo.

Qualis debeat esse fornax.

DOmus vel locus erit in certa camera secreta ad hoc ordinata, nec ventus, aer, & pluuia possint magisteriŭ annihilare, in loco nŏ nimis alto, sed passo, vel mediocri. Sit fenestra satis ampla, quæ respŏdeat supra furnŭ, vt těpore necessitatis suas possis videre actiones, cognoscere colores in opere apparětes; & erit furn⁹ ad hoc apt⁹ in dicto loco, & pes, seu fundamentŭ furni, 4. pedum in quadratura, & in altitudine vnius

vnius pedis vel plus. Sit craticula ferrea in medio rotunda, & quatuor viæ in cruce venticulares, correſpondentes ad dictũ furnum, ab extremitatibus ad dictam craticulã, & in vno angulo dicti furni erit vnum canale ſatis groſſum, ſemper carbonibus repletum, altum ad quantitatem vnius cannæ, vel quinq; pedum, vel plus aut minus correſpondens ad craticulam, & in circumferentia craticulæ erunt quatuor capellæ terreæ ad formam alembicorum. Et in medio erit vna capella, ad modum aliarum tamen ſtabit in aere, & aliæ quatuor erunt ſuper fundamentum, fietque ignis vt dicetur, & os furni erit in oppoſitione ad canale videlicet in angulo, eruntque instrumenta neceſſaria ferrea ad mundandum craticulam & ad cineres extrahendos.

Eſt autem regimen vnum, videlicet vt ponatur in ſuo vaſe & in ſuo furno, & coquatur iugiter ſine intermiſſione. ℞, Mercurij optimi libram vnam, & ponatur in mortario cum ſale groſſo, & aceto optimo, & incorporetur ad modum paſtæ, deinde cum aqua calida rotando viuifica, & fac bis aut ter vt eius nigredo pereat; demum fac tranſire per corium, & tranſibit ad modum lactis. Deinde in vnciam vnam ſulphuris noſtri, impone vncias quatuor Mercurij, in vaſe vitreo ſigillo Hermetis ſigillato, deinde collocetur in ſuo furno ſecreto, & ibidem accendatur ignis; & multiplicatur, & creſcit, efficiturque fons ſapientiæ currens. O bene dictum! mare ſapientiæ fluit & refluit; bullit, & quieſcit, & ſi velis ſecure agere, ſemper cum patientia agito, & continua, & non te tædeat, non eſt feſtinandum nec ab opere ceſſandum, donec totum ad modum ſicci lapidis formam aſſumat: Nam ſulphur fixum cum ſit, coagulans coagulatum, naturaliter coagulat ſuum Mercurium, per longam & frequentem ſublimationem ſuper ipſum. Cuſtodi ergo hæc ſcilicet terram & aquam, quia cum aqua miſcetur cum terra, eam abſorbet ſua ſiccitate, & inſpiſſat ſua tenacitate, & facit eam ſibi ſimilẽ ſua groſſitie, quia omne ſiccum naturaliter appetit ſuum humidum, idcirco tardamentum & temperamentum dicitur eſſe in magiſterio philoſophorum; & natura præterire motum non poterit, niſi impedita fuerit per feſtinationem, fac igitur vt omnia ſoluantur, & caue ne ſpiritus fugiant per violentiam ignis, quia totũ perderetur magiſterium. Scias fili cariſſime quod totum noſtrum magiſterium nihil aliud eſt, quam facere rectam ſolutionẽ &

perfectam congelationem. soluite lapidem nostrum postea congelate, & nihil plus quæratur. Humiditas nostri lapidis desiccatur paulatim & ex assuefactione in suo igne. In lapide nostro non sunt nisi duo, & sunt vnius naturæ: vnum est siccum, & firmum incombustibile: aliud est humidum volatile & incorruptibile, propterea necesse est, quod ista duo cõtemperentur ad inuicem, vt vnum non dimittat alterum. Quod si velis dare calorem ad æqualitatem rei fixæ, res volatilis minime posset expectare, & si velles dare ad æqualitatem rei volatilis, res fixa semper hebetaretur à frigiditate alterius, & nunquam perficeretur opus. Necesse est dare calorem ad æqualitatem rei motæ, videlicet totius compositi, vt omnia soluantur, & fiat vna aqua permanens, propterea coque, coque & iterum coque; & ne te tædeat longa decoctio, esto lõganimis, patienter & cõtinue, & soli complemento insistas, cætera prætermittens. Primus color lapidis nostri post bonã continuationẽ, quando incipiet coagulari, erit niger, & durabit per quadraginta dies, & tunc efficietur lapis albus, & tunc Sol operabitur cum sulphure suo albo, Mercurium cõuertens in Lunam puram; & si maiorem habuerit digestionem operabitur cum suo sulphure rubeo, Mercurium conuertens in aurũ optimum, & per hoc perpendere debes, quod Sol est corpus hermaphroditum, id est, in se continens duas virtutes, Lunarem & Solarem, quod aurum prius fuit argentum, quam aurum. Nota tamen, quod cum materia nostra fixa est ad album, nunquam potest destrui per ignem, & propterea potes ei dare ignem quantum volueris, quia semper meliorabitur eius tinctura in infarctum, & efficietur rubicũdissima, velut sanguis adustus vel syrupus granatorum. Si illa volueris multiplicare cum fermento, vnde fuit à principio: & totum conuertetur in triginta diebus in medicinã puram, albam, aut rubeam secundum quod fuerit fermentum. & demum capies vnam vnciam eius pulueris, & proiicies super decem cuiuscunque metalli, & erit aurum purum vel argentũ purum. Iterum capies vnam vnciam, & proiicies super illud iam conuersum, & erit medicina pura. & toties reiterabis quoties medicina fluet, sicut cera vel oleum: & tunc dicitur oleum auri, aurum potabile, balsamum, fons vitæ & fluuius paradisi, thesaurus totius mundi, & secretum absconsum.

Extra-

Extractum
EX CIMBALO AVREO, ANTIQVISSIMO LIBRO MANVSCRIPTO, AD rem nostram faciens.

Quod ideo addidi, vt eo magis philosophiæ studiosi alacri animo in ea perquirenda pergere non recusent.

ARtis nostræ vna tantum exstat res, cui tam in principio quam in fine nil extranei additur, quod sit suæ naturæ alienum: & est natura argenti viui purissimi, ex fumosa cuius resolutione, tam in visceribus terræ, quam in alueolo philosophico generatur vapor vnctuosus, ex quo per actionem caloris in fine digestionis generatur metallum perfectum, ex quo vlterius per resolutionem artis, naturam adiuuantis, generatur lapis philosophicus. Vt artis fiat abbreuiatio, coniunge crudo, digestum, imo digestissimum metallum, vt maturum immaturo succurrat, & exciteтur elementum de elemento. Nisi hanc mineram Deus fecisset, vanum esset studium nostrum. In omnibus gradibus ignis vnus & æqualis semper esse debet. Talis autem quo materia non eleuetur, imo verius calore febrili cocta in fundo vasis quiescat, nec flamma vas tangat in fundo: æqualiter tamen ad omnes partes deferatur, sitque vas appensum in summitate furni: non autem cineri aut testæ imponatur, quo melius circuire possit. Sit autem vas vt nosti, cuius tres partes aut minimum duæ sint vacuæ. Lapidem sufficit semel in vase ponere firmiter claudendo, donec suam biberit humiditatem. Sit pars vna corporis & nouem spiritus, id est, nouem aquilæ & æris pars decima, in prima scilicet compositione. Vide quid facias, nam ait alter: Si fuerint viginti quatuor partes ignis, extinguito calorem illum cum octo vncijs de aceto donec exsiccetur: Tum denuo humor addi debet & exsiccari. Hermes vult quartam partem ignis igni addi, & hoc non simul, sed in quatuor quartas: & in quatuor diebus, pro qualibet quarta. Experti vero superfuderunt aquam tribus digitis, secundum q̃ eis videbant bonum. Sed nota, q̃ cum nouem partibus aceti citius soluitur Rebis in aquã: sed prolixius exsiccatur & figitur. Natura simul imbibit nec eget manuum contritione. Si præparentur omnia simul & conquant, bonũ est apud exptos. Septẽ modi opationũ

deſcribuntur à philoſophis, videlicet ſublimatio, deſtillatio, calcinatio, ſolutio, coagulatio, fixio, ceratio. Tamen lapis eſt vnus, medicina vna, vas vnum, furnus vnus, labor & operatio vna: & ſic philoſophi ſemper vnum dixerunt, vnitatem commendantes, diuerſitatem vero abnuentes. Quia vitam in peregrinatione agentibus hoc cōtingit, vt hoſpitia multa habeāt, amicitias nullas. Non conualeſcit planta, quæ ſæpius plantatur: non venit vulnus ad cicatricem in quo medicamenta crebra tentantur. Cum corpus noſtrum ad ſoluendum ponitur in aqua, ſtatim denigratur: & etiam ſtatim per minima ſeparatur & ſtatim calcinatur, & ſtatim ſoluitur, & ſublimatur, & ſoluendo & ſublimando coniungitur cum ſpiritu: & ſi fuerit aliquid aliud extranei in corpore mixtum, illud non ſoluetur: ſed remanet in fundo vaſis, hoc autem totum fit in vna hora. In fine magiſterij anima oritur, & derelinquit corpus ſuum, ipſumque totaliter mortuum manet in fundo vaſis. Si ibi mediante ſpiritu, & voluntate artificis, eam corpori non reddes, & hanc clauem ignores, iam es in deſperationem & totū magiſterium te latet. Viſa albedine, infrigida opus tuum, infrigidando enim Lunam inuenies calorem Solis. Morare prope vas, & intuere mira, quoniam albeſcit & citrineſcit citius quam in tribus horis diei huius tamen rei germinatio eſt viridis. Hoc ſubito ſi videris: admiratio, timor & terror tibi euenient: nam apparebit tandem in albedine, quæ omnes albedines mundi vincit.

Ars tota.

Recipe igitur in nomie Domini Æs noſtrum quod cum aquilis nouem coniunge, & tere vt totaliter ſpirituale fiat ſine reſidentia fæcum, vaſique ſuo impone, in furnum loca, vt eidem immobiliter adhæreat, nigredoq; putrefactionis apparebit, quæ diutius dominabitur: poſt vero nigredinem, quicūque color apparuerit, laudabilis eſt: ſine intermiſſione rogo coque, & opus mulierum fac, vſquequo incipiat germinare in viridi colore animamque euolantem, mediante ſpiritu, redde corpori ſuo à quo primo exiuit vt coniungatur eidem in albiſſimo colore, coniuncta infrigidetur. Iam habes perfectum lapidem ignem non timentem nec aerem, quem informatum & fixum fermenta vtrimque deducendo, fixum in volatile; & volatile in fixum. Rege igitur eundem tamdiu quouſque incineretur & rubeſcat, habeatque colorem ſanguinis combuſti, vel

sti, vel draconis, seu aloes vel epatis. Et proiice ipsum super corpus cuius generationem vis habere, hocque proiice super alia corpora imperfecta. Corpus ergo in opere nostro debet fieri spiritus per modũ dissolutionis, & spiritus viceuersa corpus, per modum coagulationis, quo corpus ex potestate spiritus acquirat sibi fluxibilitatem, & spiritus ex corporis potestate acquirat sibi fixionem, & in hoc est perfectio artis. Solue, coagula, & tinge, & habebis quod optas. Spiritum, animam, & corpus habet lapis noster, non lapis, quem si dissoluas, dissoluitur. Si coagulas, coagulatur. Si volare facis, volat. Est autem volatilis, albus, concauus, salsus, pilis carens, quem nemo sua lingua tangere potest: quem si a[illegible]um dixeris esse, verum dicis. Si dixeris aquam non esse, mentieris. In opere philosophico coniungitur spiritus mineralis crudus, tanquam aqua cum corpore suo, ipsum prima decoctione soluendo: Tunc Rebis vocatur.

ARCANVM PHILOSOPHORVM, PER VIrum doctissimum olim versu hexametro conscriptum.

In nomine Dei viuentis, & viuificantis.

I.

Terra mihi corpus, vires mihi præstitit ignis,
Alta domus quæro, sedes est semper in imo:
Et me perfundit qui me cito deserit humor.

II.

Sunt mihi sunt lacrymæ, sed non est causa doloris
Est iter ad cælum, sed me grauis impedit aer:
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

III

Puluis aquæ tenuis, modico cum pondere lapsus,
Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
Flumina facturus, totas prius occupo terras.

IV.

Mira tibi referam nostræ primordia vitæ:
Nondum natus eram, nec eram tum matris in aluo,
Iam posito partu, natum me nemo videbat.

V.

Non possum nasci, si non occidero matrem:
Occidi matrem, sed me manet exitus idem.
Id mea mors patitur, quod iam mea fecit origo.

 VI.

Ex sup[illegible]

VI.

Vita mihi mors est, morior si cœpero nasci:
Sed prius est fatum lethi quam lucis origo:
Sic solos manes ipsos mihi duco parentes.

VII.

Magna quidem non sum, sed inest mihi maxima virtus.
Spiritus est magnus, quamvis in corpore paruo,
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

VIII.

Ambo sumus lapides, vna sumus, ambo iacemus:
Quam piger est vnus, tantum non segnis it alter;
Hic manet immotus non desinit ille moueri.

IX.

Findere me nulli possunt, præcidere multi.
Sed sum versicolor, albus quandoque futurus.
Malo manere niger, minus vltima fata verebor.

X.

Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura.
Fulgor inest intus, radianti luce coruscus,
Qui nihil ostendit, nisi si quid viderit ante.

XI.

Non ego continuo morior dum spiritus exit.
Nam redit assidue, quamvis & sæpe recedat:
Et mihi nunc magna est animæ, nunc nulla facultas.

XII.

Plus ego sustinui quam corpus debuit vnum.
Tres animas habui, quas omnes intus habebam.
Discessere duæ, sed tertia pæne sequuta est.

Non potest apertius negari quam dicendo, Non.

Et non potest apertius affirmari quam dicendo, Ita.

Cui non est datum, non intelligit. Omne enim donum ab alto.

Quæres multum & non inuenies,
Fortasse inuenies cum non quæres.

Nico-

NICOLAI BARNAVDI
A
Crista Arnaudi Delphinatis philosophi & medici
BREVIS ELVCIDATIO
illius
ARCANI PHILOSOPHORVM

In nomine Dei viuentis, & viuificantis.

INcipit auctor, quisquis ille sit, a summi Dei vt par est, & Christianum virum decet, inuocatione.

Si decquis vsquam est, qui Deo se dedicet? Psal. 25.
Rarus quidem, sed faustus est.
Nam quisquis est huiusmodi, summum Deum
Magistrum habebit, & ducem,
Qui monstret huic, quam deligat sibi viam.

Hanc normam Deo inspirante, aut præceptore docente, aut multiplici experiētia, & summis cum laboribus, & sumtibus non paucis adipisci se posse nemo vnquam cogitet. Nunc incipit ænigmatice omnino narrare, quantum licet, arcani philosophorum scientiam adeptam, dicens:

Terra mihi corpus] Introducit auctor Mercuriū non quidem præparantē, aut nostrum soluentem, sed tingentem illum & tinctum per prosopopœiam loquentē, qui corpus suū terrram esse, prout & est, affirmat, terram dico initio, & per se, mortuam, sub finem vero operis rediuiuam & glorificatam, cuius gloriæ viam, qua ad ipsam peruenit, docere incipit, dicens.

Vires mihi præstitit ignis] Ignis enim est, qui solutioni corpus parat, sine qua nihil fit, ignis est qui coagulat, qui tingit figitque, & totū opus peragit, hoc autem non de quolibet igne; sed de igne naturali, qui vnicuiq; rei inest, intelligi debet, qui etiā sulphur vocatur corporis, hac in re, sed inuisibile; cuius beneficio in Mercurio suo (qui etiam ignis est) mixtum, & igne leui externo iuuante, solutum, digestum, mortuum, & excitatum gloria & honore tandem prodit coronatus. Interea ait:

Alta domus quæro] Ascendit enim à terra, dum coquitur in cælum anima, spiritu duce, igne externo, quem Solis vocant iuuante.

Sedes est semper in imo] Quia iterum descendit in terrā, quę nutrix

nutrix ab Hermete vocatur. Est autem hic ascensus, & descensus aliud nihil quam pars præcipua sublimationis, & destillationis philosophorum. Sequitur:

Et me profundit qui me cito deferit humor] Cum velocissime ascendat Mercurius, terram deserere dicitur, cum vero perinde descendat, terram petens, ipsam perfundere fertur, ita Hermes in tabula smaragdina, ascendit à terra in cælum, iterumque descendit in terram, & ita recipit vim superiorum & inferiorum.

Sunt mihi sunt lacrymæ] Dum scilicet è cælo in terram descendo, id est, cum post sublimationes multas deorsum feror, videor mihi lacrymas emittere.

Sed non est causa doloris] Imo ea de re maxime gaudeo, & mihi ipsi gratulor quod ipsæ me innouare & dilatare, tincturamque meam extrahere conentur.

Est iter ad cælum] Arnaldus Villanouanus in libro Noui luminis, cap. secundo, de itinere hoc ad cælum ait: Aduertatur autem ad hoc, nam in hac eleuatione, si recte fiat, quoddam permanens inuenitur, quod debet per vim adduci superabũdanter volatilis, eleuari, dico, & parti quæ residet ex eadem quod eleuatum est reddi debet, donec fugiens totum fiat. Tunc terra prædicta remanet ex ambobus in lapidem durum citrinissimum conuersa, neque satis est volatilitas illa prædicta, donec tota massa lapidis prædicti igne eleuati, reddita in suo vase, per eundem continuo ascendat: ita, vt nihil in fundo vasis immundum, aut sordidum residea t ex eadem. Dum vero sic perfectissime eleuabitur, adimplebitur in opis philosophici perfectione quod ab Hermete habetur. Suauiter cum magno ingenio ascendit à terra in cælum, vt supra à nobis dictũ est. At, vt nostra redeat vnde digressa est oratio, non possum non mirari, vnde huic nostræ rei venerit in mentem, iter ad cælum causam sibi dicere doloris esse: cum enim omnis res perfici cupiat, & iter ad cælum perfectionem moliatur; mirũ, inquam, id potius non percupere Mercurium illum nostrum, qui cælum ipsum parentem agnoscit. Causam addit, dicens.

Sed me grauis impedit aer] Ac si diceret sensim, & in horas natiuo meo, & fratris igne, externo adiutus, ponderosior efficior ad fixionem properans; itaque, cum pennæ alarũ fratris, quem & patrem & genitorẽ vocat, ferme consumtæ sint, impedior à facili illo ascensu, qui initio mihi familiarior fuisset. Sequitur.

Et qui me genuit sine me non nascitur ipse.] Nec enim Mercurius solutus, qui genitor dici potest, sine sulphure, siue Mercurio tingente, qui se hic genitum vocat cerni aut videri potest; posteaquam iam vna res facta sunt, vt in cõiunctione prima apparet. sunt autem alioquin metalla, ex quibus, in quibus, cum quibus, & per quæ, (teste etiam Paracelso) perfecta metalla fiunt: sunt, inquam, hermaphrodita corpora, vt de Ioue antiquum illud carmen testatur.

Iuppiter omnipotens genitor, genitrixq; vocatur.

Itaque quod de Mercurio dici potest, id de sulphure dictum etiam videtur: & viceuersa. Est enim res hæc de qua philosophi loquuntur aliud nihil quam Mercurius sulphureus, & sulphur Mercuriale. In hac vero re bina, quæ vnica est, sulphur masculi vicem sustinet, Mercurius vero feminæ: rursus ille patris, hic vero filij locum obtinet, in vno & eodem plane corpore: cumque sint ambo indiuiduæ societatis & gignens & genitum, simul nasci & prodire dicuntur. Sed pergit, dicens:

Puluis aquæ tenuis modico cum pondere lapsus,

Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus.] Hic puluerem vocat, quem paulo ante humorem & lacrymas dixit, de quo supra quod satis. Hunc autem puluerem, Sole madentem facit, æstateq; fluentem, vt videas quam leui igne opus nostrũ fiat; quo etiam silente, siccatur. Quis quæso talem vnquam vidit puluerem?

Flumina facturus totas prius occupo terras] Nisi tamen peroptime mixtus, & vt loquuntur, amalgamatus sit hic Mercurius cum corpore, in debitaque proportione æquatus, & suo vasi, vt decet, fornaciq; impositus fuerit, & igne Ægypti coctus nusquam aquæ instar stagnantis videri poterit, neq; terras occupare, quas duas tantum in nostro opere vnius generis inesse, cum plerisq; omnibus philosophis statuendum esse omnino arbitror. Sequitur:

Mira tibi referam nostræ primordia vitæ] Hic videtur noster Mercurius ab incunabulis sese aperire, & quis, qualisve sit dicere velle: cum tamen nihil minus agat, nisi forsan, vt cœpit, suo more ænigmatice. interea vitæ suæ primordia referre, eaque admiranda se parat. Hoc loco cum vitæ participem fuisse se dicat, quis non saltem in genere animantium eum perceaseat? præcipue cum à philosophis audiat eum corpus,

animam, & spiritum habere. At quid quæso si de ipso tandem audiat; non solum vixisse ipsum, sed & reuixisse, & à resurrectione sua vitam fratribus suis impertiuisse perennem: plantis item, vt perpetuo virescant: nobis vero homuncionibus vt sana & incolumi, sub Dei manu, vita fruamur; si eo debita dosi vtamur cōcedere poss. Quid inquam, de tanta re, quam veri philosophi tractant, dicturus est? Nonne cæleste & ferme diuinum quoddam arcanum esse ingenue fatebitur? pergit autem ipse de se loquens:

Nondum natus eram, nec eram tum matris in aluo] Qui fieri potuit, vt nasceretur, qui necdū in vtero matris erat; Hoc in loco, vt sequentia etiam ostendere videntur, innuit auctor sulphur esse de quo loquitur, quod, vt plurimum, Mercurij loco vsurpatur, & viceuersa vt supperius attigimus: quod quidem sulphur in vaporis forma permanens, in Mercurij sui vaporosi vterum necdum ingressus erat. Hæc autem præcipue generationem, quæ fit à natura sola in mōtibus & locis subterraneis respiciunt, quæ cum eam, quæ eadem natura, arte ministra fit, præcedat: hæc vero illam æmuletur, de vtraque etiam dici poterit & interpretari.

Iam posito partu natum me nemo videbat[Siue fuerit in terræ cuniculis & aquæ elemento, in quo mineralia & metallica nasci certum est, siue in alueolo philosophico, in quo inuisibilis nictu oculi fit coitus & generatio.

Non possum nasci si non occidero matrem] Redit; & hæc de extractionis tincturę Philosophorum initio dicit: quæ cum per Mercurium viuum, quem matrem vocat, fieri debeat; ipsa extracta, siue corpore soluto, Mercurius occiditur, quod alijs verbis philosophi innunt affirmātes solutionem corporis fieri non posse sine coagulatione spiritus: ea propter ait:

Occidi matrem, sed me manet exitus idem.

Id mea mors patitur, quod iam mea fecit origo.] Matre, id est Mercurio occiso, moritur & corpus solutum, vesteque lugubri & atra induuntur ambo. itaque, cum in ortu suo matrem occiderit, æquum est & ipsum, tanquam matricidam, mori.

Vita mihi mors est:] Hoc cū homine, præcipue vero Christiano commune habet, qui, quam cito viuere hoc est Deum & Christum nosse incipit, tam cito & mori pergit. ideoque ait:

Morior

Morior si cœpero nasci) Etenim coniunctione illa Gabritij, quem vocant, cum Beia puella fulgida celebrata, mox moritur Gabritius, vix dum primum natus,

Sed prius est fatum lethi, quam lucis origo) Idipsum potentissimus ille, & sanctissimus seruator noster Iesus Christus de seipso loquens prædixit: Nisi, ait, granum frumenti cadēs in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructus adfert. Hoc vero in loco auctor lucis originem, lethi fatū sequi profert Itaq; sequitur.

Sic solos manes ipsos mihi duco parentes) Qui, scilicet, ex tumulo, ad regium solium tandem me erigent.

Magna quidem non sum, sed inest mihi maxima virtus:

Spiritus est magnus, quamvis in corpore paruo) Hæc omnia alijs tamen verbis, Comes Bernardus in quarta sui opusculi parte dilucide explicat. Rex inquit occiditur ab ipso fonte, resuscitatur per ipsum, deinceps ex substātia regni sui, quæ posita est in minutissimas partes, quisque subditorum eius portionem accipit, & quantumcunque minutissimam particulam quilibet habeat, æquatur opulentia, viribus & potentia regi, vide quā maximam habeat vim in corpore paruo magnus spiritus. Sequitur:

Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem) Hic, germen quod purissimum sit, & tincturam rubentem à crimine vindicat, quod nec in culpa sint, nec noxam mereantur. Sequitur.

Ambo sumus lapides, vna sumus, ambo iacemus) Hoc loco numerum specierum, & earum fixionem non dissimulat, quæ cum non sine numine, vt meum fert Symbolum, æquum esse arbitror, qui tantum à Deo opt. max. suscepit munus, & tantæ maiestati gratias agat, eique perpetuum seruiat. Addit:

Quam piger est vnus, tantum non segnis it alter,

Hic manet immotus, non desinit ille moueri) Cum iam ambo lapides esse dixerit, mirum videri posset qui fiat, vt nunc mouentem vnum, alterum autem immotum faciat. Hæc autem videtur dicta de corpore, & spiritu ante fixionem, vt vocant, perfectam: solent enim, vt plurimum, inuidi postponere, quæ præcedere par esset, vt incautos fallant, & è conuerso. Sed ait:

Findere me nulli possunt, præcidere multi) Punctū sua natura est omnino indiuisibile, & insecabile, hæc autē res nostra

ad

ad summum deducta fastigium, atomos rubentes cæli-terrestres refert.

Sed sum Versicolor] Colores sine dubio multi, varijque in opere apparent: quorum tres præcipui, nigrum, album, & rubeum.

Albus quandoq; futurus] Post nigredinem enim, & cæteros fugaces colores, sequitur albedo, & quidem intensissima, quæ omnia infima metalla in Lunam tingit optimam. At hic noster ait:

Malo manere niger.] Cui bono, inuide? neq; enim vel tibi vel cuiquam vsui aptus esses.

Minus Vltima fata Verebor] Vereris quod maxime optare deberes. nempe ad regnum illud, quod natura & arte tibi vni paratum est, conscendere. Perge.

Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura.] Ludit & alludit alteri dicenti:

Quo teneam nodo mutantem Prothea Vultus.

Hæc autem omnia, aut antē primam fixionem: aut ante vltimam operis trium dierum, non male aptari possunt.

Fulgor inest intus, radianti luce coruscus.] Hoc loco, vt nobis spem faciat, & animos addat, quid celatum apud se, quidve plebi occultum, quæ non nisi carneis oculis intuitur, indicat fulgorem nempe cælestem, ne dicam diuinum, splendidissimum & inexpugnabilem intus latere.

Qui nihil ostendit, nisi si quid Viderit ante] Etenim multa præcedant necesse est, antequam fulgor ille sese prodat. Sed pergit dicens:

Non ego continuo morior, dum spiritus exit.

Nam redit asidue, quamVis & sæpe recedat] Hæc à nobis superius satis aperte explicata sunt, cum lacrymas, quas hic spiritum vocat, tractaremus: quas (licet pauca) in opere triū dierum emittere, philosophi tradunt.


Et mihi nunc magna est anima, nunc nulla facultas] Dum soluitur compositum, nulla dici potest animæ facultas, nisi quantum spiritui iuncta corporis solutionem molitur: cum autem corpori iuncta est, tum maxime potens.

Plus ego sustinui quam corpus debuit Vnum] Vt sibi blandiamur hęc profert inuidus, at audi quid de eo alter affirmet; vt scias quam pueriliter conqueratur.

Vehe-

——— Vehementius igne
Est aliquid. Monstrum hoc incendia nulla recusat:
Follibus ignificis Vulcani concitus ignis,
Id monstri recreat, reficit, fouet. amplius addo;
Tertius è flammis medis, & pulcrius exit.
Tres animas habui, quas omnes intus habebam.
Discessere duæ, sed tertia pæne sequuta est.) O ter, quaterq; beati, si sua bona norint agricolæ, quibus hæc anima tingens remansit.

Candido Lectori.



RADIDI *ante paucos menses euulgandam TRIGAM CHEMICAM in qua nihil à me præterquam* Lambspринck *Germanici scripti Versio Latina, & quorundam Versuum Chemicorum, lapidis elucidatio non inconcinna, reliqua antiqui philosophi Galli sunt Nunc QVADRIGAM AVRIFERAM promo, in qua ne Verbum quidem Vnum a me profectum (Quid enim, quæso, in hac metallorum philosophia excogitare dicereve Vnquam possem, quod dictum non fuerit prius, & ita actum, Vt aiunt, agere.) Itaq; totum Vtut ab auctoribus prodijt nihil addito, Vel deleto in lucem emitto: idq; maxime in Gallorum, Anglorum, Germanorum, Italorum, Polonorum, Bohemorum, Borussorum, Suecorum, & ad miraculum natorum Batauorũ, & Regionum confœderatarum philosophorum. Quorũ omnium regna, ditiones & agros Dei beneficio, medicinam faciens aliquoties lustraui, & cum non paucis philosophis mihi notis studia mea contuli. In horum omnium gratiam. (Parce Hispane, cuius regnum & Vidi; & ante quadraginta annos lustraui, si hic tibi nihil seritur, nec metitur. Naues habes auriferas multo tuo & indorum sanguine partas, tibi hæc nõ opus est quadriga; cito nauibus Vtere tuis, interea dum tibi licet.) In aliorum, inquam, bonorum Virorum sinum prodo, trado quatuor has rotas. Vos cãdidi, & Deo nati Viri conscendite, & fructum ex rotis, in rotis, per rotas, & cum rotis, Dei spiritu in medio cordium Vestrorum inhabitante, colligite amplissimum. Quod si quibus hæc quadriga satis non faciat, (sufficiunt autẽ intelligenti pauca) equos morentur & aurigam, qui eos ad summum musarum chemicarum Parnassum, at non sine numine, deducent. Hos ego, Deo fauente,*

para-

parabo, & si Principibus placuisse viris hæc videro; breui emittam. Meminerint interea quibus ex animo negotium ceciderit, si eo abutantur rem illis futuram cum summo illo lapide, Dei filio Iesu Christo, qui cum venerit, (exspectatur autem propediem summo cum gaudio a piis) cũ gloria sua, & omnes angeli cum eo, & sedebit super thronum gloriæ suæ; & cogentur coram eo omnes gẽtes: separabit vos alteros ab alteris, vt pastor separat oues ab hœdis, iis dicet qui ad sinistram erunt: Maledicti abite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & nõ dedistis mihi quo vescerer: sitiui, & nõ dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non amiciuistis me: ægrotus, & in carcere eram, & non inuisistis me. *Meminerit inquam, (ne cum fatuis virginibus sero sapiant) his eximiis Dei donis vti ad gloriam, Ecclesiæ Christi decus & proximi cuiusuis, sed maxime fidelium auxilium. Hoc vt faciant, cum Dauide rogent:*

Institue me quæso Deus
  Supreme doctrina tuæ
  Legis sacrosanctæ, ac eam
  Omni tenebo tempore.
Eam mihi prudentiam
  Præbe, tua hæc qua intelligam
  Decreta; & impiger tibi
  Obtemperabo iugiter.
Tandem, pater dulcissime,
  Arctam in viam me ducito,
  Quæ ducit ad regnum tuum.
  Quo nil mihi est optatius.

His paucis bene te valere cupio, candide lector, tuisq; studiis, vt & meis Deum vt faueat oro. Bene vale nostri memor. E museolo nostro chemico Lugduni Batauorum mense Iulio 1599.

Tuus

NICOLAVS BARNAVDVS.

QVA-

QVADRIGÆ AVRIFERÆ PRIMA ROTA, TRACTATVS DE

PHILOSOPHIA METALLORVM A DOctißimo & experto viro anonymo conscriptus.

De Auro.



OL, cæterorum metallorum princeps, per decoctionem suam perfectissimam fit totum depuratum, quod arguit siccitas pororum, & sonus inter acutum & graue, Coccineus ignescit, & quãuis millies examinatum parilitatem, & grauitatẽ suam opulẽter seruat. Amicatur argẽto viuo plus cęteris metallis; non tantum quia sit pars naturę eius, sed appetitus sicci & humidi, huius cõplexus causa est. Habet sal, quod est viscus eius. Ex sale fit oleum, quod vocant sulphur philosophorũ. Si eum in calcẽ dissolueris, habet ignem, per quẽ accidit vt nulli misceatur; quod non est proportio cum cæteris. Substantia eius, est spiritus eius. sed ei corpus accidit cum in sale tetinetur: à primordio autem sui spiritus habet hoc; & accidit vt omnib. metallis communicet, sed præcipue & depuratius cum ære, vt patet ad oculum in dissolutionibus. Nec ignores à sanguine Mercurij decocto florẽ produci, cuius fruct⁹ est auri spiritus.

Nisi animũ intelligentiæ ad os meum apposueris, studiose speculator, frustra laborabis. Oportet enim te penitus rimari & intelligere, quæ demum facturus es, & diligenter ac profunde vnumquodque verbum primi eloquii dirigere. Non enim per parabolas, & ænigmata quæ vidi, & experimento comprobaui; sed apertis scientiæ documẽtis aperio; quæ nisi apprehendis sana mente, non desudes vlterius. neque hoc satis, nisi diuina bonitas suffragetur.

Mercurius & sulphur coeundo sicut mas, & femina, nedum in metallis, verum etiam in lapidibus preciosis generationem faciunt. Sulphur quidem abunde igneum est & siccum, Mercurius vero humidus. In ventre terræ, & matrice aquæ cõcipiunt, fitque ex vtriusque coniunctione quasi ex spermate fœtus, siue embryo, q paulatim nutritur ex puritate Mercurij,

fouen-

fouente sulphure patre suo: si quidem vas siccum erit, quod est locus eius coniunctionis, & bene densũ, & in eo sulphur multum, multumque decoctum fuerit. pariet quidem mater florem germinalem, quem vbere suo viscoso nutriet, & se etiam totam in cibum vertet fouente patre. Et vbi corpus firmauerit & Sol putus effectus fuerit, aut extenditur in lineam quasi fluens, aut globatur intra humum in cauerna sua in massam quantuscunque sit, aut in minutis granis diffunditur quod in flore suo congerminatum fuit. Et hæc de generatione sua.

De imitatione artis.

QVod intra terram perficitur, in arte perfici potest motu temporis. Huius te modum docebo, idque breuissimo tempore, ni defueris. Suscipe de laboratis naturæ muneribus marem & fœminam, & coniunge ea in genere suo, nutrientem matre sua prima & patre suo sulphure confouente: & desideratum habebis spiritum corporeum, matrem suam & fratres in se conuertentem, & hoc mediantibus alijs, & alijs modis huc tendentibus.

De Luna.

LVnæ naturam persequamur, quæ est Solis & soror & coniunx, simili modo & concipitur, & nascitur decoctione multa; non tamen potest fieri aurum album; sed cum non ita perfecto calore nutritur efficitur argentũ, & à ventre vitium procedit, quod intelligitur ex societate stagni in mineris argenti cõiuncta: cumq; vas porosius, vel aliter apertũ est spiritus originalis exhalat, & euaporat Mercuriũ; propterea quia calor fatiscit, & debilior fit quã oporteat. Substantia eius, est spiritus eius, sicut de Sole dictum est: ignescit, & sonorum est, quia in eo desiccata est naturalis humiditas, ideo albet, albedine tendente in rubedinem, quia remota est humiditas & si plus fuisset decoctum, ignis in eo fecisset impressionem, quam in fructibus calor Solis impingit albedini. Humiditatis suæ priuationem indicat rubor dominantis caloris imperium significans; & si consocietur accidit ei serenitas, quæ est albedinis subiectum, quemadmodũ rubedinis albedo. Propterea ex Luna fit color cælestis, si per poros humiditatis spiritus, & non humor introierit & is color est sal eius, ex quo descendunt lapides pretiosi. Nigredo autem quæ in Luna est, eius denotat commutationem; sicut in ære color azurinus argenti

genti societatem demonstrat. Ex ijs duobus fit vnius generatio; si dissolutio & coniunctio præcedant, & inter cætera metalla Soli astant.

De stanno.

STannum est metallum molle, inconstans, & ignitionem non patiens. Natura cogitauit aurum, vel saltem producere Lunam; cuius conceptionem lineæ quædam aureæ & argenteæ in eo apparentes cõprobant: sed vitio vasis, & paternæ substantiæ impuritate, defecit calor, vnde digestum nutrimẽtum parentum non recepit. Propterea vides in eo quandam albedinem subnigram, maculosæ & non euaporatæ humiditatis. Signum sentis quoque raucum, & in lamina stridorem suæ cruditatis: propterea iudicium non sustinet, quia humor ille non desiccatus euolat, secum trahens quicquid est maternum, paterno remanente, quod experimento probatur. Substantia Iouis est spiritus non fixus dissolubilium parentũ spolijs, & indigesto nexu cõpositus, malleabilis tamen, propter sui salis viscositatem. Accidit autem cerusa, quæ est flos albedinis, vt in plumbo minium, ex quibus lapides pretiosi natura, & arte simul operantibus, habet & sal, quod æquat niuem, de quo oleum stans super ignem, cuius virtus est mirabilis in opere sui magisterij.

De plumbo.

HErmes, Geber, & Raimundus mira de eo narrant, asserentes occultum suum aurum esse. Sed aperiam tibi quid intellexerint philosophi, nunc satis te scire causam eius rubedinis, quæ eadem est, quam de stanno in causa albedinis attuli. Est autem ponderosius, dulcius, & eius sal est quasi Topacium, de quo & ex quo fit oleum nobile ad lapides pretiosos.

De Ære.

ÆS eodem conceptu, & vitio vasis vnde calor euanescit, non decoctum est ad perfectionem. Sed quæri posset, si eadem ratio in conceptione omnium militat, cur diuersitas est in metallis? & hæc ratio assignatur, quoniam sulphur non decoctum commixtionem habet cum Mercurio, cuius rei probatio est viriditas ab ære effusa semper: cum in Luna decoctius sit quam in ære. Primus autem gradus humiditatis est nigredo: secundus viriditas, vt in Luna & Venere cernitur.

Conseruantur tamen in Venere fila conceptionis, quæ sunt auri spiritus, qui ex ære colligitur, & fit magis nobilis quam in auro, quia magis est consummatus in humiditate sulphuris quã in auro, sed difficulter colligitur, cum non sit in maiori cohærentia quam aer: in cæteris vero æris substantialibus non est ei subiectum. Est etiam in eo quædam pars Lunæ, quę colligitur in dissolutione sua circa vitrum, tanquam pellis oui, quæ est argentum purissimum; habet eundem loco cerusæ, ex quo fit sal, & oleum, de quibus adiuncto auri spiritu, fit Elixir tingens Lunam, sed & lapis Smaragdi, qui est Elixir nobilius præparatur.

De ferro.

FErrum ex sulphure adusto conceptum in ventre matris Mercurialis, non tamen proportionaliter decoctum, quia defecit nutrimentum à matre sua; post conceptionem enim non affuit Mercurij substantia, sed ex ipso sulphure nutritum est. Eius rei argumentum est difficultas fusionis, & despumatio croci, quæ parumper nisi conctemaretur, ferrum totum deuoraret; & ignitio ferri scabiosa, in indicium multi sulphuris, & pauci Mercurij. Accedit ei dulcedo ex cornu ceruino præparato, ita vt filum ex eo trahi possit. ex eo ipso crocus habetur, à quo Mercurius multi valoris ad perfectionem pretiosi lapidis, & præcipue Adamantis fit, etiam oleum ex ipso tingens. De omnibus paulatim.

De natura duorum spirituum metallorum sulphuris, & Mercurii, ex quibus etiam lapides pretiosi procedunt; & primo de sulphure.

SVlphur est spiritus naturæ generatiuæ, agens in humido sibi conuenienti, conuenientibus Solis, seu ignis fomitibus temperatis: cuius substantia est incombustibilis, stans super ignem, & tingens filios suos. Et hæc diffinitio est longe aliena à corporeo illo sulphure combustibili, & male olenti, fædante omnia metalla, contrariamque naturam metallorũ procreante. Hoc autem quod extraneum est, proprium est ad fomitem.

De Mercurio.

MErcurius est vxor sulphuris, capiens ab eo imprægnationem fœtus, quoniam humidum eius proprium est procreationi metallorum, & cõceptui mutuo in ventre suo. Mira de

de ipſo dici poſſent; ſed oleum ſulphuris, & aquam Mercurii reſeruamus;ſine his enim non dicuntur ſpiritus ad artem iſtã aliquid valere, quod arſenicum,ſal armoniacum, atramenta & ſimilia ad vanitatem pertinent,non ad artem; ex eadem enim ſpecie, generantur eædem ſpecies ſeu ſimiles.

De ſolutionibus, & coniunctionibus.

DIſſolutio & coniunctio fit in metallis, ſicut in animalibus per coitum maris & feminæ,in ventre matris, & in thalamo patris. Sol & Luna bene coeunt, in coitu putrefiunt, in putrefactione generant, ex germine flos, ex flore fructus; qui conuertit Mercurium in mille millia, & ſanat ægros, faciens in homine mirabilia. Si neſcis diſſolutiones & coniunctiones, & quomodo reges eas, diſce ab agricolis ſeminantibus triticum.

De ferro & ære.

HAud æris alia coniunctio condecens, non autem fit coniunctio ſine diſſolutione, & è conuerſo;& ita eodem modo generant,& concipiunt, & nutriunt fætum; ſi tamen nutrimentum ſit nobilioris ſpeciei.

De ſtanno & plumbo.

PLumbum eſt mas,ſtannum vero femina; & ipſi ſimili modo diſſoluuntur,& eorum fructus pariter diſſoluuntur, & coniunguntur, & potentes ſiunt ad omne magiſterium.

De multis aliis,quæ ſimili materia procreantur.

COrallus rubeus, & albus cum ſit metallicæ ſpeciei, vt & aurea, & argentea marchaſita, & alij lapides pretioſi, ſi cognoſcere poteris conuenientes commixtiones facies de ipſis Elixir mirandum, quod apti nati ſint in ſua natura generationem plus ſe nobiliorem facere.

De transmutationibus metallorum.

De Luna,vt fiat Sol.

HOc eſt in Luna primum vt fiat Sol, ſi cum oleo ſulphuris, quod eſt retinaculum fugitiuorum,poſueris in vaſe vitreo bene clauſo, cum fermento Solis, de quo docebimus, & calamita, & ſtorace per menſem, decocta cum lucerna ſubtus verberante, compoſito furnello, ne color euaneſcat:ibi enim Luna graueſcet, dulceſcet, & colorem Solis cum tota ſubſtantia recipiet.

De Marte.

Ferrum si dulcescit in cornu ceruino disponitur, cum fermento Lunæ, ad Lunam. Practica autem huius negotij consistit in decoctione ipsius in aqua sua, propter sulphur cõbustum quod in eo, quod facit difficilem Solutionem. Et in aqua combustio sulphuris fit humorosa, vnde accipit dulcedinem, & fusionem, & facilius quam cætera metalla recipit fermentum.

De ære.

ÆS de quatuor qualitatibus Lunæ, habet duas, dulcedinem, & ignitionem; deficiunt color, & consistentia. Ad conuertendum ipsum in Solem, vel Lunam, oportet primo vt ipsum facias sistere, deinde per occultam calefactionem, viriditatem suam in albedinem conuertas, sic fit de Herbis. Practica est, vt consistẽtiæ addas de visco ipsius metalli, quod fit ex sale eius, & constabit ad faciei viriditatem, nec vnquam dissiliet per plumbum nigrum, quod est ergo capite.

De plumbo.

PLumbum coque in furno reuerberationis, & dum incipit rubefieri imbue eum fermento auri, & volue virga ferrea, & paulatim & guttatim imbibe: deinde habeas succ. m portulacæ marinæ, saponariæ, & Lunariæ; superfunde: & exit aurum optimum & splendens, & hoc est magnum, & præ cæteris secretum eximium.

De stanno.

STannum conuertitur in Lunam, si eodem modo posueris in furno, & fermentaueris, & superfuderis succum prædictum: item si coxeris cum oleo Lunæ, sulphuris, & cerusa per mensem, quod fit mirabile mixtum, habebis Lunam optimam. Item si aquã Talci & Lunæ superfuderis in furno magni coloris, habebis Lunam optimam.

De oleo sulphuris.

OLeum sulphuris fit cum aqua prima metallorum, per calorem vterinum & suauem, in ventre clauso per diem & noctem. Et videbis oleum supernatans quasi liquorem auri destillati incombustibile. Et hæc est substantia & forma vera viui sulphuris, nec aliud dicam tibi in materia ista, nam hoc est secretum.

De

De aqua Talci, & Lunæ

AQua Talci & Lunæ fit in ventre equi, ex pulueribus eorum calcinatis per nouem dies, & fiunt mixtim. Et si scieris calcinare diues eris. Et hæc aqua Talci & Lunæ valet plus quam aurum obryzon, quia decorat facies mulierum ad summum nitorem.

De perlis.

EX aqua prædicta fiunt perlæ, mixtæ cerusa instar pilularũ, decoctæ in succo Hesperidum malorum, si digerantur in gutture columbarum.

Laus Creatori altissimo.

Nobilissimo, & Magnifico.

DOMINO

D. EDVARDO DEYER REGII ORDINIS

Angliæ Cancellario meritissimo.

Domino perpetuo obseruando.

CVM annos iam aliquot in lucem prodierint axiomata quædam philosophica, à Bernardo Penoto à Portu Doctore medico, amico meo obseruando, è libro duodecim portarum Georgij Riplei, doctissimi philosophi Angli, collecta, & cõperissem quædam, ad rem maxime facientia, in ijs desiderari: operępretium existimaui, integrum illũ auctoris librũ, qui apud me iam diu delituit, qua par est fide, & obseruantia, tuo nomini (qui omnium philosophorũ in Regno Angliæ, vt cætera regna taceã, facile primas tenet) dicare, & tuo clypeo tutum typis tradere, & euulgare. Hunc ego ideo librum secundam in hac QVADRIGA rotam statui, vt, qui velint, prima rota, quam pręfixi, (quę genesin metallorum, mutuum eorum congressum, & tacitas vires paucis explicat) perlecta, in hoc isto libro integrum opus non semel caute repetitum, & ordine digestum reperiant. Accipe igitur, vir Nobilissime, Magnifice Domine, hoc, non meũ sed Anglicum, ne dicam Angelicũ & philosophicum opus, qua soles candida manu; beneq; diu, & feliciter vale; amplissime Domine, & me tibi deditissimum amare perge. Lugduni Batauorum 15. mensis Iulij 1599.

Magnificentiæ tuæ amplissimæ deditissimus.

NICOLAVS BARNAVDVS.

QVADRIGÆ AVRIFERÆ SECVNDA ROTA.

GEORGII RIPLEI, PHILOSOPHI *Doctißimi Angli, ordinis canonici regularis Brittlintonensis,*

LIBER DVODECIM PORTARVM NEQVAquam mutilus, sed integer

Prologus ipsius Libri.

O Lumen incomprehensibile, gloriosum in maiestate, cuius radiorũ claritas offuscat nostra lumina. O Vnitas in substantia, & triplex in Deitate, Hierachii iubilei gratulãs glorificatio. O misericors, animorum purificatio, & pura perpetuatio, ex occurrentibus periculis qui nos eripis benigne ex hac turbulenta Valle Vanitatis cælo infers. O potẽtia & sapientia, ô benignitas inexplicabilis, sustine me quotidie, sisq; meus gubernator, Vt numquam tibi Vita mea displiceat, sed potius tibi obediam tanquã fidelis professor In meo principio (bone Deus) audi preces meas, Virtute tua gratiæ adauge Voluntatem meam: da simul Vt possim Voluntatem tuam absoluere: O scrinium excellẽs & abundans omni thesauro, tu es à quo omnis bonitas largissime manat ad homines, atq; ad quamlibet creaturam. Digneris igitur tueri opus tua potentis dextra, ne tempus nostrum in Vita teramus inutiliter. Concede sine fraude, Vt Victum nobis comparemus, ne in periculum grande peccatorum incurramus. Et quãdoquidem nos tua de causa renuntiauimus nostræ Voluntati, mundo & concupiscentiis eius, tanquam proprium & spontaneum professorem me recipe: cum ex te solo dependeat nostra fiducia tota, Vlterius non possumus: nos tibi submittamus oportet. Occultos tuos thesauros dignare nobis detegere. Ostende nobis tua abscondita, nobisq; sis benignus. Inter alios qui te professi sunt, me ipsum offero cum humili submissione orantem, Vt tuus seruus possim esse, Vita integra non aliena à mea professione, ordinis canonici regularis Brittlintonensis. Deprecor te Domine Vt mihi Velis ignoscere, famulis tuis fidelibus si tua secreta aperuero.

In

In principio cum creasti omnia ex nihilo, sphæricum opus & obscurum ex confuso chao, te auctore, non sine miraculo fuit fabrefactum, in se continens omnes res promiscuas, quod sex dierum spatio fuit discretum, vt Genesis aperte testatur. Tum cælum & terra facta sunt tuo verbo, tua voluntate atque potentia; ex vna massa confusa creata sunt omnia quæ nunc sunt: sed antea tanquam creator eras in gloria, nunc es, & eris sine fine procul dubio; animæque purificatæ sursum ad tuam beatitudinem venient. Hoc principium vnum esse potest ad declarationem nostri benedicti lapidis. Nam quemadmodum ex vna massa creata sunt omnia, sic in nostra practica hoc ipsum debet esse: nam omnia nostra secreta ex vna oriuntur imagine. In libris philosophorum, si cui lubet videre, noster lapis appellatur Microcosmus, vnus & trinus, Magnesia, atque etiam sulphur & Mercurius à natura proportionatus.

Sed aliqui admirantur neque id sine causa, & attoniti sunt de re tam admiranda, quid sit noster lapis cum philosophi dicant ijs, qui perpetuo illum quærunt, volatilia & pisces eum ad nos deferre, vnumquemque nostrum habere, eum, & in quolibet esse loco, in te, in me, in qualibet re, tempore, & spatio: ad hoc respondeo Mercurium hunc esse profecto, sed non vulgarem, vocatum argentum viuum nomine, verum Mercurium sine quo nullum exsistens esse potest. Omnes philosophi memorant, & dicunt hoc ipsum: Quare philosophiæ rudes immerito nos accusant, affirmantes nos hunc celare: sed magis culpandi sunt ipsi, qui cum indocti sint, sese tamen philosophiæ immiscent. Itaque, nisi tu Mercurium nostrum recte noueris, in quo sit, & vbi eum quærere debeas, caue ne hoc opus in manus assumas: nam philosophi deludunt stultos blandis verbis. Sed si me audieris, ego te reuera docebo, qui sit ille Mercurius tibi maxime vtilis, nec te quicquam hac in re celabo.

Propinquius inuenitur in quibusdam rebus quam in alijs; animaduerte igitur quod tibi scribo, nam si numquam ad eius cognitionem perueneris, hoc mihi non imputabis. Ego profecto te docebo, vt intelligas Mercurios esse tres, qui sunt claues scientiæ, quos Raimundus sua menstrua vocat sine quibus nihil recte fit: sed duo istorum sunt superficiales; tertius essentialis Solis & Lunæ, quorum propritates tibi

ſincere declarabo. Et Mercurius aliorum metallorum eſſentialis, eſt noſtri lapidis præcipuum materiale. In Sole & Luna noſtra menſtrua non ſunt conſpicua viſui, nec apparent niſi per effectum. Hic eſt ille lapis quem intelligimus, ſi quis noſtra ſcripta recte intelligat. Eſt anima & ſubſtantia ſplendida Solis & Lunæ, ſubtilisque eorum influentia per quam terra recepit ſplendorem. Nam quid aliud eſt aurum & argentum, inquit Auicenna, quam terra munda alba, & rubea. Tolle ab ea præfatum ſplendorem, & nunc terra erit parui momenti. Totum compoſitum vocamus noſtrum plumbum. Qualitas ſplendoris à Sole, & Luna prouenit. atq; in ſumma hæc ſunt noſtra menſtrua.

Corpora perfecta cum primo naturaliter calcinamus: ſed nullum corpus immundum, ingreditur excepto vno, quod vulgariter vocatur à philoſophis Leo viridis, quod eſt medium coniungendi tincturas inter Solem & Lunam cum perfectione, quemadmodum Geber ipſe teſtatur. Cum ſecundo, quod eſt humiditas vegetabilis reuiuificans quod prius erat mortuum, ambo principia materialia debent ſolui, & formalia, alioquin parui eſſent momenti. Hæc menſtrua itaque noſcas, tibi dico, ſine quibus nec vera calcinatio poteſt fieri, nec naturalis diſſolutio. Cũ tertio, quod eſt humiditas maxime permanens, incombuſtibilis, & vnctuoſa in ſua natura Hermetis arbor in cineres comburitur. Hic eſt noſter naturalis ignis certiſſimus, noſter Mercurius, Sulphur, noſtra tinctura mũda, noſtra anima, noſter lapis eleuatus cum vento, in terra generatus. Hæc animo reconde tuo. Hic lapis audeo tibi dicere, eſt vapor potentialis metalli, hunc quo pacto acquiras oportet te eſſe cautum: nam inuiſibile profecto eſt hoc menſtruum, quamquam cum ſecunda aqua philoſophica per ſeparationem elementorum, poteſt apparere ad viſum in forma aquæ claræ. Ex hoc menſtruo labore exuberato, atque cum eo poteſt fieri ſulphur naturæ, ſi ſit naturaliter acuatum, & circulatum in ſpiritum purum: tum cum eo diſſoluere poteris tuam baſim aut maſſam diuerſis modis, quemadmodum ex praxi intelliges hoc propterea ſuo loco declarabo cum multis alijs, ſi Deus conceſſerit mihi ſpatiũ & gratiam, & ſi conſeruabit meam vitam in ſanitate. Quemadmodũ te docebo, vide vt ſic facias, ac pro tuo primo fundamẽto principiali, vide vt intelligas tuas aquas menſtruales:

&

& iam facta calcinatione, augens, non diminuens humidum radicale, donec tua massa frequenti subtiliatione leuiter fluat, vt cera super metallum: tum solue illam cum tuo vegetabili menstruo, donec habeas oleum inde coloris lucidi, tum est illud menstruum conspicuum visui. Oleum extrahitur inde coloris aurei, aut huic simile ex nostro subtili rubro plũbo, quod Raimundus dicebat cum esset senex multo magis quam aurum esse in pretio. Nam cum propter senectutem vicinus esset morti: ex eo fecit aurum potabile, quod illum reuiuificauit: nam sic simul possunt circulari, hoc est, illud oleum, & vegetabile menstruum, & sic arte, & labore exuberari, & fieri per artem lapis cælestis, tam igneæ naturæ, vt inde illum vocemus nostrum basiliscum, magnumque magni Elixir pretii: quia quemadmodum visus basilisci suum obiectum necat, sic occidit iste Mercurium crudum quando super ipsum proiicitur, in nictu oculi, ita, vt citissime ille Mercurius tingat, stabili tinctura, omnia corpora in Solem & Lunam perfecte. hoc pacto guberna basim, vtramque, & rubeam, & albam. Aurum potabile hoc modo fit ex auro, non communiter calcinato, sed ex nostra tinctura quæ non euanescit, ex nostra basi extracta cum menstruo circulato. Sed naturalis subtiliatio nihilominus debet fieri, antequam tuum aurum dissoluatur, hoc principium ante omnia tibi dictum putato.

Nunc in capita hunc tractatum volo diuidere numero duodecim, & cũ debita recapitulatione, superfluas repetitiones seponis, studens solum modo dare veram informationem tum theoricæ, tum practicæ operationis: ita vt quicunque meis scriptis doceri volet, suum propositum perfecte consequatur.

Primum caput tractabit de naturali calcinatione.
Secundum de dissolutione secreta & philosophica.
Tertium de nostra elementali separatione.
Quartum de coniunctione matrimoniali.
Quintum de putrefactione sequetur.
Sextum de congelatione albificatiua erit.
Septimum de cibatione consequetur.
Secretum nostræ sublimationis octauũ & demonstrabit.
Nonum erit de fermentatione.
Decimo de vera exaltatione paucis verbis agam.

Vndecimo de nostra mirabili multiplicatione.

Duodecimo de proiectione, & postea de recapitulatione. Et sic huius tractatus erit finis auxiliante Deo, quemadmodum in animo habeo.

De calcinatione, cum conseruatione natiui caloris, & humidi radicalis. Porta prima.

CALCINATIO est purgatio nostri lapidis, restaurans eum suo proprio naturali calore, de radicali humido nihil deperit, inducens solutionem nostro lapidi imprimis necessariam. Philosophos vt imitemini vos moneo; nolite operari vulgato more, sulphuribus aut salibus præparatis variis modis. Neque enim corrosiuis, aut igne solo, aut aceto, aut aquis ardentibus, aut vapore plumbi noster lapis calcinatur, iuxta nostrum propositum. Quicunque sic calcinare studetis, ab hac difficili scientia reducite manum, donec melius nostram calcinationē intelligatis. Nam huiusmodi calcinatione corpora destruuntur, quæ diminuunt humiditatem nostri lapidis: nam quando corpora in puluerem exuruntur siccum, tanquam cineres, aut ossa combusta, huiusmodi calcinationem nolumus omnino: nam humidum multiplicamus radicale in calcinatione, nihil de eo minuendo. Et pro fundamento nostræ calcinationis operare caute, genus cum genere tantum: nam genus cum genere habet inclinationem appetibilem. qui hoc non nouit, in scientia cæcus est. hic vagari potest, vt caligo ventis agitata, incertus vbinam aliquod commodum reperiat, eo quod non potest recte intelligere nostra verba.

Iunge genus cum genere, & speciem cum specie, vt æquum est. Nam vnumquodque germen respondet suo proprio semini, vit generat virum, brutum brutum. Profecto latius tractare non est admodum necesse, sed hic vnum animaduerte, si vis obtinere: omnis spiritus figitur calcibus sui generis. hoc bene animaduerso fructum referes. Et nos calcem conficimus vnctuosam, tam albam, quam rubeam trium graduum, antequam nostra basis sit perfecta, liquida vt cera: alioquin nulli est vsui, idque longo progressu, vt philosophi scribunt: annum enim sumimus, & amplius, pro nostra exspectatione, nam minori temporis spatio calx nostra confici non potest, fusionis capax, cum colore qui non euanescit. Quod ad proportionem attinet, oportet te attendere, nam in hac multi decipiuntur; itaque ne opus tuum corrumpas, sint tua corpora subti-

ſubtiliter limata, cum Mercurio, tum æquali proportione ſubtiliata, vnum Solis, duo Lunæ, donec hæc omnia tanquam in pultem redigantur: tum, fac tuum Mercurium, cuius quatuor partes Soli, duas Lunæ iungas vt decet: atque hoc modo opus tuum incipias oportet in figura trinitatis, tres partes corporis, & ſpiritus totidem, & pro vnitate ſubſtantiæ ſpiritualis, vna pars amplius ſpiritus, quam ſubſtantiæ corporalis. Iuxta Raimundi repertorium iſta vera eſt proportio, ſi cui libet videre. Hoc ipſum meus Doctor mihi oſtendit, ſed tres de ſpiritu Baccho ſumpſit, pro vna parte corporis, pro qua vigilaui multas noctes, antequam illud percepi. vtrumque verum eſt, ſume tibi quod lubuerit. Si etiam aqua tua æqualis fuerit in proportione cum terra, calore menſurato, ex his emerget nouum germen, ſimul album & rubeum, in pura tinctura, quod in igne perpetuo durabit, donec viuũ mortuum reuiuificet, fac itaque trinitatem vnitatis ſine diſſenſione. Hæc eſt certiſſima optimaque proportio. Nam quo minor fuerit pars ſpiritualis, hoc facilior erit diſſolutio, potius quã ſi nimia aqua, terram ſubmergeres, quod totum opus deſtruit. Animaduerte igitur lutum figulorum, nec vnquam facias nimis dilutum ventrem, hoc lutum attende quomodo ſit temperatum, & modum item quo ſit calcinatum, ſemperque hoc in pectore geras, vt numquam tua terra aqua ſuffocetur. Exſicca tuam humiditatem calore temperatiſſimo, iuua diſſolutionem cum humiditate lunæ, & congelationem cum Sole. Tum egiſti.

Sic quatuor naturas in quintam conuertes, quæ eſt omniũ perfectiſſima, & temperata. Sed durum eſt, nudis pedibus calcitrare contra ſtimulum ferreum, aut chalybeum exacuatum; quemadmodum multi faciunt inſipientes, cum huiuſmodi res magnas aggrediuntur, quas nullo pacto intelligunt: in ouis, vitriolo aut ſanguine, quas diuitias arbitrantur ſe illic repерturos, ſi philoſophiam recte intelligerent, neutiquam in operatione cæcutirent, aurum, & argentum vt quærerent extra ſpeciem: nam quemadmodum ignis eſt ignificandi principium, ita certe principium aurificandi eſt aurum. Si tu itaque ſtudes conficere, Solem & Lunam arte philoſophica, ad id nec oua nec ſanguinem accipias, ſed Solẽ & Lunã quæ naturaliter & prudenter calcinata, & nõ manualiter nouã generationẽ foras producunt, augentia ſuũ genus, vt omnes

omnes res naturales, & si hoc verum esset, aliquod emolumentum esse in rebus non metallicis, in quibus colores reperiuntur aspectu iucundi, vt in sanguine, vrina, ouis, & vino, aut in medijs mineralibus effossis ex fodinis: attamen necesse esset eorum elementa prius putrefieri, & separari, & cum elementis corporum perfectorum matrimonio coniungi. Primum igitur tuorum elementorum fac rotationem, & in aquam, terram conuerte ante omnia: deinde ex aqua fac aerem per leuigationem, & aerem reduc in ignem, tum te magistrum vocabo totius nostri magisterij simul magni, & parui, nam rotam elementorum circumrotasti, recte percipiens nostra scripta. Hoc peracto retrorsum reduc tuam rotam, & in aquam conuerte ignem, aerem in terram, alias in cassum laboras: nam hoc pacto ad temperamentum perducitur lapis noster, quando ex quatuor contrarijs naturis vna componitur, postquam fuerint ter circulatæ, & sic tua basis erit perfecte consummata. Itaque sub humiditate Lunæ, & sub temperato calore Solis elementa tua cito incinerentur, & tum magisterium totum consecutus es. Tum gratias age Deo quod opus tuum sit inceptum, nam in hoc habes signum verum, quod in nigredine tibi apparebit: Corui caput hoc signũ vocamus, & aliqui hoc nominant corui rostrum, aliqui vocant cineres arboris Hermetis, & sic id nuncupant pro suo arbitrio; nostrum bufonem, qui è terra satiatur aliqui vocant, per quam est mortificatus: spiritus veneno intoxicatus, aut infectus. sed habet nomina propemodum infinita, nam ab vnaquaque re, quæ nigra est in aspectu denominatur, donec incipit albescere: nam post nigredinem cum lucidum fit, tum habet nomina iucundiora, secundum res albas similiter & rubeas, sic suas habet denominationes. In primam portam iam intrasti arcis philosophorum, in qua habitant, procede prudenter quo possis occupare plures ianuas huius arcis, quæ rotunda est in modum campanæ, & portas habet adhuc vndecim, vna superata est, ad secundam nunc propera.

De solutione, porta secunda.

DE solutione vt loquamur verbum vnum, aut alterum, quę manifestat. quod prius erat substractum visui, & extenuat res, quæ prius erant densæ, virtute nostri primi menstrui clari, & lucidi, in quo corpora nostra patiuntur eclipsim, & à suis duris, & siccis compactionibus subtiliantur, & in suam primam

mam materiam naturaliter retrogradantur, vnum in genere sunt, in numero non item, cuius pater est Sol, Luna vero mater, mediator est Mercurius, hi, & non plures sunt Magnesia nostra, nostrum Adrop, & non alij. Nihil hic est præter sororem, & fratrem, hoc est, si interpreteris, Agens & patiens, sulphur & Mercurius, coessentialia nostro proposito. Inter hæc duo in qualitate contraria, generatur medium maxime admirandum, quod est noster Mercurius, & menstruum vnctuosum, nostrum secretum sulphur, operans inuisibiliter, violentius igne exurens corpora, quousque in aquam dissoluantur mineralem, id quod noctem, propter tenebras, & septentrionem vocamus. At nondum, vt arbitror, perfecte intelligis verum secretum dissolutionis philosophorum, itaque consulo tibi, vt mea verba concipias sapienter, dicturus enim sum tibi sine fallacia, quænam sit nostra solutio. est causa nostræ congelationis. Nam dissolutio vnius partis corporalis, causat congelationem alterius partis spiritualis, & nos dissoluimus in aquam, quæ manum non madefacit, nam cum terra prorsus in cinerem redigetur, tum est aqua congelata. hoc intellige. Nam cum elementa sint ita concatenata, quādo corpus à prima sua forma est alteratum, noua forma inducitur immediate. Nam nihil est in rerum natura spoliatum omni forma. Et secretum hic tibi cupio aperire, fundamentum totius nostri secreti, si hoc ignoraueris, nihil aliud quam perdes operam & impensas, magnas, & exiguas. Caue igitur ne in errorem incidas: Nam quo maior terræ, & minor aquæ quantitas erit, eo melius, & citius solutionem videbis. Animaduerte vt glacies in aquam resoluitur, & recte quidem, Nam aqua erat prius: eodem modo rursus nostra terra in aquam reducitur, & aqua per hanc congelatur in perpetuum. Nam secundum opinionem omnium philosophorum, omne metallum fuit aliquando aqua mineralis, quamobrem cum aqua rediguntur in aquam omnia. In qua naturaliter sunt quatuor qualitates repugnantes cum diuersitate. Substantia, in substantiam, & qualitas in qualitatem conuerti debent, donec diuersitas ad perfectam vnitatem redigatur. Nam scriptura testatur, quod cum terra turbabitur, in maris profundum coniicientur montes. Sic quoque nostra corpora tandem in aquam conuertuntur. Corpora enim nostra, quæ à planetis nomen sumserunt, comparantur non

inepte

inepte montibus. In profundũ itaq; Mercurij hæc proijce ne damnum incurras. Tum pulcrum videbis spectaculum: totum enim conuertetur in puluerem impalpabilem, quemadmodum coagulum nostrum naturaliter lac coagulat. Corpora tum primum suam formam amiserunt, aliaque immediate inducitur, tum tuas impensas recte collocasti, quod multi alij, licet docti, non assequuntur, ignari secretorum nostræ philosophiæ, vnum propterea verbum addam, nempe singula corpora tres habere dimensiones: altitudinem, latitudinem & profunditatem, per quæ continue circunducetur rota nostra. Sciens ingressus tuos in occidente futuros, vlterius procedendo in septentrionem, & ibi luminaria omnino perdent lumen suum; nam illic debent manere nonaginta noctibus in purgatorij tenebris absque lumine: Tum vero quam primum cursum tuum in orientem dirige, transiens per colores varios & multiplices, & hoc pacto hiems, & ver pertransierunt. In orientem igitur tuum ascensum molire, vbi Sol claro lumine oritur, in æstate, idque fiet magna delectatione: nam ibi opus tuum perfecte dealbabitur deinde ab oriente in meridiem ascende, & ibi quiescat in cathedra ignea: nam ibi est messis, hoc est, finis operis, secũdum desiderium tuum completi. Tunt lucet Sol cum rubedine in suo hemisphærio, post eclipsim in gloria triumphans vt rex, & imperator super Mercurium & metalla. Et in vno vitro hæc omnia debent fieri, ouo simili in forma, & bene clauso; tum debes scire ignis mensuram, qua ignorata tuum opus omnino deperdetur. Numquam permittas tuum vitrum esse calidius quam vt possis tangere & sustinere manu nuda quamdiu lubet, durante tempore solutionis, vt philosophi testantur. Attende propterea meæ doctrinę. Caue ne vitrum hoc, vel aperias, vel moueas vnquam, ab initio vsque ad finem. Si secus feceris opus tuum nunquam potest perfici. Sic in hoc capite, quod est perbreue docui te veram solutionem. Nunc ad tertiam portam, nam hæc est occupata.

De separatione tertia porta.

SEparatio vnamquamque partem ab altera diuidit, subtile à grosso, densumque à tenui, sed separationem manualem vt seponas vide, stulti enim est hoc, qui parum inde facit lucri: at in nostra separatione non cessat natura, faciens diuisionem qualitatum elementaliũ, vsque ad quartũ gradũ, donec

cæ transmutentur omnes. Terra transit in aquam colore nigro,& liuido, & aqua deinde in aerem in vera albedine, Aer in ignem, non sunt plura elementa, inde noster lapis efficitur arte delectabilis. Sed de ista separatione plura scribere opus habeo. Separatio vocatur vt est apud philosophos definitio, dictorum elementorum quadrupla dispersio. De separatione ista inuenio similem figuram, quæ apud prophetas extat in psalmorum codice: Eduxit Deus de petra flumen aquæ puræ, & ex saxo durissimo oleum copiose: sic etiam ex nostro lapide pretioso, si sis sapiens, oleum incombustibile, & aquam hauries. Et circa hoc negotium non est opus carbonum sufflatione. Hoc facito leni calore & enutrito. primum igne humido, & postea sicco, phlegma extrahens cum patientia ac postea alias naturas sapienter, exsicca terram, donec illa sitiat calcinando: alioquin in vanum laboras, ac tum fac, vt bibat rursus suam humiditatem. Sic tibi facienda sæpe separatio est, diuidens materiam in duas partes, ita vt subtile à grosso separes, donec terra in fundo manserit colore liuido. Ea terra est fixa, vt possit perpeti omnem violentiam, pars altera spiritualis est, & volatilis, sed omnia illa in vnam rem debent conuerti. Tum oleum, & aquam ab aqua destillabis, auxilioque eius additionis, aquæ scilicet recipies motum. obserua bene hoc, ne tu deperdas tuum opus, incuria debitæ occlusionis, fac tuum obturamentum ex vitro, fundens superiorem partem vitri tui, vt simul cohæreat, tum erit tuum vitrum philosophice clausum. Aquam cum qua debes reuiuificare lapidem vide vt destilles antequam cum ea opereris, sæpius per se solummodo, ex visa poteris cognoscere quando erit purgata à fæculentis fæcibus, quam aliqui possunt multiplicare cum Saturno, & aliis substantijs, quas reiicimus.

Destilla eam igitur donec sit munda, & tenuis vt aqua, quemadmodum decet, colore cæruleo, splendenti, & liuido, retinens simul suam figuram, & ponderositatem. Cum ea humectauit Hermes suam arborem cum suo vitro, fecitque crescere in altum flores discoloratos admodũ pulcros visui. Hæc aqua comparanda est venenosæ viperæ, de qua efficax conflatur theriaca. Est enim toxicum potentissimi furoris, quo nullum potest excogitari nocentius, à pharmacopolis idcirco sæpe petitur, sed nemo isto veneno inficietur, postq̃ in medicinam elixatur, tum enim veluti potens & vera theriaca maxime

me valet ad expellenda venena, & in suo opere mirabilia quædam ostendit, multos morte eximens, vitæque seruans, vnde ne illam misceas cum corrosiuis, at puram elige, & quæ facile fluat, si inde aliquid boni cupis facere. Res est ea naturæ admirabilis, & sine qua, nihil potest fieri; propterea vocauit eam Hermes suum ventum, ob suum à Sole, & Luna procliuem volatum, faciens mox cùm eo lapidem nostrum volatilem, mortuum vitæ reddens vitamque impartiens Soli & Lunæ; marito & vxori, qui nisi arte redderentur animati, & eorum pinguedo cum aqua extraheretur, ita quod tenue separaretur à duro, nunquam hoc opus perduceres ad optatum finem. Rem igitur facturus proculdubio, sustollito aues ex suo nido, easque postea rursus nido restituas. Aqua cum aqua conuenit, & ascendit, ac spiritus cum spiritibus, vt quæ inter se sint homogenea; quæ postquam exaltata sunt, fac vt descendant, itaque prius diuidas, quod prius natura ligarat, Mercurium essentialem conuertens in ventum: sine qua naturali, & subtili separatione numquam profutura complebitur generatio. Iam, vt ope mea hanc portam occupes, vltimum hoc secretum tibi volo declarare; aqua tua debet esse septies sublimata, alias naturaliter nulla fiet dissolutio, nec putrefactionem vllam videbis, picis instar liquidæ, nec apparebunt colores, ob defectum ignis in tuo vitro operantis. Quatuor sunt ignium genera, quæ scire debes, naturalis, innaturalis, & contra naturam, elementalisque qui accendit lignum: his ignibus vtimur, & non pluribus. Ignis contra naturam debet excruciare, corpora, ipse est draco, quemadmodum tibi dico, violenter comburens vt ignis inferni. Ignis naturæ est tertium menstruum, ille ignis naturaliter inest cuique rei. ignem occasionatum, vocamus innaturalem, vt calorem cinerum, & Balneorum ad putrefaciendum, absque his ignibus tu nihil perduxeris ad putrefactionẽ, vt possit separari tua materia, vt simul sit proportionata ad nonam coniunctionem, fac igitur ignem intus in tuo vitro, qui comburat corpora efficacius quam ignis elementalis, si modo vis facere lucrum ex nostris secretis ex animi tui sententia, tum tua semina & putrefient, & germinabunt, auxiliante igne ex occasione nato naturaliter vt illa post queāt separari, separationis ita debes superare portā, post poteris vlterius ꝓgredi arcanæ cõiunctionis versus

ſus portam, in penitiorem arcem quæ te cōducet. Vtere meo conſilio, ſi vis rem facere. Porta hęc duabus eſt obſerata ſeris; vt ex ijs quæ conſequuntur audies:

De coniunctione, quarta porta.

POſt caput illud naturalis ſeparationis, per quam noſtri lapidis elementa ſeparantur, conſequitur modo caput arcanæ coniunctionis, quæ naturas repugnantes coniungit in perfectam vnitatem, & ſic eas conuertit; vt nulla ab altera diffugiat, quādo erunt per ignem ſimul examinata; firmum adeo exiſtit earum coniugium. Philoſophi itaque hanc definiunt; dicentes nihil eſſe coniunctionem aliud quam copulationem ſeparatarum qualitatum, aut vt alij volunt, quandam adęquationem principiorum. Sed quidam cum Mercurio venali apud pharmacopœos corpora miſcent, quia non poteſt diuidere eorum elementa, & propterea à via aberrant: nam quo ad anima fuerit ſeparata; & purgata à ſuo originali peccato, cum aqua, & pure ſpiritualizata, veram coniunctionem non potes occipere. Diuide ergo animam à corpore, tum ex parte corporea & ſpirituali; anima cauſabit coniunctionem perpetuam. Coniunctionum duarum mentionem faciunt philoſophi: groſſa, vna, quæ corpus cum Mercurio reincrudeſcit; ſed hac relicta ſecundam perſequere; quæ, ſicut dixi, poſt ſeparationem elementorum eſt celebranda, in qua relictæ partes, ſic ſunt colligatæ, & ſic ad perfectam temperiem reductæ; vt nulla inter eas ſit futura vnquam repugnātia. Sic ſeparatio eſt cauſa veræ coniunctionis aquæ & aeris, cum terra & igne; vt vnumquodque elementum in alterum poſſit traduci; itaque perſiſtent in perpetuum ex voto animi tui. Fac vt faciunt plaſtæ cum argilla, & luto: tempera ea ſpiſſe; & non nimis dilute, ita ad deſiccationem citius peruenies. At tria ſunt huius coniunctionis genera. Prima à philoſophis vocatur dupla, quæ inter agens & patiens exiſtit, maſculumque & feminam; Mercurium; & ſulphur viuum; materiam, & formā; tenue, & ſpiſſum conunita; hæc inſtructio certe te adiuuabit noſtrā coniunctionē recte perficere. Genus alterum appellatur Triplum, quæ eſt coniunctio facta de tribus rebus, corpore, anima, & ſpiritu donec inter ſe conueniant, quam triadem debes traducere in monadem. Nam ſicut anima debet eſſe vinculum ſpiritus, ſic etiam cor-

pus animam sibi connectere opus est. quare hæc dictata animo ne excedant tuo : quartum genus coniunctionis, quod item est vltimum, quatuor elementa coniungit vt maneant vna, quadruplam recte eam philosophi vocant, ac spiritualiter Guido de Montanor, cuius nomen laté spargitur. Itaq; pro commodiore via nunc temporis, in nostra hac coniunctione quatuor elementa debét aggregari in debita proportione, quę prius à se inuicem erant separata: vt enim femina venas habet quindecim, mas autem non plures quinque, ad actum suæ fæcunditatis necessarias; sic etiam in nostra coniunctione intellige, quod mas, Sol noster, debent habere suæ aquæ partes tres, & illius vxor nouem, quæ debent ad ipsum esse tres: tunc, par, cum pari gaudebit semper habitare. Nec de cõiunctione est opus plura scribere, idcirco iã huic capiti volo finem imponere, iubens vt coniunctiones grossas non facias plures vna, raro enim meretrices habent à se natos; sic ad nostrum lapidem nunquam peruenies, ni feminam viduo iacere lecto permiseris, sic vt postquam ex mare illa conceperit, sit deinde eius matrix clausa cæteris. nã quisquis cocto, crudum semper adijcit, vas suum aperiens, materiamque sinit frigescere, non ille sperma cõceptum nutrit, sed illudit sibi ipsi, opusq; suum omne perfundit. Quamobrem, si cupis tibi bene esse, obsigna matricem, & bene nutrias tuum semen, calore iugi, & temperato, si modo vis proficere; cumque iam vas steterit mẽses quinque sic vt post omnes nubes, & eclipses lumẽ appareat, tum statim calorẽ auge, donec clara tuus pelluceat claritate lapis, tum demũ poteris statim aperire tuum vas, & enutrire prolẽ, q̃ iam tibi nata est, lacte, & cibo semper magis & magis: tunc enim humiditas, & siccitas sic sunt temperata, vt terra impressionem receperit ab aqua, quę numquam deinceps à se mutuo possunt separari, & sicut aqua, terræ dedit ingressionem vt ex professo pariter ambo velint habitare, aquaque terræ sibi acquisiuit vim retentricem, inde illa duo vnum facta, nunquam postea contrariantur, sic duabus in rebus tota nostra intentio depẽdet, in siccitate, & humiditate, quę sunt duo cõtraria. In siccitatę, quæ humiditatem ad fixionẽ ducit, in humiditate, quæ terrę liquefactionem inducit, vt ex his ita temperatis nascatur tẽperies, non ita densa vt corpus, nec ita tenuis, vt aqua. Sine dubio solutio, & connexio sunt duo principia arduæ huius scien-

ſcientiæ, & cardines præcipui: ſunt tamen multo plura principia ſplendida, quæ poſtea demonſtrabo. Progredere igitur ad aliud propugnaculum firmæ huius arcis noſtræ ſapientiæ, quintam vt ſic poſſis ingredi portam.

De putrefactione, quinta porta.

HIc incipit caput de putrefactione, ſine quo cardine nec ſeges nec ſemen multiplicatur, ea autem debet fieri ſolummodo cum actione continua caloris in corpore, non manuali. Nam corpora omnia naturaliter alterari non poſſunt ſine ipſa, vt Chriſtus eſt teſtis, dicens: Niſi granum tritici moriatur, in terra augmentum nullum faciet, ſic niſi putrefiat materia nullo modo poteſt recte alterari, nec poſſunt elementa naturaliter diuidi, nec eorum abſoluta eſſe cõiunctio. Idcirco ne fortaſſis actũ agas, principia putrefactionis recte intellige, antequam hoc aggrediare opus. Putrefactio poteſt hoc modo definiri iuxta philoſophos. Ea eſt corporũ interemtio, ac in noſtro cõpoſito trium rerum diuiſio, corpora interemta ad corruptionem perducẽs, & poſtea ad generationem apta reddens. Nam quæcunque in terris generãtur dubio procul cælorum rotatione generantur, atque hinc elementa miſce tua, coæquaq; ſapienter, & tẽperato in calore ſerua, ante omnia cauens, ne nimio calore in cineres redigantur, puluerem ſiccum rubicũdum & inutilem, ſed in puluerem nigrum, corui roſtro ſimilem, in balneo calete, vel alias in noſtro fimo, tanto tempore dum noctes tranſierint nonaginta, in humido calore hæc conſerua diligenter: mox poſtea nigredo erit tibi index, quod illa ad putrefactionem properant, quæ tu deinde poſt diuerſos colores pertrahes ad perfectam albedinem facile, ac tuum ſemen in ſua natura multiplicabitur, fac vt illa ſe mutuo amplectantur & oſculentur, & vt pueri ſurſum, deorſumque volutando ludant, & quando eorum linteamina erunt fœdato lotio, tunc femina abluere teneatur, quæ ſæpius infirmata in deliquium animi cadet, & tandem morietur cum omnibus ſuis infantibus, & ibit in purgatorium, vt purgetur originali peccato. Quando illic erunt paulatim, & paulatim augẽtur pœnæ eorum, ſemper calore magis magiſque aucto, qui nunquam ceſſare debet: ſitque fornax huic negotio bene apta, quã ſapientes vocãt Athanor, ſeruans calorẽ, vti par eſt, temperatiſſimũ, cum

quo materia naturaliter putrescit. Hoc de principio loquitur Guido vir sapiens, dicens quod cum per putrefactionem morietur compositum corporale, tum secundum Morienum & plures alios, resurgit per nouam vegetationē corpus simplex, & spirituale. Et si non esset calor & humiditas in continuo motu sperma non maneret in matrice, & sic nulla fieret generatio. Principio igitur accipe nostros lapides, ac sepelias vnumquemque in sepulchro alterius, æquabilique inter se eos iungas connubio, vt simul concumbant sex hebdomadas, tum foueant suum semen naturale, conceptum nutriant ac conseruent, toto illo tempore à fundo sui sepulchri non surgentes: quod secretum multos fallit. Conceptionis tempus hoc leui calore exspectes. Nigredo sese ostendens significabit tibi quando moriuntur, nam simul vt pix liquida eo tempore turgescent, & ebullient; subsident, & putrefient, splendentes colores ibi apparebunt instar iridis, aspectu pulcherrimi, & tunc aqua incipit omnino desiccari. Nā in corporibus humidis calor temperate agens, nigredinem gignit, primum omnium coniunctionis naturalis certum indicium & veræ putrefactionis. hoc ne obliuiscaris, nam tum à perfecta alteratione non aberraueris; & sic per portam nigredinis debes intrare si lucem paradisi in albedine vis acquirere: Sol namque in suo exortu primum obscurus erit, ac transibit per aquas diluuij Noę, super terram quod centum perstitit dies & quinquaginta, antequam omnes aquæ recesserint. Sic nostrę aquæ, vt sapientes asserunt transibunt, vt tu cum Dauide recte dixeris: Abierunt in sicco flumina. hoc serua tibi: mox vineam post Noha conseuit suam, quæ flores splendidos, & botros illico reddidit: quo habito non est quod timeas: nam eodem modo subsequetur germinatio nostri lapidis. Et statim cum triginta dies transierint vuas habebis carbunculi rubedine, scilicet hoc est, nostrum Adrop, Vzifur, atque plumbum rubeum, nam velut animæ è pœnis tēporarijs solutæ Elysio inferuntur, vbi vita fruuntur felici; sic noster lapis, in purgatorio a caligine purgatus, sine controuersia gaudebit albedine, & pulchritudine suæ coniugis, & transibit ex purgatorij caligine ad lumen paradisi in albedine Elixir prępotens. Atq; vt citius possis ad putrefactionem peruenire istud exemplum accipe pro conclusione, secreta enim putrefactionis latent in eo omnia. Quercus pereni madefacta

defacta gurgite non cito putrescit, mihi crede, vel experto: nam si centum annis vel amplius sit sub aqua, inuenies illam æque integram atque erat prius. Sed si sit aliquando humida, & aliquādo sicca, vt potes animaduertere per experientiam in lignis, successu temporis illa quercus putrefit. Sic nostra quoque stat sententia, vt quandoque arbor nostra Sole comburatur, & tum cum aqua statim post refrigeretur: hoc enim modo ad putrefactionem facile adduces: esse enim nunc in humido, & nunc rursus in sicco: nunc in magno calore, & nunc rursus in frigido, efficiet vt cito admodum putrefiat, ac inde protinus aurum putrescet tuum. Corpora tractabis vt tibi dixi. Et in putrefactione cum calore ne sis velocior, ne in cineribus postea quæras lucrum tuum. Aquam igitur ex terra extrahas, & fac cum ea vt anima ascendat: tum rursus in terram eandem deprime, vt illæ totiens descendant, quoties ascendunt: à violento calore, ac subito frigore defende vitrum tuum, moderatoque adeo vtere igne, vt hac ratione nunquā vitrescat tua materia. Aduerte quam tibi deligas materiam, ne immisceas te salibus, sulphuribus, nec medijs mineralib⁹: nam quicquid sophista aliquis garriat sulphur nostrum, & Mercurius sunt in metallis tantum, quæ quidem vocant olea & aquas, aues & bestias & alijs multis nominibus, ne aliquando stulti nostrum lapidem noscant, sed si Deus tibi cōcesserit vt aliquando nanciscaris hanc scientiam per doctrinam quam tibi tradidimus, ne detegas cuiquam, quicumque sit qui postulet. Nec fauore, nec argento, nec etiam auro. Ne sis oppressor, luxuriosus, nec iactator impudens, sed inseruias Deo, & pauperes sint tibi curæ, si vis esse longæuus super terram. Nunc in hoc te capite docui, qua via debent tua corpora putrefieri, dirige ergo gressus versus sextam portam. Nam quinta est iam occupata.

De congelatione, sexta porta.

DE congelatione necesse non est multa scribere, sed quid ea sit primum significandum est. Ea est mollium rerum induratio in colore candido, & confixatio spirituum volatilium. Quo modo congelabis, ne sis multum sollicitus, nam elementa protinus connectuntur, modo putrefactio facta fuerit naturaliter. Sed cōgelationes diuersis fiunt modis spirituum & corporum dissolutorum in aquam clarā, ac salium

item diſſolutorum bis, vel ter, ac tum congelatorum in fluxibilem materiam, de quibus congelationibus ſtulti multa garriunt. Et quidam diſſoluunt diuidentes manualiter elementa, ac poſtea congelantes in ſiccum puluerem. Sed talem congelationem nos non quærimus quia noſtro operi eſt omnino contraria. Nam noſtra congelatio nõ metuit ignem, quippe quę ſemper vnctuoſa in ea ſtare debet, ac etiam in ſua tinctura abundare, quæ congelata in aere, non liqueſcat in aquam, tunc enim noſtrum opus deſtrueretur. Præterea non congelatur in tam durum lapidem vt vitrum, aut cryſtallum quæ ignis funduntur violentia, ſed ſicut cera, quæ cito funditur, ſine follium flatu. Caue ne decipiaris, talis enim congelatio non conuenit noſtro propoſito, quæ redit rurſum in aquam vt congelati ſales, ſed quæ fluit & permanet, tales enim ſalium congelationes nobis non proſunt, pertinent .n. ad ſophiſtas qui cõgelant vulgariter, quapropter ſi cupis recte facere cum tua medicina nũquam naturaliter fluat, nec congeletur niſi prius putrefacias, prius purges, & figas elementa noſtri lapidis donec ea ſimul cõgelentur & facile fluant: nã cum materia facta eſt candida, tum ſpiritus cum corporibus congelabuntur, temporis tibi eſt adhuc ſtatuendus longus terminus, antequã talis congelatio tibi appareat in ſimilitudine perlarũ. Lætare aſpectu talis congelationis, quę poſtea educet grana ſanguinis modo rubẽtia, omnibus pręferenda mũdi diuitijs. Quapropter terræ groſſitie mortificata, in humiditate nigredo generatur. Principium hoc nemo mortalium negauerit, ſic profecto dicunt omnes philoſophi naturales, qua habita, non eſt, ꝙ dubites de albedine, & ſi in albedinẽ illud ſemel congelaueris, habes lapidẽ omnium lapidũ pretioſiſſimũ: & ſicut per humidum ſiccum fuit putrefactum, (quod facit in colore apparere nigredinẽ) ſic ſane, humidum congelatum per ſiccum, generat albedinẽ noctu clariſſime lucentem, & ſiccitas procedit, & dealbat materiam, vt in nigro humiditas ſe prodit, coloribus varijs ſemper nouis, ac nouis. Cauſa horum omnium eſt calor temperatiſſimus, operans, & mouẽs continẽter materiam, atq; eo modo per hunc materia alteratur, tã intrinſecus quam extrinſecus ſubſtantialiter, non vt faciunt ſtulti quoad aſpectum ſophiſtice, ſed hic vt vnaquæque pars quemuis ignem toleret, fluxibilis, fixa, ac ſtabilis in tinctura: & de tali digeſtione determinat

me-

medicina facta prius in stomacho, in quo est siccitas, quę albedinem efficit sine controuersia, quemadmodum secunda digestio, causat rubedinem completam in hepate calore tẽperato: sic etiam noster lapis per siccitatẽ & calorem, digeritur ad album & rubeum perfectum. Sed hic aliud secretum cognoscas oportet, quo pacto noster filius in aere nascitur, ne nimium studeas persflandis carbonibus, nec putes hoc iocum esse, nec ludibrium, sed crede mihi omnis perijt tuus labor, nisi terra tua reuiuificetur aqua, congelatione verã nũquam videbis. Est quędam anima existens inter cęlum & terram, oriens à terra, vt aer, cum aqua pura, causa vitæ omnium rerum viuentium, decurrens perpetuo super nostrã quadruplicẽ naturam, omni sua virtute perducens illam ad meliorem statũ, quæ anima aerea, est secretus ignis nostræ philosophiæ, vocata alias nostrum oleum, & nostra aqua mystice. Atque hic medius aer, quem oleum vel aquam dicimus, nostrum ignem, nostrũ vnguentum, nostrũ spiritum, & nostram lapidem, in qua re sola fundata est omnis nostra sapientia; numquam solus exit nec intrat per ignem, sed aqua quamprimum eum educit, ac post introducit, vt aqua, quæ ab aqua nunquam separatur, & sic potest aqua solum, nostram aquam mouere, qui motus causat mortem simul & vitam, & aqua naturaliter aquæ adhæret, sine vlla repugnantia ac contentione. Quæ aqua à stultis ignoratur, cum sit ex natura, proculdubio, spiritus calcinati & educentis. Aqua est secretum & vita omnium rerum in toto orbe existẽtium, ab aqua enim res singulæ habent suum initium, vt cernere est in feminis parturientibus, aqua effluente prius, si omnia sese recte habeant, vocata Albium, quæ prius ab illis emanat ante partum, non sine magnis doloribus. Ac certe, causa hæc est omnium præcipua, cur nos philosophi iubeant esse patientes, vsquequo omnis aqua siccetur in puluerem, fouentes calorem continuum, sed non violentum: nam qualitates sunt contrariæ cuiuslibet elementi, quoad postea nigri cum albo facta sit vnio ex his congelatis in æternum sine diuisione. Præterea præparatio huius cõuersionis vnius rei in aliam, & de statu in alium statum, fit solum per naturalem & prudentẽ operationẽ naturæ, vt est spermatis in matrice: nã sperma, & calor, sunt sicut soror, & frater, quæ tandẽ in seipsis vi naturæ fert actione, & passione cõuertuntur in perfectũ viri.

Quantum ad partem corporalem à natura confectam in virum, talis tunc est qualis fuit incoator, quæ, quamuis sic de vna re in alteram erat alterata, non tamen extra speciem, cũ alia specie conueniebat, sic etiam nostra materia spermatica in vno vase, in seipsa debet conuerti de vna re in aliam, calore temperatissimo eam decoquente. Possum tibi adhuc afferre aliud exemplum quo pacto substantia oui per naturam est operata in pullum non egrediens ipsam testam; similitudinem aptiorem non potui recitasse. Illic conuersiones fiunt donec perducatur de statu in statum, simile a simili in specie, fouente calore solummodo mediante. Potes his & aliud exẽplum legere rerum vegetabilium, considerãs quo pacto quęuis planta ex suo proprio semine crescit mediante calore & humiditate per naturalem operationem; similiter etiam mineralia nutriuntur humido radicali, quod eorum erat principium, non prætergredienti suam speciem in vno eodemq; vase. Ibi conuertimus rursus vnã rem in aliam, in suam matrem, scilicet aquam quando trãsferuntur. Hoc principio ignorato, in cassum laboras: tunc totum nihil aliud est quam sperma, nec quicquam est præterea, præter speciem cum specie, in numero duo, mas, & femina, agẽs, & patiens in matrice terræ pretiosissimæ, atq; hæc conuertuntur colore de vna re in aliam, vno in vase vitreo, & sic de statu, in statum, vsquequo natura eos perducat in vnam substantiam, ex aqua regenerata: Et sic sperma in sua specie est alteratum, aptum in similitudine suam speciem multiplicare, vt faciunt in sua specie omnes res aliæ naturaliter. Tempore dicti huius naturalis processus, dum sperma conceptum crescit, substantia nutritur suo proprio menstruo, quod aqua solũ, & terra produxit, cuius color est viridis proprio aspectu; ac eo ipso tempore Sol abscondit lumen suum, capiens cursum noctu per Septentrionem; hoc dictum menstruum, est, (idque pro arcano tibi dictum puta) sanguis nostri leonis viridis, & nõ vitrioli. Domina Venus veritatem huius tibi poterit aperire, si eam ab initio consiliariam aduoces. Hoc secretum absconditum est à philolophis summis & infimis. Qui sanguis extractus ex prędicto leone, ob defectum caloris non habuit perfectã concoctionem. Hic sanguis vocatur nostrum secretum menstruũ, cum quo nostrũ sperma nutritur temperate, quando ipsum conuertitur in fæces corporales, & fit albũ, &

perfe-

perfectę siccum, congelatum, & fixum in suo proprio corpore, tunc bis coctus sanguis bene poterit videri, istius operis vocatum albissimum Diadema. Intellige nunc quod ignea nostra aqua, sic acuata, vocatur menstrualis aqua, in qua terra nostra soluta est, & naturaliter calcinata, per congelationem, vt ea nunquam possint diuidi. Adhuc tamen non cessabis congelare plures aquas, in partes tres aquæ acuatæ, vt prius dictum est, cum quarta parte terræ congelatæ, nec amplius. Hinc, substantiæ sic congelatæ adde quartam partem aquæ Crystallinæ, & fac vt mutuo copulentur coniugio, per congelationem in medium metallinum, quod sicut ensis bene politus splēdebit, post nigredinē quæ prius apparebit. Da illi tūc quartam partem nouę aquę. Multo plures imbibitiones adhuc debes habere. Da illi secundam, ac post etiam tertiam, seruans in tua mente dictam proportionem, tunc ad aliam quarta vice propera, quintam vicem & sextam ne omiseris: & pone duas partes qualibet vice illarum trium, & septima vice debet habere partes quinque. Quādo fecisti imbibitiones septem, tunc iterum debes totam circumuoluere, & putrefacere omnem illam materiam sine additione, primo nigredinem spectans, tunc in albedinem congela totum, tunc basim ad finem perduxisti, ac post in rubedinem per meridiem ascende. Sic aqua tua diuisa est in partes duas, cum prima parte corpora putrificantur. Secunda pars imbibitionibus destinatur, cum qua postea materia denigratur, statimq; super leni igne albificatur, tunc vocatur à philosophis Sol cælestis fulgoris. Reduc eum ad rubedinem, ac ita sextam portam vicisti.

De cibatione, porta septima.

NVnc calamum meum ad cibationis descriptionem conuerto, ecce ea debet occupare locum septimum, sed paucis illa expedienda est verbis, propterea aduerte, & me diligenter audi. Cibatio vocatur nutritio nostræ materiæ siccæ, lacte & cibo vtrisque moderate datis, donec reducatur in tertium ordinem. Sed nunquam illi tantum des, vt illam suffoces, caue ab hydropisi, & Noæ diluuio, propterea paulum & paulum ei addas cibi, & potus, vt videbitur ei profuturum, ne aquei humores, superent sanguinem. Ideo potus sit ita meusuratus, vt naturalem appetitum inde numquam

exſtinguas. Nam ſi bibit nimium prouocandus eſt vomitus, alioquin nimis diu ægrotabit. ab hydropiſi igitur conſerues ventrem, & à fluxu, alioquin res non bene ſe habebit. Sine potius vt ſitiat interdum, quam vt vna vice nimium potum ingeras, cui in iuuentute diętam præſcribas. Vtatur igitur dięta vt natura requirit moderata, donec ad ætatem peruenerit, cuſtodiens illam à frigore, & humido calore foue. Tum creſcet & augebitur virtus illius, parietque tibi vtilitatem ſimul & iucunditatem: nã obſcura & ægra corpora reddit ſana & lucida, mundãdo eorum lepram ſua propria virtute. Tribus vicibus ſic rotam tuam circumuertes, ſeruans dictæ cibationis regulam. Ac tum quam primum ignem ſenſerit, vti cera citiſſime fundetur. Non eſt hic opus pluribus verbis, nam dixi tibi dietam maxime conuenientem poſtquam elementa facta ſunt æquipollentia. Dixi etiam quo modo ad albedinem reduces tuum aurum, ſimilimũ in figura floribus ſpinæ albæ, dictum magneſia, vt antea tibi dixi. Eſt noſtrum ſulphur album incombuſtibile, quod ad ignẽ nunquam euolabit: itaque ſeptima porta vt tu deſideras in ortu Solis eſt acquiſita.

De ſublimatione, porta octaua.

HIc de noſtra ſublimatione verbum vnum, aut alterum, faciam, quæ porta eſt octaua. Stulti quidem ſublimant. Sed tu ne ſic ſublimes: Nam non ſublimamus certe vt illi. Ad ſublimandum igitur recte, non errabis, ſi corpus primo ſcies facere ſpirituale, ac tum tuos ſpiritus, vt docui, corporales. Quidam Mercurium ſublimant à vitriolo & ſale, & alios ſpiritus a ſcamnis ferri & chalybis, à teſtis ouorum, & à calce viua, & ſuo modo ſublimant recte; ſed talis ſublimatio nihil conuenit omnino noſtræ intentioni: nam ſic non ſublimamus, quare ad veram ſublimationem iam tendimus. In ſublimatione primum caue ab hac vna re, ne ſublimes ad ſummitatem vaſis, nam ſine violentia non coges rurſus ad fundum, ſed illic vult adhęrere, & morari: ſic refrigeratione lætatur. Retine illud igitur temperato calore inferne, quadraginta dierum ſpatio donec nigrum ſit & obſcurum: nam tunc incipit prodire anima, ex ſuis proprijs venis: nam quicquid ſubtile eſt aſcendet cũ ſpiritu procul dubio. Mente igitur hoc ſerua, & cogita quopacto hic eclipſata ſint corpora, quæ dum putreſiunt, ſublimantur magis, ac magis, donec in aquam

aquam omnia eleuata fuerint, sicque, cum suum venenum exspuerint, in aqua tum apparet nigredo, fitque spirituale omnino, sublimando leuiter nostro modo, in aquam quæ illum portat: nam sic in aere noster infans debet renasci, quousque in aquam suam reuertatur. At quãdo hęc duo per sublimationem cõtinuam ita sunt elaborata, calore simul humido, & temperato, vt totum sit album & omnino spirituale factum: tunc cælum super terram reiterandum est, donec anima, cum corpore incorporetur, vt terra fiat, quod ante erat cælum, quod fiet in sublimationibus septem. Sublimationem autem facimus tribus de causis, prima est, vt corpus fiat spirituale, secunda vt spiritus fiat corporalis, & fixetur cum eo, & consubstantialis fiat: tertia causa est, vt ab originali immunditia purgetur, & eius salsedo sulphurea diminuatur in eo, qua est infectum. Tunc cum ea simul purgata sunt, sublimabũtur in altum albiora niue, aspectus ille erit tibi gratissimus: nam tum statim perfecte cognosces, quod spiritus erit præcipitatus: tunc octaua tibi patebit ianua, a qua multi sunt exclusi cum ludibro.

De fermentatione, porta nona.

VEram fermẽtationem pauci intelligunt operatores, quapropter secretum hoc explanabo tibi. Multas perfecto peragraui regiones antequam vnum inuenire potui, qui id mihi explanaret, tandem, diuino fauore, cuius nomen sit benedictum, perueni ad perfectam notitiam. Animaduerte ergo, quid hic scripturus sim: fermentationes diuersis fiunt modis, per quas medicina nostra perpetuatur. In claram aquam quidam soluunt Solem, & Lunam, & cum eorum medicina faciunt ea congelari, quæ cum in igne examinantur, non possunt durare, nec alterari cum complemẽto. Talis fermentatio non est nostri propositi. Quidam faciunt magis naturalirer, fermentantes suam medicinam hoc modo, dissoluentes in Mercurio Solem & Lunam donec cum spiritibus assurgant, simul ea sublimantes bis, vel ter. Tum cum eis fermentationem faciunt. Via quædam est ista, quam tamen reijcimus. Quidam sunt fortunatiores, ad eligendã veritatem in parte fermẽtationis, illi amalgamant corpora cũ Mercurio in pultis modum, tunc super illa medicinas suas proijciunt. Isti nostrorum secretorum habent aliquam notitiam

tiam, sed non veram cum perfecto complemento, quia nec putrefaciunt, nec alterant suum fermentum: propterea refero tibi hoc secretum, vide quomodo fecisti in corporibus imperfectis, sic fac per omnia in corporibus perfectis, id est, primo ea putrefac, destruens omnino primas eorum qualitates, nam hoc totum est de nostra intentione, vt prius alteres, antequam fermentes. Ad tuum compositum fac ferměti quartam partem, quod fermentum est solum Solis, & Lunæ. Quare si es magister huius artis, sine vt tua sic fiat fermentatio, fige aquam, & terram simul statim, & quando tua medicina fluit, vt cera, tunc vide vt supra amalgematum eam proijcias: & cum omne illud simul est mixtum, supra suum vitrum bene clausum fac ignem, sicque cõtinua donec totũ sit fixum, & bene fermentatum ex animi tui sententia. Tunc fac proiectioně sicut placet tibi: quia ea est medicina omnino perfecta: ita facies fermentum tum rubeum, tum album. Nam sicut farina frumenti in massam redacta requirit fermentum vt panis naturalem possit habere gustum, esseque nutrimentum homini aptissimum: sic etiam tu fermentabis, vt gustare possis de fermento puro, ad ferenda omnia examina in æternum. Scitoque quod fermenta sunt tria, duo corporum in natura pura quæ alterari debent vt tibi diximus, tertium secretissimum quod nos meditamur, est illa prima terra cum sua propria aqua viridi. Quapropter cum leo sitit, fac vt bibat donec eius corpus rumpatur. De hoc si vellem mouere quæstionem, & rogare operatores quid sit hæc res, mox hoc eos examinauero, si habent notitiã nostræ fermentationis. Vera ergo fermentatio, vt tibi dico, est animæ cum corpore incorporatio, restaurans ei naturalem odorem, gustum & colorem per naturalem inspissationě rerum separatarum, debita reintegratione, vnde corpus à spiritu recipit impressionem, vt vnumquodque possit iuuare alterum ad ingressionem cõciliandam. Nam sicut corpus in sua corporali compage, non potest ostendere suas qualitates effectualiter, donec factũ sit spirituale, sic nec spiritus possunt manere prius cum corpore, quam ipsi cũ eo proportionaliter sint cõfixati. Tunc enim corpus docet spiritum igně pati, & spiritus, corpus ingredi ad tuum placitum. ea propter Solem tuum, cum Sole debes fermentare, cum sua propria aqua, terram purgatam intelligo, quod nihil aliud est dicere, quam elemento

mento

mento, ſpiritu vitæ ſolummodo intercedente. Nam ſicut Magnes, vt tu vides, trahit ad ſe ferrum, ſic noſtra terra per naturam trahit deorſum animam ſuam à ſe eleuatam cum vento. Cum vento igitur animam inducito & educito. Miſce aurum cum auro. Hoc eſt, fac elementum cum elemento ſimul currere, donec omnem ignem poſſint pati: nam terra fermentum eſt ſine dubio aquæ, & viciſſim aqua, terræ, hoc pacto debet fieri tua fermentatio. Terra eſt aurum, ſic & anima, non commune ſed noſtrum elementatum, his tamen debet Sol adiungi, vt per noſtram rotam poſſit alterari: nam ſic ad fermentum debet eſſe præparatum, vt profunde poſſit eſſe iunctum cum alijs naturis, vt ego dibi dico: & quicquid vnquam de auro dixi, idem de argento tibi dictum puta. Nēpe vt putrefacias & alteres quæ tibi dixi, antequam tuā medicinam fermentare occipias, Solem & Lunam vide vt renoues, vt ipſa poſſint tenere de quinta eſſentia, tunc eorum tinctura perpetuo durabit. Eſt & alia via excellentiſſima pertinens ad aliam operationem, aquam facimus maxime odoriferam, cum qua omnia corpora in oleum reducimus, cum quo noſtram medicinam facimus fluentē: quintam eſſentiam vocamus hanc aquam, hominum quæ ſanat omnes infirmitates. Sed cum tua baſi ſecūdum noſtrum doctrinam pręparata, quæ eſt noſtra calx, hoc debet fieri: nam quando corpora ſunt ſic calcinata, aqua illa protinus in oleum diſſoluit, fac igitur oleum ex Sole & Luna, quod eſt fermentum odoratu fragantiſſimum, Superata eſt nona porta huius arcis.

De exaltatione, decima porta.

PRoſequamur nunc caput exaltationis, cuius debes habere perfectam notitiam, nam parum differt à ſublimatione, ſi noſtra verba concepiſti, huic conuenit ſcriptura ſacra, Chriſto dicente: Ego ſi exaltatus fuero, omnia ad me traham. Si noſtram medicinam hoc pacto exaltauerimus, hac ratione erit nobilitata, quod fieri debet duobus modis, ab eo tempore quo partes ſunt deſponſatæ, quæ ſunt crucifixæ, & examinatæ, & contumulantur ſimul mas, & femina, & poſtea reuiuificantur ſpiritu vitæ. Tum ſurſum in cælum debet exaltari, vt ibi corpus & anima glorificentur. Nam debes illud adducere ad talem ſubtilitatem, vt aſcendant ſimul inthronizanda in nubibus ſplendentibus, angelis conſociata

tunc

tunc trahent, vt videbis omnia alia corpora ad suam propriam dignitatem. Si igitur velis tua corpora exaltare, augmenta illa primo spiritu vitæ, donec terra sit bene subtiliata, per naturalem rectificationem omnium elementorum, illa exaltans sursum in firmamentum: tunc multo pretiosiora erunt auro, propter quintam essentiam de qua retinent: nā quādo frigus vicit calorem, tum in aquam, aer conuertitur, & sic duo cōtraria simul fiunt obuiam, donec cuique cum altero recte conueniat. Sic in aerem, aqua, sicut tibi dixi, quando calor frigori dominatur, conuertitur arte nostræ circulationis: tunc ex igne, aerem habebis, soluendo, putrefaciendo, & sublimando, & ignem habes ex terra materiali, separando vicissim elementa specialiter terram bene calcinando, & quando vnumquodque purum factum est, tunc tenent omnia de quinta essentia. Hoc modo igitur fac vt circuletur, vnumquodque in alterum festinanter exaltans, ac in vno vitro, bene sigillato, hæc omnia peragantur, non manibus, sed sicut te doceo naturaliter. Ignem, in aquā tum primo diligēter conuerte. Nam ignis est in aere, qui est in aqua existēs & hæc conuersio cōuenit nostro proposito. Tum vlterius verte tuam rotam, quousque aer conuertatur in terram, quod rectissime fieri potest, nam aer est in aqua, existente in terra, quamuis aquam in ignem, contraria in sua qualitate, cito conuertere potes: nā aqua est in terra, quę est in igne, hæc est vera conuersio. Rota est iam propemodum circumuersa. Cōuerte aquam in terram, quæ est proprius nidus aliorum elementorum: nam terra in igne est quæ in aere quiescit. Istam circulationem debes incipere in occidente, tum post meridiem versus, donec exaltentur, procede debite, vt in figura tibi ostendi in hoc progressu aperte potes videre, quod ab vno extremo ad aliud non fit transitus nisi per interiectum medium, cum sint contrariæ qualitatis. Et certe ratio dictat, vt calidum in frigidum cum multis alijs inter se contrarijs sine medio, vt est humiditas circa calidum & frigidum, non potest conuerti, vt antea tibi dixi. Hactenus te docui facere omnium tuorum elementorum perfectam circulationem, in rotæ figura exēplum habes, quo modo dictam exaltationem facies, ac tuæ medicinæ in elementa veram gradationem, donec eam conduxeris in complexionem temperatam; tum portam decimam acquisiuisti.

De

De multiplicatione, Vndecima porta.

AD multiplicationem declarandam me accingo, quæ à philosophis sic definitur: Est augmentatio reuera Elixiris in bonitate & quantitate, simul pro rubro & albo, multiplicatio est sicut illi describunt, ea res quę facit augmẽtum medicinæ, in quouis gradu, in colore, in odore, in virtute, & quantitate. Et vt possis tuam medicinam in infinitum multiplicare, causa hæc est, nam est ignis, qui excitatus nunquam moritur, sed semper tecum habitat, sicut ignis in domibus, & sicut moscus, in confectionibus aromaticis, cuius vna scintilla potest excitare plus ignis, in virtute, multiplicati. Idem fit in nostra medicina. Diues est ille qui ignem habet plus vel minus, propterea quod tantopere potest quantum vult augeri, sic diues est ille qui particulam habet nostri Elixiris, quia potest augeri in infinitum. Vna via, si dissoluas nostrum puluerem siccum, & facias horum frequentem congelationem, huius in virtute tum facies augmentationem. Secunda via simul in bonitate, & quantitate multiplicatur, per iteratam fermentationem vt in illo capite tibi manifeste ostendi diuersis modis naturalis operationis, & sic in capite nostræ cibationis, vbi potes cognoscere quo pacto infinite tua materia cum Mercurio multiplicatur. Sed si tu velis vna soluere atque etiam fermẽtare, augebitur tam in quãtitate, quam in virtute: & sic potes illud multiplicare, vt in vitro crescat in modum arboris, quam Hermetis arborem vocamus, aspectu pulcherrimam, cuius vnum granum multiplicabitur in mille si sapiẽter noris facere tuam proiectionem. Nam prout crocus puluerisatus si cum liquore paulatim tẽperetur, & postea addatur maiori liquoris quantitati, tingit multo plus liquoris in quantitate, quam si esset integer in sua grossa substantia: sic nostrum Elixir, quo tenuius factum fuerit, hoc largius se profecto, sua tinctura sparget. Itaque cooperi tuum ignem vesperi, æque ac mane, ne tibi sit opus ostiatim illum disquirere inter vicinos, vt ab illis accipias mutuo. Quo diutius retinebis, eo amplius lucraberis, multiplica semper magis, ac magis in tuo vitro, enutriens illum Mercurio dum vixeris, sic habebis amplius quam tibi opus erit, hoc est manifestissimũ. Non est quod scribã apertius, vtaris igitur ratione duce, ne frenum propterea laxes peccatis sed inseruias Domino Deo tuo attentius, & quãdiu hic vixeris, hæc

ris, hæc menti tuæ recondere ne obliuiſcaris, cogita te aliquando ante Dei tribunal aſſiſtendum, dona tua propterea & tuos theſauros probe & pie diſponas, iuua pauperes in neceſſitate, vt in hoc mundo poſſis procurare miſericordiam & gratiam. Ora Deum, vt te conducat in hanc portam, vt poſſis tuæ conquiſitioni finem imponere.

De proiectione, duodecima porta.

IN proiectione probabitur ſi noſtra praxis eſt vtilis, cuius oportet me ſecreta quædam monere: ſi tinctura ſit vera & non variabilis, probabis cum pauca quantitatē tuæ medicinę, metallo, aut Mercurio, vt pix adhærebit, & tinget in proiectione vt omnē ignem ſuſtineat, intrabit & ſparget ſeipſam largiſſime. Sed multi per ignorantiā deſtruxerūt opus ſuum, quando faciunt proiectionem ſuper metallum impurum: nam illorum tinctura propter corruptionē euaneſcit; quod à corporibus non remouerunt; quæ poſt proiectionem ſunt frāgibilia, fuſca, & nigra. Vt igitur tinctura poſſit perpetuo durare, vide vt tuam medicinā prius proijcias ſuper fermentum, tum erit illud fermentnm frangibile vt vitrum; proijce illam frangibilem ſubſtantiam ſuper corpora mundata & valde pura, & ſtatim videbis ea curioſe colorata cum tinctura, quæ omnes probas ſuſtinebit. Et ſic à Pſalmis Dauidis numerato, vt vtilem proiectionem & perfectam facias. Super Pſalmum cuius initium eſt fundamenta; proijce; Nunc dimittis. Super verba mea, proijce fundamenta. Tum verba mea ſuper diligam, & diligam ſuper attendite. Sic fac proiectiones tres, aut quatuor, aut quinque, quouſque medicinæ tuæ tinctura incipit decreſcere. Tunc tempus eſt finem proiectionis faciendi. Myſtico hoc ſermone nihil aliud volo quā vt imprimis minus proijcias ſuper maius creſcendo ſemper numerum, vt ſapientes dicunt; & reſerua hoc tibi ſecretum apud te. Sis auidus doctrinæ, ea non erit tibi oneri. Nam qui corporibus ægris iungit Elixir ille parum nouit, quid ſibi velit proiectio. Decem ſi multiplicas primo per decem, centum efficit numerus ille; ſi centum rurſus per decem multiplicabis, mille dicitur numerus iſte; ſi mille item per decem, efficiunt, decem millia, quæ rurſus per decem multiplicata centum millia efficiuut. Iam ſuperaſti iſtas duodecim portas, ac totam arcem gubernas ad libitum, ſerua hæc ſecreta

ta apud teipsum, & in igne contineas tuum vitrum: & multiplica tuam medicinam magis ac magis: nam sapientes dicunt, quod habes apud te non est quod aliunde quæras.

Sequitur recapitulatio.

VT hunc tractatum in Epitomen redigam, attende diligenter latitudinem nostri lapidis, & incipe in occidente, vbi mas rubeus & coniunx alba fient vnum, desponsati spiritu vitæ, vt viuant in amore & quiete, terra & aqua æqualiter proportionatis; & vna terræ pro tribus spiritus, est etiam bona proportio, quæ est spiritus duodecim, pro quatuor partibus terræ siue corporis. Tres partes feminæ, & vnā viri debes accipere; & quo minus fuerit de spiritu in hac desponsatione, eo citius tuam calcinationem absolues. Tum in septentrionem per obscurationem progredere, rubri viri & coniugis, quæ dicitur eclipsis, soluens eos, & alterans inter hyemem & vêr, in aquam conuertēs terram obscuram, illinc per varios colores ascende in orientem ibi Luna erit plena apparens interdiu. Tunc præteriit purgatorium & illius cursus. Nam illic Sol oritur apparens albus & lucidus, ibi est æstas post hyemem, & dies post noctem. Tunc terra, & aqua post nigredinem conuersa sunt in aerem, & nubes & tenebræ sunt præteritæ & omnia apparent lucida. Et sicut occidens erat principium huius practicæ, & septentrio perfectum medium alterationis profundæ, sic oriens est principium speculatiuæ, sed sui cursus, mox in meridiem facit consummationem; ibi sunt elementa circulatione in aquam cōuersa: Tum quin optatum tuum consequaris, non est quod dubites, nam totam nostræ philosophiæ circumuoluisti. Nihilominus tuā totam bis adhuc circumdes oportet, in quo sunt comprehēsa nostræ philosophiæ secreta declarata in 12. portis; si recte concepisti quo pacto perfecte calcinabis corpora, dissolues, & putrefacies; & omnia secreta alia nostræ infimæ astronomiæ, cnm perfecta intelligentia omnium polorum in nostro cælo lucentium colorib. inexplicabilibus; pulcriores nunquam sunt visi, pallidus, & niger, falsus citrinus, imperfectus & rubeus, pauonis plumarum color, elegantissimus; iris qui etiam præteribit; Pantheræ color varius, leo viridis, Corui rostrum nigrum vt plumbum, ii apparebunt ante perfectum album, & alii plures colores, & post perfectum album cineritius, & falsus citrinus, & postea apparebit sanguis rubeus

 imper-

impermutabilis: Tum habes medicinam tertii ordinis in ſuo genere multiplicabilem. Sed ſecretum iſtud omnino non debes ignorare, quod noſter mas rubeus non tingit, neque illius coniunx donec tingantur: ſi igitur velis tibi hac arte rem parare altitudinem tuorum corporum abſconde; & patefac eorum profunditatem. deſtrue primam qualitatem omnium tuorum materialium, & ſecundas qualitates excellentiores quamprimum in his repara, & in vno vitro, vno regimine: conuerte quatuor naturas in vnum. Diuidendum erit tuum elixir rubeum in partes, antequam rubifices, quod pones in duobus vitris. Si vis habere Solis & Lunæ duplex elixir, fac ſic: cum tum Mercurio multiplica ſtatim in magnam quantitatem. Si in initio habes tantum, vt cochlear ſolum impleat, poteris multiplicare, ſimul in album & rubeum, vt etiam ſi viuas mille annis ſatis ſuperque habeas. Diſſolue ergo caute tuam baſim, & conuerte illam in pefectum oleum, quod circulatione fieri debet ſecundum noſtrum propoſitum, hæc olea figent crudum Mercurium, in perfectum Solem & Lunam, hanc oleagineam ſubſtantiam fixam & puram, Raymundus vocauit ſuum baſiliſcum, cuius nunquam tam planam fecit explicationem.

Memento hominem eſſe nobiliſſimam creaturam in compoſitione terrea, quam vnquam Deus creauit, in quo eſt quatuor elementorum proportionatorum per naturam neutralis Mercurialitas, quæ omnino nihil conſtat, producitur arte ex ſua minera: nam noſtra metalla nihil aliud ſunt, quam noſtræ duæ mineræ noſtri Solis & Lunæ, vt Raymundus ſapienter notat. Splendor Lunæ & Solis lucidi, in has duas mineras ſecrete deſcendit, quamuis ſplendor ſit abſconditus tuo viſui, arte potes efficere vt appareat manifeſte.

Hunc lapidem abſconſum, hanc vnam rem putrifica, laua in ſuo liquore donec albeſcat: tum fermenta ſapienter. Et ſic habes ſummam totius operis.

QVA-

TERTIA ROTA,

Liber de

MERCVRIO ET LAPIDE PHILOSOPH. GEORGII RIPLEI *Canonici Angli.*

Charissime fili, instruam te in hac benedicta scientia, quæ à priscis sapientibus abscondita est, quibus Deus dignatus est tantam gratiam concedere. Intelligas igitur quod materia nostra est supremum omnium, quæ in terra sunt, minimæque æstimationis vel pretii, vt postea tibi lucidius apparebit. Nam si aqua se incorporat cum terra, erit aqua omnium infima: eaque nisi cum igne figatur, altius ascendet, atque hoc modo videri potest, quomodo aqua erit suprema & infima: quod autem sit minimæ æstimationis verum est. Nam in terra nostra & aqua, atque in illa terra fœda, inuenies aquam puram & claram, quæ est nostrum sperma & quinta essentia. Tum autem fœda illa terra nihil valet vltra, estque nullius æstimationis. Quod vero dixi aquam esse supremam, id multis modis apparebit: intellige fili, quod sine aqua, panem conficere non possumus, nec quicquam aliud, quod Deus in rerum natura creauit, atque hic facile percipies, quod aqua est prima materia omnium rerum, quę in mundo nascuntur aut generantur. Certe enim manifeste tibi videbitur, quod nihil crescit, aut incrementum capit sine quatuor elementis. Ideoque quidquid elementatum est virtute quatuor elementorum, necessum est, vt origo omnium rerum nascentium aut crescentium fiat ex aqua: Non tamen intelligas hoc de aqua ante dictum esse, sed de aqua illa quæ est materia omniũ rerum, ex qua omnes res naturales producuntur in genere suo. Itaque intelliges, quod primum ex aqua generatur aer, ex aere ignis, ex igne terra. Iam autem vel magis familiariter, & amice te alloquar adhuc vlterius tibi manifestabo hoc mysterium pedetentim, ne nimia festinatione nobis contingat iuxta prouerbium: Quod qui nimis festinat, sæpe nimium sero veniet domum. Nunc igitur vt tuo desiderio satisfaciam, dicã de prima ma-

teria, quod Philoſophi quintam eſſentiam appellant, & multis aliis nominibus vocant, quo magis abſcondant. In hac certe ſunt 4. elementa pura in exaltatione ſua. Ideoque agnoſcas quod ſi quintam eſſentiam hominis habere volueris, opus eſt vt prius habeas hominem, atque ex illa materia nihil aliud habebis, & vide vt hoc bene animaduertas. Dico enim tibi quod ſi lapidem philoſophorum habere deſideras, neceſſum eſt, vt prius habeas quintam eſſentiam eiuſdem lapidis ſiue mineralis, ſiue vegetabilis, ſiue animalis. Coniunge ergo ſpeciem cum ſpecie, & genus cum genere, & ne vnum ſine altero, nec quicquam cõtrarium quod ſit extra ſpeciem aut genus proprium. Caue igitur ab omnibus rebus peregrinis & extraneis. Nam ex oſſibus non fiunt lapides, neque ex gruibus naſcuntur anſeres. Quod quidem ſi bene conſideraueris, inuenies fructum, mediante gratia diuina, qua nos adiuuante procedemus adhuc vlterius dicere de hac aqua benedicta, quæ vocatur aqua Solis & Lunæ, abſcondita in concauitate terræ noſtræ. De qua etiam terra intelligas, quod omne quod generatur neceſſum eſt, vt habeat maſculum & feminam, ex quibus oriatur actio & paſſio, ſine quibus nunquam fit generatio. Sed ex rebus genere diſcrepantibus nunquam certe proficuum habebis. Veruntam, ſi hanc aquã Solis & Lunæ habueris, attrahet ad ſuum genus alia corpora, & humores mediante virtute & calore Solis & Lunæ facietque illa perfecta: quemadmodum infans in vtero matris, mediante decoctione temperati caloris conuertit menſtrua in naturam ſuam, & genus ſuum, hoc eſt, in carnem, ſanguinem, oſſa & vitam, cum cæteris corporis viuentis proprietatibus, de quibus plura dicere non expedit. Atq; hinc intelligere tibi dabitur, quod aqua noſtra conuertit ſe in genus perfectum, cum rebus ſui generis: nam congelabit ſe primo in ſubſtantiã oleo ſimilem: dein oleum illud mediante calore temperato, vertet in gummam, poſtremo vero mediante perfecto Solis calore, in lapidem. Nunc itaque intellige quod ex vna re, habes tria, hoc eſt, oleum, gummam, & lapidem. Intelligas etiã quod quando aqua vertitur in oleum, tunc habes ſpiritũ perfectum; cum vero oleũ vertitur in gummam duram, tum habes perfectum ſpiritum & animam; & quando perfectus ille ſpiritus & anima vertuntur in lapidem, tum habes perfectũ corpus, animam & ſpiritum ſimul, quod tum vocatur lapis philo-

philoſophorum, & elixir, & perfecta medicina corporis humani;ita quod fermentetur cum genere ſuo,& quinta eſſentia ſua.Intelligas fili,quod diuerſæ ſunt quintæ eſſentię:quarum vna eſt ad corpora humana: altera vero ad elixir ad corpora imperfecta metallorum. Nam conſiderare debes,quod generatio & incrementum metallorum non eſt ſicut incrementum corporis humani: nam genus conuenit cum ſuo genere, & ſpecies cum ſua ſpecie. Inſuper autem intellige, quod prima materia hominis, quæ generat carnem, ſanguinem,oſſa & vitam,eſt humor ſpermaticus, qui ex incluſo vitali ſpiritu cauſat generationem. Et quando materia generatur & congelatur in corpus,extrahe inde quintam eſſentiã corporis illius, cum qua nutries corpus. Tamen fili vlterius tibi dicam, quod aqua aut materia, ſiue ſperma, de quo homo generatus eſt,non eſt augmentator corporis.Fili intellige,quod ſi corpus bene cibatum fuerit cum ſuo naturali alimento,tum augebitur prima materia illius,atq; etiã corpus: prima videlicet materia,in qualitate,&corpus in quantitate. Prima materia eſt illa quæ vocatur quintã eſſentia.Intelligas tamen, fili, quod quinta eſſentia eſt vnum; & materia augmentationis eſt aliud. Et quemadmodum ſupra dixi,incrementum metallorum non eſt ſicut incrementum corporis humani.Quanquam quinta eſſentia,quæ cauſat augmentationem metallorum,poteſt fieri medicina habilis ad corpora humana, ſicut etiam quinta eſſentia, quæ cauſat augmentationem corporis humani,poteſt etiam fieri medicina habilis ad corpora metallorum. Ideoq;, vt ſupra dictum eſt, quinta eſſentia eſt vnum, & augmentatio eſt aliud. Vides igitur qua ratione aqua noſtra vocatur prima materia, & ſperma metallorũ,videlicet quia ex ea omnia metalla generãtur.Ideoq; ea indiges in principio,medio & fine,quandoquidem omnis generationis eſt cauſa,eo quod per ſui congelationem, in omnes metallorum ſpecies conuertitur,nempe in primam materiam ſpecierum, vnde & ſperma metallorum, & aqua vitæ metallica vocatur,quia metallis ægris & mortuis vitam &ſanitatem præbet,coniungitq; matrimonio hominem rubeũ, cnm muliere candida, hoc eſt,Solem & Lunam. Vocatur etiam lac virginis: nam quandiu non coniungitur cum Sole & Luna, nec cum quouis alio, exceptis ſolummodo iis quæ ſui generis ſunt, tamdiu virgo vocari poteſt: ſed quando

coniungitur cum masculo, & femina, facitque cum eis matrimonium, tum non amplius erit virgo, quia adheret ijs & fit vnum cum illis quibus coniungitur, hoc est, cum Sole & Luna quos coniungit, coniungiturq; ad generationem, sed quamdiu virgo permanserit, vocatur lac virginis, aqua benedicta, & aqua vitæ multisque alijs nominibus. Et iam, fili mi, vt de Mercurio philosophorum aliquid tibi dicam, intellige, quod quãdo posuisti tuam aquam vitę ad hominem rubeum, qui est Magnesia nostra, & ad mulierem cãdidam, cui nomen Albifica, fuerintque omnes simul in vnum colligati, tum vere habes Mercurium philosophorum. Nam posteaquam in hũc modum coniungitur cum masculo & femina, tũc vocatur Mercurius philosophorũ, aqua vitæ philosophorum, sanguis hominis rubei, caro illius, corpus, & ossa illius. Intellige igitur quod multa sunt lactis genera, videlicet lac virginis, lac mulieris, atque etiam lac hominis. Etenim cum primum in vnum coniunguntur, factaque fuerit grauida ex conceptu: tum infans de lacte nutriri debet: tum autem intelligere poteris, quod hoc lac non est lac virginis, sed potius lac hominis, & mulieris, cum quo semper nutriẽdus erit, quousque robustior factus, fortiori cibo & pleniori educari possit. Cibus ille quem ego intelligo, est illius fermentatio, quæ præbet ei formam vt faciat opus virile. Nam quousque infans, hoc est, hic lapis noster informetur, & fermentetur cum suo simili, hoc est, cum sanguine viridis draconis, & rubeo sanguine rubei draconis, siue sit lapis albus, siue rubeus, nunquam faciet opus perfectum. Intellige igitur fili, quod aqua prima, est aqua illa rebar quod Deus fecit de natura, estque causa generationis vt supra dixi. cum vero post coniunctionem, quæ ex matrimonio fit, generãt aquam vitæ, & lac philosophorum, cum quo, siue cum quibus augmẽtabis & cibabis lapidem tuum in perpetuum.

Multo plura fili tibi possem dicere de hac prima materia; sed hæc tibi sufficiant; vt omissis verborum ambagibus, iam tandem diuina fauente clemẽtia ad ipsam practicam philosophi lapidis procedamus. Vide igitur fili mi, vt diligenter omnes has materias, (quæ cum tria sint, sunt tamen vnum sollummodo) in vitreo vase ponas, vbique quiete putrescere sinas: Tum demum pone alẽbicum super vas tuum, & per destilationem extrahe omnem aquã, quæ inde destillari potest.

Hoc

Hoc vero primum in balneo mariæ experieris. Dein vas in cineribus collocabis, faciesque ignem letum per horas duodecim. Tum exime materiam ex vase & tere bene per se, sine aqua prædicta: tũ repone in vase cum aqua & obtura beue vas; pone in balneo per tres dies, & tum destilla aquam vt supra in balneo, & erit materia magis nigra quã antea, hocque reiterabis tribus vicibus, & dein non amplius teres. Sed postea quoties destillaueris aquam, toties superfundes. Sed inter vnamquamque destillationem, dabis ei tantum ignem per sex horas vel amplius, quousque fiat mediocriter sicca. Tum iterum superfunde aquã, & iterum dissolue in balneo, sub alembico cæco. In singulis etiam destillationibus separabis flegma, proijciendo sex aut septem guttulas aquę in principio vniuscuiusque destillationis: Atque hoc ordine obseruato, fac vt bibat suam propriam aquam, quousque hauserit ex ea septies suum põdus quod habeat ab initio: Tum vero erit colore albo, tantoque albiore, quanto plus biberit de sua aqua. Hic est elixir albus.

Prçterea vero hęc aqua nostra, vocatur homogenea, multisque alijs nominibus. Intellige insuper, quod hæc aqua, & materia, generant tam lapidem rubeum quam album. Intellige etiamque quando hæc prima materia producitur ad cõpletam albedinem, tum finis vnius, est principium alterius, hoc est lapidis rubei, qui est Magnesia nostra rubea, & æs virginis, sicut in principio diximus. Fili fac vt hæc verba bene intelligas. Nostrum æs virginis est aurum nostrum. Non tamen dico quod omne æs sit aurum. Item æs nostrum est sulphur viuum nostrum. Sed omne sulphur viuum, non est sulphur viuũ nostrum. Item nostrum argẽtum viuum, est Mercurius: sed non dico, quod argentum viuum vulgare, sit argẽtum viuum nostrum: sed vt supra dixi, illa aqua vitæ, quæ est sperma nostrum, & prima materia, est Mercurius noster & noster spiritus vitæ, qui extrahitur ex illa benedicta terra Æthiopiæ, quæ vocatur Magnesia multisque alijs nominibus. Adhuc autem, fili mi, intellige, quod nõ est perfecta generatio sine corruptione: corruptio enim causat munditiem, & mundities corruptionẽ. Cõsidera igitur fili venenum nostrum tingens, quod tingit, & tingitur in perpetuum. Atque hoc est corpus nostrũ, anima nostra, & spiritus noster quãdo in vnũ coniunguntur, & fit ex eis res vna, quę cũ partibus suis

oritur, etiam ex re vna, præter quam non est aliud, nec erit vnquam. Quocirca, fili mi, ille non sapit omnino, qui credit aliam medicinam in argentum vel aurum conuerti posse. Quæ quidem medicina parum tibi profuerit ex semetipsa, nisi permisceatur cum corpore, nam tum perficiet opus suũ, iuxta formam suam ad quam nata est; nam nunquam nata est, vt ex se solummodo fiat corpus. Præterea autem intellige tantum esse discriminis inter primam materiam, quæ sperma metallorum vocatur, & medicinam, quanta est inter medicinam & aurum. Nam sperma nunquam erit medicina sine corpore, neque medicina erit metallum sine corpore. Est etiam multum discriminis inter elixir & medicinam, quemadmodum inter sperma masculinum & femininum, atq; etiam infantem, qui ex his in matrice generatur. Ecce iam videre potes quod sperma sit vnum, & infans aliud, quanquam vnum & idem sunt genere, res vna, operatio vna; vas denique vnum, quamuis diuersis nominibus vocetur. Ex viro enim & muliere nascitur infans, cum tamen vir sit vnum; & mulier aliud, quanquam vnum & idem sunt genere: quod quidem & in lapide nostro intelligere debes. Quod autem supra dixi corruptionem esse causam generationis & munditiei, verum est: Nam scire debes, quod omnis res in sua prima materia est corrupta & amara, quæ quidem corruptio & amaritudo, vocatur venenum tingens, quæ est causa vitæ in omnibus viuentibus, quod tibi satis manifestum erit, si rectâ ratione rerum naturas perpenderis. Considera bene, ô fili, quod quando Lucifer Angelus superbiæ in primis rebellauit cõtra Deũ & præuaricatus est mandatum altissimi, sis certus quod hoc illi corruptum, amarum, & acerbum factum est. Nec minus lapsus & præuaricatio primorum parentum nostrorum videlicet Adæ & Euæ, quando mors & condemnatio subsecuta est, factus est illis corruptio & amaritudo, similiter & nobis, in quibus eadem corruptio propagata est. Multo plura exẽpla his similia recitare possem si opus esset. Sed vt his omissis ad propriora accedamus, considera bene quod ex omnibus pretiosis fructibus ex terra nascentibus, prima illorum materia amara est, & acerba, veluti adhuc corruptionis ac putrefactionis præcedentis aliquod vestigium retinens, quæ tum amaritudo, mediante cõtinua actione caloris naturalis, vertitur in dulcedinem cum virtute magna. Iam itaque fili, si ingenio-

geniosus fueris, hæc pauca tibi sufficiant, quo multa plura peruestigare possis, & percipere intellectum meum. Considera ergo bene fili, quod iuxta prouerbium antiquum, Dulcia non meruit, qui non gustauit amara. Iam vero vt de ære nostro aliquid dicamus vltra, intellige, quod æs significat permanentiam, aut aquam permanentem. Quid vero vlterius in natura æris nomini considerandum sit, ex nomine eius Tetagrammato, hoc est, quadrilitero, facile percipies ex æris vocabulo seu nomine anglico quatuor his literis, nempe B, R. A, S. hoc est, *bras*, quod nomen Latine æs significat. Imprimis itaque per B. significatur primum corpus operis nostri, quod est dulcis & amara oliua nostra, & æs nostrum permanens in forma sua. Per R. vero significatur radix operis nomini, & scaturigo humoris radicalis permanentis, qui est tinctura nostra rubea & rosa rubea, quæ purificat, & purificat omnia in genere suo. A. vero significat patrē nostrum Adam, qui erat primus homo, ex quo prima mulier Eua nata est; vnde intelligere potes, quod ibi sit masculus & femina. Cognosce igitur quod ęs nostrū ęst principium operis nostri, aurum nostrum, & oliua nostra, nam ęst prima materia metallorum quemadmodum & homo est primus hominis & mulieris. S. vero significat animam vitæ nostræ, & spiritū vitæ, quem inspirauit Deus in Adam & in omnibus creaturis: qui quidem spiritus vocatur quinta essentia. Porro etiā, fili mi, per has 4. literas intelligimus 4. elementa, sine quibus nihil generatur in rerum natura. Significant etiam Solem & Lunā, quæ sunt causa omnis vitæ, germinationis & augmenti omnium rerū in mundo nascentium. In hoc itaq; 4. literarum nomine cōsistit totum opus nostrum. Nam in ære nostro est masculus & femina, ex quibus oritur ille qui dicitur genitus, Animaduerte igitur bene fili, quid significatur per æs nostrū dulce, quid vocatur Sandiuer nostrum, siue sal nitri nostri, quid etiam sanguine draconis, quid Sol & Luna, Mercurius noster, & aqua vitæ nostra, & cætera multa, de quibus Philosophi, obscure & sub ænigmate locuti sunt. Intellige ergo fili, quod prima materia nostra, est neque aurum neque argentum commune, neq; ęst ex corrosiuis, aut huiusmodi rebus extraneis, quib. hodię vtuntur deuiatores in tenebris palpitantes. Caue igitur fili, ne vllo modo admittas aliquid contrariū in genere, nā certus esto, quod seminauerit homo, hoc & metet.

Præterea autem intellige, quod quando lapis noster completus est in suo proprio genere, tum erit lapis durus, qui nō facile dissoluetur, veruntamen si vxorem suam sibi addideris, soluetur in oleum, quod vocatur oleum philosophorum, oleum incombustibile, & multis aliis nominibus. Intellige ergo fili, quod diuersæ sunt fermentationes, tam corporales quam spirituales, videlicet corporales in quantitate, & spirituales in qualitate. Corporalis fermentatio, auget pondus, & quantitatem medicinæ, non est tamen tantæ potentiæ, vt est ipsa medicina, vt est fermentatio spiritualis, solummodo enim auget medicinam in quantitate, sed non in virtute. Sed fermentatio spiritualis auget in vtroq;. Et vbi corporalis dominatur super centum, spiritualis super mille. Insuper autem quamdiu medicina fermentatur spiritualibus qualitatibus, tamdiu vocatur medicina. Cum vero fermentatur cum corporali substantia vocatur elixir. Est itaq; diuersus fermentandi modus & discrimen inter medicinam & elixir; nam vnum est spirituale, aliud vero corporale. Intellige etiā quod quādiu fuerit fermentum spirituale, est oleum liquidum, & gumma, quę non potest commode circumferri de loco ad locum. Cum vero fuerit corporale, tum erit lapis, quē possis in crumena circumferre. Iam itaq; vides, quod sit discrimen inter medicinam & elixir. Nec minus discriminis est inter elixir & aurum & argentum, nam aurum & argentum sunt difficilis fusionis, sed elixir non item, nam facile fluit ad flammam lucernæ; vnde facile percipies quàm sint variæ nostræ compositionis, & temperamenti differentiæ. Postremo vero, vt de eorum cibo & potu aliquid dicamus, intellige quod cibus eorū est de lapidibus aereis, & potus eorum extrahitur ex duobus corporibus perfectis, nempe ex Sole & Luna. Potus vero qui extrahitur ex Sole, vocatur aurum potabile, qui vero ex Luna dicitur lac virginis. Iam fili satis aperto sermone te allocuti sumus, si gratia diuina tibi non defuerit, nam potus qui ex Sole extrahitur rubeus est, qui vero ex Luna albus, ideoq; vnum vocatur aurum potabile: alterum vero lac virginis: vnū etiam est masculinum, & aliud femininum: tametsi vtrumq; ex vna imagine, vnoq; genere originem ducit. Cogita fili de verbis meis: alioqui si in tenebris oberraueris, malum tibi eueniet ex luminis defectu. Vide ergo fili, vt diligens sis in rotæ philosophicæ giratione, vt facias aquam ex terra, aerem ex a-

ex aqua,ignem ex aere, & terram ex igne: atque hæc omnia ex vna imagine & radice,hoc eſt,ex ſuo proprio genere &pabulo naturali, quo foueatur vita illius ſine fine. Qui habet intellectum,intelligat.

QVADRIGÆ AVRIFERÆ
QVARTA ET VLTIMA ROTA.

Scriptum probi, & non male docti viri, cuius nomen excidit, elixir Solis Theophraſti Paracelſi tractans.

Reſolue aurum cum tota ſubſtantia per corroſiuum, tantiſper donec ſeſe vniat cum corrroſiuo. Neque abhorreat animus ab iſta tractandi ratione:auro enim,ſi modo aurum eſt,corroſiuum præſtat, ac ſine corroſiuo aurũ mortuum eſt. Iam ſequitur, vt reſolutio iſta per putrefactionem iterum remoueatur, licet ſane corroſiuum non facile ſemoueri poterit: nam ſiquidem auro naturaliter inſitũ eſt, vt corpus humanum conſeruare, ac ab omni ægritudine curare debeat,neque id corrumpi ſinat,quanto magis hoc ſibi met ipſi præſtabit,idq; citra omnem infectionem ſui.Aurum enim corrigit atq;emendat quicqnid non eſt ſincerum.Corroſiuum itaq; in auro, nullo pacto corroſiuum appellari debet.Eius enim arcani vis,atq; virtus ſuperat omne venenum. Siquidem omne Realgar in elixire auri mori cogitur,atq; in præſtantiſſimam necnon excellentiſſimam abit medicinam, tincturamque. Ad hunc modum etiam aurum potabile præparatur poſt putrefactionem. Hæc Paracelſus ad literam.

Sequitur breuis probatio ex opere meo, poſſe fieri prædictum elixir atque tincturam.

Primo enim accipio debitam materiam,quam etiam auctor ipſe nominat,nimirum aurum, hanc ſoluo per corroſiuum,quod ideo hoc in loco,(quamquã alias infinita habeat nomina)auctori ſic nominare placuit,quod quaten⁹ in forma ſua ſpecifica manet,metalla penitus corrodat, atq; ſpoliet, vnde & inimicũ & ſpoliatorem alibi nominat; non ſecus,vt gluten,propter æquale coniunctionis proportionẽ, hanc

hanc materiam siue aurum nō solum cum tota sua substantia soluo, sed & tali ad solutionē hanc vtor corrosiuo, quod sese,(prout auctor hic vult)cum auro vnire atq; conglutinare potest. Nihil autem huic vniri, & conglutinari posse, nisi quod eiusdem est naturæ constat: natura enim gaudet natura. ast metalla de natura mineralium esse scimus,itaq; & hoc corrosiuum,siquidem aurum cum eo vniendum est,de natura mineralium esse oportebit. Mineralia enim multo plures & meliores in se continent spiritus quam metalla,& hi sunt qui adiuuant additiones, gradationes atq; fixionem. continent enim in se tincturas, atque colores,vt inquiunt philosophi. Iam si consideramus in venis terræ, vbi aurum nascitur, quibus inimicis siue corrosiuis mineralia (quoad superfluitatem siue inæqualem proportionem)sint circundata,inueniemus præcipue spiritus sulphuris, salis & Mercurii. De his itaque accipiendum & separandum est subtilius,siue gluten, hoc est, id quod est naturæ auri, quodque auro vniri & conglutinari, atque idipsum in pondere colore ac fusibilitate multiplicare possit,seque ita cum illo vniat conglutinetq; vt fiat cum ipso vna substantia,vna forma, & per consequens vnum indiuiduum inseparabile. In meo autem opere mediū tale habeo,quod se coniungit ita cum auro,sic vt fiat cum ipso vna substantia & forma, multiplicans illud in pondere, tum etiam augmentans idem in colore, vt apparet quando aurum sublime in cristallos summe rubicundos; quibus nec fusibilitas deest, vt experientia demonstrat, fluunt enim, etiam ad candelam. Cum itaq; medium meum ita se cum auro vniat, aurumq; illud tam arcte & amicabiliter amplectatur, vt vere, iuxta philosophos, natura recipiat in se, à natura quod suę est naturę:non dubito affirmare,me iuxta mentem Theoph. in hoc opere meo vero vti corrosiuo, præsertim cū corrosiuum illud,ita appropriatum esse debeat, vt auro non sit inutile,meum vero hoc medium illi sit vtilissimum, siquidem illud,vt modo dictum,reddit in colore altius gradatum quod vult Bernardus;dein etiam ponderosius,vt Theoph.de specifico corrosiuo vult,vbi inquit,quod aquæ fortes metalla hoc pacto duntaxat soluant, vt illis in pondere nihil decedat,at in meo opere,per meū corrosiuū,auro in pōdere non solū nihil decedit,sed potius accedit.Sēper enim habeo meū aurum post sublimationem crystallinā in pōdere duplo ponderc-

derosius. Asserit etiam Theoph. sine corrosiuo aurum esse mortuum, corrosiuo autem vnitũ illum viuere, hoc in meo opere pariformiter fieri cõstat: Nã quis negabit illa viuere, quibus vitalis inest spiritus? At in sæpius nominato hoc meo opere, quoniam aurum spiritum illum ex corrosiuo tãtopere ad se attrahit, vt illo prę innumeris solo gaudere videatur, atque ideo & quasi hoc solo solui ac copulari velit; per vitam autem omnia metalla solui constet, nec alia solutio corporum (testãtibus philosophis) fieri potest quã per vitam: quis iam non videat, aurum hoc vnitum spiritu viuere? siquidem sine corrosiuo aurum mortuum esse auctor expresse fatetur. confirmat idem auri cum spiritu hoc mirabilis illa quæ fit in igne sublimatio. Cum itaque omnes vno ore conclamitent philosophi: Soluite corpora, fac fixum volatile: atque ego hucusque in meo opere (Dei gratia) peruenerim; restat duntaxat, vt coagulemus iam spiritus, siue volatile faciamus fixum: illud autem hoc in loco, per putrefactionem fieri debere auctor ostendit: nam corruptio vnius est generatio alterius. Videtur autem Theoph. annuere quasi corrosiuum per putrefactionem penitus remoueri debeat. Verum si mẽs auctoris penitus introspiciatur, plane diuersum sentit, quod apparet ex his verbis: Licet, vel quamuis corrosiuum non facile se moueri poterit, &c. vult quidem fieri separationem, sed tamen talem, vt id quod separari non potest, nec debet, sed cum auro vniri, illudque in pondere, atque colore augmentare debet, minime remoueatur. Imprimis vero quod corrosiuum non penitus remoueri debeat, probatur ex prædicta vnione, quæ frustranea foret, si remotio necessario requireretur, tum etiam ex allegato in textu exemplo, vbi dicit, Auro naturaliter est insitum, vt innata vi humanum corpus conseruet, ac ab omnibus morbis curet, atque præseruet. Si hoc alteri potest præstare, certe multo magis idem præstabit sibimetipsi, seque à corrosiuo illo tuebitur. Ad hæc affirmat corrosiuum hoc, nullatenus in auro nominandum esse corrosiuum, idque confirmat ratione, quod omne Realgar (sic & corrosiuum) in Elixir auri mori cogatur, quo mortuo, hoc est, annihilato, noua fiet generatio, præstantissima videlicet, nec non excellentissima medicina atque tinctura. hoc consentit etiam cum aliis philosophis qui vno ore omnes, tum demum medicinam atque tincturam perfectam agnoscant,

quan-

quando ad suam peruenit dulcedinē, prout poma non prius esui sunt apta, quam vbi ad suam perfectam peruenere maturitatem atque dulcedinem. Per putrefactionem autem quam auctor in hoc opere præcipue requirit, multa amara, siue corrosiua dulcia, multa denique venena præstantissimas fieri medicinas constat. Quod autem & vnum hoc opus ad iustam atque perfectam suam sit peruenturum dulcedinem, conuincor ipsa experiētia, quippe quod hanc iam (licet nōdum perfectam) sub manibus habui, nisi fata inimica bonis, atque Mars impius, tam nobile bonum mihi inuidissent. Quare vbi iam (Deo benigne gratiam suam largiente) iterum semel in opere isto, ad prædictam hanc dulcedinem peruenero, eademque meliore fato, ad debitam atque exquisitam suam perfectionem adduxero, certo certior sum, me verum habiturum Elixir solis Theoph. hoc est, præstantissimam, necnon excellentissimam medicinam. Atque hic, vt paulo prius memoratum testes adduco omnes veros philosophos. Nec hic scrupulum mihi facit quorundam pertinax opinio, qui non concedere volunt, vllam medicinam intra corpus humanum assumendam, per corrosiuum præparari debere. Recte quidem opinantur, ignorant enim separationem, illudque quod separari minime potest, nec debet: sed cum auro vniri: idemque in pondere atque colore augmentare debet, in suam latentem atque innatam nesciunt adducere dulcedinem. Si hoc scirent, non vsque adeo reformidarent corrosiuum, neque ipsorum animus tantopere ab ista tractandi ratione abhorreret. Siquidem auro, quatenus aurum est, corrosiuo præstat: ac sine corrosiuo aurum mortuum est. quin imo potius faterentur cum Theoph. aurum potabile, atque Elixir solis, si cum suo debito corrosiuo, debito suo modo præparentur, vtiles & salutares humano corpori esse medicinas. Ambo enim iuxta mentem Theoph. vno eodemque modo fiunt post putrefactionem. Itaque & verum aurum potabile, nisi exquisitæ dulcedinis fuerit, potius pro auro mortali haberi debet. Habita prædicta hac & ad perfectionem suam adducta dulcedine (qua Deo volente nihil certius, cum eadem non solum in auro, & argento, corallis atque perlis degustarim, quæ singula suas latentes dulcedines mihi, mediante meo corrosiuo manifestarunt) profecto & sua qualiscunque sane etiam tinctura quam auctor

hic


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

COELVM PHILOSOPHORVM.

Transierunt in siccum flumina.

ARIES LEO SAGITTARIVS.
Ignea cholerica Meridionalis.
Attractiua æstas.

In Sole posuit tabernaculum. Sit nomen eius benedictum.

Luna in sanguinem. Sol versus in tenebras.

TAVRVS VIRGO CAPRICORNVS.
Terra Melancholica Occidentalis.
Retentiuus Autumnus.

MERIDIES.

OCCIDENS.

Altitudo lapidis in qualitate ignea splendens plusquam perfectum ex quinta essentia & finis practicæ ac speculatiuæ. Sol tenet ignem. *Quemadmodum Christus vt testatur scriptura in sanctum ventrem descendit Mariæ de suo alto throno pro nostra redemptione: sic hic noster lapis descendit de suo statu in ventrem virginis Mercurialis, vt fratres suos liberet à spurcitie originali.*

Principium aut occidens latitudo nostri lapidis & introitus in practicam pallidus & terreus est in qualitate. Saturnus tenet terram. *Quemadmodum Christus suam Deitatem abscondit à nostro visu quando nostram naturam in se recepit: sic etiam Sol noster suos radios luminis pro tempore hic reliquit, sub alis suæ coniugis Lunæ suam gloriam abscondit, & corporaliter moritur, vt possit suam speciem multiplicare.*

Sphæra 8. Tenebrosa profunditas lapidis in Septentrione purgatorium. Imperfectus aqueus in qualitate, variabilis in colore, Eclipsis Solis. Mercurius tenet aquam. *Quemadmodum Christus Saluator noster erat sepultus post suam passionem & mortem in arbore, & postea corpus fuit glorificatum surrexit indutus immortalitate: sic noster lapis hic sepultus, post pœnas mortis surrexit à tenebris & coloribus variis apparens in Oriente claritate incomparabili.*

Latitudo Orientalis lapidis & introitus in speculatiuam aerius. Luna plena. Iupiter tenet aerem. *Quemadmodum Christus à terra in cœlos ascendit in nubibus sursum in thronum suæ gloriæ, & regnat ibi luces sine fine: sic etiam Sol noster iam factus noster lapis, rursus abiit in suam gloriam, possidens hic suum ignem in meridie, qui potest sanare leprosos & iuuentutem renouare.*

Sphæra 7. *Hic mas rubeus cum sua alba coniuge est desponsatus spiritu vitæ. In purgatorium hic gradiuntur vt purgentur pœnis & doloribus. Hic omnibus pœnis absoluuntur suis lucentes clarius crystallo. A paradiso exeunt habitatum lucentes clarius quam ipse Sol.*

Sphæra Solis. *Melior lapis omni lapide qui magis est decoctus à Sole & igni, dicitur proximus qui plus cæteris sustinet ignem, & tardius frangitur ab eo, & qui maioris fuerit ponderis, vnde inter metalla magis pro lapide Aurum.*

Sphæra Lunæ. *Quæ est tinctura Albedinis fulgidi splendoris, mater lapidis portans ipsum in ventre suo. Adiuua solutionem cum ea, & congelationem cum Sole, qui continent in se virtutes ductibilium omnium, & omne metallum tingunt.*

Sphæra Veneris *Dea amoris, quæ est medium coniungendi tincturam inter Solem & Lunam. & corpus facilis conuersionis vtriusque, & ideo pone in opere pro imperfectis corporibus, & dicitur Leo viridis.*

Sphæra 3. *Qui est spiritus summe aureus, non differens ab auro, nisi in hoc quod aurum sit fixum, ipse vero infixus cuius manifestum dicitur frigidum & humidum, occultum vero igneum.*

Sphæra 2.

Sphæra 1. *Aer* *Ignis* *Aqua* *Terra.*

CENTRVM.

Cælum hæc figura vocatur.

GEMINI AQVARIVS LIBRA.
Sanguinaria & masculina & Orientalia.
Digestiuum ver.

ORIENS.

Produxit aquam ex terra, oleum ex durissima rupe.

Index est nostræ infimæ astronomiæ, qua intellecta non potes errare, quin facias nostram medicinam perfecte. Hinc igitur diligenter incumbas, ac noctu & interdiu ora pro te & pro tuo auctore.

CANCER SCORPIO PISCES.
Aquea flegmatica Australia aut Septentrionalia.
Expulsiua virtus.

SEPTENTRIO.

Sol patitur Eclipsim. Luna non lucebit noctu.

hic optimo iure pollicetur, multò minus deesse poterit. Quippe concordant cum Theoph. & hoc in loco omnes veri philosophi, qui alterum sine altero perfectum non agnoscunt, atque vt breuitatis causa alios prætercam, vnica, vnius comitis Treuisani sufficiat hic auctoritas, qui affirmat aurum pro se sufficientes duntaxat possidere diuitias, verum si ad plusquam perfectionem suam adducatur, tum demum ad reliquorum corporum tincturam aptum esse.

His itaque atque aliis rationibus adductus, tum quod & in ipsomet opere singulæ tam apprime cum ipsa auctoris descriptione concordare, tum quod nec signa alia, imprimis vero nigredinem atque rubedinem tanquam colores principales, quos communiter etiam requirunt Philosophi, in operatione mihi deesse videam, nullatenus dubito, in spe, atq; silentio, D. Opt. Max. felicem laboris huius exitum commendando, me breui, volente Deo, prædictum Elixir, atque tincturam Solis, ad suam perfectionem, finemque debitum deducturum esse. Quod ad nominis sui diuini gloriam, & proximi nostri commodum, felicissime contingere dignetur is, à quo solo dependet omnis perfecta scientia. Cui laus & honor in secula seculorum, Amen.

** *Hic inseratur tabula de calo Philosophorum.*

PRO-

PROCESSVS.

Fiat vna res, vel substantia vna ex duabus, tamen primò mixta & composita tali modo, quod pars minima vnius, coniungatur cum minima alterius, sine separatione in aeternum tandem iunctum figatur, & soluatur iterum, totiesque donec inde prodeat Medicina ductilis, fusilis, densa, rara, leuis, & ponderosa, quae super ignem posita fundatur instar metalli ante fugam Mercurii, ipsique & metallis omnibus per minimas partes adhaereat, penetrando tali modo, ac si esset de propria ipsorum substantia, quae nunquam ab ipsis diuelli possit, postquam vnum facta sunt. Conuertet autem haec omnia, quibus cum symbolum habet ad propriam naturam; quanto autem fortior praecedet mixtio, eo etiam vberior sequetur transmutatio, quandoquidem haec, ab illa dependet, eamque sequitur, veluti causa suum effectum. Danda igitur opera vt ea sequatur, quod vix fiet absq; sublimatione, cum ipsa sit medium, veluti transitus quidam causans talem coniunctionem. Sublimatum autem necesse est ita diu coquere, donec figatur, & in igne perseueret. Hoc autem non fiet prima vice; sed oportet fixum iterum soluere, iterumq; coquere, donec ei sufficiat sua fusionis complementum, ad penetrandum metallum, & ipsum inficiendum, quod in quarta solutione, & coagulatione solet plerumq; accidere, cuius complementum septenarius est numerus.

Capiatur igitur sublimatus Mercurius physicus, eique aptetur vas eiusmodi, siue vitreum, siue terreum compactum, quod possit igni resistere, in quo coquantur duae, vel tres vnciae, eousque igne continuo, donec Mercurius metallificetur, & vasi totus adhaereat. Hocque praestat reiterare cum nouo Mercurio postquam prior adhaeserit, vsquequo & hic adhaereat, & donec totum in Marteck conuertatur. Quod cum factum fuerit, detur ei ignis per quatuor aut quinque dies, fortior tamen aliquantulum quam antea; donec totum adhaerens descendat ad vnum vasis instar stanni aut plumbi massae, quod est as, & plumbum philosophorum, quo genito nihil aliud est quam opus mulierum, & ludus puerorum. Accipe igitur ipsum, & sordes puluerulentas eius, si quas habet, abiice; ipsumque in residuum Mercurii dissolue, quinque in sex, aut octo, aut decem partibus, illud iterum vasi apto impone, & coque

coque, vt antea fecisti, exemtumque proba num penetret, cum sufficienti fusione: sin autem: reitera solutionem, & coctionem eius donec hoc assequaris. & habebis, vt dicunt philosophi, ouum eorum, inque eorum secretis versaberis.

Superest, Suauissime Domine Patruelis, vt toto corde totisq; viribus Summum illum Deum supplices conueniamus, quo sancto spiritu suo nos ducat, per Iesum Christum *Filium eius vnigenitum Dominum nostrum verum Lapidem angularem, nosq; doceat sacra hac mysteria intelligere, & si ad sui gloriam, & salutem nostram facere videbuntur, operari & perficere. Is nunquam patietur quemquam aberrare, qui ad ipsum oculos sursum erigat. Hac itaque, ad sui gloriam, Ecclesiæ subsidium, & Regis nostri Christianissimi obsequiū (si ex animo succedant) vt impendantur, euulgata à me, tibique consanguinitatis ergo dicata vt credas, etiam atque etiam oro; non autem vt te molliter cures, genioue indulgeas: Etenim Qui est, Qui fuit, & futurus est Omnipotens, huic debitas pœnas, & optatissima persoluet illi præmia: Quoniam Deus mores piorum diligit: at turpiter qui vitam agit cruciatibus hunc sempiternis afficit. Bene, diù, & feliciter vale, vrbis nostræ alterum ornamentum, & familiæ nostræ decus, viueque nostri, & consanguineorum nostrorum perpetuo memor Nestoreos annos. Gouda è museolo nostro prima Ianuarij 1601.*

Tui deditissimus consobrinus

NICOLAVS BARNAVDVS.

PHILOSOPHIS GALLIS OMNIBVS NICOLAVS BARNAVDVS, A CRISTA Arnaudi Delphinas Gallus Medicus.

S. P. D.

ETSI vos omnes in epistola, qua regium Vicesenescallum D. Barnaudum Patruelem meum, omni obseruantia colendum, allocutus fuerim, & ea quæ ad diuinam hanc philosophiam facere videbantur, quantum licuit, & in me fuit, paucis dixerim, placet nihilominus hisce paucioribus denuo vos salutare, & in amoris & obseruantiæ symbolū perpetuum, vobis Philosophicū propinare poculum, nō sine

numine à me excogitatum, hoc, vt ad Dei gloriam, Christi Ecclesiæ subsidium, & Christianissimi Regis HENRICI Magni obsequium, (qua lege vobis hæc omnia trado) philosophice parare, haurire, deglutire & in chylum & sanguinem vertere tandem possitis, Deum Opt. Max. etiam atque etiam oro. Bene & feliciter valete, meique memores quam diutissime viuite. Goudæ è musæolo nostro chemico prima die Ianuarij, ann. 1601.

Philosophicum poculum Nicolai Barnaudi.

a. m. a. r.
i. t. u.
d. i. n.
i. s.
p.
o. c. u.
l. u. m.

Interpretatio literarum Poculi Philosophici.

A. amore. m. mulieris. a. ardens. r. ruffus. i. iuuenis. t. transfigitur. u. venas. d. disrumpit. i. irascitur. n. nigrescit. i. inalbatur. s. sanguinem. p. postremo. o. ostendit. c. clarum. u. vnctuosum. l. lapidem. u. vniuersalem. m. medicinam.

AVRIGA CHEMICVS,

SIVE

THEOSOPHIÆ PALMARIVM,

A Philosopho antiquo anonymo in chemicis versatissimo compositum.

LAVS omnipotenti Deo, Thesaurus suæ sapientiæ nobis reseratus, eiusque bonitatis fauore hoc opus tam immensæ molis imbecillitati naturæ impartitum, valido animo & roboratis viribus de suæ benignitatis largitate confici, hunc librum ad honorem diuinæ sapientiæ intitulamus Theosophiæ Palmarium, quem componere aggredimur: in quo intendimus veram & rectam expositionem facere librorum quorundam sapientum antiquorum, qui de occulta Dei sapientia secretorum naturæ perfectionem, veritatis

tatis diuinæ ſubſidio, & eorum laboribus aſſecuti ſunt: eamq; prout viſum fuit eis eſſe decens, in ipſis libris poſteris reliquerunt: ſub tali tamen verborum ænigmate, vt nec indignis, vel inſipientibus pateſiat, nec à dignis doctrinæ filijs occultetur. In horum autem expoſitione diuino moderamine regulari confidimus, & metas licitas non excedemus, & debitas ſecundum conuenientiam attingemus. Sed ne ad immenſum noſtri huius operis volumen extendatur, non omnium librorũ, quos, qui dictam ſcientiam per diuerſos calles aſſecuti ſunt, compoſuerunt, expoſitionem aſſumere intendimus, quamvis & multis ſemitis ad vnum intentum poſſit accedi. Sed antiquorum iſtorum ſolum ſcripta exponẽdo proſequemur, quibus præcipue ac familiarius a diuinæ largifluentiæ manu hæc videtur fuiſſe collata & patefacta ſciencia, quique concordes fuere in opere & compoſitione noſtri elixiris ſeu veneni penetrantis, tingentis & perficientis corpora; quod de noſtra Magneſia, noſtraque aqua permanente, ac noſtro fermento, ſeu ære noſtro componitur. Quod opus propter ſui bonitatem, & operandi virtutem, & vnitatem, ac tincturæ, & alterationis invariabilitatem, ipſi philoſophi ſibi ipſis inter cætera opera vt proprium elegerunt, & ſuas figurationes ſuper eo poſuerunt, & in diuerſis ſermonibus de eo locuti ſunt, occulta ſignificatione tamen, in hoc concordes extiterunt. Quorum primi ante diluuium fuerunt Seth, filijque eius, & Scolici eorum ſectatores. Poſt diluuium vero Hermes triſmegiſtus Philoſophorum caput, deinde Moſes, & Maria ſoror: poſt hos Rex Hercules, Stephanus Aſtanus, Belinus, Salomon, Democritus & Roſinus: Deinde alij, ex quorum dictis compoſitus eſt liber turbæ, vt Pythagoras, Socrates, Plato, Zenon & alij; quorum dicta in ipſo libro turbæ deſcripta ſunt: poſtmodum vero plures alij eorum ſequaces fuerũt, qui libros in hac via operis deſcripſerunt: vel de ipſa in aliqua parte ſuorũ librorũ memorati ſunt, vt Morienus, Rex Calid. Miruendus, Alfidius Alexãder, Raſis, Auicenna, Virgilius, Ceber & quidam alij, quorũ dicta ad perfectã expoſitioné & probationẽ eorũ, quæ in hoc libro narrabimus, prout oportunũ fuerit, ꝓ veritatis teſtimonio adducemus. Et nos quidẽ inanẽ reſpuentes iactantiã, nõ negamus quin ſicut & nos, ſic & alij ſani & ſubtilis intellectus, abſq; huius libri ſuffragio per libros prædictorum philoſophorum poſſint perfectionis inten-

tionem percipere atque attingere. si tamen perseueranter & constanter in lectionis reiteratione & experientiarum frequentatione perstiterint, & eis copia operandi suppetat, & hoc à Deo non fuerit eis denegatum: Nam & nos nihil aliud in huius libelli serie describimus, nisi quod ab illorum philosophorum fonte sapientiæ emanauit. Itaque optamus, vt scientia per hunc nostrum laborem, & veritas sapientiæ antiquorum, quibus appropriatæ sunt scientiæ, virtutes, ab ignorantium & detrahentium telis incorrupta seruetur, & eius sectatores, scilicet veriores fiant cum diuino adiutorio: quoniam si Deo ingrati non fuerint, & hanc expositionem quam facimus ratione intellexerint, & perseuerantes in opere fuerint, ad huius veritatis fructum pertingere poterunt. Ordinabimus autem hunc librum per breues propositiones in textu, & cuilibet propositioni commentum adijciemus sufficiens, sensum philosophorum prædictorum auctoritatibus roborando, nec non de nostro munusculo scientiæ adiungentes quæ nobis oportuna videbuntur. huius vero libri titulum facimus Theosophiæ Palmarium, eo quo auctoris nomen quodammodo refert, & Dei sapientiæ nobis exponit Arcanum. Dignum autem putamus nostrum libellum ordiri hoc contextu, vt primum de nostro Elixire agamus, vtrum ex vno sit aut pluribus. Secundo de materia ipsius Elixir componentium. Tertio de modo & regimine componendi & perficiendi ipsum. Quarto de vtilitate & fructu ipsius tam in metallis, quam in hominibus. Itaque Deo laudes reddentes & eius auxilium rogantes primam propositionem subnectemus, quæ talis est.

PROPOSITIO PRIMA.

Elixix Philosophorum inuariabili tinctura corpora tingens, & verissime per omnia perficiens, ex vna re sola constare.

HÆc Propositio prima proba videtur per dicta plurium philosophorum, præcipue eorum, qui in libro Turbæ citantur, inter quos Eximenus sermone nono: Scitote (ait) omnes peritæ mentis, quod nulla fit tinctura verax, nisi ex ære nostro: nolite igitur animas & pecunias vestras destruere. Parmenides in turba sermone 11. sciatis quod

inuidi

inuidi multipliciter tractauerunt de pluribus aquis & brodijs, corporibus, lapidibus, & metallis: sed dimittite hæc, & aurum, nummos: nummosque aurum fieri facite, pro hoc nostro ære. Lucas, serm. 12. eo quod vna res facit quod plures operantur, pluribus rebus non indigens, nisi vna re; & illa vna res in vno quoque gradu operum nostrorum in aliam vertitur naturam. Ictis, ser. 15. Scitote huius artis inuestigatores fortius & sublimius apud philosophos, est apud insipientes omniũ rerum vilius, quod nos veneramur. Bonellus in turba serm. 36. Scitote huius scientiæ omnes inuestigatores, quod totum opus & regimen non fit nisi aqua.

PROP. II.

Contrà scilicet, hoc Elixir non ex vna tantum simplici re constare, sed potius esse compositum.

Hæc propositio, primæ contraria videtur: Sed huius & aliarum aliquot sequentium ad octauam propositionem referemus; interea dicta sapientũ adferemus. Bonellus ser. 36. supra proxime citato dicit, vocauerunt autem inuidi hanc compositionem, cum in nigredinem versa est, satis nigram. Rosinus quęst. 48. Nullus enim lapis in arte generatur, nisi hic, quem philosophi ex suis rebus composuerunt. Idem quęst. 2: Nisi duobus tenuissimis continens, fuerit aliquid, quod placabilia faciat, pereunt & ignem fugiunt.

PROP. III.

Sequitur autem Elixir nostrum ex duobus, ad minus constare, cum ipsum compositum esse, prius dictum sit.

Hæc propositio tertia, cum sequentibus ad sextam vsque quod contraria videatur primæ, conciliabitur in commenmento octavæ paulo post. Nunc dicta philosophorum prodeant quæ hanc confirment. Aristeus in turba serm. 10 Accipite corpus quod vobis demonstraui, & in tabulas tenues coaptate: & nostræ aquæ imponite, quæ est aqua permanens postquam regitur. Diomedes. serm. 29. Coniungite igitur masculum serui rubei filium suæ odoriferæ vxori. Zonon ser. 35. hoc aperte videtur monstrare, dicens. Significo vobis quod ars duabus naturis indiget. non enim pretiosum absq, vili: neque vile absque pretioso. Zenon serm. 26. Tunc est Elixir ex humido & sicco compositum.

PROP. IV.

Amplius autem ex tribus Yxia constare videtur.

Parmenides ser. 5. Ideo multiplex superfluum dimittite, & argentum viuum accipite, & in magnesiæ corpore cōgelate, vel in teambar vel in sulphure, quod non comburitur, quæ tamen tria, idem sunt, & facite ipsam naturam albam, & æs nostrum imponite.

PROP. V.

Ex quatuor potius Elixir esse compositum.

Menaldus in turb. ser. 25. Scitote quod hoc æs, quod vobis iussi regere, est ista quatuor corpora. Dardaris serm. 43. Sulphura sunt animæ, quæ in quatuor fuerunt occulta corporibus; quæ extincta se inuicem continuerunt naturaliter & tinxerunt.

PROP. VI.

Etiam ex pluribus & multis Yxir constare.

Zenon ser. 26. hoc autem venenum est quasi natiuitas & vita; eo quod est anima, & multis extracta rebus & nummis imposita. Bonellus serm. 49. Notandum quod aqua munda quæ ex sulphure est, non ex solo sulphure, verum ex pluribus composita rebus, quæ vnum sulphur facta sunt ex pluribus sulphuribus.

PROP. VII.

Denique huius Yxir compositio ex omnibus fieri videtur.

Aristeus in ser. 51. Accipite argentum viuum ex æris flore, quod & æris nostri aquam nuncupauerunt, & igneum venenum ex omnibus extractum. & paulo post. & scitote omnes huius artis inuestigatores quod omne corpus dissoluitur cū spiritu cui mixtum est; & quod omnes spiritus à corporibus alterantur.

PROP. IIX.

Prædictorum dissonantia ad consonantiam reductio, eorumque recta determinatio, per quam concluditur, nostrum Elixir tingens ex pluribus aut plurium constare compositione.

Ad hanc propositionem probandam, cum consonantia aliarum præcedentium dicimus nostrum Yxir non ex vno solum, sed ex plurium compositione constare, quoniam ante istorum compositionem diuersa sunt specie, & diuersis vo-

cam-

cantur nominibus: sed postquam commixta sunt per suum regimen ita vniuntur ad inuicem, quod vna fiunt substantia noua, & vno nomine nuncupata: sicut in cæteris rebus compositis est dare exemplar. nam cum aliquod antidotum arte perficitur, ex diuersis herbis, gummis, liquoribus & pluribus alijs speciebus, quæ per se singula diuersis & proprijs nominibus nuncupantur, confectione completa resultat quædam noua species a suis componentibus varia, quæ vno nouo nomine nuncupatur. Similiter ex aqua, & commixtione farinæ, panis componitur; sed panis vocatur. idipsum in domus ædificatione cernitur, quæ lapidibus, calce, lignis, lateribus & eorum constat; sed vno tantum nomine dicitur Domus. & ita de pluribus dari potest exemplum: ita & philosophi in nostro opere compositionem ex qua procedit nostrũ yxir, licet eam ex pluribus fecerint vno tantum singulari nouo nomine, Magnesiam vocarunt eo quod magna est res, in qua maximum arcanum. Astanus. ser. 42. Philosophi cum res parauerint, ac coniuges se coadamantes coniunxerint, ascendit cum eis aqua aurea. Philosophus in turba serm. 73. Prima cõpositio scilicet corpus Magnesiæ, ex pluribus fit rebus, quamvis vnũ quid factæ sint, vno deinde nomine, quod priores Albar æris nuncupauerunt. & eorum ex supradictis omnibus comprobatio & solutio supradictarum sex propositionũ satis superque intelligenti patet. prout & septimæ etiam propositionis dubia: itaque sequitur propos. 9.

PROP. IX.

Quamquam vero ex plurium compositione yxir constare monstratum sit: eius tamen radix & fundamentũ est nostrum as, quod suo regimine ad yxir deduci oportet: absq; regimine namq; nihil alteratur.

Hæc propositio est principium demonstrationis specierũ ex quibus fit yxir. quod autem regimen sit necessarium audi Eximenum ser. 8. Scitote quod non fit tinctura vera nisi ex ære nostro: nolite igitur animas & pecunias vestras destruere, nec tristitiam cordibus vestris inferatis. adijciam & fundamentum vobis, quod nisi prædictum æs in album vertatis, & inde nummos apud visum faciatis, & deinde rubeum, in nihilo estis. Bonus serm. 37. hoc autem nostrum æs, quod de aqua ablui perenni philosophi iusserunt. Constans serm. 28. Et

Et ſcitote quod ſi aliud quam æs noſtrum accipiatis, & aqua regatis noſtra, nihil vobis proderit.

PROP. X.

Huius itaque noſtri æris regimen eſt, vt fiat venenum, vel rubigo tingens.

Mundus ideo ſerm. 47. Priſci autem opinantur, quod qui aurum, in venenum vertit, ipſe ad propoſitum iam venit, qui vero non in nihilo ſe habet. Anaxagoras ſerm. 54. Qui poteſt aurum in rubiginem vertere & venenum propoſitum iam inuenit.

PROP. XI.

Rubigo ſiue venenum tingens ex ære noſtro prædicto non fiet, niſi tingatur.

Hæc propoſitio certa eſt & probabilis ratione & auctoritatibus ſequentium. Ratione quidem: quoniam cum æs noſtrum vix aliquo regimine vulgi poſſit corrumpi, quin in ſeipſum redeat non alteratum. & cum purgatum fuerit per ignis examinationem non tingit maiorem tincturam: nam totus eius color ſic ad ſui perfectionem eſt neceſſarius, nec de ſuo colore poteſt præter ſeipſum colorare, in natura ſua permanens ſine diminutione ſui coloris; ita quod alteri mixtum de ſuo colore diminuit, vnde nihil lucri eſt. itaque ita exiſtens in ſui natura manet: niſi regatur regimine tali, quo tingatur intenſiori colore, excedente colorem eius quem habet perfecte dum manet in ſui natura. hoc autem regimen oportet eſſe tale, per quod i.. puluerem, qui propter multitudinem intenſioris coloris ſit fere niger, vt color combuſti ſanguinis, vel tyrij, vel purpurei coloris. Et tunc propter exceſſum ſui coloris, minima eius pars admixta magnæ corporis albi minoris luminaris, tinget ad ſufficientiam coloris veri luminaris maioris, cum transmutatione & tinctura inuariabili & fixa propter ſui virtutem & fixionem quam à regimine & rebus tingentibus acquiſiuit. Monarchus in turba ſerm. 25. Eo quod æs non colorat, niſi colorem; quia coloratum colorat. &c.

PROP. XII.

Hoc etiam corpus Yxir, vt fermentum in paſta eſt.

Hermes tractatu ſeptimo ſic ait, ſimiliter aurum in corporibus, omne corpus ſecum continet, & viuificat, quod yxir fermentum eſt, ſine quo nequaquam peragitur, quemadmodum paſta ſine fermento non fermentatur.

PROP. XIII.

Tinget ergo ipsum æs nostrum, & venenum seu rubiginem gignentem videlicet aqua permanens, vel argentum viuum ac Cambar, siue argentum viuum ex masculo, vel res similibus dicta nominibus & ethelfacta, quasi sit mixta, & suo recta regimine.

Omnia hæc quæ dicũtur æs nostrum tingere, licet diuersis nominibus vocentur, sunt idem, scilicet aqua nostra ex nostris rebus composita, & suo regimine perfecta: cuius regimen Dei voluntate vulgo ignotum est: Et quod æs nostrum tingatur, audi Parmenidem ser. 2. Scitote quod aurum vertitur in rubiginem per aquam permanentem. Mosius ser. 44. Argentum viuum quod tingit aurum, est argentum viuum de Cambar.

PROP. XIV.

Iterum ex ignis actione hoc æs nostrum tingetur.

Hermes in tractatu tertio. Et hæc tinctura remanet rubea vt Rarmes, filius autem noster Rex sumit ex igne tincturam.

PROP. XV.

Ex prædictis concluditur nostri tingentis yxir ex nostro ære, nostraque aqua permanente constare, eaque ignis regimine ad intensam virtutem tingendi, & alterandi cum perfectione adduci.

Certum est quod qui scit compositionẽ nostræ aquæ permanentis & eius regimen cum nostro ære complere, ex eis habebit intentum, alias in vanum operans fatigatur: Constans namque serm. 20. Sic regatis nostra, nihil vobis prodest. Si autem aqua nostra ęs nostrum regatis, omnia à nobis prędicta inuenietis.

PROP. XVI.

Et quia dicta aqua permanens, sine qua tinctura nostri æris non fit, nequaquam pretio emitur, oportet primo eius compositionem & regimen, in quantum licet demonstrare.

Pythagoras serm. 28. Nonnulli habentes libros legunt & putant quod compositio ista ematur, sciendum vtiq; quod nihil operis emitur.

BROP. XVII.

Ad huius itaq; aquæ permanentis confectionem, duplicem esse compositionem, quæ oportet ad vltimum tamen; vt vnum fiat.

Philosophus ser. 12. Compositio duplex est, vna enim est humida: alia vero est sicca tantum, proinde coquantur vt fiant vnum, & dicitur bonum plurimorum nominum.

PROP. XVIII.

Prima autem compositio fiet ex siccis solum, quæ corpus Magnesiæ dicitur, vel albor æris, vel plumbum æris, & sulphur & æs magnesiæ, & pecunia nostra & aurum nostrum &c. secunda vero compositio ex prædictis siccis cum humido, quæ Magnesia dicitur, quamuis tamen vnum pro alio ponitur.

Rosinus, quæstione 8. Contemplare igitur superiis, quæ in libris philosophorum inueniuntur, Æs nostrum, Pecunia nostra, aurum vel plumbum nostrum, Magnesia nostra, nihil aliud sunt quam illud æs tibi relatum, in eo namq; illud est, quare sibi ipsis illud retulerunt. similiter eorum plumbum, quod est Magnesia eorum, fit pecunia, quæ est corpus eorũ: Æs igitur compositum est, quod tamen fit pecunia.

PROP. XIX.

Prima hac cõpositio quam diximus siccorum esse, Magnesiam corpus dici, compositio est quatuor corporum, siue quatuor elementorum.

Monaldus ser. 25. Scitote q hoc æs, quod vos iussi regere, est ista quatuor corpora. Democritus in allegoria dist. 19. Et non fit tinctura nisi ex corporibus coniunctis.

PROP. XX.

Hæc autem quatuor corpora vocantur sulphura terræ.

Dardaris serm. 44. Sulphura sunt animæ; quæ in quatuor fuerunt occultæ corporibus.

PROP. XXI.

Ex iis autem quatuor corporibus seu elementis in compositione corporis magnesiæ, æqualem proportionem oportet apponere.

Allegoria sapientũ distinct. 1. Si medicinas æqualiter ponas, non sentis errorem: Si vero addas, vel minuas; ad emendationem tendis. PROP. XXII.

Secunda vero compositio, quam diximus esse siccorum cum humido, est argentum viuum cũ ipso magnesiæ corpore cõiunctum, ipsaq; compositio Magnesia vocatur.

Parmenides ser. 11. Ideo permultiplex superfluũ dimittite, & argen-

& argentũ viuũ accipite, in corpore magnesię congelate. Vel in kenkel, vel in sulphur ꝙ nõ cõburitur. in libro allegoriarũ distinct. 12. argentũ viuum est spiritus qui corpore Magnesiæ cõtineri volunt: magnesię vero corpus est corpꝰ ꝙ dissoluũt, vt in eo spiritum componant, ꝙ est spiritꝰ similiter & corpus.

PROP. XXIII.

Huius autem cõmixtionis inuentio est, vt spiritus in corpore coaguletur: ipsumq; corpus in spiritũ soluatur, totumq; vnũ fiat, quod Magnesia dicitur. Et hoc est facere corpora incorporea, & incorporea corpora.

Astanus ser. 42. Irritate bellum inter æs & argẽtum viuum quoniam peritũ tendunt, & corrumpuntur prius. eo quod æs argentum viuum concipiunt congelat ipsum: argentum vero viuum concipiens æs dissoluit ipsum.

PROP. XXIV.

Perfectio vero huius mixtionis fiet per decoctionis, cõtritionis & lauationis regimẽ. Per huius regiminis beneficiũ corporis spissitudo attenuabitur, & immũditia curabitur atq; leuabitur, & eius subtilitas ignea, in eius ventre occulta, quæ illius tinctura est, anima, in altero spiritu saluabitur occulta.

Oportet illud spissum veneno igneo cõmiscere ac putrefacere & diligẽter terere quousq; fiat spiritus, in altero spiritu occultus. Plato ser. 2. Spiritus namq; à corpore separatus, & in altero spiritu occultus, factus est vterq; fugiens.

PROP. XXV.

Et propterea vetus sonat prouerbiũ, si sciueris dare ignem ignis & aboth tibi sufficiũt. Quoniã argẽtum viuum corpora cõburit, atq; subtiliat. & eorum grossitiem à subtili sequestrat.

Monaldus. ser. 25. Scitote quod argentum viuum, est ignis corpora cõburens, mortificans, constringens vno regimine.

PROP. XXVI.

Ipsum etiã argentum viuum in hac cõmixtione venenum igneum nũcupatur: quoniã instar ignis per corpus magnesiæ diffunditur, quemadmodum venenum per corpus hominum.

Allegoria distinctione. 5. venenũ igneũ est aqua nummosa nõdum perfacta.

PROP. XXVII.

Interitus ergo esto ad cõtinuationẽ præfati regiminis donec corpus in prædicto spiritu adeo fuerit subtiliatum, & dissolutum vt fit incorporeum sine tactu, amboq; tactu leuia & impalpabilia ad instar butyri vel cerebri. Cumq; sic fuerit oportet per ignẽ in Ethel exaltari, antequam nostra misceatur ars.

Aſtanus ſerm. 42. Æs, quod philoſophi, cum res parauerint, ac coniuges ac ſe coadunantes coniunxerint, aſcendit ex eis aqua aurea. Mundus ſerm. 47. Niſi res igne continuaueritis, quouſq; ſpiritus aſcendunt, in nihilum euadent.

PROP. XXIIX.

Hanc ſublimationem oportet facere leui igne, vt ſubtilitas compoſiti purificata, quæ eſt anima tingens, exaltetur ad ſummum vel ſupremum vaſis. terreſtreitate groſſa, quæ tincturam & ingreſſum impedit, in Ethel funda relicta.

Monaldus ſerm. 25. Scitote quod corpus non poteſt tingere ſeipſum niſi eius ſpiritus extrahatur, & in ventre eius occultetur, eo quod ſpiſſum terreum non tingit, verum tenue natura eſt quod in corpore transfigit & colorat.

PROP. XXIX.

Hoc autem ſublimatum eſt argẽtum viuum de Cãbar, & aqua permanens, & gũma & vrina, quæ ſupra diximus æs noſtrum tingere, quod & alia plura ſortitur nomina. & in ſublimatione primi noſtri operis eſt cõplementum. Secundum opus autem eſt, vt æs noſtrum ſolum ab aqua hac in rubiginem tingentem vertamus, ſuo regimine.

Aſtanus ſer. 66. Rubigo eſt ſecundũ opus, ꝙ ſolo auro fit.

PROP. XXX.

Eſt autem huius regiminis principium aquam prædictam permanentem in duas æquales partes diuidere. Cum vna quarum miſcebitur portio debita noſtri æris, vt in ea ſoluatur & diruatur in terram, ſecundo vero ſeruabitur ad impotationem diruti.

Vnde Theophilus ſer. 22. Diuide venenum in duo æqualia, quorum altera parte æs liquefacite; alteram vero ad terendum & imbibendum ſeruate. Cerus ſerm. 23. cum diuiſeritis aquam in duas partes: prima erit ad corpus liquefaciendum & coquendum, ſecunda vero ad mundandum combuſtum, & ſuum ſocium, quæ vnum facta ſunt. Nichorus. ſerm. 33. Oportet enim altera parte æs noſtrum comburere, & tunc reſidua aqua ſepties imbuere.

PROP. XXXI.

Erit proportio ipſa noſtri æris commiſcendi dicta proportione aquæ, puta vt vnum ad tria.

Mundus, ſer. 34. Accipite ex gũma animalis intenſiſſimi cãdoris, partem vnam, & ex piſcis felle partem vnã, & ex albi vituli

culi vrina partem vnā: & ex corpore gūmæ, fine qua emēdari nō poteſt, partē vnā; has miſcete portiones. item, idem. Accipite de ſincero corpore vnā, ex ęre vero Magneſię tres partes.

PROP. XXXII.

Et vt plurimum, vt duo, ad ſeptem.

Theophilus ſerm. 22. Eo quod oportet vos laminas producere & cū poſteriore veneni parte coquere duo, ad ſeptem.

PROP. 33.

Pro ipſius autem æris noſtri commixtione faciliori cum aqua prædicta; oportet nos primo æs ipſum in laminas ſubtiles producere, ſicque ipſi aquæ commiſcere & coquere in ea donec ſoluatur, & vnum fiant.

Ariſteus ſer. 19. accipite igitur corpus ꝙ vobis monſtraui, & in tabulas tenues coaptate: Deinde aquæ maris noſtri imponite, quæ eſt aqua permanens poſtquā regitur; deinde leni igni imponite, donec tabulæ confringantur & fiant aqua.

PROP. XXXIV.

Hanc compoſitionem in vaſe vitro poni oportet.

Exiſtus in turba ſerm. 37. In ſuo vitreo vaſe quadraginta diebus ipſum dimittite.

PROP. XXXV.

Huius vero regimine plures apparebunt colores; primo ſcil. niger: ſecundo albus, tertio croceus; vltimo gradatim ad intentionem ruboris perueniet, vſque à tyrij coloris perfectionem, quæ omnia per ordinem ſuis propoſitionibus ſubnectemus.

Diomedes ſer. 29. Coquite igitur eos donec nigri fiant: deinde albi: deinde rubei: deinde tingens fiat venenum.

PROP. XXXVI.

Verum quia niſi opus noſtrum primo dealbetur; non poſſumus rubrum facere: oportet primo regiminis gradu ad album ſiue nummoſum colorem deducere.

Frictis ſermone. 15. Scitote quod totius operis initium, eſt albedo, cui rubor ſuccedit; deinde operis perfectio.

PROP. XXXVII.

Coquenda eſt ergo dicta compoſitio in ſuo vaſe leni igne quadraginta diebus vel quadraginta duobus vt corpus liqueſiat.

Ariſteus ſerm. 19. Deinde leni imponite igni donec tabulæ confringantur, & fiant aqua. Mundus ſerm. 18. Has miſcete portiones, quadraginta diebus coquite. Pandulphus ſerm. 21. Hæc igitur quatuor prudenter coquite quadraginta diebus.

PROP.

PROP. XXXVIII.

In ipso autem decoctionis tempore, antequam veniat albedo prædicta, nigredo desuper apparebit, quæ de natura est Martech.

Pandulphus serm. 21. Deinde coquite paulatim, extrahentes autem inspicite si factus est niger. Bonellus serm. 37. Videntes nigredinem illi aquæ imminere, scitote corpus iam liquefactum.

PROP. XXXIX.

Dicta namq; nigredo cum aquis salsis, & acutis, vel dulcibus, absq; contritione lauando purgetur donec fiat vt nummus liquefactus.

Bonellus sermone 37. Abluite ipsum, & priuate nigredine.

PROP. XL.

Post nigredinis vero remotionem, incipiet apparere albedo iam dicta, hoc interim coqui oportet, vt fiat sicut nummosus lapis albus, vt marmor, vel sali similis, suo splendore atq; coruscatione.

Lucas serm. 12. Assate igitur ipsum per dies septem, donec fiat vt marmor coruscãs. Philiorus serm. 15. Quod si bene coquatis, & nigredine priuetis, in lapidem vertetur, & fiet nummus intensissimæ albedinis. Theophilus ser. 22 Coquite quadraginta diebus donec flos candidus, & flos salis suo splendore, atq; coruscatione appareat.

PROP. XLI.

Qui lapis Aiar, siue lapis boricus, siue lapis Aticos a philosophis nuncupatur.

Theophilus ser 22. Hunc igitur boricum philosophi nuncupauerunt. Pandulphus serm. 21. Vobis ostendi huius lapidis principium, quod est lapis Aticos. Lucas serm 22. Et scitote quod cum coagulatur nos vocamus ipsum Aiar.

PROP. XLII.

Vsq; vero in hunc terminum oportet fieri ignem leuem.

Lucas serm. 12. Et sic videtur lenis in dealbando, donec coaguletur.

Obseruare oportet in decoctionib. prædictis, vt vas sit semper clausum, ne spiritus fugiat, sed in eo coaguletur.

Lucas serm. 12. Cauete ne à vase exeat: humiditatem vero in vase coagulate. Mundus sermone 16. Obseruate ergo vas, ne compositum fumiget, & fugiat.

PROP.

PROP. XLIV.

Non tamen in prædictis decoctionibus tenetur seu coagulatur ex toto humiditas in commixto: sed vna, vel duæ ex tribus eius partibus separatur, quæ seruari potest pro opere secundi Cambar.

Hermes in allegoria dist. 6. Si autem Camellorum tuorũ tertiam partem consumas, duabus tertijs relictis, iam ad propositum peruenisti. Balgus in turba. serm. 50. Notifico vobis quod in hac nummi decoctione, tertiæ partis aqua pondus consumitur: residuum vero fit ventus, in spiritu secundi Combar.

PROP. XLV.

Postquã vero dicta cõpositio prædicto regimine coagulata fuerit & versa in lapidem siccum album, siue nummosum, & coruscantem, vt marmor; oportet ignem intendere, vt diruatur, donec in terram, vel cinerem croceum, vel subviridem vertatur.

Pythagoras serm. 15. Calcem & marmor frangite. Socrates serm. 16. Coquite intensissimo igne, donec spissitudo corporis diruatur. Batosius ser. 24. Coquite ipsum donec coaguletur: deinde terite donec fiat crocus colori auri similis.

PROP. XLVI.

Hanc autem triturationem non manibus, sed igne solum forti, vt diximus, fieri oportet.

Zenon sermone 35. Et scitote quod non fit, nisi fortissima decoctione & contritione continua, igne, non manibus.

PROP. XLVII.

Lapide autem præfato, vt dictum est in terram aliquatenus coloratam verso: Oportet terram ipsam secunda parte aquæ quam seruasti imbuere: non tamen totam aquam simul apponendo, sed inter plures vices septem tamen ad minus. Et in qualibet imbibitione coque, quousq; in ea siccetur aqua, & occulti in ea colores in manifestum prodeant.

Cotus serm. 25. Imbibite ipsum septem vicibus, quousque diruatur. Gregorius serm. 27. Oportet vos, cum videritis húc lapidem coruscantem, incidere ruendo, & in terram vertere, & habere aliquantulum ruborem, vt aquæ residuum accipiatis, quam inuidi iusserunt vobis in duas diuidere partes; & cũ multotiens imbibatis, quousq; occulte in illo corpore colorea

lores vobis appareant. Nicarus ſerm. 33. Oportet nos reſidua aqua ſepties imbuere quouſque totam aquam imbibat, ac tota humiditate deſicata, in terram vertatur aridam.

PROP. XLVIII.

Faciliter autem ipſa terra aquam potabit.

Socrates ſerm. 16. Et ſcitote, quod cum ſiccum fuerit, ſui humoris reſiduum velociter bibit: eo quod eſt plumbum combuſtum.

PROP. XLIX.

Tempus omnium harum impotationũ eſſe Centum quinquaginta dierum: & ſecundum hunc circulum ex ſeptem impotationibus viginti vnum dies in portione venire palam eſt.

Hermes in primo ex ſeptẽ tractatibus dicit. Scitote quod ſuccus vitis ſapientum in centum quinquaginta extrahitur: eiuſque numerus in fine triginta peragitur. Roſinus quæſt. 18. Coque boricum nummoſum, vt in puluerem vertatur, ac imbibe aceto, & coque quouſque acetum deficiat per centum quinquaginta.

PROP. L.

Per has quidem impotationum & decoctionum iterationes, opus diuerſis veſtibus & coloribus adornatur. quod ſecundum intenſionem colorationis, diuerſis appellatur nominibus.

Exiſtus ſermone 38. hoc autem multoties facite, quouſq; pereant aquæ partes, eiuſq; colores appareant. Mundus ſer. 62. Tyrium noſtrum in vnoquoq; regenerationis gradu ſui coloris nomen nuncupamus. Siccum videntes, iterantes coquite, & imbibite, quouſq; colorem induat prædictum, vt fiat aurum. Deinde iterate ipſum, & fiet aurum totum. Deinde iterate ipſum, & fiet aurum tyrii coloris.

PROP. LI.

Ex ijs impotationibus cinerem humectari, & dulcificari contingit.

Azaracus ſerm. 57. Miſcentes cinerem aquæ, iterum coquite, quouſque cinis ille liquefiat & eorum deinde coquite, & aqua imbibite ſepties permanente, quouſque compoſitio dulcis fiat ac rubea; imbibite etiam quouſque humida fuerit.

PROP.

Fit etiam impotatio quandoq; dicti cineris, per aquam quæ ab eo ascenderat in opere lapidificationis, & diru- tionis prædictæ.

Aristeus serm. 19. Ethelia vel aqua sua imbibite, quæ ex eo exiuit. Mundus serm. 14. Accipite humiditatem quam eiecit illud, & cum eo paulatim imponite. Diomedes ser. 29. Reddite ei sudorem suum, & iterum neci date.

PROP. LIII.

Ab ignis autem excessu in opere dictarum imbibitionum taliter cauendum est, ne anima fugetur à cinere; sed in eo remaneat & figatur.

Diomedes serm. 29. Reddite ei sudorem suum, & iterum neci date, regnumq; ei constituite, & cauete ne fugetis eum; comburentes nimio igne.

PROP. LIV.

Finitis dictis imbibitionibus & decoctionibus centum quinquaginta dierum, oportet postea recoqui intense intenso igne quadraginta diebus ad complementum colorationis, & perfectionis eiusdem, vt fit puluis spiritualis impalpabilis Tyrij seu purpurei coloris, vel cōbusti; quod est intentionis perfectio.

Sobosses sermone 24. Et non desistatis coquere & desiccare, donec toto suo humore imbuatur: Deinde per dies quosdam in suo vase dimittite, quousq; pretiosissimus color tyrius desuper exeat.

PROP. LV.

Hic itaque puluis ixir, siue venenum philosophorum est, quod nummis impositum tingit; & eos vertit in aurum perfectum, adiutorio Dei.

Barsen sermone 30. Et quod in perfectionem veniens, omne corpus tingit. Mundus ser. 47. Quod scilicet venenum philosophus asserit omne corpus tingere.

PROP. LVI.

Et non erit hæc tinctura deficiens per ignem, vel examen, sed erit inuariabilis, & firma; & secundum quid.

Arsuberes sermone 14. Cum venenum corpus penetrat, inuariabili colore ipsum colorat, &c. idem, ex sulphure sulphuri mixto, pretiosissimus fit color, qui non variatur nec ab igne fugit.

PROP. LVII.

Causa vero huius effectus est; quia propter sui virtutem & proprietatem acquisitam, tam a natura, quam arte, est potens superfluum a corporibus etiam homogeneis separare caloris adiutorio: Quia sui subtiliate per minima illa penetrat, & disiungit, ac destruit corruptibilem partem, relicta solum perfectionis substantia incorrupta & eadem causa, si sumatur a corpore humano, omnes superfluitates humorum eijciens, ipsum in æqualitate constituens ab ægritudinibus protegit. & in perfecta sanitate cõseruat. hoc quidem donum Dei est, & secretum philosophorum; quod Reges & alij quærentes minime inueniunt nisi hi quibus bonitas diuina largitur.

Barsen sermone 25. Hoc autem Reges quærendo non inueniunt, nisi hi quibus Deus annuit. Rosinus quęst. 10. Nulli possunt ea quæ ambigua posuerunt, à vero sequestrare, nisi Deo inspirante vel aliquo docente. Item idem quæst. 13. Quod Deus suis prophetis atque electis largitus est.

PROP. LVIII.

Qui ergo prædicta intellexerit ratione, erit de filiis sapientiæ. Deo itaq; laudes multiplices exhibeat, ne tãti beneficij sit ingratus. Qui vero ad eorum intellectum non attigerit, propter diuinum iudicium, aut suam ignorantiam, vel peccatum, hoc euenire cognoscat: Quod non nobis; sed sibi imputare debet.

Diomedes sermone 29. Si intelligatis huius scientiæ inuestigatores, beati estis; sin autem, quod debeo iam persolui: & breuiter. Et si ignorantes estis, Deus celauit à vobis veritatem. nolite igitur sapientes reprehendere; Sed vos ipsos. Si enim Deus in vobis sciret mentem fidelem, veritatem vtique intimaret.

Diuinæ itaque sapientiæ gratias multiplices referamus qui nobis pandens secreta, concessit ea, tam validis philosophorum dictis approbata, per huius nostræ descriptionis seriem, prout licuit Theosophia, absq; inuidia reserare. Cuius nomen sit laudatum in secula seculorum.

Amen.

CANDIDO

LECTORI PHILOCHIMO.

MVlta, & ea quidem præclara, beneuole Lector, habes, hac breui, quam tibi offero, epistola, quid, scilicet, quale, quantum & quomodo valetudo restitui, tueri, fouerique possit; quæ inuidi eorum scriptis, variis in locis, ad artem velandam sparserunt, quæque Theophrastus ille germanus, in suo thesauro Philosophorum verbis & methodo vtcunque mutatis aptissime coniunxit, Astrorum scilicet cælestium verum balsamum, quod nullum corpus in putrefactionem abire sinit, vt Theophrastus ait, lepramque nullam, podagram, hydropisin, aut reliquos morbos, inexpulsos relinquit, administratione grani vnius, & si fermentabitur cum sulphure solis, hocque astro Veneris vti volueris, totum veneris corpus in solem vertere poteris. Hoc autem vt facilius aßequi poßis, addam, quod te iuuet (liber enim, librum aperit & sermo sermonem) addam inquam in omnium fœderatarum prouinciarum philosophorum gratiam scriptulum mihi carißimum, reuelationem mysterij continentem, ea tamẽ lege & omine (prout cum Gallis philosophis iam pridem egi, quos ad Dei gloriam, Christi Ecclesiæ fomentum, & Christianißimi Regis HENRICI magni obsequium, adegi) vt si quem vestrum Deus pro sua elementia tanto munere dignetur, is totum opus suum, lapidem dico philosophorum ad summum deductum serenißimo Principi MAVRITIO Naßouio harum prouinciarum gubernatori, & Amplißimis fœderatarum prouinciarum Belgij ordinibus, qua decet prudentia & secundum Deum obseruantia, sancte, cauteque, & libere tribuat, det, donet, sacret. Hoc quisquis fecerit (faciet autem quod bonum virum decet, & Samaritanũ sequutus, vulneratũ a latronibus, ad hospitiũ deducet &c.) inter Dei & patriæ amicos summos cẽsebitur, Deũ & populares omnes ad vnum sibi fauentes experietur. Hæc erit illa Christiana Eleemosyna, cui similis nulla ab orbe condito erogata fuit, qua tot Miriades animarũ fruentur, & in his fœderatis prouinciis lætæ gaudebunt Deo summo & auctori gratias agentes ꝑpetuas; q̃ miror Theobaldũ de Hoghelande Mittelburgẽsem doctißimũ philosophũ, & in Chemicis versatißimũ virũ, suis popularib. in suo de difficultatib. Alchemiæ libro inuidere; cum post adeptum tantum Dei donum nemini euulgare, nisi insidiis vndique peti, & mille ꝑiculis exponi, aut in ꝑpetuo metu & terrore versari velit, quis (vt ait) audeat. At facessant ab animis piorũ metus isti præposteri, eroget ille, aut quisquis sit, hãc augustam

Eleemosynam, quæ non à mammona iniquitatis, sed à clementi Dei benignitate, non aliunde prodituta est, fixo ego, vt Serenißimum Principem Mauritium prouinciarum fœderatarum gubernatorem, & Amplißimos simul Ordines ad vnum sibi beneuolos & amicissimos quiq; ei columnam in templo pacis erigi, ad perpetuam tantæ eleemosynæ memoriam, curaturi fiat experiatur. Sed adest quod pollicitus sum.

Reuelatio nempe mysterij antiqui cuiusdam philosophi, quam si quis intellexerit, votum assequetur.

Solue fixum, in non fixo, seu matre non fixa: hoc non fit nisi coniungantur in vaso non amplo, ne alterũ fugiat ab altero, & nisi igne torqueantur: tunc alterum operatur in alterum, & fiunt res vna, sicut erant prius, ita pugnant cum inimicis, & crassum ascendit in partes superiores bene custodite, ne pereat: ita mica pars fixa, fit volatilis. Hæc res vocatur Solutio, & calor operatur statim nigredinem. Hæc est impregnatio, & interna solutio, & clauis artis; qua, quo corporeum est fit spirituale sublimando; spirituale fit corporeum descendendo, hoc diu coquendum, & figendum est in igne subtiliando, dealbando, rubeum faciendo; quod totum facit aqua benedicta. Sic gignitur album in sicco: in albo, citrinum: in citrino, rubeum. Opus perficitur tribus quadragenariis dierum: at non sine numine, quo, omnium bonorum auctore & donatore, si hæc tibi satis non faciant (fit autem paucis intelligenti satis) vt capias duos philosophorum nigros moneo, hos cura vt tibi ponant oua pellucida, quæ simul iunges & philosophorum croco tinges, & quod quæris assequeris. si amplius quid cupis, Recipe Claui porta aurea, Quinq; lapides maris, ex eis fac oleum, cum menstruo fœtenti, superfundendo, & Destillando donec perducas ad oleaginositatem. Hoc oleum circula, cum spiritibus suis renouando, donec fiat tenue: Deinde impone in pellicanum vel circulatorium optime clausum, & in balneo feruentißimo siue fimo equino digeratur per viginti dies, postea in vas obtortum posito, destilla per feruentißimũ vaporẽ; quod exiet, superfunde iterũ in retortam; hac ratione tandẽ tota illa substantia maiori ex parte redigetur in oleum Crystallinum, quod vix tinget digitum, ob lubricitatem. Hoc oleum circula donec cœperit instar vini rubri esse, atq; tunc denuo destilla in vaporatorio, sicq; exibit clarißimus spiritus, relictis facibus non multis. Hæc est aqua ad album

quæ appellatur luna plena, & mediatrix albedinis. Nunc vero ad faces vel mediam illam partem substantiæ in fundo remanentem; superfunde ei oleum hoc album, & destilla, iterumq; impone atq; per inclinationem tunc amoue, non per destillationem, atq; destilla: Quando vero reliquerit oleum rubrum in fundo, albam aquam repete super faces, & per inclinationem post aliquoties amoue, destillando vt prius; toties facito donec clarissima à facibus exierit. sicq; restabit tibi rubrum oleum ad aurum, indico, quod ad nos vehitur purius, tali autem copia, vt nusquam defuturum sit. Adhæc, bene vale candide Lector; viueq; nostri memor. Goudæ, Mense Martio Anni. 1601.

TVVS AD OMNIA

NICOLAVS BARNAVDVS Medicus à Crista Arnaudi Delphinas Gallus.

DE OCCVLTA PHILOSOPHIA,

Epistola cuiusdam Patris ad Filium.

ARcanum omnium arcanorum, secretum secretissimum huius tam inclytæ scientiæ tibi, fili carissime, reuelabo, prout manibus nostris tetigimus, & oculis corporeis vidimus, & adiuro te per eum qui cuncta creauit, vt nemini hoc sanctissimum, & excellentissimum munus tradas, sed vt more philosophorum illud celes, & non mireris si tecum palam locutus sum, quia iam à pluribus annis errores tuos cognoui: vidésq; tuum frequentissimum studium, tuamq; sollicitudinem, non potui resistere voluntati meæ. quin ipsum tibi traderem, quicquid verear animæ meæ pœnā inferre. Sed fili carissime, si mandata nostra seruaueris bonum cōsequeris effectum, & antequam ad practicā accedamus tibi aliqua principia naturalia detegemus, vt ipsis cognitis credas, quod inferius sequetur.

Sunt principia huius famosæ scientiæ eadem quæ & naturalia in metallis. Metallorum autem principia, super quibus natura fundatur in suis actionibus in ipsis formādis sunt istamet. Materia ergo omnium metallorum in suis mineris, de qua ipsa generantur & creantur, est aqua sicca, quā aquam viuam,

viuam, vel argentum viuum nominamus, & spiritus fœtens, quē aliter sulphur appellamus, non tamen in natura sua prout sunt in mineris creata: quia in locis vbi generātur & creātur nullū metallū inuenitur, Sed potius ista materia est quædā substantia naturalis, à Deo, & à natura creata habens in se substātiam sulphuris & mercurii, siue argēti viui, & ex ista tali substantia, vel materia duorum prædictorū procreata, generat & creatur quædā substantia subtilis fumosa in visceribus terræ, & mineralibus venis, & ibi deriuat, deinde adueniens virtus mineralis super illam fumosum substantiam, congelat ipsam & vnit, vnione inseparabili & firma per decoctionem mineræ temperatam, ita ꝙ nec humidum (scilicet prædicti argenti viui) à sicco (scilicet à substantia prædicta sulphuris) nec siccum ab humido potest ab inuicem separari de cætero, & ita omnia metalla generantur & procreantur.

Scias itaq;, fili carissime, quod omnia antedicta in lapide nostro glorioso sunt facienda; non tamen substantiā primam sulphuris & mercurii facere intendimus; quia in lapidē nostro omnia sunt à natura creata, nec nobis possibile foret sulphur & mercurium nouum facere; sed supplemus naturæ in mundificatione, cōiunctione & decoctione ipsorum. Intellige sapientissimi Gebri verba dicentis; lapis vnus, materia vna, cui nihil additur extraneū, nec minuitur, nisi ꝙ superflua remouentur. Hermes pater Alchemistarū inquit, verum verissimū sine mendacio, quod id quod est superius, est sicut quod est inferius, ad perpetrandum miracula rei vnius, & non plurium, hic, teste Aristotele ad Alexandrum, continet in se tres superiores virtutes, scilicet vegetabilem, animalē, & mineralem. Arnaldus de villa noua dicit in rosario nouo, manifestum est ergo operationem medicinæ esse naturalem, quia ipsa medicina cōposita est ex natura: Natura quippe omnis res procedit ex eo, in quod resoluit. Gelu cōuertitur in aquā claram, prius ergo fuit aqua: Sic lapis noster in argentum viuum. Saturnus in opere suo loquens de mercurio dicit, Benedictus Deus qui dedit ei substantiam, & substantiæ proprietatem, quas nemini contigit reuelare: Multas tibi auctoritates philosophorum adducerem cōcludentes, quod lapis est vnus, vna res, à qua sulphur & mercurius noster elicitur: at quia in materia nostra glori ipsa natura defecit, quia operationem suam cōplere nō potuit, sicut in metallis, propter eius

immun-

immunditiam, & nō veram cōiunctionem, ideo nos per artificiū nostrum, supplemus naturæ in hoc, in mundificatione & decoctione ipsius. Igitur fili carissime cætera prætermittentes, ad veram practicam accedamus.

Recipe in Christi nomine, Lapidem nostrum benedictū, lapidem honoratum, lapidem gloriosum & incōbustibilem, lapidē ab omnibus philosophis absconditū, & sub parabolis descriptū hoc est, vitriolum romanū excellentissimū. hic est lapis, fili carissime, quē oēs philosophi occultauerunt, & diuersa & varia dicta de eo cōscripserunt, ne ab insipientibus & indignis tantum arcanum perciperetur. Capias igitur ex eo quantum tibi placuerit, & ipsum grosso modo tere, postea in aliqua olla vitreata super carbones pone ad calcinādum solū, vt superflua humiditas exhaletur, & tibi remanebit album & subcitrinum. Caueas tamen ne materia rubificetur, quia multū amitteres de spiritu nostro glorioso, & hæc est calcinatio vulgaris, quā omnes philosophi ipsam occultando, in corporibus metallicis facere demōstrarunt. Sed philosophica calcinatio tibi inferius demonstrabitur; Deinde ipsum ab igne remoueas, & totum tritura minutissime, donec in puluerem impalpabilē redigatur. His peractis habeas vnā bociam stortam, lutatam diligēter, & imponeei pulueres tuos, ita quod non excedant pondus vnius libræ, & super furnellum ad hoc coaptatum loca, ignemque subtus paulatim accende, & in nomine domini incipe destillare cum receptorio iuncturis bene clausis, ne vllo modo respirare possit, & ita continua ignem, & quandoque vigora, donec fumi albi incipient destillare & exire in receptorio. Tunc ignis augendus est, quia in ipsa materia est quædam pars ignea, quæ elementum ignis dicitur, & exire non potest sine magno igne. Cum vero fumi albi consederint, fac iterum fortissimum ignem per vnam horam, & hoc solum fit, quod si aliqua pars ignea, quæ est ponderosa destillare non potuerit, per fortiorem ignem exire cogatur. Hoc autem facto, aquam illam pretiosam extrahe, & in alio vase mundo bene clauso, ne vllo modo respirare possit, reserua. Habes itaque fili carissime, secretum altissimum: quia hæc aqua omnibus nominibus mūdi nominatur, & à sapientibus appellatur. Nam in ipsa tria sunt elementa, aqua, aer, & ignis. Hic est verus mercurius philosophorum, menstruum cælicum Raymūdi, acetum

acetum acerrimum, lac virginis, menſtruum, minerale, vegetabile & animale, aqua propria, aqua permanens, aqua ſerenans, aqua vitæ, ſtella orientalis, fons viuus, ſulphur inuiſibile, & multa alia nomina ei impoſuerunt, tamen apud ſapientes vnum & idem eſt. O liquor, & aqua benedicta, quæ tantam in te contines virtutē, cui totus mundi theſaurus æquari nō poteſt, tu tuum corpus candidas, & rubeum facis, & ipſum interficis, & viuificas, tu ad perfectam albedinem & rubedinem illud deducis; ſed ad reliqua.

Accipe fæces ſupradictæ aquæ, quæ rubicundiſſimæ eſſe debent, & eas iterum tere: deinde in bona quantitate aquæ communis pone ad diſſoluendum ſuper ignem, & cum diſſolutæ fuerint per filtrum deſtilla quod deſtillare poterit: poſtea fac humiditatem aquæ exhalare, donec in fundo remaneat calx alba ſicca. Hæc noſtra terra, fili mi, nutrimentum totius lapidis appellatur, & mater omnium elementorum. Ecce factæ ſunt duæ calcinationes; prima vulgaris, ſecunda philoſophica. Ad ſolutionem igitur & ad verum matrimonium veniendum eſt. Capias terram ſiccam ſupradictam, & eam minute & munde tere, donec fiat puluis impalpabilis, videlicet ex ea pondus vnum, cum quatuor ponderibus aquæ prædictæ, & pone omnia in vrinali bene clauſo, in balneo per octo dies ad diſſoluendum, quia in tot diebus materia diſſoluetur, & ſpiritus cum corpore congelabitur. Et ſcias fili cariſſime, quod facta tali conuinctione ſpiritus, verum matrimonium nuncupatur, quia tunc agit maſculus in feminam, videlicet aquam in terram ſoluendo, & ſpiritum cum ipſa coagulando: Et nunquam corpus ſoluitur, niſi cum coagulatione ſpiritus, & ſpiritus nunquam coagulatur, niſi cum ſolutione corporis; hic quidem ſpiritus, fili chariſſime, eſt de conſideratione Alchemiſtarum, vt in quinta eſſentia Raimundi in pluribus locis inuenies; quia cum terra ſua iterum plantatur & fixatur. Vides ergo quomodo aſcendit è terra in cælum, & poſtea è cælo in terram deſcendit, vt iterum aſcendat, & accipiat vim ſuperiorum & inferiorum. Primo deſtillando, ſecundo coagulando, tertio vero ſublimando. Et ſcias quod vnum fugiens, alterum ignem patiens, vtrumq; coniunctim ignem patitur; Completis autem ſupradictis octo diebus depone coopertorium vrinalis, & pone alembicum, tamē non remoueas vrinale

nale de balneo, sed destillare sinas, donec amplius destillare non poterit; aquam vero destillatam proijce, quia spiritus cum corpore remansit. Et hoc est quod omnes philosophi dixerunt, id quod exiuit ab eo, reduc super eum, donec figatur cum eo, & nõ separetur in æternũ, quia natura natura lætatur. Hæc autẽ operatio, vt ait Raimundus cõceptio appellatur, quia terra incepit aliquantulum de argento viuo, id est, de spiritu nostro secum retinere. Postea terram prædictam per balneum desiccatum extrahe, sciasque pondus eius, & in mortario vitreo aliquantulum tritura, deinde in vrinali suo colloca, superponendo de aqua nostra gloriosa, ad quantitatem ipsius terræ, vrinale vero prædictum in balneo repone per diem ac noctem, quoniam ibi materia digeritur: transacto autem tempore prædicto, transfer vas è balneo, ad cineres, addendo supra alembicum, & destilla quidquid destillare poterit. Caueas in desiccatione terræ, ne ignis sit violentus, quia totum opus destrueretur & vitrificaretur. Hanc igitur fili mi, operationem, imbibitionem scilicet, inhumationem ac destillationem continua, donec terra bibe-rit quadragesimam vel quinquagesimam partem sui, & hoc certius tibi erit, si modicum ex ipsa super laminam ignitam ponas, & totum in fumum euolauerit, tunc est factum: Sin autem prædictum signum non euenerit, iterum continua prædictas operationes, donec tuum consequaris effectum; Et nota quod in secunda & tertia imbibitione, deueniet nigra, & in colore Saturni. Si autem hoc non eueniet, frustra esset operatio nostra, in lapide nostro. Quia spiritus ille in terra nostra plantatur, & subito corrumpitur, & per decoctionem caloris crescit & multiplicatur. Hæc autem putrefactio, fili mi, est necessaria, quia corruptio vnius est generatio alterius. O Natura benedicta, & benedicta tua operatio, quia de imperfecto perfectum facis, cum vera putrefactione, quæ est nigra & obscura; postea germinare facis diuersas & nouas res cum vi iditate. Hoc etiam in Euangelio demonstratur; Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert; & sic successiue multi & varij colores apparebunt, antequam terra biberit suum debitum pondus: Cum vero habuerit suum pondus deueniet ad quandam albedinem, seu citrinitatem. Hæc igitur operatio impregnatio nuncu-

nuncupant; quia terra nostra benedicta grauida facta est, & tempus est sui partus, nasceturq; filius, qui non assimilabitur suis parentibus. Et vt completum magisterium habeamus, ad reliqua pergamus. Accipe terram prædictam prægnantẽ, & eam in vase vitreo situa, superrorando aliquantulum de aqua nostra, ipsamq; in bociam habentem collum longũ in cineribus colloca, & subtus ignem accende donec tota humiditas exhalet, cum vero terra desiccata fuerit, auge ignem ad tertium gradum vsq; quia sublimate incipiet, & in culmine vasis ascendere sulphur nostrum gloriosum & incorruptibile: dum autem totum ascenderit, exaltatum erit in terra foliata, vel in sale mirabili, quod per Raimundum & alios Philosophos, sulphur naturę appellatur. Hunc igitur, fili mi, thesaurum capias, quia nihil ipso dignius aut præstantius in mundo, hæc enim est gemma sapientum, venenum mortiferum, arsenicum sublimatum; hic est bufo, congelans Mercurium, hic est draco omnia vorans, & ad sui naturam conuertens, hic est, quem omnes Philosophi in turba clamant; honorate regem nostrum ex igne venientem, diademate coronatum, cuius pater est Sol, mater vero Luna, nutriatur lacte suo, vsque quo ad ætatem perfectam veniat. Hic est filius nobis natus, pascatur lacte suo, donec fixetur, & fluat vt cera, hoc autem magisterium, quod à Philosophis fermentum appellatur taliter facias. Accipe in Dei nomine aquam nostram miraculosam ipsamq; in balneo ad destillandum pone, & continua destillationem donec amplius destillare noluerit. Postea vas illud ex balneo remoueas, & in fundo ipsius inuenies quandam rem rubicundissimam & gloriosam. Hoc facto accipe materiam prædicta n rubicundam, & in alio vase mundo in cineribus colloca, & reconde superaddendo alembicum, deinde fortissimum ignem facias, quia alio modo destillare non potest, & cum materia tota destillata fuerit, iterum per septem vices rectificabis, & nota quod in septima destillatione, si per annum staret in igne nunquam destillaretur, sed semper maneret in forma olei, hoc, fili mi, verum fermentum philosophorum & non aliud. Et multi ignorantes credunt sulphur nostrum cum corporibus fermẽtari, quod fatuũ est & remotum à principijs naturalibus. Sed lapis noster benedictus seipsum calcinat, seipsum soluit; seipsum interficit, seipsum viuificat, seipsum dispon-

ſat; ſeipſum nutrit, ſeipſum cibat, ſeipſum fermentat, non autem cum re quæ non ſit nata ex eo. Si autem ad finem optatum perducere volueris, accipe ſulphur noſtrum in cælo exaltatum, facque habeas pondus eius, & pone in vrinali mundo, ſuperponendo quartam partem ſui de oleo noſtro ſupradicto, ſimulq; omnia miſce, donec facta fuerit ſubſtantia vna. Poſtea ipſum vrinale in igne debiti, vel aliter in ſtuffa ſicca repone, quia ibi materia digeretur, & tali calore fixabitur. Cum autem materiam tuam ſiccam videbis, ne ſis lentus ad cibandum eam, ſemper ſibi dando pondus ſuum prædictum de lacte ſuo, donec totum fixetur, & ſine fumigatione fluat, vt cera. Cum hoc aſſecutus fueris, habes quod optaſti. Hunc vero modum in proiectione ſerua, videlicet, accipe pondus vnum iſtius medicinæ & ſupra pondera decem ſolis fuſi proijce, totum in medicinam fundentem & penetrantem conuertetur, metalla, & morbos omnes curantem. habes fili mi, arcanum pretioſiſſimum, quod tibi iamdiu oſtendere promiſi, nemini ipſum tradas. Sed probus eſto, Deum omnipotentem lauda, & pauperes ſint tibi curæ.

SEQVVNTVR PAVCVLA DICTA ſapientum, quæ ad rem quam maxime faciunt.

Geber in ſumma ſua ait.

ARS *noſtra in Dei potentia reſeruatur, qui cui vult largitur, & ſubtrahit, qui eſt glorioſus, & ſublimis, & omni bonitate repletus.*

Senior in conſilio coniugij.

Hanc etenim ſcientiam inquirentibus neceſſarium eſt habere mentes purificatas Dei, cum ſit donum Dei.

Roſinus.

Potius namque Philoſophi mori voluerunt quam artem pateſacere.

Treuiſanus.

Oportet philoſophorũ dicta intelligere, ad naturæ poſſibilitatem, non ad ſonum verborũ, nam hanc artem ſub ſimilitudinibus, fabulis, ænigmatibus, & verbis obſcuris tractauerunt & dat aopera occultaruut, ne indoctis, impijs, indignis pateſieret.

Geber.

Geber.

Vbi magis aperte & plane locuti sumus, ibi scientiam magis occultauimus.

Senior.

Nihil occultarunt philosophi præter præparationem quæ est difficilior rerum: & sine ipsa non perficitur, nec sciri potest nisi à Deo, aut à magistro, qui eam doceat.

Bonus Ferrariensis.

Quicquid est in medio motus ad aliquam formam suscipiendam, potest duci ad terminum motus nisi impediatur. Sed metalla imperfecta sunt huiusmodi, aurum autem in termino motus. Ergo.

Raimundus in Vade-mecum.

Quicquid virtus elementalium cælestis facit in vasis naturalibus, hoc ipsum facit in vasis artificialibus modo sint formata ad modum vasorum naturalium.

Lilium.

Opus non causatur à motu superiorum, quoniam in tempore fieri potest, modo ponatur res in vase carente sectione.

Rucardus Anglus.

Ars imitatur naturam, non quod nouam ædificet: Sed quod illius naturæ virtutem subtiliet; ad hoc incipit ars perficere, vbi natura deficit: subtilem materiam in re confusa, vel corrupta detegere & manifestare.

Arnoldus Villanouanus.

Vnde oportet quod illud quod bonum est in corpore imperfecto vna cum corpore perfecto perficiatur, quia cum argenteitas viua corporis perfecti sit fixa; figit argenteitatem viuam non fixã ipsius corporis imperfecti, quia argenteitatem viuam fixam à corporibus perfectis abstrahit, & facit hanc penetrare glorificare & omnino perficere.

Idem.

Materia prima metallorum est quædam substantia fumosa continens in se humiditatem vnctuosam, à qua substantia artifex separat humiditatem philosophicalem, quæ opponi apta est, quæ est clara vti lacryma, in qua habitat quinta essentia metallica, & illa est metallũ placabile & in illa est medium cõiungendi tincturas, quia habet naturam sulphuris & argenti viui.

Arnoldus.

Sol & Luna in virtute & potentia sunt in nostro lapide, si hæc non esset nusquam fieret inde Sol neque Luna. Idem.

Idem.

Omne crescens vel nascens, multiplicatur in sua specie, metalla non generantur nisi ex spermate proprio, argentum autem viuum est sperma metallorum & origo eorum.

Pandulphus.

Natura natura lætatur; natura naturam continet, & natura naturam vincit.

Diomedes.

Venerabili vtamur natura, quoniam natura non emendatur, nisi sua natura; nam ipsa seipsam germinare facit.

Paracelsus.

Solum ex metallis, in metallis, per metalla, & cum metallis, perfecta metalla fiunt: nam in alijs rebus est Luna, & in alijs metallis Sol.

Raimundus.

Lapis non fit de vno, sed ex duobus simul.

Constans.

Nil aliud curate, nisi vt argentum viuum fixum in aere & volatile fugiens in Mercurio habeatis.

Eximidius in turba.

Iubeo autem vos, argẽtum viuum argento viuo miscere quousque vna eademque aqua fiat munda ex duobus corporibus.

Senior.

Aqua non conglutinatur nisi cum simili sulphuris sui, nec inuenitur in re aliquid simile sulphuris sui, nisi in hoc quod ex eo est, sol solem.

Raimundus.

In aqua est totum nostrum scire, & secretum & finis desideratus.

Hermes.

Lapis ille est secretum totum & vita vniuscuiusque rei & omnis homo indiget eo, & hæc est aqua quæ est in tritico frumentum, & in oliua oleum, & in persicis gummi, & in omnibus arboribus fructus, & principium generationis hominis: & ex ea est viuum quod non moritur, quandiu mundus est, quia est caput mundi, id est, humor.

INDE



INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC tertio volumine continentur.

A.

Argen-

B.

C.

Che-

N.

O.

Rat.

physica





FINIS.

